17.a.3

De la Botica de la Compª de Ihs.
R. 2327

LVDOVICI MERCATI

Medici à cubiculo Philippi secundi Hispaniarum Indiarumque Regis potentissimi, atque eiusdem Prothomedici, & in Vallesoletana Academia primaria cathedræ Professoris emeriti,

De Mulierum affectionibus, Libri quatuor.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Quorum primus de communibus mulierum passionibus differit. Secundus virginum & viduarum morbos tractat. Tertius, sterilium & prægnantium. Quartus, puerperarum, & nutricum accidentia ad vnguem exequitur.

AD PHILIPPVM SECVNDVM HISPANIARVM Indiarumque Regem potentissimum.



CVM PRIVILEGIO.

MADRITI,
Apud Thomam Iuntam.

Anno Domini M. D. XC IIII.

Profeso mi ija Ana agustin
nunez y los pp. el domingo a diez
y nueve de julio de este año de mil
y seis sientos y ochenta y dos y fueron
son compadres don fran.co y de bil
ma y mi señora doña Ju.a de ni
ma la su muger y prima y por la
poca salud de don pedro de leon
y de mi señora doña mariana mesias
lo fueron estos señores antecedentes
y por que lo fueron en su entrada
el señor don pedro de leon y mesias
y mi señora doña mariana mesias
1 se llama el caballero que a de suplicar
por la capeñania que dexa don diego mal
garejo se llama don fr. feliz criado de su ess.a
el marques de camarasa y quien se lo
a de suplicar es don manuel sanchez her
mano de mi prima la madre sebastiana
y es apo sentador de su mag.d
1 tio pedro entro viernes a onze de henero y tiene a cuenta rea
1 la primera semana despues de los reyes se truxeron cuatro li
bras de carne en 30 cuartos
1 la segunda semana se traxo sin co libras de carne que
monto 37 cuartos
1 la tercera semana otras sin co libras de carne que im
taron otros 37 cuartos y me dio
1 mas la cuarta semana se traxeron otras sin co libras
de carne que montaron 37 cuartos
1 mas la quinta semana se truxeron cuatro libras de car
ne que monto 30 cuartos

SVMMA CAPITVM LIBRI.

PRIMI.

De sexus differentia. Cap. 1.
De affectionibus vtrique sexuum communibus, & cuique proprijs, cap. 2.
De affectionibus quæ fœminis omnibus sunt communes, ac de alijs quæ cuique fœminarum sorti peculiares existunt, cap. 3.
De menstrua purgatione, cap. 4.
De fœminis quibus menses nunquam fluxerunt, cap. 5.
De his quæ clausa habent genitalia & vterum, cap. 6.
De menstruis per locum nõ naturalem erumpentibus, cap. 7.
De menstruis superfluis, cap. 8.
De menstruorum suppressione, cap. 9.
De menstruis diminutis, ac de mẽstruorum stillicidio, cap. 10.
De menstruis difficillimis, & cum grauissimis accidentibus, cap. 11.
De mẽstruis quæ debitum tempus anteuertunt, cap. 12.
De menstruis quæ debitum tempus remorantur, cap. 13.
De menstruis corruptis, cap. 14.
De albis vteri purgamentis, cap. 15.
De menstruorum cum morbis implexu & prouidentia, cap. 16.
De duris & cancrosis mammarum tumoribus, cap. 17.

SECVNDI.

DE vteri natura ac de morbis, quibus affici potest, cap. 1.
De hystericis affectionibus in genere, cap. 2.
De vteri strangulatione, cap. 3.
De virginum & viduarum melancholia, cap. 4.
De varietate epilepsiæ ex vtero, cap. 5.
De febre alba & de virginum obstructionibus, cap. 6.
De vehemente pulsatione quæ in arterijs iuxta dorsum, in plerisque fœminis reperitur, cap. 7.
De varijs ventriculi accidentibus ex vtero, cap. 8.
De varijs & grauissimis totius corporis & capitis doloribus ex vtero, cap. 9.
De pruritu & furore vteri, ac de symptomate turpitudinis, cap. 10
De vteri procidentia, cap. 11.
De auersione seu recursu vteri ad varias partes, cap. 12.
De vteri imbecillitate, cap. 13.
De varijs vteri doloribus, cap. 14.
De vteri hydrope, cap. 15.
De vteri inflatione, cap. 16.
De vteri inflammatione, cap. 17.
De scirrhoso vteri tumore, cap. 18.
De vteri cancro, cap. 19.
De vteri vlceribus, cap. 20.
De vteri rhagadijs, cap. 21.
De vteri condilomate, cap. 22.
De vteri ac pudendi verrucis, thymijs & ficu, cap. 23.
De scabris vteri ac pudẽdi pustulis 24
De vteri fistulis, cap. 25.
De vteri hæmorrhoidibus, cap. 26.
De vteri calculo, cap. 27.
De vteri vermibus, cap. 28.

TER-

TERTII.

DE sterilitate in genere, cap. 1.
De fœminę sterilitate per collationem ad virum, cap. 2.
De sterilitate morbosa, cap. 3.
De sterilitate quæ fit ad tempus. cap. 4.
De virorum sterilitate, cap. 5.
De conceptu, cap. 6.
De monstroso conceptu, cap. 7.
De vteri mola, cap. 8.
De falsa grauidatione, cap. 9.
De picaceo prægnantium appetitu, caput 10
De prægnantium inappetentia, cap. 11.
De prægnantibus quæ cibum euomunt, cap. 12.
De ventris dolore in prægnantibus, caput 13.
De cordis saltu ac de syncopi in prægnantibus, cap. 14.
De prægnantium tussi, cap. 15.
De aluo suppressa, aut nimis citata in prægnantibus, cap. 16.
De inflatis prægnantium cruribus, caput 17.
De sanguinis profussione à prægnantium vteris, cap. 18.
De mammis prægnantium gracilibus, aut lacte turgentibus, cap. 19.
De prẽgnantibus quibus aqua ab vtero prodit, cap. 20
De prẽgnantium moderamine & custodia, cap. 21.
De prægnantibus morbo acuto correptis, cap. 22.

QVARTI.

DE partu, cap. 1.
De arborsu, cap. 2.
De partu naturali, ac dè difficili, & laborioso, cap. 3.
De secunda relicta, cap. 4
De fœtu mortuo, cap. 5.
De mola post partum in vtero relicta, cap. 6.
De his quę a partu accidunt, ac primò de enixę prouidentia, cap. 7.
De torminibus à partu, cap. 8.
De immodico sanguinis fluxu post partum, cap. 9.
De diminuto sanguinis fluxu post partum, cap. 10.
De recta curandi methodo adseruanda in his affectionibus quę enixis superueniunt, cap. 11.
De vteri inflammatione & vlceribus à partu relictis, cap. 12.
De rugis quę post partum in vẽtre supersunt, cap. 13.
De virginali adstrictione à partu comparanda, cap. 14.
De nutrice eligenda & moderanda. 15
De lactis, defectu, cap. 16.
De lactis redundantia, cap. 17.
De lactis vitiosi emendatione, cap. 18.
De lactis concretione, cap. 19.

PETRVS A SOSA, IN VALLESOLETANA ACADEMIA Medicinæ Doctor, & professor publicus, insigni viro Ludouico Mercato, eiusdem Academiæ primario professori. S. & bene agere.

ELEBRE tuum opus de fœminarum morbis (Doctor egregie) tantame affecit admiratione & voluptate, quanta solet is affici, cui optima fors ex tempore contigerit. Gratulor tibi & seculo de noua fœtura. Gratulor mihi, quod tuarum lucubrationum me feceris participem: talium præsertim, in quibus & inuentionis subtilitas, & multiplex variarum rerum cognitio facilè apparet. Quorum alterum ingenij, alterum diligentiæ laudem habet. De fœmineo sexu ita bene meretur hic liber, vt nō leue sit absoluere, vtrum alteriplus debeat, seculū sexui, vt à quo talem te virum acceperit, an fœminæ tibi, quod eis omnium hominum maximè prosperis. Earum enim miserius, quarum totum ferè de proprijs curandis morbis negotium, a plerisque Medicorum, obstetricibus & superstitiosis vetulis, iam iam tanquam quid à Medici munere alienum relinquebatur, vetustissimam illam Hippocratis de hac re doctrinam, per tot tempora in hominum ignorantia sepultam, miro tuo ingenio veluti ab orco reuocans, Medicorum posteritati sic aperuisti, vt non deinceps Hippocratis obscuritatem excusare possint, quominus afflictis fœminis, quæ miserè mille morborum generibus torquentur, opem ferant. Quid nanque hac in parte desiderari potest, quod ab hisce tuis libris tanquam ab vberrimis fontibus hauriri non possit? in quibus ea rerum maiestas, is splendor est eloquentiæ, vt certatim in illis palmam sibi vendicare verba atque sententiæ videantur. Felix qui velis optima, eadem possis: felices & nos quibus non solùm legere quæ scripsisti, sed etiam te amare, te videre, te alloqui datum est. Cui vni omnes Medicæ factionis literatos tantum debere existimo, quantum vix debent antiquitati. Futurum quidem spero, vt te viuente Medicinæ studia ad pristinam castitatem, sed magis ditata opibus, reuocentur. Sed doleo interim, quod certo scio, hos tuos labores & magnæ inuidiæ fore obnoxios, & multum sermonis subituros. Et vtinam scriptores inuidos & tui operis censores haberes: quorum etsi mos sit sic suas tueri partes vt alienas oppugnent, liceret tamen tibi scriptoribus scribendo satisfacere. Attamen non deerunt qui præter id quod scribere nequeant, laudis occasionem de alienorum laborum reprehensione petant. Sed nil quemque metuas, vbi tu tibi studeas. Nunquam enim malè de Mercato sentiet, qui placere Musis volet. Quapropter bono animo perge, & absolutum iam opus non solùm breuiter excudendum cura, verùm de morborum omnium curatione praxim, & libros de pulsibus, de febribus, de morbo gallico, quemadmodum & doctissima cōmentaria in primam fen. primi canonis Auic. quæ a te iampridem conscripta esse scio, in communem omnium vtilitatem legenda exhibe. Sic enim tuus de auxiliorum artis Medicæ indicatione liber (vt vtilissimum de febre maligna opusculū subticeam) doctissimorum animos, ad omnia tua opera bene suscipienda, disposuit, vt ingrati hominis officium facias, si ex eis aliquod supprimas, quod liberè non communices. Nec te ab hoc arceat maleuolorum turba, cùm admirari te possint omnes, imitari tam pauci, quam nemo reprehendere. Et qui deinceps sequentur dies (vt Pindarus inquit) tuæ egregiæ doctrinæ testes erunt sapientissimi. Vale, & me, vt soles, ama. Ex hac tua domo. 5. Calendas Nouembris, anno salutis nostræ. 1578.

AD

AD LECTOREM.

SÆPE mecum ipse cogitaui, candide lector, ac veluti à longè prospexi, Medicam artem non mediocrem interitum minari: quinimo, si quis diligēti animo id intueatur, instātem iam ruinam certò polliceri. Nam quis præsagium futuri mali non persentiscet, si quæ arti & ijs qui ei operam præstant, quotidie accidunt, cordatiùs pensitet & diligenter examinet, cùm maiorem artis professorum partem, quæstui deditam magis esse, quàm bonarum literarum cultui & ornamento, euidenter constet. Ita, vt non paucos reperias, qui practicis quibusdam libellis aut chymicis fictionibus contenti, quod perfectum est & pulchrum, ac summopere in arte necessariū, tanquam inutile ac vanum iudicent, & viros strenuos ac studiosos vel contemnāt, vel odio habeant, aut inutilem & inanem eorum vitam ijs studijs deditam existiment: iudicatq́, hoc hominum genus in alijs etiam vanū, quod nec ipsi habent, nec consequi amant. Quamobrem mirum non est, mulierculis aut reunctoribus tutiùs aliquando concreditam esse laborantium salutem, quàm ijs, qui se hoc viuendi genere Medicos vendicant: dignum quidem imperitis, seditiosis, vel ijs qui tantùm quæstui indulgent, supplicium. Quippe hoc vltimum vitium non minus in re medica adfert periculi, quàm imperitum quemuis adferre comperimus. Nam lucro, magis quàm communi vel priuato bono inniti, hallucinari quidē vel peritissimos cogit. Generosum enim virum, & artis huius dignum, ne olfacere quidem pecuniā fas est: illud quidem grati laborantis munus existit, nō Medici, cui satis est morbum superasse. Quid enim illi pretiosius fore, aut vtilius existimas? nil profectò: nam reliqua veluti accidentia consideraſſe sat est. Quæ sanè omnia cùm considero, me quidem totum libentissimo animo laboribus, vigilijs ac literarum studijs dedo, vt & mihi, & alijs prodesse aliquando possim, ac docere quanti momenti magis sit in probo viro fini suæ artis, quàm quæstui inniti. Illud proculdubio pretiosum est, & vtile quidem, ac gloriæ & honoris plenum: hoc verò dedecoris & cōtemptus sibi, & arti. Quam sanè rationem insequēs, & grauissimorum virorum vestigia, qui huic etiam operi plurimùm insudarunt (vt desit otiosis communis excusatio, qua non rarò suæ ignorantiæ & pigritiæ culpam regerunt in pleraque eorum, quæ arti proficua & necessaria sunt, cùm vel obscura, vel defecta, ac mutila, aut perperam distributa, dissectaq́; adhuc in arte existant) ego etiam ob id communissimam illam rationalem methodum per singula auxilia & indicationes distributā, nō sine magnis laboribus & vigilijs scribere studui. Nec non & pulsuum artem, quam tantùm maior Medicorum pars exhorrescit, vt inutilem arbitretur, pauca solùm ex ea colligens, cætera verò ob difficultatem deserens. Pari etiam ratione febrium omnium naturam, causas, dignotionem, & veram ac vberrimam curandi rationem typo mandauimus: sicut febris maligniæ non contemnenda præcepta & curationem. Quæ sanè omnia considerans, ac diu insequens artis arcana, compertum proculdubio habui, alteram nostræ artis partem, quam fœminis propriam & peculiarem esse existimaui, mutilam esse, & defectam, ac incultam, ita, vt misere fœminas ipsas mille morbis premi conspiciamus, nullo, vel inutili, aut alieno præstito auxilio; quòd veluti viri curentur, nulla facta, vel leui distinctione earum affectionū, quę illis sub ratione sexus succrescunt: præsertim cùm Hipp. tantùm huic parti insudasse constet. Quem sanè laborem

borem vel præ vetuſtate,aut poſterorum incuria, vel noſtra negligentia,veluti mutilum iudicamus. Quo factum eſſe cenſeo,vt fœmineum genus valetudinariũ plerunq; exiſtat,vt nec ſibi,nec viris prodeſſe poſsit. Cuius rei rationem reddens Hippocrat lib.de morb.mul.hæc refert verba de hydrope loquẽs. Periculoſa verò ſunt, velut dictum eſt,& plerunq; acuta & magna,& intellectu difficilia,eò quòd mulieres participant morbis,& aliquando neque ipſæ ſciunt quòd ægrotant, priùs quàm morbos experiantur à menſibus,& ſeniores factæ fuerint. Tunc autem & neceſsitas & tempus ipſas morborum cauſas docent,& quandoque non cognoſcentibus ex quo morbo ægrotent,morbi incurabiles fiunt,antequam doceatur rectè Medicus ab ægrotante. Verentur enim narrare,etiam ſi ſciant,& præ imperitia & ignorantia turpe ſibi id eſſe putant. Sed & Medici ſimul peccãt non exactè cauſam morbi percontantes, ſed velut viriles morbos ſanantes:& multas noui iam ab huiuſmodi affectionibus correptas. Quare ſtatim cauſam exactè interrogare oportet:multũ enim differt muliebrium morborum,ac virilium curatio. Quæ ſanè Hipp. ſententia me compulit,in viridi ſenectute mea,huic artis parti nonnihil etiam inſudare,& Hipp.præclara præcepta lucidiora reddere,diſtinctiùſque ea ſecernere,& cui que affectioni,quod ex eis proprium exiſtit,vt par eſt,dicare. Quę proculdubio neceſsitas me plurimùm coẽgit,vt ſuſciperem eius rei ſcriptionem, quam non ſolùm meum,verùm & multorum ingeniũ ſuperare exiſtimo. Cæterùm,vt poſteris principium ad perfectionem huius partis ſubſit,ſatius eſſe iudicaui,aliquid in hac re vtile ſcribere,licèt nomen audacię ſubeam,quàm fugiens huiuſmodi calumniam,quę multis profutura ſpero,celare. Qua in re fœminarum affectiones in quatuor partes diuidens,quatuor ſubinde libros conſtruxi:quorum primus fœminei ſexus morbos in genere recenſet: ſecundus,eos omnes,qui virginibus,& viduis peculiares ſunt: tertius verò,quos ſterilibus,& prægnantibus accidere comperimus: quartus denique & vltimus,eos nimirum,quos ijs, quæ pepererunt, aut nutrices ſunt, accidere ſcimus. Ob quam ſanè tractationem hoc opus gynæcias iure optimo,vt antiqui aſſeuerant,appellamus:quippe gynæcias,fœminarum affectiones nuncuparunt;ſumpta nimirum ratione ab antiquiſsima vocabuli ſignificatione, nam gynæconites ſiue gynæcium locus ædium ſecretior,in quo ſolæ mulieres habitabãt, dictus erat. Vnde Panthedas Spartanus cùm in Aſia obiret legationem,oſtentantibus quibuſdam murum valde munitum,latum,ac ſublimem, fertur dixiſſe, Per Deos ô hoſpites,pulchra gynæconites, id eſt,domus mulierum. Apud Iuriſperitos etiam gynæcium capitur pro ſecretiore loco,in quo opera textoria, & iſta muliebria conficiuntur:& gynæciarij pro ijs, qui ea muliebria opera conficiunt. Sed & gynæconitidis mentionem quoque fecit Procopius in bello Vandalico lib. 3. vbi ſatis declarat,locum eſſe ſecretiorem fœminæ ſolùm dicatum. Sic & Vitruuius idem fateri videtur. Ex quo ſanè,iuxta optimam rationem viri docti non pauci,librum eum,qui fœminarum continet affectiones, gynæcias appellarunt. Quem ſi ex toto euolueris, æquoque animo, legeris, quantum vtilitatis ſis extracturus, tu ipſe videris. Vale, & lege, & magno hoc labore bonis auibus fruere.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Doctor Mercado nueſtro medico de Camara, y nueſtro Protomedico, nos fue fecha relacion q̃ vos teniades impreſſo vn libro intitulado de Mulierum Affectionibus, del qual ſe os auia dado Priuilegio para le poder vender por tiempo de diez años: los quales eran paſſados, y nos ſuplicaſtes os le mandaſſemos prorrogar por otros quinze años mas, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, fue acordado, que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula en la dicha razon, e nos tuuimoslo por bien, por la qual vos prorrogamos y alargamos la dicha licencia que de ſuſo ſe haze mencion por otros ocho años mas cumplidos primeros ſiguientes, que corren y ſe cuentan deſde el dia de la fecha deſta nueſtra cedula en adelante, vos o la perſona que para ello vuestro poder huuiere, y no otra perſona alguna pueda imprimir y vender el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion. Y por la preſente damos licencia y facultad a qualquier impreſſor deſtos nueſtros Reynos, qual vos nombraredes, para que durante el dicho tiempo lo pueda imprimir por el original que en el nueſtro Conſejo ſe vio, q̃ todo ello va rubricado y firmado al fin de Alonſo de Vallejo nueſtro eſcriuano de Camara, y vno de los que en el nueſtro Conſejo reſiden: con que antes que ſe venda le traygais ante ellos, juntamente con el dicho original, para que ſe vea ſi la dicha impreſsiõ eſta cõforme a el: y traygais fee en publica forma, como por corrector por nos nombrado ſe vio y corrigio la dicha impreſsion por el dicho original. Y mandamos al impreſſor que aſsi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego del, ni entregue mas de vn ſolo libro con el original al autor o perſona a cuya coſta lo imprimiere, ni a otra alguna, para efecto de la dicha correccion y taſsa, haſta que antes y primero eſtè el dicho libro corregido y taſsado por los del nueſtro Conſejo. Y eſtando hecho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio y primer pliego: en el qual inmediatamente ponga eſta nueſtra licencia, y la aprouacion, taſsa, y erratas: ni lo podais vender, ni vẽdais vos ni otra perſona alguna, haſta que eſte el dicho libro en la forma ſuſodicha, ſo pena de caer e incurrir en las penas cõtenidas en la dicha prematica y leyes de nueſtros Reynos, que ſobre ello diſponen. Y mãdamos

damos que durante el dicho tiempo persona alguna, sin vuestra licencia no lo pueda imprimir, ni vender, so pena que el que lo imprimiere, y vẽdiere aya perdido y pierda qualesquier libros, moldes, y aparejos, que del tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere, de la qual dicha pena sea la tercia parte para la nuestra Camara, y la otra tercia parte para el juez q̃ lo sentenciare, y la otra tercia parte para el que lo denunciare: y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidente, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra Casa y Corte, y Chancillerias, y a otras qualesquier justicias de todas las ciudades, villas, y lugares destos nuestros Reynos, è señorios, y a cada vno dellos en su juridicion, assi a los que agora son, como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra carta y merced, que assi os hazemos, y contra ella no vayan, ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna, so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra Camara. Dada en Madrid a veynte y quatro dias del mes de Março, de mil y quinientos y nouẽta y quatro años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Don Luys de Salazar.

INDEX LOCVPLETIS-SIMVS EORVM OMNIVM, QVÆ notatu digna in opere de morbis mulierum continentur: in quo prior numerus paginam: posterior verò lineam ostendit.

ABORSVS est imperfecta fœtus emissio, seu immatura, & violẽta fœtus excretio. 469.18.

Aborsui magis resistunt fœmellæ post primos menses, initio verò prægnationis periclitãtur magis: mares verò è contra, cùm auctiores sunt, & moueri incipiunt, magis sunt aborsus periculo expositi. 420.25.

Aborsui promptiores sunt fœtus quibusdam mensibus, quàm alijs, & qui sunt. 469.29.

Aborsum patitur vterus ob tres potissimas causas, & ob alias, quæ recensentur. 470.1.

Absynthium tale est hæpati, qualis est lieni cortex cappa ris: & quale est hæpati eupatorium, tale est lieni scolopendrium. 209.16.

Acuti morbi quibus rationibus in prægnãtibus sint adeò periculosi. 440.11.

Aluus suppressa in prægnantibus quibus debeat emolliri. 421 40.

Aluus nimis citata in prægnantibus quando debeat sisti, & quibus remedijs. 421.10.

Alui fluxus in puerperis 520.28.

Animalia triplici genere diuisit Arist. lib. 4. de hyst. animal. c. 11. & lib. 1. de gener. animal. c. 1. quædam enim sunt in quibus mas, & fœmina seorsum existunt: quædam quæ nullo sexu participant: quædam verò quæ habent simul vtrumq; sexum. 3.41.

Appetẽtia abolita, aut diminuta ad animalem facultatem debet referri, corrupta verò ad facultatem naturalẽ appetitiuam, & quare. 26.8.

Apium hortense omnino cauere oportet à cibis puerperarum. 54.30.

Aqua, quæ in grauidis ab vtero fluit vnde exeat. 434. 8.

Aquam ab vtero copiosè fluere diebus aliquot ante partum, signum est difficilis partus. 481.36.

Arteria magna vna ẽtribus causis manifestè pulsare conspicitur in ventre é regione dorsi, vel in hypochondrijs, quæ latè describuntur. 220.40.

Arteriæ magnæ pulsatio ab eiusdem arteriæ inflammatione adorti, in utroq; sexu efficacissimè curatur sanguine extracto per hirudines, ex hæmorrhoidibus propter cõmunionem, quam habent hæ venæ cum venis dorsi, & meseraicis. 224.37.

Arteria dorsi pulsante à sola intemperie, rhabarbari infusa maximè nocent, quemadmodum & quiuis alterius electorij pharmaci vsus. 225.3.

Attenuantia, & inscindentia, quæ sint & eorum differentiæ. 94.46. & 99.1.

B

BAlnea ex sulphure quomodo prosint intẽperiebus, præsertim si pars affecta in tumorem attollatur. 233.15.

Barbam fœminis adnasci summum est caloris efferuescẽtis, & intẽpestiuæ mensiũ suppressionis inditiũ. 236.1.

Barbatam fœminam Phætusam nomine Phytheæ vxorẽ ex mariti absentia, & mensium suppressione Hypp. vidit. ibidem.

Bezoar lapis obstructionibus vtilissimus. 215.17.

C

CAlculi, qui in vtero generantur non soluti sunt, ac liberi, quales vesica generat, sed ipsius vteri tunicis hærentes. 317.1.

Calculus vteri quomodo debeat extrahi. ibidem. 43.

Calculus vteri non lapis qualis vesicæ, sed tophacea re vera substantia est. ibidem. 28.

Cancer dupplex, vlceratus, & non vlceratus, & quomodo vterq; diffiniatur. 291.5.

Cancer vlceratus quare dicatur lupus. 291.17.

Cancris vteri non vlceratis efficacissimum remedium est oleum ouorum frequentiùs ductum, & agitatũ in mortario plumbeo, donec spissitudinem acquirat. 293.25.

Cancris vteri vlceratis oleum stybij mirabile remedium censetur. 294.5.

Cancri fiunt vno è duobus modis, vel incipiendo ab atro humore, vel á scirrhoso, vel quouis alio tumore duro. 140.19.

Cancri manimarum veri, & vlcerati, natura & ratio. 146.6.

Cancrosi tumores promptiùs in mammis fiunt ob earum ad recipiendum promptitudinem, quàm in reliquis partibus. 140.2.

Chalybis præparati vsum, quæ corporis præparatio debeat antecedere in singulis affectibus. 214.21.

Chalybis quælibet præparatio si coctione & feruore fit, aluum sistit, & vehementer comprimit. 218.27.

Chalybs præparatus medicamentum est commune, & vtilissimum omnibus obstructionum generibus, & quomodo eo vtendum sit in singulis. 213.30.

Chalybs, & ferrum ob maximam, qua abũdant sulphuris, & mercurij copiam, vim habent purgandi. Abundant autem his metallorum omnium principijs, quia rudiora sunt, quàm alia metalla. 288.43.

Chalybs & ferrum, non ob id obstructas partes ab infartu liberant, quia suo pondere eas permeant, sed quia vim habent abstergendi, & purgandi. 288.41.

Chalybs aliter præparari debet ad sistendas fluxiones, & aliter ad aperiendas, & abstergendas partes obstructas. 289.25.

Chalybs tribus modis præparatur. 289.38.

Chalybs in limatura magis ex vsu est delicatioribus, ferrũ verò robustioribus. 290.11.

Clausuræ vteri causæ. 30.43.

Computatio dierum morbi, qui partui succedit, à quo die, & principio sit facienda, partus ne, an morbi. 515.24.

Conceptio est attracti ab vtero seminis commistio in sanguinis menstrui puriori parte in quam locellorum calor nativus ita agit, quòd viuificato seminis naturalis calore, demum fœtus generatio sequatur. 376.45.

Conceptioni mulieres paruæ præstantiores sunt maioribus, tenues crassis, albæ rubicundis, nigræ liuidis. Quæ

item venas conſpicuas habent meliores ſunt, quã quibus non apparent ex Hypp. 326.42.
Conceptionis cauſa in muliere ſunt proba vteri cõmoderatio, recens menſium purgatio, idonea ætas, & congreſſus appoſitus. In viro autem bonus corporis habitus, ad calidum & humidum præſertim inclinans, ſeminis prolifici copia, robuſta & virilis ætas cum virium robore coniuncta, concubitus moderatus, & plenior victus ratio. 378.35.
Conceptus mulierum ſua natura contingit, vt plurimum circa plenilunium, & vltra poſt menſtruas purgationes 377.19.
Conceptus mulierum fit duobus ſeminibus in vnũ coëũtibus, poſtea verò ſanguine puriſſimo accedẽte. 377.45
Conceptus ſigna. 387.8.
Conceptus maſculi, vel fœminæ ſigna. 388.14.
Concipere impoſsibile eſt ſine menſtruorum excremento, quod anteà redundans foras effluxerit, aut intus ſatis ſit ex Ariſtot. & vide ibi quando, & quomodo mulier carens menſtruis poſsit concipere. 359.17 &. 32.
Condyloma eſt cùm aliqua ruga vteri, vel ani præter naturam intumeſcit, aliquando ſine inflammatione, ſed rugis factis maioribus ob rimas calloſſas, interim verò cum inflammatione. 305.3.
Cordis ſaltui in prægnante tranſactis primis menſibus optimé rhabarbari vſus prodeſt. 419.35.
Crura prægnantium inflata. 423.12.

D

Diminuti ſanguinis fluxus poſt partum curatio. 512.14.
Diſsimilia generantur à parentibus, quæ tribus modis ab eorum natura poſſunt differre, & monſtra ſunt. 399.1.
Diſsimilitudo natorum ad parentes duobus modis fit. 398.4.
Diſsimilitudo natorum ad parentes ex materiæ ineptitudine multis modis comparatur, & qui ſunt. 398.19.
Dolori ventris prægnãtium mederi oportet calidis & ſiccis medicamentis appoſitis, cauendo nimis ab humidis fomentis, & ab immodicis inunctionibus, ne dilatatis flatibus ante quàm reſoluãtur ſequatur aborſus. 419.1.

E

Enixæ quomodo à partu ſint tractandæ. 503.13.
Enixis peculiaris eſt certa quædam febris natura, & conditio, quæ nulli alteri accidit fœminarum ſorti 518.45.
Epilepſia eſt totius corporis concuſsio cum mentis oblæſione, & eſt ſymptoma in genere deprauatarũ actionũ motiuarum. 188.45.
Epilepſia duplicem habet cauſam: alteram quidem humorum mordacitatem, aut venenoſitatem, quæ cerebri expellentem naturam irritans motus cauſat conuulſiuos: alteram verò obſtructionem, quæ internorum, & externorum ſenſuum læſionem cauſat: quippè cũ duo ſint ſymptomata motus, nimirum conuulſiui, & ſenſuũ oblæſio, duplicem cauſam habere opus fuit. 189.33.
Epilepſia plerumq; fit per conſenſum, apoplexia verò, & paralyſis nunquam. & quare. ibidem.
Epilepſia ſiue per conſenſum fiat, ſiue per primariam affectionem, ſemper fit partim ab humorum obſtructione, partim à mordacitate. 190.16.
Epilepſia per conſenſum vtrum ſemper efficiat in cerebro obſtructionem. 190.7. &. 192.1.
Epilepſia per conſenſum ab vtero accidere ſolet fœminis, viduis, vel ſterilibus, quæ ſemine, aut ſanguine menſtruo, & virginibus quæ ſanguine menſtruo non expurgantur: ex quibus venenoſa comparatur corruptio. 192.30.
Epilepſia per conſenſum ab vtero affectæ fœminæ, quàm varia, & monſtroſſa patiantur accidentia; quorum plurima referuntur. 193.1.
Epilepſia ex vtero affectæ fœminæ, etiam ſi reliquis ſenſibus orbentur, frequenter tamen auditum ſuperſtitem habent. 194.24.
Epilepſiæ ex vtero varietatis accidentium ratio conſiſtit in hoc, quòd vel cerebrum vitium ab vtero ſuſceptum alijs partibus communicet, vel membrum aliquod vnũ, aut plura ab vtero affecta poſtmodum cerebrum lædãt. 193.26.
Epilepſiæ ex vtero ex menſtruo ſanguine, aut ſemine retento, medicamenta purgantia parum proſunt. 196.41.
Epilepſiæ ex vtero fontanellæ maximè proſunt, & quibus in partibus, & qua ratione ſint aperiendæ. 198.17.
Epilepſiam à craſsis humoribus fieri impoſsibile eſſe, & ad huius ſententiæ probationem plures hæq; efficaciſsimæ rationes adducuntur. 191.1.
Epilepſiam fieri, vt Gal. aſſerit á craſsis humoribus, intelligi debet non ſub propria forma accedentibus, vt in apoplexia, & paralyſi accedunt, ſed ſpumoſioribus, leuioribus, rarioribus, & tenuioribus factis. ibidem. 28.
Epilepſiam quomodo cognoſcamus fieri per conſenſum, aut per primariam affectionem. 194.11.
Epileptica acceſsione correptas fœminas proculdubio reuocat vehementiſsima pilorum pudendarum partium auulſio: ſicut viros teſtium dolor. 195.38.
Epileptica acceſsio ſi fœminæ diu duret, ſanguis ex talo mitti debet, ſi ex menſium ſuppreſsione facta fuerit. 195.41. & non affigi debent cucurbitulæ ſuper vmbilicum, ſed in femoribus menſium ſuppreſſorum ratione, ibidem.
Epilepticæ acceſsioni quare proſint naribus inditæ lachrymæ fœtidæ, & alia huiuſmodi, quæ alioqui ex ſua natura valent epilepſiam inducere. 195.13.
Epilepticæ vtero gerenti quæ curatio debeatur. 196.17.
Epilepticis acceſsionibus prodeſt nimis aqua ſtilatitia cæraſorum epota, aut aqua ex diſtilatione arundinum ori impoſita. 195.23.
Epilepticis confert lapis Bezoar in aqua ſcorzioneræ. 198.39.
Aetas matrimonio apta eſt ætas pubertatis, quæ vt plurimum in viris eſt decimus quartus annus, inmulieribus verò duodecimus, licét aliquãdo aliter eueniat. 330.24
Eunuchi trium ſunt generum: quidam ob priuationem virilium: aliqui ob vitium in illis: multi ob naturæ impotentiam ſemen non generantis, aut flatum non tranſmittentis. 374.5. &. 18.
Extenuantia & inſcindentia ſunt, quæcumq; olfactui, guſtui, aut vtrique, ſimul acria, & mordacia, & calida apparent. 89.46. & omnes differentias attenuantium, & inſcindentium. 99.1.

F

Facultates quibus vtitur vterus ad ſemen trahendũ, & retinendum, & ad fœtum expellendum non ſunt eædem, quibus circa proprium alimentũ operatur, ſed aliæ, quæ huic membro ad concipiendi miniſterium ſunt præſtitæ. 312.28.
Falſa grauidatio, vide grauidatio falſa.
Febris albæ ſigna. 201.1.
Febris alba frigidus affectus eſt. 202.37.
Febris alba poteſt appellari vterus albus, & quare. 203.9.
Febre alba laborantibus fœminis frequentiùs obſtructiones fiunt extra vterum. 203.23.
Febris alba, vel morbus virgineus obſtructio eſt, & quæ ſint eius cauſæ. 203.38. eius ſigna. 204.31.
Febre alba laboranti ſi iæcur obſtructum ſit ſanguis mitti debet, non protinus ex talo, quamtumuis menſes ſuppreſsi

preſsi ſint, ſed priùs ex vena interna cubiti. 205.30.
Febre alba laboranti non licet menſes euocantia adhibere, niſi conſueto menſtruationis tempore, & ſi id haberi nõ poteſt, quo tempore fœmina maiores ſentit circa vteri partes dolores, maioremq; grauitatem. 106.1.
Febre alba laborãtibus fœminis quibus lien eſt obſtructũ, præmiſsis purgationibus diuretica ſunt ex vſu, nam licét diuretica non ita proſint, quia à liene ad renes, non ita comparata via eſt, tamen experimentum docet lien per vrinas non rarò expurgari, iuuant etiam quia attenuant, & aperiunt. 209.37.
Febre alba laborantibus pro liene obſtructo, quando rugitus adſunt, & aquæ fluctuationes, variæ parantur inunctiones, & clyſteria. 210.1.
In febre alba laborantibus, cum meſeræi obſtructione, licét eædem venæ ſint obſtructæ, quæ in hypochondriaca melancholia obſtruuntur, differunt tamen affectus, quia in hypochondriaca ſanguis ibi detentus exuritur, ac efferueſcit. Vnde ex eius halitibus caput, & cor tentantur, & fiunt melãcholica ſymptomata. In morbo verò virgineo refrigeratur impactus ſanguis, & recrudeſcens vniuerſum affectum generat frigidum. 211.17
Febre alba laboranti fœminæ ſanguis in principio curationis mitti debet, nũquam tamen ex brachio, ſed ex talo, idq; parcè. 211.35.
Febre alba laborantes cum meſerei obſtructione per vomitus poſſunt, & debent curari, quando non inſtat debitum menſtruationis tempus. 211.42.
Febre alba laborans quando menſes mouẽtibus indigeat. 212.10.
Febris albæ ex vteri obſtructione curatio. 212.19.
Febre alba laborantibus à quacumq; cauſa quibus rationibus conueniat exercicium. 212.45.
Febre alba laborantibus imponitur exercitij lex, & ratio. 213.12.
Fiſtulas vteri, & aliarum partium aliquando neceſsitas cogit ſecare, & vrere, aut ferro candente, aut cauſtico medicamento. 313.10.
Fœcunditatis rerum omnium potiſsima cauſa in ſexus diſtinctione ſita eſt. 2.10. & qua ratione probetur neceſsitas diſtinctionis ſexus. 1.1.
Fœcundæ rarò fiunt fœminæ vltra. 45. annum. 16.39.
Fœcundæ rarò fiunt fœminæ in ætate, qua incipit, vel deſinit menſtrua purgatio, vel emiſsio ſeminis. ibidem.
Fœminæ in omnibus natura conſtantibus reperiũtur. 1.1.
Fœminæ non ſunt viris imperfectiores, etſi ſint frigidiores. 6.40. & quibus rationibus id fiat vide. 7.10.
Fœmina habito reſpectu ad finem æquè perfecta eſt ac vir, reſpectu verò aliarum operationum vir eſt fœmina perfectior. 7.39.
Fœmina & ſi fiat præter intentionem agentis particularis, fit tamen ex intentione vniuerſalis naturæ, quæ ad opus generationis ordinatur, & ob id nullam habet ſexus ratione imperfectionem. 7.44.
Fœminæ ex innato principio, & habitu, non ſolùm ſunt viris morboſiores, verùm habent etiam morbos quoſdam peculiares. 9.36.
Fœminæ quæ viro vtuntur, ſuas etiam habent proprias & peculiares affectiones, & quæ ſint. 13.43.
Fœminæ quæ lac habent, interim dum habuerint, ſteriles cenſendæ ſunt, & omnino ad conceptũ ineptæ. 79.45.
Fœminæ plures viſſæ ſunt vtero geſtare dum eſſent nouẽ, aut decem annorum tantùm. 16.20.
Fœminæ non menſtruantes quare poſsint cõcipere. 24.3.
Fœminæ aliquæ non menſtruantes quare innoxiè viuant. 24.44.
Fœmina tardiùs in vtero formatur quàm mas, in lucem tamẽ ædita citius accreſcit, & ætate viget ac floret, demumq; ſeneſcit, ob materiæ fluibilitatem, & caloris inopiam. 383.33.
Fœminam calidiorem habere ſanguinem, & ideò eſſe viro calidiorem: in quo ſenſu dixit Hypp. lib. 1. de morb. mulier. & quomodo debet intelligi. 6.41.
Fœminas in viros migrare (vt Medici exiſtimant) potius ad vteri prolapſionem, quàm ad aliud mali genus debet reduci. 235.46.
Fœminas in viros migraſſe multi aſſerunt, & de hoc variæ antiquorum hyſtoriæ. 236.7.
Fœminas oportere eſſe viris frigidiores quibus rationibus aſſerant Philoſophi. 6.26.
Fœmineum ſexum cum virili ad generationem neceſſariò debere commiſceri, efficaciſsimis rationibus ex Beato Thoma, & ex Ariſt. probatur. 4.15.
Fœminis omnibus à primo menſtruationis tempore per totam vitam communes morbi ſunt oborti, vel ex mẽſtruali purgatione, vel ex albis, aut alterius coloris vteri purgationibus. 11.11.
Fœniculum quomodocumq; hauſtum venerem concitat, eſt enim pudendis amiciſsimum, 370.17.
Fœtu mortuo in vtero exiſtente, & alijs remedijs non proficientibus, quando veniendum ſit ad manus operationem, & quando non. 499.37.
Fœtus efformatio eſt virtutis ſeminis in mẽſtruo ſanguine tam efficax actio, vt materiam illam efformare, ac inceptam, informatamq; ad membrorum formæ ſuſceptionem ducat. 378.42.
Fœtus duplicem habet motum, alterum vitæ manifeſtatiuum, qui quadraginta duobus diebus effulget, alterũ verò præſagum & indicem partus, quem ſeptuaginta, aut nonaginta diebus euenire reffert Hypp. 454.9.
Fœtus quibus de cauſis moriatur in vtero. 497.42. quibus ſignis cognoſcatur. 498.3.
Formationis fœtus tempora. 380.5. & deinceps.
Formatur fœmina decem diebus tardiùs quàm mas, & quare. 452.10.
Furor vteri, vide vteri furor.

G

Generatio eſt actio in ſubſtantia, à ſubſtantia, & inſubſtantiam. 1.7.
Generationi qui ſtudent, rarò debent equitare, & parum: magis tamen in pedeſtribus exercitijs exerceri conuenit: parum edere, & cibos craſſos, & validi alimẽti. 374.45.
Gonorrhœa qualiſcumq; ſit, debilem reddit hominem ad venerem. 374.35.
Grauidæ, quæ prægnationis tempore coloratiores ſunt, & meliùs degunt, quare ſolent parere infantes languidos, & minùs ſanos: ẽconrra verò hæ quæ pallidæ ſunt, & minùs benè ſe habẽt, robuſtiores pariunt filios. 436.37
Grauidatio falſa quomodo differat à mola. 410.9.
Grauidatio falſa quomodo fiat 410.9.
Grauidatio falſa quare ſic appelletur ibid. 38.

H

Hæmorrhoidas vteri abſcindere, audacia & temeritas eſt. 314.33.
Hæmorrhoidas vteri ſecare: quando neceſſariũ, & ſecurum ſit. 316.17.
Hæmorrhoidarum vteri dolore ſedantia vnguenta. 315.2
Hæmorrhoides vteri, quæ ſint. 37.44.
Hydropem vteri ſtybium aſſumptum ſolet diſſoluere. 267.26.
Hydropi vteri quando alia non proſunt, fontanella in altero, vel in vtroque crure aperta maximè proficuum eſt remedium. 267.23.
Hydropis vteri potiſsima cauſa eſt diuturna menſium ſuppreſsio. 263.35.

Hydrops vteri quid sit, & quibus modis fiat. 263.1.
Hystericis mira accidentium varietas à quibus causis nascatur: vide vterinorum affectuum mira varietas.

I

IEcur primò efformatur: mox cor: tandem cerebrum, sed cor, & cerebrum simul perficiũtur: quia hæc duo membra vni potẽtię animali necessaria sunt. 381.13.
Imbecillitas vteri quid sit, vide vteri imbecillitas.
Inappetentiæ prægnantium causæ. 416.11.
Inflammatio vteri dicitur, dum vteri substantia ipsa plus iusto affluẽte humore sanguineo impletur, nõ quidẽ in vniuerso vteri corpore, sed in aliqua eius parte. 273.17.
Inflammatio vteri plerumq; fit ex menstruo sanguine, eo quòd in maiori quantitate abundet, & vtero sit nutrimentum. 274.24.
Inflammatio vteri si parua fuerit, vel corpus nõ plurimum plenũ, vel menses instauerint, sat erit venas tali inscindere. 278.2.
Inflammationem vteri efficere nequit semen quantum vis retineatur, & putrescat, & quare. 274.20.
Inflammationem vteri, vere tẽ curemus sanguinem primò é brachiorum venis (retractionis, & plenitudinis deponẽdæ gratia) mittere oportet, deindè verò malleolorum venas scindere ad deriuandum. 278.2.
Inflammationi vteri perpetuò febris succrescit ardentissima, peculiariùs, quàm in aliarum partium inflammationibus, propter maximum consensum cum corde per arterias. 275.33.
Inflãmationi vteri vomitiones purgationis loco prosunt, reuulsionis gratia, & vt humores per distantissimam ab affecta parte regionem euacuentur. 278.27.
Inflammato vtero nil tutius est, quàm rarò, aut nunquam corpus purgare, vel saltim id leuissimo pharmaco efficere. 278.24.
Inflatio vteri quomodo, & quibus signis distinguatur à tympania. 269.40.
Inflatio vteri si à mensium suppressione proueniat sanguinis missione debet curari, parca tamen. 270.36.
Inflationi vteri, quando prosint balnea sulphurea, vituminosa, aut salsuginosa. 273.5.
Inflationi vteri quando prosit cucurbitula magna venti affixa, sine scarificatione, & quando cum illa. ibidem.
Inflationis vteri triplex causa: occlusio eorum, quæ expurgari solent: humidorum copia: ac vteri ipsius impotentia. 270.20.

K

KArabe puluerizati ʒ.j. in vino si sumatur vrinas mouet, secundas relictas expellit, & sanguinem fluẽtem sistit.

L

LAc in fœminis vtero gerentibus non apparet in mãmis donec fœtura motum acquisierit, quo possit facta cõpressione sanguinem sursum in mammas pellere. 430.2.
Lac quare augeant calidissima, & frigidissima, cùm contraria sint. 534.1.
Lac quomodo omnino possit auferri. 538.9.
Lac ingrummos non potest conuerti nisi à frigiditate: nec in casei naturam, nisi caliditatis vi & efficacia. 540.39.
Lac matris longè vtilius infanti æstimatur, & si bonis conditionibus careat, quàm sit, quod ex nutrice sugitur, quantumuis laudabile existat. 530.34.
Lac biliosum infantibus pituitosis præuere, vt ad mediocrem redducantur temperiem malum est, forsam enim obnoxius fiet affectionibus ex vtraque intemperie cõplicatis: præter quam quòd leuis pueri substantia non tolerabit eum excessum. 530.41.
Lac bonum est, quod prodit post purgationem puerperij perfectam, hoc est, in masculo à 30. die, in fœmina verò á 42. 531.11.
Lac fluentibus mensibus non est purius, & perfectius, vt aliqui existimant. 531.26. quamobrem consilium est apud omnes probatissimos viros lac statim post mensium exortum mutare. ibidem. 33.
Lac nihil aliud est, quàm quædam veluti superfluitas nutrimenti partis ipsum generantis, similis quidem ipsius naturæ existens. 532.26.
Lacti gignendo an salita omnia prosint. 535.5.
Lactis humani electiones. 530.20. & 540.44.
Lactis modus generationis, & effectus ex Hypp. 533.15.
Lapis Bezoar obstructionibus vtilissimus, & quibus modis possit offerri. 215.17.
Lieni obstructo, vel scirrhoso variæ parantur inunctiones. 210.1.
Lumbrici in vtero, & vesica possunt generari, & quare in vtraque parte rarò generentur. 318.23.

M

MAlacia vide pica.
Mammę dupplici gaudent sanguinis affusione: vna, qua ipsæ aluntur: altera verò qua pro vsus indigentia lac generare possint, & vnde vtraq; ad mãmas accedat. 419.25.
Mammarum magnitudo, & paruitas fit ex multa, aut pauca lactis materia, id est sanguinis, qui in lac mutari debet. 431.2.
Mammarum scirrhus, eius causæ, signa, & curandi ratio. 133.14. & deinceps.
Mammarum tumores, qui Hyspanis vulgariter zaratanes dicuntur, vide zaratan.
Mammarum cancri, vide cancri.
Marem intra triginta quinque dierum spatium, & fœminã quadraginta quinque ad summum efformari, & anima rationali informari certum est. 385.38.
Maribus, & fœminis morbos esse communes, & quales, & quibus rationibus. 8.4.
Maribus peculiares & proprij sunt morbi, quemadmodũ & fœminis ob sexus differentiam. 8.30. & 9.12. vbi docentur huius rei rationes.
Maris perfectio non sumitur à substantiali forma, quæ eadem est in mare & fœmina, sed ab accidenti aliquo, nẽpè á primis qualitatibus quibus forma vtitur ad efformãda naturæ opera. 9.31.
Masculos ex omnibus calidiores esse, & siccliores: fœminas verò frigidiores, & humidiores, propterea quòd ab initio vtriq; in talibus geniti sunt, & à talibus augescunt docet Hypp. lib. de diæta. 3.8.
Melancholia laborantibus quando conueniat setonem affigere splenis, aut miserei regioni. 188.13.
Melancholia, quæ accidit grauioribus virginibus, viduis, & ijs quibus menses, aut purperij purgationes ex aliqua externa causa supprimuntur, quàm varia, & peculiaria secum afferat accidentia, & penes quid differat à melãcholia virorum, & aliarum fœminarum. 180.1.
Melancholia affectæ fœminæ magis de corde conquæruntur, quia sunt debilioris cordis, & animi magis deiecti, & imbecilles, & ob id magis in corde, quã in cerebro sentiunt affectum virium, & caloris damnum. 182.38.
Melancholia affectis fœminis quãdo liceat, & prosit stybium propinare, & in qua quantitate. 185.29.
Melancholiæ fœminarum curatio in quatuor præcipuè consistit, & quæ sint. 188.1.
Melancholiæ, quæ peculiaris est antiquis virginibus, & viduis, potissima causa est accensio magnæ arteriæ, quæ iuxta dorsum sita est. 181.44.
Melancholiæ fœminarum potissimum signum est pulsatio circa dorsum. 182.4.

Melancholicæ

Melancholicæ fœminæ si eò miserię deuenerint, vt affectio in delyramenta degeneret, non leui medicamento purgandæ sunt, sed eo quod modicum ingestum plurimũ educat. 186.22.
Melancholici verentur publicè proferre ea, quæ imaginãtur, quia quodammodo imaginantur vera non esse. Maniaci verò statim proferunt, quia cùm magis errent mẽte, ea vera existimant. 184.11.
Melancholicis fœminis quando, & inqua melãcholiæ sorte sanguinem copiosè mittere opportet, & parcam victus rationem instituere pro vniuersa affectus curatione. 184.11.
Melancholicus affectus lentam & paulatinam desiderat curandi rationem, etiam si habitualis non sit. 188.17.
Menses licẽt fluant, suppressi censentur, si lac in mammis appareat citra aliam causam; & non redunt ad antiquum modum, & quantitatem, ni lac è mãmis defuerit. 79.45
Mẽses suppurari quomodo dignoscamus. ex Hypp. 96.46
Menses mouentia, non omnibus causis suppressionem efficientibus proficua sunt, sed tantùm aut crasso sanguine, aut obstructo ob eandem causam vtero. 66.15.
Menses mouentia, calida, sed non vehementer sicca esse oportet. ibid. 19.
Menses mouentium medicamentorum tres sunt differentiæ. ibidem. 27.
Menses efficacissimè mouens chymica instillatio describitur. 68.30.
Menses mouere conantibus, fugiendum est à sudoris prouocatione, & quare. 69.36.
Menses detenti aliquando suppurari, & vno è tribus modis terminari talem suppurationẽ, docet Hypp. 174.17. & quæ sit huius affectus medella ex Hypp. 175.4.
Mensibus stilatim, & cum difficillimis accidẽtibus fluentibus, quomodo prosit angelica herba, & eius semen. 83.23.
Mensibus stilatim fluẽtibus, ob vteri vlcus, aqua alumino sa in vterum inmissa, incredibili quadã efficacia prodest. 86.39. & 87.47.
Mensibus stilatim fluentibus, ob concretum sanguinẽ, licẽt inscisione opus sit, non tamen licet inscindentibus vti, quæ acetosa sint, sed alijs, quæ describuntur. 87.16.
Mensibus stilatim fluentibus quando sit necessaria fontanella in crure aperta. 88.12.
Mensibus fluẽtibus in principio anginæ, phrenitidis, pleuritidis grauis, & similium grauissimorum affectuũ, etiã si sanguis mittendus sit ex brachio, prima tamen vice (reuulsionis, & menstruationis gratia) tutius est ex talo sanguinem mittere, & statim eâdem die ad brachium accedere, præsertim si purgatio menstrua non creuerit, vel si diminutè processerit. 121.13.
Mensibus fluentibus purgare non licet, nisi vltra tempus statutum durauerint sanguinolenta quædam vteri purgamenta, quæ non plenitudinem, aut naturæ actionem, sed vitium, & irritamentum facultatis ostendunt: quibus præsentibus non solùm licet, verùm necessum est corpus pharmaco purgare. 121.20.
Mensibus incipiente, aut præcedẽte morbo imminẽtibus, vnde, & quo ordine fieri debeant missiones sanguinis, & quare á purganti pharmaco, vomitione, & sudore arte excitato sit abstinẽdum. 121.41. & 122.1. & deinceps.
Mensibus debitum tempus prætergredientibus, si id fœmina de more habeat, & ratione morbi necessum sit mittere sanguinem, vnde mitti debeat. 122.21. & vide ibi plures circa hoc animaduersiones.
Mensium diminutorum, & stillicidij eorũdem potissima causa est parua plenitudo, cum humorũ obstruentium inæqualitate. 79.13.
Mensium guttatim fluentium, & cum grauibus accidentibus peculiares causæ sunt, inæqualis vasorum vteri obstructio, quæ ex sanguine aliquo denso, concreto, coagulato, vel fæculento proficiscitur, & facultas excernens robusta. 84.23. & alias causas vide deinceps.
Mensium prouocationi quot modis prosit suffitus aromatum. 70.27.
Mensium suppressio ex morbo, quibus signis ab vteri gestatione distinguatur. 57.1.
Mensium suppressionem patiẽtes fœminæ, quæ curari debeant, & quæ non. 60.31.
Mensibus debitum tempus anteuertentibus si morbus accidat, redundantia in vtero existente, inuirendum magis est sanguinis missionibus ex talo, quàm ex brachio, etiam nimis vrgente ardentissima febre, quæ, quia affectio est inter alas & inguina, missionem sanguinis ex brachio exposcere videbatur, & vide rationẽ. 120.15
Mensium suppressioni ex pituitoso & crasso sanguine, pro sunt balnea sulphurea, prodest etiam in crure fontanella 82.11.
Mensium suppressioni ex fœculento sanguine summopere prodest missio sanguinis ex hæmorrhoidibus. 82.12 non autẽ fieri debet, nisi plenitudo vteri causa sit. 83.4.
Mensibus suppressis sanguis per hæmorrhoidas nullo modo est euocãdus, nisi dum immedicabilis est suppressio 62.9.
Menstrua purgatio ad quid mulieribus sit vtilis. 15.2.
Menstrua purgatio quibus animalibus accidat, & quomodo omnibus alijs minus quàm fœminis. 15.18.
Menstrua purgatio alba, fœmellis, rubra verò perfectis iam fœminis est propria. 16.34.
Menstrua desunt fœminarum plerisq; 40. aut. 45. annos; quem si præterierint mirum non est si. 60. attigerint. 16.37.
Menstrua purgatio per minimum sinistræ manus digitũ, & per annularem singulis mẽsibus in quadam fœmina facta, & in alia per magnum sinistri oculi angulum. 33.32.
Menstrua omnino auferri possunt, citra affectum facultatis retentricis, aut expultricis, cum hoc tamẽ semper alicui earum debet noxa referri. 53.36.
Menstrua non fluunt ijs fœminis, quæ malo corporis habitu laborant, quia etiam si plurimo aliquando abundent sanguine, vitiosus tamen est, & natura nunquam ex instituto vtero sanguinem committit, nisi eum, qui generationi vtilem esse cognoscit, nisi errãs operetur. 54.23.
Menstruæ purgationis tempus idoneum est, quando fœminæ viri accessum, & amant, & citra damnum perferre possunt. Vnde licẽt vt plurimum menstrua purgatio inciplat circa. 14. annum, nullum tamen præfinitum tempus habetur, sed potest anticipari, & postponi, vt aliquando fit. 16.3.
Menstruæ purgationes dicuntur flores, quia antecedunt fructum fœtus, qui in vtero debet gestari. 20.25.
Menstruæ purgationes non ideò singulis fiunt mensibus, quia vt dixit Arist. crescente luna sanguis colligitur, & decrescente imminuitur, & euacuatur, sed quia lex est naturæ imposita, vt sanguinem illum in vtero seruet donec ex onere, aut alio irritamento ipsa ad expulsionem gliscat, & ideò non in omnibus fiunt eodem tempore, sed in pluribus singulis mensibus, in alijs verò tertio quoque, vel alijs temporibus. 10.37.
Menstruam purgationem duos, aut tres dies durare melius censet Arist. quàm plures, vel pauciores, & quare. 17.6.
Menstruantes mulieres (præter id quòd ipsæ varia patiuntur accidentia) multorum malorum esse causam in animalibus, plantis, & alijs rebus varij docent authores. 17.19.

Menstruis corruptis vltimum remedium, si alia non prosint, est fontanella in altero, vel in vtroque crure aperta. 100.11.

Menstrui sanguinis excernendi, non est certa quantitas, sed ex conferentia, & tollerantia dignoscitur. 23.9. cum hoc tamen Hypp. lib. 1. de morb. mulier. duas cotylas pro temperata muliere statuit, quarū quælibet est. VIII. vnciarum mensura, quam quantitatem triū dierū spatio excernere tenetur. ibidem. 24. quæ mensura nostris temporibus vera non est, & quare. 36.41.

Menstruis superfluè fluentibus ob serosum, tenuè, fluxilem, & aquosum sanguinē, mirè prodest potio ex aqua stillatitia descripta. 44.36.

Menstruis à tenui & seroso sanguine immodicè fluentibus, inter omnia alia auxilia fidissimum est adhuc in desperatis puluis corticis radicis mori pondere. 3. j. cum vino nigro epota singulis diebus ieiuno ventriculo. 45.30.

Menstruis immoderatè fluentibus ex vteri anastomosi, vel dyapedesi magis vtilia sunt vterina clysteria, quam pessaria. 46. 1. & inter alia peculiariter prodest, id quod paratur ex succo polygoni, & alijs, quod describitur ibidem. 16.

Menstruis præter modum extremè fluentibus, cerotum efficacissimum vteri regioni exteriùs admouendum. 47.2.

Menstruis superfluè fluentibus ad compescendum, & frænandum biliosum humorem, magis ex vsu sunt remedia epota, quàm si solida deuorentur. 48.9.

Menstruis immodicè fluentibus pessarium in vterum immissum flauam bilem mira quadam efficacia compescit, confectum ex lithargyro, bolo armeno, & albumine oui. 48.40.

Menstruis ex dirupto vase vteri copiosè fluentibus præcipuum descriptum. 50.46.

Menstruis immodicè fluentibus ex vasorum vteri exesione, mirè prodest serapium ex saccharo & succo radicis phylipendulæ confectum. 52.38.

Menstruis immodicè à quacumq; causa fluentibus quando, & quomodo narcoticis vti oporteat. 53.3.

Menstruis suppressis ob immodicam vasorum totius corporis plenitudinem non ex talo sanguis mitti debet, sed ex interna cubiti vena, & quare. 61.27.

Menstruorum anticipatio in morbis quatuor de causis fieri potest, & quæ sint. 113.32. quid agendū. ibidem.

Mēstruorum priuatio ab vteri calore à quibus causis fiat, & eius dignotio, & curatio. 26.4.

Menstruorum priuationi ab vteri calore factæ prodest ali quando missio sanguinis ex vtraque saluatela. 27.7.

Menstruorum priuatio ab vteri siccitate. 27.44.

Menstruorum priuationi ex vteri mala figura natiua prodest sanguinis missio ex brachijs, ter, quaterve singulis annis facta. 28.45. eisdem etiam prodest hæmorrhoidas aperire, vel fontanellas in cruribus. 29.23.

Menstruorum retardationi prodest oleum ex angelica cōfectum. 95.6.

Menstruorum corruptorum curationi prodest cuiusuis peccantis humoris extenuatio, etiam si biliosus tenuis sit, & quare. 98.28.

Menstruorum redundantia, quæ verè dicatur. 37.4.

Menstruus sanguis multorum morborum in alijs corporibus aliquando remedium est. 17.43.

Menstruus sanguis cuius naturæ sit disputatur. 17.14.

Menstruus sanguis est ex propria natura pars sanguinis purior ea, quam ad fœminarum alitionem seiungit natura, aut saltim ei æqualis. 18.12.

Menstruum sanguinem vitiosum esse, & veluti veneni naturam sapere, non ex sua natura prouenit, sed quia ratione præstantiæ, & puritatis quàm primùm à natura superatur corrumpi necesse est, & quanto aliqua substantia est perfectior, tanto deteriùs corrumpitur. 19.2.

Menstruum sanguinem sola quantitate peccare, non est intelligendum dici de eo sanguine, qui singulis mensibus per vterū excernitur, sed de ea sanguinis portione, quam natura singulis diebus ab vniuerso sanguine separat, vt paulatim in vtero collecta mēstrualem efficiat purgationem. 20.10.

Menstruus sanguis per quas vias deferatur ad vterum. 21.10.

Meserei, & venarum, quæ propè ventriculum sunt, obstructionibus nimis vtiles sunt vomitus, & sic aliquando solis vomitibus curantur. 113.35.

Mola caret sensu, & motu. 404.47. nullam seruat figuram ibidem, eius causæ. 405. 17. signa. 406. 40. curatio. 408.10.

Mola vteri est caro quædam inutilis & informis, sine ossibus, à ventre consistens, ac sine visceribus. 403.46. & 404.10.

Molæ, quæ maiori ex parte fieri solet descriptio. 404.44.

Molam sola mulier parit, eo quòd copia menstruorum abundet. 404.26.

Molarum variæ differentiæ. ibidem. 28.

Monstra ea proprie erunt, quæ contra naturam fiunt. 390.10.

Monstra tripliciter possunt desidere à parentum naturalibus modis. 399.1.

Mōstra alterius speciei, quæ sint animalia perfecta, impossibile est, quòd ex sola imaginationis efficacia generentur citrà vniuocum agens. 400.14.

Monstrorum genera quinque. 391.11.

Monstrosi conceptus signa. 401.7.

Morbus virgineus, vide febris alba.

Mulieres, quæ peperierunt ab his quæ partum nō sunt expertæ, quatuor modis differunt. 14.9.

Mulieres aliquas in viros degenerasse. 59.34.

N

NAtura quid, quidq; secundum naturam, & præter naturam proprie, & verè dici debeat. 389.31.

Nutricis ætas esse debet inter. 25. & 35. annum, & vide ibi omnes alias nutricis electiones. 430.1.

Nutricis custodia, & moderamen. 531.21.

Nymphotomia quid. 235.16.

O

OBstructa corpora magnas purgationes ferre non possunt, etiam si humoribus abundēt: eò quòd viæ magnam humorum copiam capere nequeant, quim potiùs obstruantur magis. 206.5.

Obstructionem efficientes humores concoqui minimè possunt, & ideò in eis ad purgationem coctio non est expectanda. 206.7.

Obstructionibus omnibus fœminarum, commune & vtilissimum remedium est chalybs præparatus, & quomodo debeat præparari, & eo vtendum sit in singulis obstructionum differentijs. 113.30.

P

PArentes seniores quare possint generare filios se ipsis robustiores, & copiosiore calore innato præditos. 18.46.

Parientes filias in læthales morbos magis incidunt, sed ab æqualibus magis liberantur. 440. 9.

Partus consideratur veluti quidam morbus, isq; longissimus. 454.13.

Partus naturalis triplici de causa suo tempore fit. 455.22.

Partus tempora, quæ sint secundum Philosophos, & ex Hypp. mente. 458.19.

Partus

Partus. 8. mense factus, nec verè abortus, nec legitimus partus dici debet, & quare. 469.38.

Partus signa. 480.10.

Partus difficilis, & laboriosus fit quadrupliciter. 481.24.

Partus difficilis vna potissimum è quatuor causis fit, vel duabus, aut omnibus, & quæ sint. 481.41.

Partus laboriosus quomodo facilitetur. 484.23.

Phylipendulæ radicis. 3. j. singulis diebus in ouo sorbili sumpta incredibili efficacia sanguinem omnem sistit, sed maximè ex vtero. 52.36.

Pica, seu cita, seu picaceus appetitus, qui malacia à Latinis dicitur quare sic appelletur. 413.20.

Pica, seu cita quare eis mulieribus prægnātibus magis accidat, quæ laudabiliori abundant sanguine, & quare hæ pulchriores pariant filios quàm aliæ, quę cùm minus laudabili sanguine abundent, hoc etiā corripiuntur symptomate. 413.38.

Plantas quasdam esse masculas, & quasdam fœminas docet Theophrastus lib. 3. de hystoria plantarum. c. 12. & alibi. 3. 30.

Plato vterum animal existimauit. 149. in principio capitis.

Potum sic auersabatur fœmina quædam, cuius ventriculus patiebatur per cōsensum ab vtero, vt sexaginta dies sine potu pertransierit, licèt bibere summopere desideraret. 227.3.

Prægnans acuto morbo laborans victum tenuem qualem morbus exposcit, ferre nequit. Quare media via incedendum est: quod si fieri nequit, quim aut mater pereat, cibi copia, aut fœtus inopia, satius erit matri prouidere, quippē fortassē infans ea ratione à periculo euadet, q̄ mortua matre nequibit. 448.31.

Prægnantes acuto morbo correptæ, quare tam periculosè laborent. 440.11.

Prægnantes eas acutè purgare oportet, & eas quidem solùm, quarū salus in dubio existit: aut eas, quibus licèt sanæ videantur aliquod impendet periculum. 444.45.

Prægnantes sanguine missō ex vena abortire, in quo sensu intelligi debeat dictum fuisse ab Hypp. 445.34. ratio, & lex mittendi sanguinem in vtero gerentibus, & de hac re plura ibidem, & deinceps.

Prægnanti acuto morbo laboranti, eum victum institues, qui copiosæ sit alimonię & substantiæ, in paruissima tamen copia. ibidem. 35.

Prægnanti, vteri erysipelas si accidat, læthale cēset Hypp. & quæ sit causa. 449.28.

Prægnantibus non magna cibariorum copia semel debet offerri, potissimumq; in principijs parca sit oportet, & quare. 437.2.

Prægnantibus purgantia medicamenta, ex quibus possit aborsus oriri, vtrum liceat exhibere, & quando. 445.1.

Prægnantibus iuuenculis, & boni habitus, aliquando sine morbo expedit sanguinē mittere, præcautionis ab aborsu gratia. 447.27. & 474.30.

Prægnantium cibaria eius naturæ adhibenda sunt (maximè earum, quæ deteriùs se habēt in grauidatione) quę copiosi, & facilis sunt nutrimenti, ac laudabilis substātiæ. 436.45.

Prægnantium exercitium quale, & quantum singulis mē sibus esse oporteat. 437.17.

Procidentiæ vteri tres species. 241.18.

Pulchriores fœminæ quare frequentiùs, quàm aliæ incidant in febrem albam, & in melancholiam, quartanam febrem, & reliquos affectus à prauis succis ortum trahentes. 201.1.

Puerperę laborantis ex partu in qua secunda tardè fuit expulsa, prouidentia. 497.16.

Purgatio post partum plerumq; sanæ mulieri contingit, vt post puellæ partum in. 41. diebus diuturnissimè fiat, extra periculum autem est, etiā si. 25. diebus purgetur: post masculi verò partum purgatio diutumior fiet in 30. diebus extra periculum, est etiam quæ in. 20. diebus contingit, quæ Hypp. sententia est. 507.44.

Purgationis tempus in prægnantibus 449.5.

Pustulis scabris vteri, & pudendi, confert aqua quædam sublimata, cuius descriptionem reperies. 310.7.

Q

QVartum decimum annum, sanctè, & piè sacri canones statuerunt ad matrimonium prærequiri in viris, & in fœminis duodecimum. 330.14.

R

RAgadijs vteri, vtile & tutum remedium est oleum de semine lini in mortario plumbeo agitatum vsq; ad coloris mutationem. 303.38.

Rugis in ventre post partum relictis, quid faciendum. 528.21.

Ruta, & mentha virides, flatus & veneris pruritū excitare solent: siccatæ verò, & frixę, & præcipuè semina, eosdem discutere, & veneris impetum compescere, gonorrhœamq; sistere. 370.19.

S

SAnguinis profusio nō rarò in grauidis ex venis vteri internis sine earum ruptione potest profluere: nam etiam si internę venæ fœtui ad hæreāt, nō tamen adhærent omnes, vt constat ex superfœtatione, in qua secundo fœtui adhærent venæ quæ priori non hærebant: potest etiam sanguis fluere ad his venis quæ fœtui hærent per anastomosim. 425.30.

Sanguinis immodicæ profusioni post partum nihil citius subuenit, quàm viriliter comedere, vt & calor renouetur, & natura distrahatur, alliciaturq; ad confectionem alimenti. 509.21.

Sanguinis missio ex vena tali, aliquando deriuat, & aliquando menses mouet. Quid sit menses mouere, & quid deriuare, & quando eādem vena secta fiat hoc, & quando illud. 64.28.

Sanguis menstruus, vide menstruus sanguis.

Sanguis, & semen, temperatissimæ & perfectissimæ substantiæ, quare citiùs & deteriùs putrescant, quā alij corporis humores, ostenditur. 156.1.

Scirrhus vteri est tumor durus, qui sine dolore est, non tamen omnino sine sensu: qui si exquisitus est sensu omnino doloroso caret. 282.25.

Scirrhus mammarum, vide mammarum scirrhus.

Scirrhus vteri quomodo distinguatur à scirrho splenis. 285.2.

Scirrho vteri si sanguis niger abundet, ex hæmorrhoidibus sanguinis missio facta per hirudines magis conuenit, quàm ex alia parte. 285.44.

Scirrhosis tumoribus nullum vehementer excalfaciens, siccansq; medicamentum debet applicari, nec solùm id, quod emolliendi atq; humectandi vires habeat: nā quod superfluum humorem habet, nihil omnino dissoluit, quod verò minimum plus quam oportet exsiccat. 286.30.

Scirrhosam duritiem ex melancholia contractam emollientia, non debent esse verè emollientia, sed mistam facultatem habere discutiendi, & emolliendi. 286.39.

Scirrhum emolliens & discutiens emplastrum, vtilissimū ex Rasio. 7 ad Almansorem.

Scirrhos non oportet diutius medicamentis tractare, etiā si leuia sint. 288.14.

Scirrhosam vteri duritiem nihil citius emollit, & conterit, quàm chalybs vsus. 288.25.

Scleroma vteri (ex Pauli sententia) affectus est scirrho conformis

conformis circa vuluæ ceruicem magna ex parte consistens,tumorem quidem habens eodem pacto,sed minus durum,cum dolore mediocri.282.36.
Scorzioneræ radicé vino per noctem maceratã,& summo manè sumptã;plurimas fœminas ab obstructionibus liberasse docet experimentum.215.33.
Scytas steriles esse ob arteriarum quæ sunt retrò aures sectionem,qua ratione intelligi debeat dictum fuisse ab Hypp.337.339.
Secunda quid sit,& quare sic appelletur 491.22.
Secunda si fuerit relicta post infantis ortum, vtrũ debeat vmbilicus secari & quando,vide vmbilicus.
Secundæ relictæ expellendæ plurimùm valet sternutatio.493.14.&.333.&.494.35.
Secundas relictas expellit Karabe in vino potum ponderi.331.493.31.
Semen generationi aptum,sit album,splendidum;globosum,florum sambuci modo odorum, quod in aquâ iniectum fundum petat,ex Arist.329.19.
Semen vtrumq; adconceptum præstitum,statim à principio est anima vegetatiua donatum in actu primo, non tamen in actu secundo.379.3.
Sexum masculinum in animalibus quare nõ decuit semper cum fœmina coniungi, vt in plantis.1.32.
Sexus differentia oritur ex potentia agendi,aut patiendi. 1.29.
Sexus masculinus deest in aliquibus animalibus,quæ grossilia non sunt.4.1.
Sexuum differentia fit potissimum ob seminis calorem,& coctionem perfectiorem,aut deteriorem,simul cũ efficacia formatiuæ potentiæ viri,aut fœminę,quæ cum semine it.385.25.
Similitudo natorum ad parentes vno é tribus modis accidit,nimirũ,vel in forma,vel in specie.l.in sexu.5.21.& harum similitudinum rationes.ibidem,&.6.1.
Similitudo in specie pendet á formatiua seminis facultate,quæ posteà in vtero organizationi incũbit.392.37.
Similitudo in indiuidualibus conditionibus,sita est infacultate formatiua,nõ specifica,sed indiuiduali.392.39.
Similitudo indiuidualis natorum ad parentes præcipuè pendet ex hoc, quòd semen facilè in similes partes eis, à quibus deciditur commigrat,quia facultas formatiua qua fœtus producitur,temperamento vtitur totali, seu communi, tanquam instrumento, quod in se continet proprietates,& indiuiduales conditiones omniũ partium, à quarum temperamento sigillatim confluxit. 394.10.
Similitudini indiuiduali confert natorum ad parentes principium,præstat etiam seminis, & sanguinis menstrui materia,eò quòd sanguis, vel menstruus,vel is ex quo semen fit, sigillationem quandam in iecore suscipit,tanquam ab opifice, commodum & naturam particularium membrorum respiciente.394.24.
Similitudini indiuiduali confert spiritus genitiuus, & quis sit.395.40.
Similitudinis in sexu ratio pendet ex hoc,quòd vel vtrũq; semen calidius sit,vt generetur mas,vel frigidius, vt generetur fœmina.397.20.
Steriles fiunt fœminæ per actionem vteri ad concipiendum abolitam,diminutam, aut corruptam, & qui sint singularum læsionum effectus.321.40.
Steriles non efficit mulieres pinguedo absolutè, sed pinguedo præternaturam.331.1.
Steriles mulieres diutius,cæterũ morbosiùs viuũt.336.18
Steriles à siccitate oportet veluti hecticorum corpora reficere.352.29.
Sterilitas est vitium vteri,quatenus instrumentum est cõcipiendi officio dicatum.322.37.
Sterilitas, quę est in genere abolitarum vteri actionũ,quatuor habet differentias:& quæ sint.323.3.
Sterilitas cuius nam sit,viri ne an mulieris:quibus signis debeat cognosci,& de hac re plura.326.7.
Sterilitas ex magnis vteri vlceribꝰ incurabilis est.336.12.
Sterilitas natiua à magna causa incurabilis est.ibidem.
Sterilitas oborta ex eò,quòd fœmina ante debitũ suę ætatis tempus fuerit deuirginata,quomodo debeat curari. 369.28.
Sterilitatis per collationẽ viri ad mulierẽ,potissima causa est vtriusq; coniugis dissidiũ in naturali & proprio tẽperamẽto,& quo modo hoc sit intelligẽdũ.327.10.
Sterilitatis causa ex parte seminis,viri,mulieris,vel vtriusque.329.17.
Sterilitatis causæ ex parte partium pudendarũ.328.32.
Sterilitatis causæ ex parte ætatis 330.1.
Sterilitatis causa in aliquibus mulieribus est semel peperisse,etiam si partus laboriosus non fuerit.364.32.
Sterilitatis virorum quatuor causæ.373.40.
Sterilitatis virorum causam equitationem immodicã censet Hypp.& quare.374.25.
Sterilitatis causa est in viris etiã vstio, setõ,aut fontanella diu multũ manãs in quauis corporis parte.375.10.&.34
Sterilitatem causat excretio seminis cuiusq; coniugum,ante tempus,& paritatem facta.329.32.
Sterilibus à frigido intemperamento, quæ sint offerenda post corporis purgationem,vt sanguis, & corpus vniuersum calidiora reddantur.345.27.
Sudor copiosus enixas liberare solet ab his periculis,in quę ob diminutam sanguinis post partum purgationẽ solent incidere.516.12.
Suffocatio vteri,vide vteri suffocatiõ.
Sulphur,& mercurius omniũ methallorũ principia.288.44.
Superfœtare potest fœmina,etiam si cotylidones, & vasa primi fœtus corio, & inuolucro adhæreãt,& ob id mẽstrui sanguinis nil videatur posse profluere,quia natura semper seruat vasa aliqua fœtui non hærentia,super fœtationis(si forte acciderit)gratia,& ad menstruationẽ, si ob multitudinem ea opus fuerit.389.7.

T

Testes nec pisces habere, nec vllũ aliud genus,quod pedibus careat,docet Arist.lib.5.de hyst.animal. c.5.10.17.
Tormina ventris primiparis non accidere fabulosum est. 505.1.
Tussis prægnantium causæ quibus signis distinguãtur. 410.41.

V

Venerem concitant (si ex genitalium viri ignauia deffectus oboriatur) fœniculum quomodocũque hausturn.370.17.ruta, & mentha virides. ibidem.19.succus pulmonis arietis assi.ibidem. 23.& vide ibi alia.
Verrucis vteri in quauis earum curatione,humentia, pinguia,& laxantia medicamenta nocua sunt.308.28.
Viduæ iuuenculæ castæ, & pudicæ, finitimos patiuntur affectus ijs,qui virginibus accidunt, licèt nõ ita graues. 13.38.
Viragines quæ dicantur.25.10.
Virginalis adstrictio quomodo á partu cõparetur. 529.3.
Virgines ante purgationis tempus quos habeant peculiares morbos.12.41.
Viris an possint ex vitiato semine eadem accidere accidẽtia,quæ hystericis fœminis.160.8.
Vlceri vteri si dolor iungatur,à doloris mitigatione oportet curantem incipere.299 33.
Vlceribus vteri quando prosint sudores.298.34.

Vmbilicum statim, ac natus est infans secare antequam secundæ exeant, mos est Germanis fœminis. 492.38.
Vmbilicus haudquaquam expedit vt dissecetur á secundis,antequam illæ prodierint, quinimò vtcumq; factam resectionem,potissimam causam permansionis secundarum in vtero censet Hypp.493.9.
Vmbilicus tunc resecari debet antequam secũdæ exeãt, quando factis debitis remedijs postquatuor,aut quinq; horas non exeunt, debetq; enixæ femori fortiter alligari 493.19.
Vomitiones maximè conferunt meserei, & venarũ, quæ propè ventriculum sunt obstructionibus.213.35.
Vomitus prægnantium medella.417.17.
Vrinas propriè ducencia, mouere menses non posse Galeni est sententia,quæ ad vnguem expenditur.111.31.
Vteri furor,satyriasis, & pryapismus quomodo differant ex parte causæ.235.4.
Vteri procidentiæ tres species.241.18.
Vteri imbecillitas dicitur dum nullo affectu in vtero sensibiliter existente, facultates temperamentorum vitio potissimum labuntur.151.41.
Vteri imbecillitatis triplex modus.253.10.
Vteri doloribus quando necessaria sit sanguinis missio, 260.35.
Vteri dolores quando narcoticis indigeant.262.38.
Vteri hydrops,vide hydrops vteri.
Vteri inflatio,vide inflatio vteri.
Vteri inflammatio,vide inflammatio vteri.
Vteri scirrhus,vide scirrhus vteri.
Vteri purgationes albę rariùs accidunt virginibus propter venarum ineptitudinem,& quia omnibus fœminis potest ex semine hic fluxus concitari.108.9.
Vteri purgationibus albis promptiores existunt fœminæ salaces,& eæ,quibus prę humiditate laxiora fiunt vasa spermatica,& semen aquosius.108.14.
Vteri albo fluxu existente conceptum fœmellæ sequi, sicut filij partum post rubrum fluxum Hypp. docet tex. 15.lib.4 popul.108.30.
Vteri fluxiones patienti non intrepidè oferre oportet ea, quæ vrinas mouent,nisi præmissis purgationibus, & rarò,quia omnia ea menses mouere nata sunt.111.28.
Vteri purgationibus ex pituita peculiare remedium est sumere summo mane.3.j.pulueris radicis mori,cum vino nigro.113.12.
Vteri purgationibus fluxione à capite concitata, probatissimum remedium est quod constat ex cremore seminis lactucę priùs macerati in aqua extinctionis chalybis,addito puluere eboris in tenuissimum pollinem redacto,quod fœmina summo mane tertio quoque die ingerat.115.29.
Vteri purgationibus à capite si alia non prosint, præstantissimum remedium est fontanella in altero brachiorũ aperta.115.29.
Vteri purgationibus remedium experimento comprobatũ est sumere singulis diebus vnciã.j.radicis phylipẽdulæ virentis,cum vino nigro,vel in ouo sorbili,vel.3.j.syrupi facti ex eius succo.116.38.
Vteri purgamenta alba,vel alterius coloris,à triplici fonte oriuntur,nimirum,vel ab vtero,vel ab vniuerso corpore,vel ab aliquo membro præcipuo.102.29.
Vteri purgationibus remedium expertum,& secretũ est, emplastrũ,& suffumigiũ,qđ reperies.117.47.&.118.1.
Vteri descriptio,& fabrica 149.40.
Vteri vsus,& omnes eius affectiones recẽsentur.152.10.
Vteri affectiones hystericæ appellantur,quia antiqui vterum appellabant hysteron.153.16.
Vteri quatuor munia,nimirũ sibi alimẽtũ cõficere,speciei prospicere,& fœminę corpus à mẽstruis purgationibus liberare,& semẽ in venereis actibus excernere.153.19.
Vteri clausi causæ.30.43.
Vteri hæmorrhoides quæ sint.37.44.
Vteri suffocatio,siue strangulatio vtrum: differat ab apnœa.160.44.
Vteri suffocatione affectas quomodo viuere cognoscamus.168.26.
Vteri suffocationis curatio difficillima; & varia pro causarum varietate.174.24.
Vteri suffocationi quomodo prouidendum sit,tum præcautione,tum etiam curatione,quando ex semine redũdante,aut corrupto ortum ducit.176.18.
Vteri scleroma,vide scleroma vteri.
Vteri calculus,vide calculus vteri.
Vterinis accidentibus affectæ,fœminæ aliquando mox ab accessione quàm primum quieścit malum, ad pristinã sanitatem redeunt,ac si nihil perpessæ fuissent: aliquãdo verò supersunt illis per aliquod tempus non leuia præteriti mali vestigia.157.27.
Vterinis accidentibus affectis fœminis sanguinis menstrui, & sanguinis corruptio aliquando fit intra vasa: aliquando verò in vteri cauitate,& in quibus hoc; aut illiud fiat.165.37.
Vterinorum affectuum mira varietas vna é tribus causis potissimum fit:aut quia excrementa,quæ præter naturam exuperant & cohibentur putrescunt:aut quia alterantur:aut quia solùm copia abundant.154.22.
Vtero appositа oxalis commodissimè fluxum muliebrem sistit,& cum hoc menses non compescit.117.23.
Vtero gestare visæ sunt fœminæ plures;dum essent nouę, aut decem annorum tantùm.16.10.
Vtero affectis fœminis quare veneni seminaria ex corrupto semine,vel aliter oborta, clam, occultèq; diu lateant citra euidentè corporis noxã,& ad tempus tãtũ, ac per interualla eluescãt grauissima symptomata.156.41.
Vtero quadrupliciter compatiuntur aliæ corporis partes. 158.10.
Vtero affectis difficilis fit respiratio si septum transuersum malum apprehenderit.159.25.
Vtero suffocatis ex mensiũ suppressione si prę copia suppressi fuerint,primò exbrachijs sanguinẽ mittere oportet, postmodũ verò ex talo, idq; eo tẽpore, quo menses fluere solebant.174.1.
Vterũ Plato peculiare animal in corpore viuẽs existimauit.
Vterum totum funditus excissum vidit Auicenna,& fœminam superuixisse.449.20.
Vterus non trahit menstruum sanguinem, sed suscipit à corpore transmissum.21.27.
Vterus nõ mutat locum in hysterica affectione, bene tamẽ versus aliquas partes,quibus alligatur,colligãtiæ ratione retrahitur,& quomodo grãdiori facto,ac in tumorẽ ellato,retractisq; vasis ad sua principia suffocatio fiat. 164.16.

X

Y

Z

Zaratanes vulgò dicti tumores, qui mãmis adnascũtur,magna ex parte fœminis sunt familiares, & ortũ ducũt à mẽstruę purgationis vitio.125.1.
Zaratã Hyspanis vulgo dictũ,tumor est cuius exacta natura antiquis authoribus fuit ignota,ideoq; præter rationẽ nomine cancri comprehendunt: & quibus rationibus à vero cancro differat.133.22.
Zaratanes propriè dicũtur ij tumores duri,cuiuscũq; speciei sint,qui mediã naturã habẽt inter scirrhũ,& cancrũ, tẽtãtq; iã migrare in cancri naturã, eiusq; generationẽ minantur.140.10.Horum tumorũ meminit Auicenna, similiter & Rasius,& primus omnium Hypp.lib.2.de morb.muli.ibid.31.Quomodo curentur.142.15.

DE COMMVNIBVS MVLIERVM affectionibus.

LIBER PRIMVS.

De Sexus differentia. Cap. I.

FOEminas in omnibus natura constantibus reperiri, mille modis testatum esse apud omnes Philosophos haud difficulter quiuis reperiet. Nam cùm per generationem, & nouam rerum propagationem continuo successu species conseruationem nanciscantur: ex ne necessitate naturæ prodit fœminas esse in omni genere necessarias ad ipsius naturæ perfectionem. Generationem etenim esse actionem in substantia, à substantia, & ad substantiam asseruit Empedocles, & inficiabitur nemo. Quamobrem habere & efficientem, & effectionem, & effectum, & ex quo fit, & in quo fit, necessum sanè erat. Atqui cùm ea omnia idem & vnum præstare non possit, ob id decuit naturæ perfectioni & maiestati omnia hæc & diuersa & præsto cuiuis generationi esse. Actionem enim & passionem in omnibus rebus à seipsis vna ratione, & propter eundem finem inesse, erat impossibile, licet in aliquo rerũ genere id reperiri ex necessitate naturæ oportebat. Quamobrem conuenientissimum fuit in ijs, quæ generationi erant profutura, aliquid esse, quod in se conciperet, aut generaret: aliquid verò, quod in alio. Quod sanè ex rerum omnium natura educta ratione facilè probari potest, ex cuiusuis nimirum aptitudine ad agendum aut patiendum. Nam sunt inter ea, quæ natura constãt, plurima, quæ virtutem tantùm passiuam habent, & omnino fœmineam naturam referunt. Ad quorum generationem cœlum virile robur tantũmodo præstat. Huius conditionis sunt animalia, & plantæ, quæ citra semen generantur ex apta materia, virtute cœlestium corporum concurrente. His etiam accedunt alia, quæ in se virtutem habẽt actiuam & passiuam, natura sua id exposcente: nihil enim aliud perfectius plantæ habent, quàm generationẽ: & ob id hoc naturæ beneficio fruũtur plantæ, quæ semen habent, ne in officio deficerent. Quamobrem conuenienter omni tempore, comites habent virtutem actiuam & passiuam generandi, vt etiam omni tempore generarent: siquidem id solùm erat illis vitæ munus, & ea perfectio. Item sunt prædictis pleraque perfectiora habentia quidem virtutẽ actiuam aut passiuam secundùm sexum, mas quidem actiuam, fœmina verò passiuã. Itaque ex patiendi, aut agendi potentia euidenter constat necessum esse, sexus differentiam constituere. Verùm quia est aliquod vitæ opus nobilius in animalibus (quibus prior est huius sexus distinctio) quàm generatio, cui vita principaliter dirigitur: ideò non omni tempore sexũ masculinũ fœmineo decebat coniungi, vt plantis, sed solùm tempore coitus, quo vnum ex mare & fœmina fieret (sicut in planta omni tempore fit) eò quòd oportuit ea disiuncta esse ad altiora intellectus

miniſteria. Verùm quando generationẽ fieri opus eſt, cõmiſceantur, coeantq; neceſſarium exiſtit, vt ex ambobus ſeiunctis ac copulatis vnum tandẽ animal fiat. Nam generationis animalium principia marem ac fœminã eſſe (illum, vt motus & generationis originem, hanc verò, vt materiam præſtet) ex Ariſto. lib. 1. de gene rat. anim. cap. 2. & lib. 2. ca. 1. multis rationibus probatum ſupereſt: quoniam quòd generatur, interim dum fit, cauſa generante eget proxima, vt effectum attingat, ſic etenim ſemen viri neceſſum erat aliqua parte recipi, vbi operi incũberet ad quod tanquã commodiſsimũ locum fabrefecit natura vterum. Fuit proculdubio apud omnes, tum philoſophos, tum aſtronomos & ſapientiſsimos alios viros, tã euidens & probata diſtinctionis ſexus ratio, vt nulli dubium eſſet, potiſsimam fœcunditatis rerum omnium cauſam, in ſexus diſtinctione ſitam eſſe. Licèt Ariſt. lib. 1. de gen. ani. cap. 20. & vltimo, nõ ſemel ſcribat, marem ac fœminam nõ ſeparari in herbis, plantis, arboribus, & virgultis: quod item aſtruit lib. 4. de hiſto. ani. cap. 11. Alij tamẽ naturæ rerum ſcriptores, hiſce plantis, aut alijs rebus, quibus maior vis eſt, maſculi nomen ac titulum aſsignant: quibus verò minor, fœminæ, vt patet ex Dioſcor. lib. 4. cap. 5. & Theophraſ. lib. 3. de hiſto. plant. cap. 10. & Plinio, lib. 21. cap. 21. & Galeno lib. 6. de ſimplici. Sed ſpecialiùs idem Plinius lib. 13. cap. 4. Arboribus, inquit, imò magis omnibus, quæ terra gignit, herbiſque etiam, vtrũque ſexum eſſe, diligentiſsimi naturæ indagatores tradunt. Quod & ipſe innuit lib. 16. cap. 33. dicens, hederæ eſſe duo genera, ſcilicet, marem & fœminam, vt reliquarũ herbarum. Quod etiam ex beato Baſilio & Ambroſio lib. Hexameron, homilia 5. euidenter conſtare arbitror. Sicut ex Teophr. lib. 1. cap. vlti. & lib. 3. cap. 9. Sic Ægyptij & ſapientes aſtronomi vetuſtam quandam ſuperſtitionem de ſexu ſignorum zodiaci apertè profitẽtur. Nec dubium quidem eſt apud prædictos viros, cùm quadraginta octo imaginũ cæleſtium, aliæ præ ſe ferant nomen & veſtigium fœminæ; aliæ verò, maris: iuxta congreſſus eorum fœcundam aut ſterilem fieri rerum omnium, quæ cœli imperio gubernantur, naturam & ſortem. Nã ſi maſculus maſculo, aut fœmina fœmineo ſexui adhæreat, aut fortè eũdem intueatur: rerum productiones ceſſare, & congreſſus fieri ſteriles, illis eſſe compertum reor. Verùm ſi oppoſito ordine mas fœminæ, aut fœmina maris congreſſum conſequatur: fœcũda plenaq; eſſe eo tẽpore, ex influxu exorta omnia. Neque diſsimili ratione viri philoſophi, omnium rerum prima principia & elementa in mixtorum confectione, vicẽ quoque maris & fœminę gerere, tanquã firmiſsimũ exiſtimarunt mixtionis omnis ignem credentes parentem eſſe & authorem; terrã verò matrem. Sic Plato in Timæo, mũdum ex his duobus elementis, veluti ex parentibus conſtare, euidenter affirmat. Eſt proculdubio ignis omnium actionũ author ac vir: terra verò veluti ſuſceptrix & receptaculum, matri iure optimo aſsimilata, & eo nomine ex philoſophorũ omnium decreto gaudẽs. Verùm, quia leuiſsimũ corpus grauiſsimo nõ ſolũ non cohærere ſua ſpõte poteſt, ſed proprio genio diſsidere ſemper & diſtare conatur: hinc proculdubio periclitari rerum omniũ principia neceſſum erat, ni eſſet aliquod vinculum, quo mundi parentes cohærere, & adinuicem miſceri poſſent, vt fœcũdi ex coniugio facti, rerum propagationes magis perficerent. Cui ſanè operi prouidit natura duo alia elementa adiungere, quorum interuentu, & mundus eſſet ſolidus, vt Plato ait, & vterq; parens congreſſu alterius, generationi acquieſceret: vt ambobus ſic iunctis fœcundum cõiugium fieret. Itaq; quemadmodum vniuerſa hæc elemẽtorum ſphœra, quæ ex quatuor elementis conſtruitur, ſe habet veluti quædam materei maſſa & moles, quam corpus cœleſte effingit & format: ita cætera elemẽta ſi igni

igni comparẽtur, habent ſe tanquam materia, ignis verò velut forma eorum eſt, & figulus, qui tanquam vir attemperatis omnium viribus, vberrimam prolẽ ex terra matre, fœcunda ex adhæſu viri facta, producat. Quod ex neceſsitate naturæ quoq; probauerat Hipp. lib. de Dieta, dicens. Quicquid igitur in aliud corpus ingreditur, non augeſcit; quicquid verò in fœminam, augeſcit, ſi ea, quæ ipſi congrua ſunt, cõtingãt. Et paulò inferiùs ſubdit rationem & modũ generationis maſculi & fœminæ, referens vniuerſam huius rei rationem ad calorem & frigiditatem: nam eodẽ lib. paulò inferiùs inquit. Ex omnibus autem maſculi calidiores ſunt & ſicciores, fœminæ verò, humidiores ac frigidiores: propterea quod ab initio vtrique in talibus geniti ſunt, & à talibus augeſcunt. Præterea adeò creuit ſexus diuerſitatis indigentia, vt etiam in mixtis adhuc anima carentibus fœcundiſsima natura quodãmodo veſtigium fœminæ delineauerit. Quis vſquam capere poteſt, lapides eſſe quoſdam, qui fœminarum more conceptus in alueis quibuſdam, quibus intus ſcatẽt, progignũt: ijque creſcentes ex humiditate quadam in alueis contẽta, abrupto lapide in lucem prodeunt. Fertur quidem tales fuiſſe repertos, in quorum finibus lapillos quoſdam ineſſe, alios concretos, alios glutinoſo luto perſimiles, alios verò craſsioris aquæ naturam referentes. Quid quæſo poterit eſſe aliud, quàm inter lapides etiam quoſdam eſſe fœcundos & fœminis perſimiles, quòd in ſe generent, alios verò ſteriles. Pari quoque ratione chimicæ artis profeſſores publicè fatentur, metalla etiam parentes habere alios, præter terram & ſolis virtutem. Exiſtimant quidem argentum viuum, Mercurium ab ipſis appellatum, auri & argenti eſſe progenitorem; non ſolũ in his, quæ ipſi chimica arte imaginantur fieri poſſe: verũ natiua ſorte in terra ipſa ex certa quadam maſſa, quæ matrem & fœcunditatẽ æmulatur. Et ea certitudine id compertum eſſe exiſtimant, quòd factitantes ex certis quibuſdam ſimplicibus, materiæ ſeu matri illi quid perſimile, exiſtimant Mercurio permixto metalla illa in aurum poſſe degenerare. Ij verò viri, qui de re ruſtica, & plantis accuratè diſputarunt, non minori conatu, multis rationibus probarũt, plantas tantò eſſe fœcundiores, quantò aut vtriuſque ſexus ſunt participes, aut (ſi altero tantùm gaudent) dum diſiunctas eſſe contingit, & per ſe ſteriles, virilibus plantis adhærent, vt mutua fœcunditate luxurient, & fructus pariant. Sic Theophr. lib. 3. de hiſtoria plantarum cap. 12. diſiunctim plantarum ſexus annumerat, recenſens ex plantis quaſdam eſſe maſculas, quaſdam fœminas. Item lib. 1. de cauſis plantarum cap. 9. quærit, cur fœminæ magis quàm maſculi augeantur. Pari quoque ratione cap. 28. eiuſdem lib. refert, in arborum genere fœminas longè fœcundiores eſſe, quanquam minùs calidæ, quàm maſculæ ſint, & maſculas, criſpas, hirſutas, denſiores, & tortuoſiores eſſe: ſicut fœminas proceras, molliores, fœcundiores, & enodes. Apud alios quoque viros paſsim quiuis reperiet, ex plantis quaſdam fuiſſe fœminas appellatas, alias maſculas, illaſq; eſſe fœcũdiores, quo propriùs maſculis implantantur, ſterileſq; fieri, ſi longis interuallis diſsitæ ſint. Verùm quòd in alijs plantis vterque ſexus cohæreat, ex ratione ſuperiùs à me adducta patẽre ſatis arbitror: ſiquidem conſtat, neceſſum eſſe aliquid obtinere, quod vtrique ſexui correſpondeat, ſi fœcundæ, & ſui ſimiles generatrices, erãt futuræ. Animalia verò longè præſtantiori & euidentiori ratione conſtat, ſexibus eſſe diſiuncta, quẽadmodum paſsim in omnibus conſpicitur. Ea tamen diuiſit Ariſto. lib. 4. de hiſto. ani. cap. 11. & lib. 1. de genera. ani. cap. 1. in tria potiſsima genera: quorũ vnum continet animalia, quæ ſexus diſsidio diſtinguũtur, in quibus mas & fœmina ſeorſum exiſtunt: alterum verò ea complectitur, quæ nullo ſexu participãt, qualia ſunt, quæ

vitam ſtabilem degunt, aut omnino teſta integuntur, & ſaxis ac lapidibus fixa inhærent. Inquit enim Ariſto. lib. 1. de gener. ani. cap. 1. Quæ autem nõ greſſilia ſunt, vt teſtatum animalium genus, & quæ ſaxis adhærentia viuunt, quoniam natura ſimili plantis conſtant, hinc vt in illis, ſic in ijs mas deeſt & fœmina, ſed ſimilitudine, proportioneque nomen ſexus accipiunt. Quo etiam modo plantas quaſdam vtroque ſexu conſtare eſt intelligendum: vt optime hoc loco Ariſto. aduertit: aut poteſtate, vt lib. 1. de plantis. Sed ex animalibus huius ſortis eſſe credidit Ariſto. lib. 4. de hiſto. anim. cap. 11. anguillam, & piſcium plures, quos ipſe loco citato apertè refert. Vltimum autem genus vtroque ſexu gaudere aſſeuerat lib. 1. de genera. ani. cap. 1. Exanguium verò, inquit, quædam marem & fœminam habent, vt ſobolem eiuſdẽ generis procreent: præterquam quòd hermaphroditos non paucos fuiſſe repertos conſtanti doctiſsimorum virorum conſenſu reperimus. Quibus omnibus proculdubio conſtat, quanti vſus naturæ fuerit, in maiori omnium rerum parte, marem & fœminam diſtinxiſſe.

Fœmineum ſexum viris ſocietate ſtare coniunctũ, non vnione, abundè cenſeo ſuperiùs eſſe probatum. Nunc verò ſupereſt probare, commiſceri adinuicem neceſſarium eſſe. Quod ſanè eleganti quadam ratione probat beatus Tho. p. 1. q. 92. art. 1. quo loco inquit. Neceſſarium fuit fœminam fieri, idque in adiutoriũ viri: nã fœmina ad generationem adiuuat. Quod videtur probare contra aſſerentes, fœminã fuiſſe neceſſariam ad alia opera ſimul cum viro perficienda. Verùm fœminam ſolũ operi generationis fuiſſe deditam viro, ex eo probat, quia vir ſolus non ſufficiebat ad generationis opus perficiendum: & conſequenter cũ ſit generationi aptus, eget adiutorio. Talis quidem erat fœmina, ergo neceſſaria. Ex quibus, generationis operi neceſſariam fuiſſe fœminam, probat. Nam quæ natura cõſtant animalia, ex ſemine genitali & ſanguine menſtruo cõſtare eſt neceſſum: hoc autẽ à mare fœmina q; ſuppeditari oportebat, in quibus hæc principia erãt neceſſaria, quemadmodum in animalibus, ac præſertim in hominibus, in quibus ex alterutro ſolũ omnẽ ad generationem aptã potentiã emanare, erat impoſsibile. Quamobrem neceſſum fuit nõ ſolùm potentia differre, ſed & partibus corporis, quibus proculdubio mas & fœmina diſsidẽt: alias quippe partes mas forma & ſitu diſcretas ad generãdũ, alias fœmina obtinet. Ob id profectò cũ & facultate & munere quodam atq; officio mas & fœmina diſsideant, & ad omnem quidẽ officij functionẽ & materia & effectiuo principio & miniſterio opus ſit: hac ſanè ratione neceſſe eſt, in procreationis munere marẽ ac fœminã cõuenire, vt alter materiam, inſtrumenta, & efficaciam ſimul ad generationis munus idonea, alter affectiuum principiũ ſubminiſtret. Ideoq; ad procreationem partes aliquas eſſe idoneas, easq; inter ſe diuerſas, quibus mas à fœmina differat, opus eſt. Nam licèt (vt rectè Ariſto. aduertit lib. 1. de generat. ani. cap. 2.) de toto animali mas & fœmina dicatur: non tamen quauis ſui parte potentiaq; idem mas aut fœmina eſt, ſed certa quadam virtute ac parte. Ob idq; ſeparata atq; diſcreta cùm generandi munus explere nequeant, coniungi ea oportet. Maris itaq; ac fœminæ cõiunctione ad procreationem neceſſariò eſt opus. Quapropter conſtat (vt Ariſto. refert lib. 1. de hiſto. anim. cap. 18.) optimè dixiſſe Empedoclem, nimirum, maris ac fœminæ quaſi ſymbolum eſſe, totum verò à neutro perfici, nec ex vtroq; eadem ſecedere: ob id alterum alterius coitum ac copulam deſiderare, quòd materiam fœmina, mas principium motus præbeat. Sed coniugij huius efficaciſsimam omnium rationem affert Ariſt. lib. 2. de genera. ani. cap. 4. nimirum, quòd animal ſenſu à planta differat, neq; fieri poſſe, vt vel facies vel manus, vel alia quæpiã pars ſit,

ſit, niſi anima ſenſualis inſit aut actu, aut potẽtia, & aut aliquatenus aut ſimpliciter: & ſubdit. Erit enim vt mortuus, aut pars mortui; cùmq; mas ſemen genitale projiciat potentia animatum, vt Gal. affirmat lib. de ſemine, ſenſualiſq; animæ pars ſit efficiẽs (vt ex Ariſt. verbis cõſtare arbitror) fieri ſanè non poteſt, vt ex ſe ipſa fœmina animal generet, ſed virum cum quo congrediatur, deſideret: cuius ſanè ſocietatem auidè concupiſcat. Atqui cùm adhæſu, coituq; generatio procedat (quòd ſine maris & fœminæ cõiunctione perfici nullo pacto poteſt) neceſſe, peuldubio eſt, ab vtroque materiã quandam emitti, in qua illorum vis & poteſtas contenta tertium quidpiam generet. Attulimus quidem cauſas omnes, cur ad procreandum mare & fœmina ſit opus, neq; alterũ ſine altero generandi munus explere poſſe: quòd mas & ſi gignendi habeat efficaciam, locum tamen, in quo conceptus formari effingiq; poſsit, minimè habet: fœmina verò etſi idonea ad conceptum continẽdum & formandum loca habeat, principio tamen deſtituitur: quo fit, vt neuter, ſine altero perfectum edere fœtum poſsit. Quibus iam euidenter conſtat, neceſſariam fuiſſe ſexus in omnibus rebus, ac præſertim in animalibus, & potiori adhuc ratione in hominibus, diſtinctionem ob adductas à me rationes, & plures alias, quas breuitatis ſtudio prætermitto.

De affectionibus vtrique ſexui communibus & cuique proprijs. Cap. 2.

IN omni quidem generatione cùm generans ſibi ſimile generare ex intentione nitatur: fit multis rationibus natos parentibus eſſe ſimiles, id enim eſt, quod generans intendit. Quod profectò illis accidere conſtat vno ex tribus modis: in forma nimirùm, aut in ſpecie, aut in ſexu. Atqui licet generans id omne proculdubio nitatur: non tamen ſemper conſequitur, quia plerunque in aliquo, aut pluribus ex neceſſarijs vel deficit, vel nequit quòd intendit. Quæ ſi exactè perpenderimus, conſtabit euidenter quid in ſanitate ac morbis cõmune habeat fœmina cũ viro, quid verò vnuſquiſq; ppriũ ac peculiare ſiue in ijs, quæ ſecundũ naturã ſunt, ſiue in ijs, quæ præter naturã accidunt, obtineat. Sic ſpecie ſimile genitum efficitur vt ex Ariſto. conſtat, & ex Gale. lib. 2. de ſemine, ex matre ſeu ex materia: nam quod producitur, leonem eſſe, equũ aut hominem ex materia fieri fatentur, ſeu ex matre. Quod intelligendum eſſe cẽ ſeo (vt inferiùs latiùs monſtrabo) quemadmodum refert beatus Tho. Summa contra gentes cap. 95. inquit enim. Ratio igitur determinatæ ſpeciei conſiſtit in hoc, quòd natura cõmunis in determinato gradu entis collocatur. Et quia in rebus ex materia & forma compoſitis, forma eſt quaſi terminus, id autem, quod terminatur per eã eſt materia vel materiale: oportet quòd ratio generis ſumatur ex materiali, differentia verò ſpecifica, ex formali: & ideo ex differentia & genere fit vnũ, ſicut ex materia & forma. Et ſicut vna & eadem eſt natura, quæ ex materia & forma cõſtituitur: ita differẽtia non addit extraneam quãdam naturam ſuper genus, ſed eſt quædã determinatio ipſius naturæ generis. Vnde patet quod accidit generi & differentiæ, vt determinatio quædam, quam differentia importat, ex alio principio cauſetur, quam natura generis: ex eo quòd natura, quam ſignat diffinitio, eſt com-

posita ex materia & forma, sicut ex terminante & termino. Qua igitur ratione cõstat genitum esse matri ratione materiæ simile, quod Aristot. & Galen. in specie intelligunt: siquidem species in forma cõtineri, & ab ipsa terminari dictum est. Hac tamen seruata differentiæ ratione, quòd in hominibus terminatio illa quæ infertur in materiam à genitoribus, non designat neque significat formam, quæ ex materia educitur, vt in brutis, sed solùm dicit dispositionẽ & organizationem formæ rationali extrinsecus aduenienti aptã. Sic fœmina eam materiã præstat, & cum quadam agente facultate, ex qua, virtute vtriusque seminis fœtus formari seu delineari omnibus esse compertum reor. Nam cùm virtus formatrix seminis fœminei sit per signatam materiam contracta, ab illa recipit vt producat speciem similem, respondentem tamen certis diffinitisque affectibus & proprietatibus eius individui, vnde decisa est. Cùm enim sit vis corporea informatrix residua in partẽtis mẽbris, & sui similitudinẽ testibus inducat: necessariò inducet similitudinem non solùm ad susceptionẽ actus & formæ, in qua species consistit, sed & materiæ & qualitatum corporaliũ, in quibus similitudo hæc intelligitur. Similitudo verò, quæ in figura reperitur in genitis, ex vtroq; simul semine agẽte & mouente adinuicem alterũ, proficiscitur. Vnde fit, vt diuersa facta motione superantis naturam & formam sequatur in totũ, aut in partẽ, iuxta victoriæ seminis rationem. Qui verò desiderat de similitudine copiosiora audire, legat caput de mõstroso cõceptu lib. huius operis. 3. Tertia verò similitudo, & quam huius cap. instituto cõducere existimo, fit in sexu: cuius latè meminimus lib. 3. cap. de cõceptu paragrapho de masculorũ generatione: quæ proculdubio temperiẽ totius cõiuncti seminis sequitur. Ob id igitur dum totum coniunctum ad calidum inclinauerit, masculum fieri, vnanimi omnium medicorum consensu constare arbitror: sin minùs, fœminam: qualiter autem hoc dogma sit intelligẽdum cap. de masculorum conceptu scriptum reperies. Nam in ore est omnibus philosophis fœminam esse masculo frigidiorem, ideoq; in sinistro vteri sinu, vt ex Hippocr. lib. 4. aphor. 48. & 6. popu. par. 2. 44. constat genitam, sicut marem in dextro: item, eam genitalia intus reclusa habere, marem verò extra prominentia. Esse verò viros fœminis calidiores multis rationibus & locis apud Galen. & Hipp. probatum inuenies: quippe referunt id ita factum esse ob fœminæ imperfectionem, quã ex frigiditate cõijciunt. Nam certum est calorem esse omnium actionum potissimum instrumentum, quo fœminæ carentes imperfectiores actiones perficiunt. Referunt etiam huiusmodi imperfectionem ad officium: quippe nullo prorsus modo generationi apta fieret fœmina, nisi plurimo sanguine abundaret, qui vberem suppeditet generationi materiam: is quidem copiosior fit, vbi tantum caloris subsit, quantum plurimo sanguini gignendo sufficiat: quod sanè fit, dum fœminam viro frigidiorem esse contigerit: nam aliter licet plus gignant, æqualem tamen copiam dissipabunt. Atque has esse imperfectionis fœminarum rationes ferè omnes philosophi existimant. Quas porrò etsi veras esse censeam, non ob id existimo fœminã esse viro imperfectiorem. Sed antequàm huius difficultatis enodationem dirimam differendum est, quanam ratione dictum sit ab Hippo. lib. 1. de mor. mu. fœminam calidiorem habere sanguinem & ob eam causam dici esse viro calidiorem. Nam arbitrari hanc sententiam (vt multi censent, & nos etiã aliquãdo existimauimus) esse falsam, & sui fuisse Hipp. oblitũ alienum arbitror ab Hippocr. dignitate. Et ob id cẽseo calidiorẽ gignere sanguinẽ quàm viros, & cũ hoc viris nõ superesse calidiores, nec id Hipp. voluisse, vt constat ex eius verbis si quis ea diligẽter pẽsitet.

Quippe

Quippe Hipp. fœminas esse viris calidiores statuit, quòd plurimo sanguine abundent, & hac ratione calore exuperare: cæterùm calorem illũ sanguini ex accidẽti succrescere, quia coacerbatur plurimis diebus & interim incalescit, nõ quidẽ natura calidior quã in viris generatur. Verum dicet aliquis, ad minùs videretur verũ ex copioso illo sanguine, saltẽ fœminas esse viris calidiores, quia sufficiẽtissima probatio est: Sanguine abundãt ergo sunt calidiores, si quidẽ vniuersale & cõmune principiũ caloris est sanguinis vbertas. Hãc tamen difficultatẽ pulchrè dirimit Hipp. loco citato statuens nõ ob id euasuras calidiores. Ratio illius est, quia licet plurimo sanguine abũdent, molli tamen, laxa & rariori cõstant carne & structura, adeò vt tantũ illis euolet sanguinis & caloris, quantũ sat est, vt subsint æquè calidæ ac viri, quibus cùm accedat menstrua euacuatio, facilè frigidior habitus succrescit, quantũuis sanguine abũdent & is calidior ex mora fiat. Quo sensu intelligendum est Hipp. dixisse, viris calidiores & sanguine abũdantiores esse: inquit enim Hippocr. Quod si copiosior qui accedit augeturque sanguis exitũ habet, nec dolor concitatur nec à sanguine calor. Qua sententia euidenter cõstat, ob decessum vbertatis sanguinis fœminã, nec doloribus premi, nec incalescere, nec vir plus iusto incalescit, licet sanguis non decedat, vt in muliere, quia quod abundat, & dolorẽ poterat inferre, exercitio cõteritur. Manet igitur verũ, fœminã viro non esse calidiorem, nec Hipp. contrarium voluisse sententia illa, quãuis primo accessu id videatur sentire: restat nunc probare non ob id viro esse imperfectiorẽ. Nã omnis naturalium rerũ perfectio (præter formã, quæ eandẽ cõstituit speciẽ in vtroq; sexu) ex fine naturæ intẽto quærenda proculdubio est. Atqui cùm ex B. Tho. sententia superiùs probatũ sit fœminã viro esse coniunctã generationis & propagationis speciei gratia: sequitur proculdubio, prædictas rationes, fœminã æquè viro esse perfectã, potiq; quã contrariũ probare. Nam & frigiditatẽ & formationis mẽbrorũ diuersitatẽ, generationis melioris gratia tributã inficiabitur quidẽ nemo (præsertim habito respectu ad finẽ) & ob id æquè perfectas esse iudicãdas. Itaq; si nec forma nec materia, neq; perfectione finis differre, omnibus sit in confesso: cõstabit igitur, neq; perfectione. Nã qua ratione virũ si natura frigidiorẽ effecisset, aut genitalia introuersa, eũ mõstrosum & imperfectũ existimaremus: eâdẽ proculdubio, & fœminã, si calidior esset, aut alia figura efformata genitalia haberet. Neq; obstet Aristo. & Peripateticos dixisse animi operationes in viris illustriores esse, cũ Plato. 7. de lege, & Platonici oẽs existimarint ad eadẽ animi studia & easdẽ operationes æquè mulieres atq; viros natos esse, quoniã instrumẽta quæ animi operationibus inseruiunt, neq; plura vel pauciora reperiãtur in viris quã in mulieribus: differũt tamen mãmis & vtero his partib⁹ & instrumẽtis quæ à cõceptu, partu & educatione capiũtur. Itaq; si viro accedit perfectio ex calore, fœminæ quidẽ, ex frigore: atq; si illi quoq; oportebat genitalia inesse prominẽtia, fœminæ quidẽ, intus recõdita. Quibus sanè rationib⁹ moueor vt credã, habito respectu ad finẽ fœminã esse æquè perfectam viro. Secus autẽ se res habet in alijs actionibus, in quibus mihi non est dubiũ, virũ esse aptiorẽ & perfectiorẽ fœmina. Quòd si rursũs aliquis arguat fœminæ imperfectionẽ, eo q; ex cõmuni omniũ philosophorũ consensu constet, fœminam fieri præter institutũ generantis, esseq; aliquid deficiens & occasionatũ: huic quidem dicemus verum esse, fieri præter intentionẽ agentis particularis, at fieri iuxta intentionẽ vniuersalis naturæ ad opus generationis ordinatã, & ob id nullã hac ratione subire imperfectionẽ. Præterea licet virtus, quæ est in semine prima intentione feratur ad generationẽ masculi: tamen si illud aut ex defectu materiæ, aut ex quauis alia causa

 euenire

euenire non posit,fertur secũdariò ad fœminæ generationem, tanquam ad id, quod primo intentui est propinquum. Ob idque constat fœminam generationi perficiendæ temperamento & instrumentis esse æquè perfectam.

Ex antè dictis constare videtur,mares & fœminas cõuenire forma,materia,& tẽperamento,vtriq; sexui cõmunibus: quamobrem necessum erat, vtrisq; quosdam accidere morbos,qui sanè ex specie,ex materia,& ex temperamento illo,quo conueniunt,euidenter cõmunes proficiscuntur. Nã ex animali potentia cõmunes vir & fœmina sortiũtur affectus tã in potẽtijs interioribus,quã in exterioribus: in illis quidem deliramenta,amentiam,stultitiã,& memoriæ varios defectus perpetiuntur: in his verò & paralyses,& apoplexias,& stupores,& conuulsiones,& in quotijs sensuum alia penè innumera accidentia, quæ vtriq; sexui esse cõmunia inficiabitur profectò nemo. Vitia verò materiæ vtriq; esse cõmunia ex ipsa rei natura,& ijs, quæ accidunt euidenter constat: nã licet morbi nõ sint materiæ vitia,sed materiei formæ,cũ hoc tamen vitia,quæ partibus suboriuntur ex similariũ crasitie, tenuitate,raritate,& densitatẽ substãtiæ,necnõ ex abũdantia aut defectu,vel nimia ipsarũ partiũ mole,aut diminuta,vtriq; sexui esse cõmunia norunt profectò omnes. Simili quoq; ratione cũ ex huiusmodi simplici materia instrumenta vtriq; sexui cõmunia natura efformauerit: in eisdem cõmunia vitia subesse necessum quoq; erat. Sic actiones in vtroque læduntur ex vitiata cõformatione,magnitudine,numero,coniunctione,& similariũ partiũ vnione. Consimiles etiã vterque sexus patitur affectus ex cõmuni viuentiũ temperamento: nam licet fœminã à viro quodammodo differre tẽperie dictũ sit, cũ hoc tamen cõmuni quodã temperamento cõuenire philosophis omnibus cõpertũ est,eo nimirùm, quòd vtrisque quatenus viuentes sunt,cõmune est,& ob id etiam q; omnibus alijs conueniãt. Ex quo sanè communi dono communia quoque vitia prodire compertum & necessum est. Quamobrem vterque varios temperamenti totius & partis morbos pati rationi videtur cõsonum. Sic febres omnis generis ambobus esse communes euidenter cõstare arbitror,sicut alios innumeros affectus,quos ex naturæ vnitate,& reliquis in quibus conuenire dictum est,illis accidere comperimus.

Verùm cùm mares sexu esse à fœminis distinctos dictũ superiùs sit,eo ipso,quo differunt,nõ dubito affectus ipsis accidere proprios & peculiares. Sic in mento & pudendo varijs morbis vexari solent,quibus fœminas carere cernimus. Atqui præter certum Priapismi modũ,& alia vitia ex peculiari temperamento oborta, viro etiam peculiares subsunt effœminationes, coëundi impotẽtia,sterilitas, & ad virorũ munia ineptitudo. Præterquàm quòd adhuc in cõmunibus morbis diuerso & peculiari modo,ac fœminæ ipsæ,afficiũtur. Inquit enim Hipp.lib.6.Vulga.par.7 loquens de fœminarum morbis. Nequaquam similiter & viri morbis corripiũtur. Pari quoque ratione in libris ferè omnibus de morbis vulgaribus plures reperiuntur morborũ cõstitutiones,in quibus longè diuersa accidentia viris succrescebãt, ab ijs quæ fœminis accidisse refert Hipp. Ex quibus constare censeo,viros sua propria,& peculiaria pati vitia,non solũ in ijs omnibus,in quibus à fœminis dissidere cognoscimus,sed & in cõmunibus: nam qua ratione sua cuique sanitas est,sua etiã viuendi ratio,cãdem proculdubio peculiares morbos obtinere necessũ erat: quos sanè breuitati consulens prætermitto,ne videar scribendi institutum transgredi.

Refert quidem Fabius fœminas multorum morborũ esse participes: quod quidem censeo,anteà Hipp.dixisse,qui lib.de morbis mulierũ hæc refert verba,dẽ hydrope loquens. Periculosa verò sunt velut dictũ est,& plerunq; acuta & magna,& intellectu

intellectu difficilia,eò quòd mulieres participant morbis,& aliquãdo neque ipsæ sciunt quòd ægrotant,priusquàm morbos experiantur à mensibus,& seniores factæ fuerint. Tunc autem & necessitas & tempus ipsas morborũ causas docent, & quandoque non cognoscentibus ex quo morbo ægrotẽt, morbi incurabiles fiũt, antequàm doceatur rectè medicus ab ægrotante ex quo morbo ægroter. Verentur enim narrare,etiam si sciant,& præ imperitia & ignorãtia turpe sibi id esse putãt. Sed & medici simul peccant non exactè causam morbi percõtantes,sed velut viri les morbos sanãtes. Et multas nouì iã ab huiusmodi affectionibus correptas: quare statim causam exactè interrogare oportet: multũ enim differt muliebriũ morborũ ac viriliũ curatio. Ex quo loco euidenter cõstare arbitror, fœminas & varijs morbis & diuersis à virorũ affectionibus frequenter corripi,& ob id diuersam exposcere medendi rationem. Prodit quidem huius diuersitatis ratio ex diuerso sexu, quo sunt à natura cõstitutæ: à quo sanè omnis peculiaris & proprij morbi cõditio principiũ sortitur. Idque tribus potissimũ rationibus,quibus à viro differre censemus. Prima quidem ex ortu ac principijs generationis,eũ fœminæ ex virtutis actiuæ debilitate,vt B.Tho.euidenter docet.p.1.q.92.art.1.ad.1. ac similiter propter aliquã materiæ ineptitudinem, vel etiã propter aliquã transmutationem ab extrinseco, nimirũ,flantibus australibus ventis.vt.q.99.ar.2.ad.2. Quod etiã ex Aristo.mente lib.de animalibus refertur: inquit enim lib.4.de gener.ani.cap.6. Sunt enim fœminæ sua natura debiliores,frigidioresque,& sexũ fœmineũ quasi læsionem naturalem,& detrimentũ esse putandũ. Ob id quidem necessum erat,plenũque ex natiua sorte illis inesse peculiarem quendã apparatũ,peculiaribus etiã morbis idoneũ, quòd diuerso modo à viris frequẽtiusque,ex innata imbecillitate corriperentur. Nam licet vtrunque semen pariter habeat in se vim gignendi hominẽ,vt latiùs in ferijs,Deo fauente maximo,sum probaturus: quoniã in semine est solũ forma hominis,hoc est figura seu dispositio ad suscipiendam ab extrinseco formã,necessaria eo modo,quo superiùs dictũ est: cuius mas,& fœmina æqualiter sunt participes: nõ est tamen in semine forma fœminæ,potiùs quàm maris,quoniã mas & fœmina,forma non differũt,neque dispositiones ad eã suscipiendam,sed solo sexu: mas enim fœmina calidior est,ex quo calore certũ quendã perfectionis modũ philosophi arguũt,& propterea mas à perfectioribus principijs debet gigni. Atqui cùm, vt dictũ est,perfectio hæc non possit sumi à substãtiali forma,necesse est, vt sumatur ab accidenti aliquo, nempe à primis qualitatibus,quibus illa vtitur ad efformãda naturæ opera. Quãobrem dũ semen calidius, concoctumque probè est, masculũ fieri contingit: dum verò frigidius & malè elaboratũ, aut fœminã aut nihil efficit. Quod Arist.dixisse cõperimus lib.4.de gener.ani.ob idque cõstat ex innato principio,& habitu fœminas esse nõ solùm viris morbosiores, verùm & peculiaria sibi habere vitia,coadiuuãtibus duabus causis,quas mox referã,quarũ ratione vitium aliquod signatim cõtrahunt. Secunda porrò causa ex temperamento natiuo à primis principijs contracto,sortem nancisci tur. Cui etiã tẽperamento peculiares accidere morbos oportet. Nã qua ratione fœminas & sanitate frui,& peculiaria,ac fœminea munia obire cõperimus huius particularis temperamẽti beneficio, cãdem profecto erat opus peculiaribus quoque affectibus,eodẽ temperamẽto vitiato,aut quoquo modo mutato,corripi. Tertia verò & vltima causa proficiscitur ex diuersa figuratione partiũ,quibus etiã & euidentiùs fœminæ à viro dissident. Quod pulchra quadã sententia dixerat Arist.lib.1.de gener.ani.cap.2.per hæc verba. Mas autem & fœmina inter se differunt ratione,quòd facultas vtriusque diuersa est,sensu autem

autem partibus quibuſdam diſcrepant. Et ſubdit paulò inferiùs. Sed cùm facultate & munere quodam hæc diſtinguantur, ad omnem autem officij functionẽ inſtrumento opus ſit, inſtrumentaque facultatibus partis corporis accommodantur: ad procreationem quoque & coitum partes aliquas eſſe accommodatas neceſſe eſt, eaſque inter ſe diuerſas, quibus mas à fœmina diſſidet. Nam et ſi de toto animali mas aut fœmina dicatur: tamen non quauis ſui parte, potentiaque idem mas aut fœmina eſt, ſed certa quadam virtute ſeu potentia & parte, ſicut & vim cernendi, gradiẽdique obtinet. Partes verò eiuſmodi ſunt fœminæ vteri & vuluæ: maris, teſtes & collis in omnibus ſanguine præditis. Itaque potiſsima cauſa diuerſitatis ſexus eſt, diuerſa genitaliũ ſtructura & ſedes. Quapropter lib. 1. de hiſto. ani. cap. 19. ſolo vtero maſculũ à fœmina diſſidere idẽ author teſtatur. Qua etiã genitalium diuerſitate non ſolùm ſexu diſſidere comperimus, verùm & animaliũ ſpecies inter ſe diuerſas eſſe, ex diuerſo genitalium ſitu, & diuerſa poſitura, vt apertè teſtatus eſt Ariſt. lib. 1. de Gener. ani. cap. 3. inquit enim. Teſtes & vteri aut vuluæ non pari ratione in omnibus ſanguine præditis animalibus ſunt. Iam enim (vt primùm de teſtibus dicam) alia omnino teſtibus carent, vt piſces & ſerpentes, dixerat enim lib. 5. de hiſto. ani. cap. 5. Teſtes igitur neque piſces habent, neque vllũ aliud genus, quod careat pedibus: & ſubdit eo loco. Et hac in parte meatuſque tantùm geminos ſemini genitali perſcriptos obtinent. Alia habent quidem teſtes, ſed intus lumbis adhærentes, quà renes continentur: cuius ſanè generis creduntur eſſe aues. Alias item recenſet ea parte genitalium poſituras, quibus & fœminã à mare, & animatorum ſpecies diſſidere cognoſcimus. Neque diſſimili ratione vterum bipartitum eſſe idem author teſtatur lib. 3. de hiſt. ani. cap. 1. melioris nimirum, & copioſioris generationis gratia. Refert quoque eodem lib. 1. de genera. cap. 2. diuerſam vterum obtinere ſedem, vt teſtes, in diuerſis animatorum ſpeciebus: verùm in omnibus intus recluſum eſſe & cuſtodiæ fœtus, & melioris coctionis gratia: præterquam quòd etiam fœminis teſtes intus reconditos conceſſerit natura, maribus verò extra pendẽtes. Ex hac igitur genitalium varietate in ſitu ac figura, etiam fœminis ſuccreſcere varios affectus, ipſiſque peculiares mihi certè eſt cõpertum: itaque ex hac cauſa & ſexus diſſidium & affectuum peculiaritas proculdubio prodeunt. Cæterùm non id vnica ratione fœminis accidit, ſed varijs: nam vterus mãmæ & partes omnes genitales, quibus fœminæ ſexu à maribus diſtinguuntur, varios poſſunt progignere affectus, quos viri ne guſtare quidem vſquam poſſunt. Ex quo fonte, & diſtemperantiæ omnigena varietate, & vitio etiam eorum munerũ, quæ harum partium temperamento natura exequitur: item ex excrementis aut humoribus, quæ ex naturæ errato in his partibus ſuperſunt, tot ſolent oriri vitiorũ genera, vt vix vſquam aliquis vel maxima diligentia numerare ea poſsit. Itaque dũ fœminarum vterũ & verenda velut partes ſimplices cõſideramus, tribus potiſsimum occaſionibus morbos illis ſuccreſcere contingit: vna quidem, ex diſtẽperie, qua frequenter frigidiores & calidiores, humidiores aut ſicciores extra manifeſtã cauſam, aut internã, quæ hominibus ſit communis, ſed noua quadam & mirabili ratione conſpicimus: acrurſus dum ſic affectæ ſunt, à cõmunibus auxilijs, & ijs, quę alijs huius ſortis diſtemperamentis prodeſſe ſolent, plurimum offendũtur. Altera verò (præter frigus aut calorem, quẽ omnes ferè, aut præcipuas corporis partes ex prædicta cauſa perſentiunt) ex vitio actionum naturalium, quæ fœmineis partibus inſunt proficiſcitur. Quæ quidem cauſa dum vterus perperã naturalia munia exequitur, mille morborum ſortibus vniuerſum fœminarum corpus premit: quas ſpecialiùs inferiùs monſtrabo. Hinc enim prodeunt muliebres fluxus, hinc vteri hydropes, hinc obſtructiones, ac totius corporis alienus à naturali color, aut inſolita impotentia, & frequenter ex hoc naturalium potentiarum vitio prodit fœminas ineptas fieri munijs fœminarum exequendis, vt mox docebo. Vltima quidem cauſa, qua & peculiares & præ varietate incognitos affectus fœminas frequenter pati conſpicimus, ea ſanè eſt, quæ ex defectu aut copia excrementorum, aut humorum à vitio facultatum naturalium factorum, principiũ ſortitur: nam vt hæc varia eſſe poſſunt in propria natura iuxta diſtemperiei varietatẽ, ita varios nata ſunt efficere affectus, etiam ſi excrementa, aut humores, qui ſuperſunt nullo vitio afficiantur. Verùm cùm eo miſeriæ fœmina deuenit, vt aliquid horum corruptionem aliquã, aut vitium aliud ſubeat (cùm hoc habeat proprium id, quod præter naturam eſt, vt tam ſit variũ & diſſimile, vt incõprehenſibile penè ſit) tot prodeunt morborũ moſtra, vt nullus cognoſcere aut diſtinguere adamuſim poſsit, vt cap. de hyſtericis affectibus ſum probaturus. Secunda morborum ſeries, quos peculiariùs fœminas pati cognoſcimus, ex eo ſanè prodit, quòd vterus (præter actiones naturales, quas vt ſimplex pars perficit) pars ſit corporis inſtrumentalis & organica, multis ſanè in generationis opere officijs dicata. Ob id quidẽ ex vberrimo hoc fonte, & in ſitu, quem mille modis mutat, & in omnis figuræ cõditionibus, ac partibus omnigena vitiorum ſorte fœminas corripi comperimus. A quibus porro vitijs quæ ſympthomata prodeant, quantumq; à virorum ſympthomatis diſſidentia credere haud facilè poſsis. Item ex vteri ſtructura prodit menſtruationis & conceptus officio aſſiſtere: ex quo quidem miniſterio in menſtrua purgatione varia vitiorũ ſors producitur, atque etiam in ſterilitate, aut conceptione, itidem in conceptus formatione, retentione, partu, purgatione, lacte, aut lactis defectu vel vitio, ſi mammarum officium conſideres. Quæ omnia & pleraque alia fœminarum natura & ſors, ex ſexus proprietate peculiariter patitur. Quæ ſanè vt præſentaneum auxilium ex noſtris laboribus ſuſcipere poſsint, ſpecialiùs & diligentiùs expendere oportet.

De affectionibus, quæ fœminis omnibus ſunt communes, ac de alijs, quę cuiq; fœminarum ſorti peculiares exiſtunt.

Cap. III.

HVcuſque porrò dictum eſt, qua lege fœminarum affe- à virorum affectionibus natura diſſideant: ac dictum etiam eſt, quæ vitia fœminarum naturæ ſint propria & peculiaria, facto diſſidio inter virum & fœminam. Supereſt quidem nunc docere ex eis vitijs, quæ fœminis propria eſſe diximus, quæ ſint omnibus communia, quæ verò quibuſdam propria & peculiaria. Cenſeo quidem fœmellas ante menſtruationis tempus ſuos pati peculiares affectus, etiamſi toto eo tempore, ab exortu nimirum vſque ad menſtruationem maiori ex parte communes cum viris perferre morbos conſtet: omnibus tamen ab hoc tempore commune eſſe ex menſtruali purgatione mille affectibus corripi, ſiue nupta, ſiue innupta, aut vidua ſit, dummodò vtero non gerat, eſſeque illis hoc malum commune, donec

ætate

ætate seniores factæ, natura ab huiusmodi necessitudine immunis, sponte hunc sanguinis fluorem cohibeat. Quo etiam tempore multigena humiditatis albæ, aut alterius coloris vacuatione miserè vexari solent. Itaque his duobus affectibus mira varietate ludentibus, fœminæ omnes donec plurimùm consenescant, affici in communi assolent. Verùm licèt alios affectus ipsas quandoque corripere conspiciamus: nihilominùs tamen cùm id rarum sit, censemus eos non esse ita communes, vt possint frequenter omnibus fœminarum statibus accidere. Nam cùm menstrualis purgatio fœminis sit natura indita: fit profectò vt vitia quæ in ea contingere possunt (quæ plurima quidem sunt) omnibus quoque communia sint. Quam sanè vacuationem si fœminæ alicui natura denegauerit, non minùs multorũ morborum causam existere censemus, quàm dum improsperè prorumpit: quod multis profectò modis fieri contingit. Namque aut menses illis supprimuntur, aut immodicè profluunt, aut diminutè, aut cum accidentibus grauioribus solito, aut demum inordinatè, & varijs alijs modis, quibus ex naturali vacuatione præternaturalis fit & morbosa. Adhuc grauius quid illis accidere est arbitrandum etiam secundùm naturæ legem fluentibus mensibus: quippe semper illis molesta efficitur huiusmodi vacuatio. Sic etenim inquit Hipp. lib. 1. de mor. mu. tex. 1. Mulier quæ nũquã peperit grauius ægrotat citiusque profluẽtibus mensibus, quã quæ peperit. Quibus constat vtriusque grauem esse mensium fluorem etiam naturalem, grauiorem tamen his quæ non pepererunt, ob viarum angustiam. Quod etiam statuit Arist. 7. de histo. ani. cap. 2. vbi mulieres laborare tantisper dum menstruus fertur humor, aut saltem earum corpora grauari existimauit. Quod pari ratione confirmauerat. lib. de somnijs, cap. 2. quo loco euidenter constat, deteriores esse mulieres statu & conditione interea dum illis fluunt menses. Ex quibus constat, deteriùs se fœminas habere hoc tẽpore, quòd sanguis conturbetur, agitetur & æstum patiatur: nam has causas recenset Arist. ægrotationis mulierum tempore mẽstruationis. Quod sanè probat experimentum: quippe eo tempore dum mulier menstruis turbatur, speculum spectans vel frangit vel turbat, ac segetes vrit, & plantas emaciat, ac reliqua id genus molitur: quibus constat, dum menstruans est, naturaliter (vt sic loquar) ægrotare. Pari quoque ratione communis fœminarũ sexus frequentissimè albis vteri purgamentis corripi solet, cùm vterus aut prauè conficit sibi commissum alimentum, aut susceptat à toto corpore vitiosum & crudum sanguinem, vel testes tenuius generant semen, & minùs probè quàm par est, continent. Item menses decolores, aut varij coloris prorumpunt, ita vt ex officio menstruationis hæc etiam omnia vitia fœminis accidere conspiciamus. Et ob id necessum profectò est conijcere, hæc mala omnibus esse communia: quippe re vera viduis, virginibus & nuptis frequentissimè hæc omnia accidere constat, ita vt nulla ætas, nullusue fœminarum status immunis ab huiusmodi vitijs, quæ ex menstrua purgatione cessante vel prauè fluente prodeunt, reperiatur, nisi vtero gerat. Quo etiam statu id aliquando accidisse constat, vt suo loco latiùs sumus dicturi.

Virgines verò (id exposcente sexus & status natura) peculiares sibi habent affectus, varios, multiplicisque naturæ & sortis. Nam primò fœmellæ ante purgationis tempus, præsertim instante iam iam purgatione, obstructionibus & febre alba corripiuntur, idque iuxta optimam rationem: nam cùm meatus illi, per quos sanguis prorumpere nititur, non sint ex vsu, neque à natura satis aperti, fit facilè vt redundante sanguine repleantur, obstruanturq;. Sic enim dixit Hippocr. lib. de Natura mulie-

mulie. Iuuenculas humidiores esse & multò sanguine refertas. Et lib. de geni. refert, illis esse angustas venas. Præterquam quòd sanguis, qui mẽstruationi paratur, crassior est & paulatim congeritur in venis vteri: quibus angustioribus ex natura existentibus, nil mirum si protinus obstruantur. Ex qua sanè occasione prodit virgines decolores fieri, & febribus quibusdã lentis frequentissimè corripi. Quòd si omnino defecerint, & debitũ tempus transgrediãtur prædictæ purgationes, ætate eas exposcente, euidentiores fiunt febres, & maiores obstructiones, quæ non solũ vterum ipsum obsident, verùm & membra ipsa nutrimentalia & viscera ferè omnia: quorum dei aceps consensu aut principaliora mẽbra afficiũtur, aut in maiora mala paulatim fœmella deducitur. Cæterùm si menstruus ille sanguis, qui præter naturam retentus abundat, putredinosam aliquam qualitatẽ acquisierit, euidentioribus ac efficacioribus febribus deinceps miserè correptas cõspicimus. Sicut si citra putredinẽ vitium aliud huiusmodi sanguis cõtrahat: capitis doloribus importunis, ventriculi extorsionibus, ventris torminibus, lassitudine & alijs plerisque morbis corripi, obseruatione certissimum esse existimo. Præterea factis iam natu grandioribus etiamsi menses prorumpant (dum castè ac pudicè viuant) ex retento semine varia & grauissima sympthomata accidere frequenter conspicimus: nam plerunque virginibus grandioribus grauiora sympthomata euenire refert Hippocrat. lib. de natura mulie. quippe cùm semen turgeat, & vterus genituram exposcat: facilè ex seminis vbertate & excrementorum copia, quam vterus trahendi auidus vndique allicit, iii omnigenam morborum varietatem decidunt, & modis affectionum exquisitissimis corripiuntur. Quæ omnia procul dubio grauiora ipsis superueniunt, si forte contingat semen ipsum corrumpi, aut alio quouis modo (vt latius proprio huic rei dicato cap. sumus dicturi) fœdari contingat. Hinc enim tot epilepsiæ monstra, hinc cibi fastidium, hinc deprauatarum rerum appetentiæ prodeũt, sicut dolores & lassitudines, ac alia pene innumera mala, quæ pudicis virginibus ac religiosis accidere quotidie videmus.

Prædictæ ferè sortis sunt fœminæ, quæ viduæ cùm sint & viro orbatæ, castè & religiosè viuunt, præsertim si anteà pepererint: quibus ab eisdem causis, licet non æquè efficacibus ob meatuum laxitatem ex viri accessu, aut partu factam, eadem ferè succrescunt accidentia. Inquit enim Hipp. lib. 1. de morbis mulierum. Fluũdas autem ipsas facit purgatio illa, quæ fit à partu: quo fit, vt minùs quàm virgines molestari soleant. Quas tamen maiori ex parte corripere alleuescit mœstitiæ, mœrores, melancholicæ affectiones, aut articulares affectus, & huius sensus alia multa, præsertim hemicranici dolores aut vteri subuersiones, & deniq; hysterici appellati affectus. Nam sæpe tam graue damnum succrescit ex assueta vacuatione relicta, quantũ ex ea, quam natura appetit, si cohibeatur. Et ob eam causam dictum est, viduas castas & pudicas finitimos pati affectus ijs qui virginibus accidunt: licet vt dictũ est, nõ sint ita graues. Dimitto etiam hac in parte morbos, quos cũ viris communes habent, proficiscentes tamen à causis nuper dictis: quorũ quidem suo loco meminero.

Reliquæ verò fœminæ, quæ viro vtuntur, præter dictas affectiones, quas sæpissimè gustarunt, alias quasdam habent proprias & peculiares: nam quædam steriles existunt, aliæ licet concipiant, frequenter abortiunt. Item aliæ etiam vtero gerentes aut sanguinem singulis mensibus fundũt, aut vomitibus infestãtur creberrimis, aut cibum fastidiunt, aut alium à natura alienum appetunt & exequun-

tur, aut mille alijs accidentibus oppressæ conspiciuntur. Præterea dum fœtum sta tuto tempore in lucem edũt, aliæ cum grauissimis syn pthomatis, pleræq; difficulter, quædam secundam sibi retinẽt. Item alijs accidit aut immodicus vteri fluxus aut diminutus, vel tormina & grauissimi cruciatus. Alijs verò lac superabundat, plerisque deficit, nonnullis autem superfœtationes cõtingunt & falsæ impræg nationes: quibus omnibus & multis alijs hoc fœminarum genus passim corripitur. Quapropter horum omnium prouidentiam edisce re conuenit, vt cuique iuxta affectus & accidentium naturam vtile & debitum auxilium dicare possimus, initio sumpto à menstrua purgatione. Tandem vt ex Hipp. colligitur lib. 1. de morb. mu. sententia. 4. inter se constat disidere quatuor modis mulieres quæ iam pepererunt, ab his quæ partum non sunt expertæ. Nam primò, quæ pariunt, dolorem ex menstruo suppresso facilius tolerant ob assuetudinem partus. Secundò, quæ pariunt facilius tolerant plenitudinem ex menstruo suppresso, quòd ampliora habeant vasa. Tertiò, quæ pepererũt, os vteri patentius habẽt sanguini semper. Quartò, quæ pariunt minùs accidentibus molestantur.

De menstrua purgatione.

Cap. IIII.

FOeminarum affectus (non solùm eos, qui præter naturam sunt, sed eos etiã, qui naturales & ingeniti existũt) qui enarrare & docere studuerit, hoc sibi persuasum primò habeat, rem grauissimam, & quæ paucis, ijsq; doctissimis conceditur, humeris suis imponere: ita vtrei difficultatem veritus & pertimescens Hipp. à dijs exor diendum esse censuerit, & iuxta optimam rationẽ con suluerit principio lib. de Natura mulie. Atqui si quis rẽ diligentius mente euoluat, quãto magis nos decet, qui sacrosanctam Christi redemptoris nostri religionem, maximo Dei opt. max. bene ficio & misericordia profitemur, ad Deum ipsum recurrere, & supplices in sancto Domini timore eius diuinum auxilium in quauis re implorare: præsertim cùm de me magnificè nihil sentiam. Ob id igitur diuina misericordia fauente, & beatissima Virgine Maria, & omnibus sanctis gloriosa intercessione adiuuantibus, rem quamq; aggrediar, etiamsi difficillima sit.

Ex fœminarũ quidem officio constat, necessum esse (si conceptioni & formationi fœtus, materiam sunt præstaturæ) tantũ in ipsis redundare sanguinis, quantum alendo fœtui sufficiat natura. Et ob id sagacissima rerum omniũ magistra natura, temperamentũ fœminis præscripsit copioso sanguini gignendo idoneum: denegauit autem id, quod resolutioni erat aptum, præstatura eam temperiem maribus: ita vt quodipsi plus sanguinis generare ex propria natura & caloris vbertate nati sunt, frequẽti & maiori ipsius dispendio ex vitæ studio & innato calore persolueret. Quocirca fœminæ copiosiore sanguine abũdat, quòd nec ex caloris vi, nec ex vitæ instituto par est generationi dispẽdium. Decebat sanè naturæ ministe rium, fœminam esse lege huc efformaram, quippe quæ futura erat generationi fœtus, sed & seminis receptaculũ, ad materiæ fœtui efformãdo & alẽdo aptũ domicilium. Quamobrem rationi consonũ est, si plus quam sibi sanguinis erat con-

fectura, aliquid eius superesse & redundare, quod nisi pellat, necessum est in mille morbos procidat. Hinc autem decretum est naturæ melioris gratia, statutis quibusdam temporis quod sanguinis supereſt, per vterum innoxiè excernere: tum vt ei loco (ad quem tempore conceptus emissura est eundem sanguinem) assuescat, tum verò vt à superfluo per commodam regionem corpus vindicare possit. Quem sanè sanguinem hac lege & natura excretum, menstrualem medici & philosophi omnes nuncupare soliti sunt, principio tamen ab Hippocrat. accepto, qui lib. 1. de morb. mulie. id expressè primus omnium protulit, dicens: Sanguis menstruus exit interualli victimæ iugulatæ sanguini similis rubens. Cuius verbo vsus fuit Aristot. lib. 7. de histo. animal. cap. 1. dicens: Fœminis etiam per id tempus exurgunt vbera, quod frattrare dicitur, & quæ menstrua vocantur, erumpunt, quòd sanguis quasi recens occisi animalis est. Quo loco fœmellas adseruare iubet, & eisdem menses albos profluere refert. Neque eâdem ratione credendum est, viuiparis omnibus animalibus menstrua succrescere, etiamsi id ab aliquibus insinuatum videatur: nam ferè omnia animalia id materiæ, quod superuacuum est, aut in corporis alimentum vertunt, aut in corticem, squammam, aut pennarum frequentiam, pillos vrinasue multas & crassas commutant. Ob idque (vt Aristot. refert lib. 6. de histo. anim. cap. 20.) mulieribus inter fœminas, vberior euenit huiusmodi purgatio, equabus minor, & adhuc parcior vaccis: alijs autem ferè insensibiliter profluit, nulli quidem vt mulieri, vt idem author refert eodem libro. 18. Scribit quoq; Gal. de mẽstrua purgatione lib. de venæ sectio. aduersus Era. hæc verba. Mulieres cũctas natura singulo mense euacuat, sanguine superfluo foras effuso. Et subdit docẽs quos præstet vsus huiusmodi superabundãs sanguis. Muliebre enim genus, vt quod domi ageret, neq; vehemẽtibus laboribus exerceetur, aut sub claro sole viueret, ac ob vtraq; hæc multitudinẽ humorũ coacer uat, ipsam euacuationẽ plenitudinis tanquã remediũ naturale obtinere opus habebat. Et vnũ istud naturæ quidem opus est, alterum verò purgatio post partum contingẽs existit, licet & fœtura ipsa speciem sit euacuationis. Nã ex sanguine vteri conceptus nutriri solet. Tum verò postquàm editus est fœtus, generatio lactis in mammillis, vacuatio hæc quoque est plenitudinis non parua. Indiderunt enim prisci illi medici huic vacuationis generi nomen non à propria substãtia quidem, sed ab accidenti, nimirum, quòd singulis mensibus eius excretionem natura moliatur, ita vt siue præter naturã, siue natura supprimatur, minimè desinat mẽstruus sanguis dici. Ex his proculdubio arbitror haud obscurũ esse qualis sit mẽstruorum ratio, & natura, & quale fuerit eius purgationis principium, & naturæ decretũ in eadem excitanda. Verùm vt exactè perpendere possimus (cognita simul quæ secũdùm naturam est vacuatione) qua via, quibusue modis mẽstrualis fluor præter naturam fieri possit, operæpretium duxi, primum, quo tempore profluere ex naturæ lege teneatur: secundum, qualis sit eius sanguinis substãtia: tertium, tempus & rationem congestionis & expulsionis periodicè: quartum verò & vltimum, qualis sit locus in quo aggregatur, & per quem secernitur, explicare.

Tempus igitur huic purgationi idoneum præfiniri vnum certũ ac determinatum minimè potest: nam id profectò euariat fœminarũ natura & educatio. Constat etenim quasdam esse inter fœminas, quibus & carnis mollities & meatuũ laxitas tanta inest, vt mirum non sit, si ante duodecimum annũ menses prorũpant. Item aliæ sunt hirsutæ, graciles, & pauco sanguine & carne præditæ, vt etiam post decimum quartum, aut quintum annum menses protrahant, præsertim si viarum

angustia adiungatur. Item casta & pudica educatio, & à virorum cõsortio aliena remorari menses assolet, sicut lasciua & venereis imaginibus plena anteuertere. Nam id tempus natura huic purgationi dicauit, in quo fœminæ viri accessum & amant, & perferre citra damnum possunt. Ob id profectò Arist. dixisse constat lib. 7. de hist. ani. cap. 1. fœminis per id tẽpus exurgere vbera, quod fratare dicitur, & quæ menstrua vocantur erũpere. Et subdit. Sed menses tũc plurimi fiunt, cùm iam vbera ad duos digitos prominent, & vox eodem tempore puellarum mutatur in grauiorem. Et paucis interpositis subdit. Eit etiam vt per id tempus custodiri præcipuè debeant, maximè enim ad vsum rei venereæ incitantur, cùm hæc incipiũt. Denique prouida natura dum fœminarum corpus cognoscit, conceptui esse idoneum, mox mẽstrua pellit, signum alioqui, quo fœminas viro esse aptas cognoscimus. Qua etiam ætate prodit Hippocrat. sanguinis è naribus profusiones maribus, puellis verò menstruorum eruptiones contingere. Cui consimilem sententiam lib. 4. sermone. 4. cap. 4. Ætium retulisse constat. Qua profectò ratione (licet vt ex Paulo constat lib. 3. cap. 60. plerisque purgatio mensium contingat circa decimum quartum annum, paucis citiùs circa decimum tertium, aut duodecimum, non paucis autem tardius quatuordecim annis) constat vltra id, quod frequentiùs euenire solet, quibusdam anno vndecimo meses profluere: quas ob id censeo breuioris esse vitæ. Quòd si authoribus fides tribuenda sit, constat ex multorum testimonio, plures fœminas visas fuisse vtero gestare, dum tantum nouem aut decem essent annorum: quibus liquet, etsi maiori ex parte decimoquarto, aut decimoquinto anno menses prorumpant, nullum esse illis præfinitum tempus. Nam quibusdam ætas maturiùs prouenit, vt quæ vndecim aut duodecim annorum spatio circunscribatur, alijs verò quindecim annorum curriculum non sufficere certum est. Quare optimè dictum esse Hippocrati censeo, ætatem ab ætate differre, & naturam à natura: quandoquidem id tempus, quod vni est pueritia, alteri adolescentiam esse patet. Itaque postquam abundantiorem sanguinem, quàm pro cuiusuis fœminæ corpore necessum est, natura procreauerit: menstrua moueri tunc incipiunt. Quæ proculdubio aliquando ex cocto perfectéque consummato sanguine prorumpunt, non nũquam verò ex crudo & subalbido, præsertim in delicatioribus fœmellis, quæ potiùs purgamẽta vteri menses iamiam minantia, quam menstrua appellanda esse censeo. Cuius sanè excrementi meminit etiam Arist. lib. 1. de Gen. ani. cap. 20. diuidens menstruam purgationem in albam & rubram, illam quidem fœmellis, hanc verò perfectis iam fœminis propriam. Nec satis certè est nosse, quo tempore menses fœminis prorũpat, nisi nouerimus exactè qua ætatis parte desinant: nam hoc etiam maximi est momenti ad dignoscendos fœminarum affectus. Desinunt fœminarum plerisque menstrua quadragesimo aut quadragesimoquinto anno: quem si præterierint, mirum non est, si sexagesimum attigerint. Licet rarò fœminas à quadragesimoquinto vlteriùs fœcundas esse contingat: raro principium & finis menstruationis, & emissionis seminis fœcundus esse potest. Quod ob id fecisse naturã censeo, quia fœtus procreandi & cõficiendi calor in corporibus idoneus ampliùs reperiri non potest. Et qua ratione ante quatuordecimũ annũ (quia caloris paucitas fœtui efformando impedimento est) fœminis menstrua nõ præbuit natura: eadẽ quoq; proculdubio supprimit senioribus iam factis. Id quod eleganti paraphrasi docuerat Hipp. lib. 2. popu. par. 3. tex. 33. dicẽs. Donec ossa solida fũt mensiũ circuitus est, quæ ante hæc fiunt grauia sunt, laboribus octimestrium germana & primapararũ.

Qua

Qua sententia recẽset menstrua durare donec ossa durescant: hoc est, in senectute ac si ante hæc tẽpora subsideant & supprimantur (sic ego interpretor sequentia verba) laboribus octimestrium & primiparatum germana succrescũt accidentia. Tempus porrò durationis mensium, seu dies, quos purgatio ipsa occupat, perdiscere quoq; vtilissimum duximus: nam in hoc quidem plurium morborum ratione sitam esse comperio. Quod apertè docet Arist. lib. 7. de hist. ani. cap. 2. &. 3. asserẽs, quibusdam breui tempore, hoc est, biduo vel triduo profluere. Quod felicius existimat esse, quàm si diutiùs purgatio protrahatur: nã aliquibus sex, septemue dierum spatium occupare solet. Quæ verò ab his deficit purgatio, aut eandem excedit, morbosa est: nam fœminæ maiori sanguinis copia luxuriantes, ad quinq; septemue dies protrahunt purgationẽ. Quæ autem sanguinem crassum, copiosumque habent, & venas exiles, adhuc ad plures. Quod proprio cap. latiùs sum probaturus. Atque hæc de temporibus purgationis dixisse sit satis.

Institutum secundò fuit differere qualis sit natura & conditio sanguinis, quẽ ad menstruam purgationem in fœminis colligit singulis mẽsibus natura. De quã re veteres & neoterici varia protulerunt: quorũ multi existimarunt, menstruum sanguinẽ, omnino pernicioſa & inimica substantia cõstare. Qui in suæ opinionis confirmationẽ frequens experimentum adducunt, quo facilè probari potest, fœminas & tempore menstruationis ab agitatione fœdissimi sanguinis, & dũ menstrua supprimuntur, grauissima pati accidentia & varia. Quod rationi putant esse consonum, ex vitio sanguinis illius præter naturæ institutum retenti. Quibus etiã astipulatur Plin. qui lib. 28. cap. 7. mille monstra contingere ex menstrua purgatione profitetur: tantùm deniq; deterrimam esse menstruorum substãtiam docet, vt dum prorumpunt, maris concubitum pernicioſum efficiant, segetes marcore perdant, vermiculos, erucas, scarabæos, & alia noxia animalcula interficiant. Apes item fugari, tenellas plantas ex toto deuastari, ac flores quoq; arescere menstruantis fœminæ contactu fatetur. Item lina, cùm coquũtur nigrescere, accidereq; innumera alia mala, quæ lib. 7. cap. 15. idem author refert. Mustum etiam ex fœminæ menstruantis adhæsu acescit, steriles fiunt tactu fruges, fructus arborum ocyssimè decidunt, exuruntur hortorum plantæ, moriuntur inserta, hebetatur etiam speculorum fulgor, & eboris nitor, æs quoq; & ferrum rubigine protinus corripiuntur. Sed quid opus est multis, quandoquidẽ ipsasmet fœminas, à quibus is sanguis profluit, in numeris & grauissimis malis frequẽter corripi videmus. Quibus veluti firmissimo argumento probari potest quantũ veneni obtineat huiusmodi purgatio. Quod etiam probatum reperies ex Collumela lib. 11. Rei rusticæ cap. 3. ex Solino quoq; in Polyhistore cap. 4. & Æliano lib. Historiæ animalium, cap. 8. quo loco de campe vermiculo loquitur. Et author ille Geoponicon lib. 10. cap. 77. authoritate Democriti atque item lib. 12. cap. 20. authoritate doctissimorum medicorum. Illud tantùm dixerim, quod ex legibus Zabrorum, mulier, cui menses fluxerunt, præcipiebatur sola domi manere, crebabanturq; loca, in quibus pedem suum posuerat: neq; is tantùm pollutus erat, qui cum ea loquebatur, sed si ventus ex ea super mundum quempiam transijsset, is quoq; polluebatur: quod etiam ex Mosis Ægyptij decreto testatum reperio. Plures item sunt inter peritissimos medicos, qui licet non negent, aliquando mẽstruam purgationem esse pernicioſam, cum hoc tamen asserunt, multorũ morborũ remedium eidẽ inesse sanguini. Referunt nãque podagras, strumas, & parotidas, pãnos, sacros ignes, furunculos tractatu menstruantium mulierum liniri: sicut ex gestatione portiunculæ vestis ira

infectæ,tertianas,quartanasue febres curari:comitiales etiam morbos ac rabiẽtes ſanare illitu. Vitioſum quoque ſenſiſſe Ariſt. multo antè,cõſtat lib. 3. de hiſto. ani. cap. 19. referens eum,qui ſtatis circuitibus profunditur,genus eſſe quoddam ſanguinis vitiatum,& quaſi ægrotans:eſt enim repurgatum à puriore ſanguine naturæ beneficio,præſertim decreſcente aut ſilente luna ſecretum. Ob idque decretũ eſt medicis,menſtruo ſuppreſſo tot mala fœminis ſuccreſcere neceſſum eſſe. Cui ſententiæ aſtipulatur Gal. lib. de Tumo. præter naturam verbis expreſiſsimis. Me dicorum tamen maior pars exiſtimat,ſanguinem mẽſtruum eſſe quantitate ſolũ & copia vitioſum. Cuius ſententiæ. Galen. fuiſſe creditur. Ac ſi quis etiam Hippo. legat. lib. 1. de Morbis mulierum repetiet, menſtruum ſanguinẽ his verbis depingere. Sanguis menſtruus exit interuallis,victimæ iugulatæ ſanguini ſimilis,rubẽs. Ego autem multis rationibus aſſerere cogor,ſanguinem menſtruum eſſe expropria natura partem ſanguinis puriorem ea, qua fœminarum alitioni ſeiungit ipſa,aut ſaltem ei æqualem. Nam quemadmodum alterũ noſtræ generationis principium,ſemen nimirum,ex reliquijs vltimi & optimi alimenti ipſa eligit & adſeruat:ita profectò oportebat,alterum,nimirum ſanguinem menſtruum, puriſsimũ quoque ſeligere. Ratio etenim euidens id conuincit,ſiquidem fœtus in vtero, & iam editi infantes certo quodam vitæ ſpatio eò plus caloris innati & puriſsimi, ac humidi ſubſtantifici,& laudabilioris ſubſtantiæ habent,quo magis principijs generationis proximi ſunt. Si igitur hoc verum eſt,vt Hipp. & Galen. ac omniũ medicorum decreto euidenter conſtat:rationi conſonum videtur,noſtræ generationis principia,pura,ſyncera,laudabiliora,& optimæ ſubſtantiæ eſſe. Nequit enim quod imperfectioris naturæ eſt,materiam præſtare perfectiori. At generationis principia,conſtat eſſe ſemen & ſanguinem menſtruum, ergo eſſe naturæ perfectiſsimæ credibile erit. Præterea ob id decreuit natura prouida lac ex menſtruali ſanguine conficere,vt ſimile eſſet alimentũ fœtus principijs,quibus conſtat. Qua propter fœminis lactantibus denegauit menſtruam purgationem, vt fœtui idoneum ſubeſſet alimentum:ſed lac eſſe puriſsimam ſubſtantiam,& ex ſimili factam inficiabitur nemo. Quod his verbis probauerat Galen. lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtr. vna ſiquidem & lactis & menſtruorum ſubſtantia eſt, amborumque (vt quiſpiam dixerit) riuorum fontes communes venæ ſunt. Quod profectò euidenter conſtabit,ſi fœtum craſsiore alimento alas: nam protinus marceſcere aut deteriùs ſe habere comperies. Itaque ſi euidenti & quotidiana demonſtratione conſtat,infantes pueros præſtantioris,laudabiliorisq; ſubſtantiæ & caloris, quã matris ſubſtantia ſit,oriri: cur etiam credibile non erit, alimentum intra vterum ſumpſiſſe ex purioris ſanguinis parte. Sed eadem eſt ſubſtantia & natura illius alimenti,ac menſtrui ſanguinis,ergo perfectiſsimam eſse,rationi cõſonum videtur. Nec valet in contrarium adducta ratio de malis,quæ ex menſtrua purgatione fœminis ipſis & pleriſq; alijs rebus accidere videntur. Et adhuc certiſsimum mihi videtur puriorem ſanguinem ad menſtruã purgationem & fœtus alimoniam ſeparare naturam,quam ad peculiarẽ matris alitionem adſeruet,quòd prouideat magis ſpeciei propagationi,quã conſeruationi individui, niſi quatenus ad ſpeciem attinet. Sed euidentiori ratione id probari poteſt,nimirum ex neceſsitate & indigentia naturæ,quia adultioribus corporibus non eſt ſimile & aptum ad nutritionem alimentum ſubtilior & laudabilior ſubſtantia,& ob id adſeruat natura ad generationem perfectioris qualis eſt fœtus qui magis calore innato abundat. Hinc enim factũ eſt,vt ſeniores patres generare poſsint robuſtiores,& copioſiori calore innato

innato præditos, quòd ipſi quod in ſe laudabilius & perfectius eſt fundãt,& quòd etiam ſibi ſit diſsimile. Nam ſi quis rem diligentiùs & penitiùs conſideret, ob id profectò maiorem in ſanguine menſtruo perfectionem arguet. Ratio huius rei eſt,quia prædicta accidentia ex menſtrui ſanguinis natura ſuccreſcere credendũ non eſt,ſed ex concepta putredine:quia quo res aliqua purioris & perfectioris eſt naturæ & ſubſtantiæ,eo dum putreſcit & corrumpitur,grauiorem concipit putredinem & maius vitium. Quod in ſemine corrupto in eiſdem fœminis haud rarò ſolet accidere. Præterquam quòd id euidenter conſtat in corporibus hominum, & aliorum animantium,dum corrumpuntur:nam quo perfectior eſt hominis natura,eo grauiùs putreſcit,& fœtore ac vitio ingenti conſpurcatur. Quod etiam latiùs probabo cap. de Hyſtericis affectibus. Itaque vitioſum eſſe ſanguinem menſtruum,& veluti veneni naturam ſapere,aliunde prouenire non poteſt, quàm ex præſtantia & puritate ſanguinis,quem cùm primùm à natura ſeparatur,corrumpi neceſſe eſt. Nam cũ ſubitò & affatim neque ſeparari à reliquo ſanguine, neque excerni poſsit,ſed paulatim & ſenſim in vteri venis ad ſtatutum à natura terminũ congregetur:fit facilè,vt ibidem per integrum menſis ſpatium citra corruptionẽ eſſe non poſsit. Tenuiſsimam nanque & ſynceriſsimam ſubſtantiam facillimè alterari erat opus,ita vt quod indies aggregatur,indies quoque vitium contrahat,ac dum menſtruationis tempore prorumpit,vitioſus quoque fiat,& accidentia, quæ retulimus,mille modis pariat. Nec ob id profectò credendum eſt huiuſmodi ſanguinem ſemper, & in omnibus vitiari,ſed in ijs tãtùm,in quibus diu immoratur, & improbè expurgari contingit. Plus enim afficitur dum vna die vltra menſem fœminæ ſtatutũ,retinetur,quàm toto menſis tẽpore:quippè à natura in vaſis vteri & regulari & adſeruari aliquo modo coniectãdum eſt. Sic profectò neque omnes fœminæ,etiam ſi menſtruantes ſint,ſegetes vrunt,neque vermiculos interficiunt, aut ſpeculũ frangunt vel maculant:ſed hæc mala eæ ſolùm fœminæ faciunt, quibus aut improſperè procedunt menſes,aut deterrimum ineſt temperamẽtum, vel morbus aliquis,in quibus ſanè venenum fieri & ſibi & alijs mirum non eſt. In reliquis verò purus & integer ſanguis in vteri vaſis adſeruatur ad prægnationis tempus,ſolùm quantitate peccans,ſi fortè acciderit prægnantes fieri. Qua proculdubiõ ratione conſtat fœminas maiori ex parte concipere mox purgatione prægreſſa:nam ſanguis,qui ante purgationem in vtero colligitur, præterquàm quòd genituram vitiat,ineptiſsimus quidem eſt,vt alimẽtum poſsit fœtui præſtare, aut fœtum reddit imbecillum & morbis obnoxium. Quocirca mox à purgatione ex ſanguine denuò collecto,antequàm vitium contrahat,fœminas concipere vt plurimum contingit. Nec ex eò putandum eſt alterius eſſe naturæ ſanguinem menſtruum,& alterius eum,quo fœtus alitur,vt Fernelius arbitratus eſt: nã vtrumque eiuſdem eſſe ſortis,facilè probari poteſt. Primò,quia per eaſdem ferè vias natura in vterum tranſmittit ſanguinem menſtruum,per quas fœtui alimentum ſubminiſtrat. Quo fit vt credendum non ſit alium ſanguinem tranſmittere ad purgationem,& alium ad alitionem. Præterquàm quòd huic vſui excogitauit natura, in fœminis maiorem fabrefacere ſanguinis copiam, nimirũ, vt ſupereſſet fœtui conueniens alimentum,quem ſanguinem dum vſui neceſſarius non eſt ſingulis menſibus natura expellit. Ex quo rationi videtur conſonum eiuſdem eſſe conditionis, licet vitio ob moram contracto diſſideant. Secundo,quia non eſt veritati conſonum,quod natura vnius finis gratia præparat, eſſe diuerſæ naturæ & rationis. Si igitur & menſtrualem ſanguinem,conceptui (ſi fortè accidat) parat,& eum,qui ad

fœtus

fœtus alimoniam in vtero iam colligit, vnius finis gratia in eum locum mittit: credibile esse videtur non differre cõditione & natura. Tertiò id etiam confirmatur, quia lac & sanguinem menstruum eiusdem esse sortis & naturæ scimus, & correspondentiam ad inuicem habere, ergo vtrunque esse alimenti materiam erit verum, atque ex consequenti eiusdem rationis & naturæ. Argumento quoque est, neque prægnantes, neque lactantes menstrua purgatione fœdari, quia in vtrisque conuertitur in fœtus alimentum: vnde constabit eiusdem esse naturæ. Sed expendant quoque alterius opinionis fautores, menstruam purgationem non posse sola quantitate peccare, sed qualitate etiam & vitio maximo: idque ob rationes à me adductas. Censeo tamen illud verbum, Sola quantitate peccare (quod aliquando Galen. refert) non esse intelligendum de eo sanguine, qui singulis mensibus per vterum excernitur, quippe eum vitiari mille rationes & argumenta probant, sed de ea sanguinis portione, quam natura singulis diebus ab vniuerso sanguine separat, vt paulatim in vtero collecta menstrualem efficiat purgationem. Qui porrò sanguis nullo vitio conspurcatus, sed sola copia exuberans in vterum à natura trãsmittitur, fœtui alimentum futurus, aut in ijs, quæ vtero non gerunt, sanguis menstruus. Itaque sanguis, quem natura ad vterum transmittit, ex propria conditione purus est, laudabilis, sola copia exuberans: is verò, qui singulis mensibus per vterum excernitur, ob moram, quam ibidem cõtrahit, & ob tenuitatem & puritatem substãtiæ, ocyssimè vitiatus qualitate & copia alienus prodit adhuc in fœminis optimè temperatis.

Tertium propositum fuit docere, quæ fuerit potissima causa periodicationis huius menstrui sanguinis in mulieribus. Menstruam purgationem ideo appellari hanc euacuationem opinor, quòd frequentiùs singulis mensibus fluat. Sũt etiam qui flores eandem purgationem vocant, quia antecedit fructum fœtus in vtero gestaturi, sicut flos in arboribus fructum præcedit. Multi rursus appellarunt tempora, eò quòd statis temporibus prodeant. Qualis verò fuerit ratio huius periodicationis ordinisque, non satis apertum est, propterea quòd authores non constant in vnica cãdemque sententia: neque certè (si verum fateri velim) lex vna, neque vna ratio signari potest, quæ naturam cogat statuto tempore id moliri. Nam etsi quam legem semel statuerit natura ipsa, peruertit nunquã nisi alterata: aut mutata: cum hoc tamen, licèt in fœminis decretum sit naturam semper in vterum certã quandam purissimi sanguinis portionem transfundere, neque viæ sunt equali semper modo expeditæ, neque rursus sanguis ipse, qui colligitur, eiusdem naturæ est, neque in eadem copia, vt statuto tempore fluere teneatur. Quapropter etiam si natura semper sanguinẽ congreget: non tamen ob viarũ & sanguinis vitiũ, menstrualem legem semper seruare potest. Vnde constat frequentius singulis mensibus hunc sanguinem profluere; aliquando tertio quoque mense; & in alijs alia seruata varietate pro individuæ conditionis ratione. Ex quo illud Arist. lib. 7. de histo. ani. cap. 2. figmentum esse censeo: videlicet, ob id sexum fœmineum esse lunæ tributum, quòd ipsa crescente, huiusmodi sanguis in eis colligitur, & decrescente imminuitur, & purgatur: nam id aliter fieri euidenter comperimus: nam si verum esset, omnibus fœminis eodem ferè tempore menses prorumperent, luna nimirũ decrescente. Ego autem hac in re arbitror legem esse naturæ impositam, vt semper sanguinem illum in vtero adseruet, donec ex onere aut alio irritamento ipsa ad expulsionem glisçat. Verùm quoniam id, quod quotidie accrescit, neque eiusdẽ est naturæ & rationis, neque viæ semper æqualiter expeditæ existunt: ideo nirum non

non est, si præter legem naturæ inditam, citrà ordinem conetur ipsa illum sanguinem expellere; & aliquando anteuertat, aut remoretur, ob ea, quæ sanguini in esse diximus vitia. Nam tenuior aliquando est, nonnunquam crassior, sæpe sincerus, sæpissimè alijs humoribus permixtus, ita vt iuxta rationem consortij aliorũ humorum menstrualis sanguis tempus lege naturæ statutum euertat. Argumento quoque est, menstruam purgationem non semper æquali tempore in omnibus fœminis durare: quippe inæqualis est durationis tempus, prout fœminæ habitus, rarior, densior, tenuior fuerit, aut sanguis crassior, vel aquosior, vt latiùs paulò inferiùs docebo.

Quarum verò & vltimum propositum est monstrare per quas vias sanguis in vterum dilabatur, & per quas etiam ab eò prorumpere soleat: nam multis profluere modis, viris doctis & peritis compertum esse censeo. Dubitatum hac in re est, an sanguinis menstrui separatio ac disiunctio à reliqua ipsius sanguinis copia sit lunæ tribuenda. Cui diximus, vniuersam huius rei rationem pendere ex naturæ lege & instituto, quæ vsum propagandæ speciei non ignorans sanguinem seperat optimum, idque perpetua diligentia curat, quem per venam cauam descendentem peculiaribus eiusdem ramis huic operi dicatis, in diuersas vteri partes transmittit. Nam partim ad vteri cõllum seu cervicem, partim ad ipsius corpus & capacitatẽ, in quarum partium venis immoratur, donec tempus purgationi aptum instet, aut fœtui gignẽdo alimentũ præstari possit. Quippe hac ratione (vt statuit Hipp. lib. 1. de mor. mu.) molliusculũ, laxũ & rarũ effectũ est mulieris corpus, & lõgè viri corpus capacius & quasi fungosum, quo videlicet sanguinẽ refluentem ab vtero & ad ipsum fluxurum caperet, & eundem recipiocum cõtineret aliquantisper, siue postea propulsandus esset periodicè, siue recondendus aliquot primis diebus graviditatis, siue etiam vt par quoque erat, cumulandus esset ad nutritionem pleniorem in dies gestationis vteri posteriores, in quo, in id tempus, quo incrementum capturus esset puer amplius reponeretur, in subsidium futuri incrementi. In quo sane opere silentio prætermittere nolui, vterum nullam edere peculiarem actionem, sed vsum tantum modo susceptioni commodum præstare: non enim trahit menstruum sanguinem, cùm ab eo alimoniam suscipere non possit: ob idque natura semper illuc transmittere sedulâ diligentia curat. Neque oportebat vterum trahere, ne, quod sanguinis fœminæ esset vtile & necessariũ, etiam alliceret: satis enim est quòd huiusmodi menstruum sanguinem natura ipsa ex abundantia vtero aut fœtui largiatur. Quod sanè opus trahenti potentiæ committi, erat periculosum: sed abundantiæ & vbertati totum negotium reseruauit, vt natura ninia copia luxurians quod superest tantùm transmittat, parsimonia verò affecta, sua gratia id totum adseruet. Ex quibus euidenter constat, sanguinem in vtero non colligi vi facultatis tractoriæ, sed natura quod inundat transmittente: alioqui neq; conueniẽs neque ad tempus expulsio fieret. Verùm si quis dixerit, vterum in grauidis fœtus alendi gratia sanguinem allicere: intelligat velim, tractionem illam non esse vteri munus, sed fœtus. Nam quandocunque ex orificijs, quæ vteri acetabula dicuntur, seu venarum ora, semen vtero conceptum attigerit, statim alimentum per eadem ad se trahit. Vt apertè Galen. docet lib. de semine cap. 4. & 7. Dilabiturque sanguis in vteri cauitatem, vt singulis mensibus expurgari possit, per varios & diuersos canales in diuersis ipsius vteri partibus dissitos. Dissidétque in hac re etiam viri à mulieribus: quòd in illis omnia venarum arteriarumque extrema ad cutim ducuntur, terminanturque ibidem cute eadem claudente firmiter, nulla scilicet

hinc

hinc patente via nec riuulo foras si hæmorrhoydas exceperis vtrobique, secus autẽ longè res se habet in mulieribus: à toto enim vel exteriori etiam illo corpore extrema venarum arteriarumque ad vteri cauum pertinent & patent, magna profectò naturæ prouidentia & arte. Nam ex caua vena descendente, quæ in venarũ innumeras propagines dissecatur, duplices in vterum conductus inseruntur, quidam, ex vltimis eius diuisionibus, ex quibus & vesica & rectum intestinum & partes his vicinæ alimentum suscipiant. Qui postea in ipsius vteri ceruicem seu collũ, in parte nimirum eius interiori desinunt, sanguinemque mẽstruum in virginibus ac prægnãtibus fœminis profundunt: etiamsi alijs quoque per easdem partes prorumpere possit. Nam cùm vtriusque vteri os clausum summopere sit, aliunde menstruam purgationem prouenire rarò contingit. Quidam præterea ex altiori venæ cauæ trunco prouenient venarum ductus, qui in vteri corpus inserti, in eius cauitatem desinunt, præstaturi fœtui alimentum, & fœminis ferè omnibus sanguinem menstruum. Extamen nanque illo venæ cauæ, quæ deorsum perreptat, vt testibus, vesicæ, vtero, & plerisque vicinarum partium alimentum impartiatur, duæ disseminantur propagines: quarum alteram Siluius epigastriam appellat: quæ rursus sursum ascendit, & alteri, quæ in mammas inseritur, occurrit: altera verò propago ceruici vuluæ inseritur. Qua deductione constat consensus vteri cum mammis. Quamuis aliter iudicio nostro, intelligenda sit huiusmodi venarum cõmunio, vt alibi exposuimus. Ab hac igitur posteriori propagine interdum fluit erasior sanguis, non aliter quàm per hæmorrhoydes. Quia de causa multi, eam purgationem, quæ per has venas fit, ad vteri hæmorrhoydes referunt, alij verò, ad veram menstrui sanguinis purgationem, per quas virgines & grauidas purgari aliquando contingit: Quod in grauidis necessarium videtur ob arctissimam illam colli vteri astrictionem, fœtus continendi gratia, à natura instructam. Ex quo profectò naturæ artificio euidenter constat, non protinus abortire grauidas, quibus ex vtero gestationis tempore sanguis profluit: nam si ab exterioribus (quas primo loco retulimus) prodeat, innoxiè frequenter profluit; si verò ex interioribus, vt quæ & fœtui adhærent, & illi alimentum præstant (etsi non omnes, sed quæ in lateribus vteri sunt, vt optimè aduertit Vesalius) rarò fœtus statuto tempore in lucem editur. Est itaque verosimilius in ijs, quibus sanguis fluit, & non abortiunt, sanguinẽ per vteri ceruicis vasa excerni potiùs, quàm per acetabula dicta, hoc est, per ora venarum, quæ in vteri cauitatem desinunt: per quæ sanè & alimentum trahitur, & fœtus inuoluera fiunt. Quod Galen. lib. 1. de semine cap. 6. rectè explicuit, docens, statim inuolucra fieri, solasque eas partes supereſſe perforatas, per quas sanguinis & spiritus à venis, arteriisque maternis transmissio fieri possit: ob idque profectò indubitatum est aborsus præsagium, dum ab his venis sanguis prorumpit. Cuius contrarium euenisse millies constat in ijs, in quibus menses toto ferè gestationis tempore fluunt: quia menses veri non erumpunt, sed à fœtu in vterum trahuntur. Sanguis tamen per ceruicis venas innoxiè, dum redundat, excernitur. Vt optimè etiam aduertit Moses Ægyptius particula. 16. 19. quod etiam, sanguine fluente ex aliquibus interiorum (ex eis nimirum venis quæ in vtero vacuæ & immunes à fœtus ministerio supersunt) fœminæ non semper abortiant, verisimum est: sicut in eisdem menses quoque diu per eas partes profluere. Vt suo loco latiùs probabo. At virginibus conueniebat non expurgari per vteri interiores venas: periclitarentur enim ex concreto sanguine nõ penetrante hymenem membranam intra vteri sinus disrumpi vel grauissima accidentia, vel mortem perpeti. Quocirca rarò accidit non purgari virgines per vteri ceruicis venas. Quã differentiam, eiusq; rationem paulò inferiùs latiùs sum probaturus.

Prætereo consultò hac in parte longiùs disputare ac docere menstruæ purgationis mensuram: nam vanum esse omnino existimo, certam coniecturam, quæ illi regulam & mensuram certam assignat, statuere cùm differat corpus à corpore & natura à natura: sicut & inter se vitæ institutiones, tam eæ, quæ ad victus modũ, quàm quæ ad exercitia pertinent. Cum hoc tamen considerare oportet qualitatem, modum & quantitatem sanguinis: sed prætermissis qualitate & modo, quantitatis mensuram nosse (quantum possibile fuerit) non est parui momenti. Quamobrem purgationis quantitatem cuique proficuam ex conferentia & tolerantia potiùs metiri oportet, quàm omnibus & singulis aliquam communem & propriam præscribere. Quamquam non latet me Hippoc. depinxisse lib. 1. de morb. mul. moderati menstrui quantitatem, inquit enim: Moderati verò sunt menses prodeuntes in omni mulhere, si sana sit, vt duarum heminarum Atticarum mensura secedant, aut paulò plures, vel pauciores, atque hæc aut duos aut tres dies. Verùm vt constet meæ sententiæ veritas quoad certitudinem mensuræ, subdit paulò inferiùs: Longius autem tempus aut breuius, morbosum & sterile est. Cõiectare porrò oportet, mulieris corpus inspiciendo, & interrogare collatione facta ad priora, an semper morbosa viuat, aut non. Si enim plures, pauciores sue dies, quàm solent, prodeat, aut ipsi plures aut pauciores fuerint, morbosi sunt, nisi natura ipsa morbosa & sterilis fuerit. Si verò hoc fuerit, & ad salubriorem statum transmutetur, melius est. Quibus verbis constare arbitror, ad certitudinem quantitatis, antiquam constitutionem & propriam cuiusq; naturam considerandas potiùs esse, quàm menstruorum copiam. Quippe incerta est quæuis alia mensura: cum hoc tam statuere oporteat mẽsuram vnam temperatæ mulieri propriam vt quantum mulier à temperata deuiauerit, illi maiorem aut minorem copiam statuamus. Sic profectò Hippoc. lib. 1. de morb. mul. cotilas binas, quod alio nomine duas heminas atticas appellat (est enim hemina attica nouem vnciarũ mensura cotila quidẽ octo vnciarum mensura) mensuram menstrualis materiæ proposuit. Quam sanè quantitatem triũ dierum spatio excernere tenetur: quia facta cõsideratione plus minusve pro excessu aut defectu temperamẽti sanguinis conijcere oportebit. Sic rubicundiores mediocriter sanguine abundant, albidiores, abundantiores, nigriores minùs abundantes: quo fit vt etiam sanguinis colore differant & tempore durationis mensum, eadem coniectura facta.

De fœminis, quibus menses nunquam fluxerunt.

Cap. V.

NOn paucæ inter fœminas sunt, quibus (etiam si iam consenuerint) menses tamen fluxere nunquam: quarum nonnullæ viſæ sunt concipere, aliæ verò steriles omnino permanere. Verùm, modò hoc, modò illud accidat, quasdam ex eis conspicimus prospera & inculpata valetudine frui, plurimas verò mille affectionibus premi, omnes tamen, ablatam ex toto obtinere vteri actionem, quatenus ipse dicatus est his excremẽtis excernendis. Expendere

dere autem seorsum vnumquodque horum membrorum, causasque ad vnguem exequi, vtile & multis vsibus necessarium fore duxi. Primo igitur loco subeat in examen, quî fieri possit fœminam non menstruantem non concipere. Cuius dubitationis ratio in promptu est: nam si menstruæ purgationis potissima causa in fœtus vsum & gratiam à natura dirigitur, constat dum deficit, conceptum fieri non posse, quoniam caret natura, ea sanguinis redundantia, qua præstatura est fœtui alimentum. Cui dubitationi respondemus in medium adducta Arist. sententia 7. de histo. ani. cap. 2. quæ se habet in hunc modum. Nonnullæ etiam dum profluunt menses, concipiunt, posteà concipere nequeunt, quibus vulua statim à purgatione comprimitur. Et post modum inquit, Conceptus mulieribus à profluuio menstruorum sua nutura contingit, & quæ his carent, steriles magna ex parte consistunt. Verùm fieri potest, vt aliquæ etiam sine eorum affluuio concipiant, vi delicet, quibus tantum humoris colligitur, quantum ijs, quæ purgantur, restare solet post purgationem: quanquam non tanta copia est, vt foras possit effluere. Alibi etiam hoc idem asserit, dicens: Impossibile est concipere sine menstruorum excremento, quod aut redundans foras profluxerit, aut intus satis sit. Ex quibus locis constat quàm difficile sit credere fœminã vtero posse gerere menstruis carentem: licet aliquando contingat. Sed, vt clarior doctrina euadat, dicimus menstruorum defectum duobus modis posse considerari, vno quidem, dum fœmina natu grandior facta, omnino mensibus caret: quam procul dubio concipere contingit rarò, etiam si tantum sanguinis eidem insit, quantum alijs, quæ concipiũt, post menstruam purgationem supereſt: eò quòd natura non solùm ad fœturam progignendam prærequirat sufficientem in fœmineo corpore sanguinis copiam, sed etiam exposcat eiusdem debitam quantitatem in vteri vasculis, lequi atque ora vasorum, quæ in ipsum vterum degenerant, patentia, vt ab eisdem instillet id sanguinis in vterum, quod inuolucris eformandis sufficiat, ac etiam pernia & libera via ad alimenti delationem. Quibus omnibus, quæ proficua & necessaria sunt fœtus formationi, carerere huiusmodi fœminas necesse est, præterquam quòd rarò contrarium accidere constat, & Galeni principijs non videtur admodum consonum. Secundo modo fœminam menstruis carere, & posse concipere existimamus, dum ante debitum menstruationis tempus viro concumbit. Quod aliquãdo contingere vidimus. Nam etsi semel natura menstruum sanguinem in mense excernat, sæpius tamen ac diu eundem in vtero & venis ei proximis congregat, ita vt mirum nõ sit, si ante tempus menstruis dicatum, fœmina ex adseruato huic vsui sanguine concipere possit. Omitto breuitati consulens plures fœminas, quas dum nouem, decem, vndecim, duodecimue essent annorũ concepisse mẽstruis nondum incipientibus, viris doctis & grauissimis compertum esse video. Quod profectò haud innoxiè fuisse factum credendum est: nam statutum habet natura huic ministerio tempus, quod quæ anteuertit, non citra damnum faciet. Quando quidem menstruorum profusio, certissimum & euidens signum est, fœminam esse viro maturam, vt ex Galen. apertissimè constat lib. de dissectione vuluæ, qua parte ex intẽpestiuo viri accessu sterilitatem & varia mala succrescere docet: etiamsi, vt dictum est, aliquando huiusmodi fœminas concepisse visum sit.

Secundò diligẽter expendisse oportet quæ sit potissima causa, propter quã plures fœminas innoxiè viuere citra menstruorum affluxum conspiciamus. Cuius difficultatis gratia credendum est, duplicem esse in genere defectus menstruorum causam: alteram toti corpori communem, alteram verò soli vtero peculiarem. Illa quidem

quidem ijs fœminis, quæ inculpatè degunt, propria est, hæc autem ijs, quæ laboriosè viuunt, peculiaris. Prima sanè est naturalis totius corporis temperies & substantia, partiumq; omnium configuratio. Quæ omnia cùm alicui fœminæ insunt æqualia, ita vt cuique membro pro dignitate & natura, habito respectu ad totum corpus, insit ea configuratio, substantia, & temperies, quæ cum alijs membris conueniat iuxta corporis, cuius sunt partes, naturam & conditionem, necesse profectò erit quoduis membrum trahere, conficere, & expellere quod sibi proficuum fore nosci t. Ex quo infertur, fœminas huiusmodi habitu præditas superabundante hoc sanguine ex natiua forte carere, præsertim si solidæ sint carnis, exercitio deditæ, & calore abundantiores, quas viragines nuncupare, haud ab re fuerit. Atque cùm ex communi corporis temperie, & cuiusque membri propria constet parum aut nihil in corpore redundare, idque facilè per insensilem halitum vi caloris digeri, & vterum etiam robusta constare natura, ita vt nihil superflui admittat, fit quidem facilè, vt cùm neq; corpus transmittat, neque vterus suscipiat, fœminas menstruis carentes innoxiè viuere conspiciamus, etiamsi quibusdã senectute aduenientẽ visum sit, articulares affectus & paraplexias, aliaq; accidentia eueniſſe. Quòd si compositio hæc & temperies fœminæ cui ineſt, optima sit & sana: cum hoc tamen sexui & speciei morbosa & præter naturæ institutum existit: & ob id, vtcunq; menses non fluant, morbosum esse existimo. Quibus accedunt hæ fœminæ, quas Ætius recensetlib. 4. cap. 51. Refert enim, pingues à natura fœminas magis esse reliquis exangues, minimasque obtinere venulas: quò fit, vt sanguinis nihil supersit præterquàm, quòd si quid eius abundet, ócysimè in pinguedinem concrescit: inquit enim idem author. Quomodo ergo purgabuntur quæ neque sanguinem, neque venas amplas habent. Annumerat etiam graciles fœminas, in quibus nihil penitus abundat ob gracilitatem, quæ ex diuturno affectu contracta nihil superflui habet. Quod intelligendum est de gracilitate, quæ ex morbo facta, cõnaturalis reddita est: nam aliter menstrua solùm ad tempus supprimit, non semper. Secunda verò causa, quam soli vtero conuenire diximus, ob id morbosa est, quia etiamsi naturalis sit, dissident tamen multùm ob eam vterus ab alijs corporis partibus & tẽperie, conformatione, aut situ: ita vt licet corpus sanguine menstruali abundet, vterus tamen ex natura improbè constitutus suscipere ipsum aut expurgare nequeat. Accidit enim frequenter vterum ex natiua constitutione ea temperie aut figura vel situ esse efformatum, vt officio proprio vti minimè valeat: quo fit, vt redundans ille humor multarum calamitatum author existat. Neque huic damno obstat vitium esse naturale: nam ex eo id mali etiam præstat, nimirum vt curari minimè possit. Et profectò hæc differẽtia inter vitia naturalia toti corpori communia, & ea, quæ alicui parti propria existunt, quòd illa salubritatem impedire minimè possunt, hæc verò nequeunt nisi insalubria existere. Exemplo est corpus proportionale infrà medio cre paruum, aut supra id magnum: nam neutrum dum proportio inter omnia membra adseruatur, erit morbosum, aut deforme, etiamsi paruum aut magnum sit. At verò corpus quoduis, cui aliquod membrum magnitudine aut paruitate ab alijs, nulla seruata proportionis lege, dissideat, morbosum censeri iure optimo debet, licet cætera membra innoxia sint: crus enim alterum, quod alterum excedit, brachium, aut oculum, actionibus officere est necesse. Sic vterus (etiamsi ex natiua constitutione id vitium contrahat) dum dispari temperie ab ea, quæ pro corporis ratione illi erat proficua, afficitur, aut figura, immoderatione vel à reliquo

corpore diſsidet,menſtruorum morboſam retentionem ac periculoſiſsimam procul dubio efficit. Atque hi ſunt modi,quibus diſpari ſorte fœminæ mẽſtruis carentes afficiuntur.

Cauſæ. Eſt igitur morboſæ menſtrorũ priuationis cauſa multiplex (vt dictum eſt) cuius contemplationem præmittere oportet,ſi recta medendi ratione vti velimus. Prima eſt vteri temperies nimis calida,quæ ſuperaſſatum ibidem ſanguinẽ,ineptũ fluxui reddit:quem eâdem in parte immorantem in vteri ſcirrhum,cancrum,aut alios tumores præter naturam degenerare haud rarò cõſpicimus. Deinde cũ vterus plus ſanguinis ſuſceptare nequeat,fit facilè,vt per vniuerſum corporis habitũ inundet,ac vitioſus factus in varios affectus degeneret iuxta corporis apparatũ,& natiuam conditionẽ:quippe in aliquibus degenerat in cutis fœditates, in alijs in grauiſsimos articulorũ dolores,pleriſq; autẽ in varias & multigenas epilepſiæ ſpecies,quibuſdam verò in grauiſsimos capitis dolores,aut vitium aliquod cordi aut ventriculo infenſum. Proficiſcitur quidem hoc intemperamentum aliquando ex natiua conditione,nonnunquam verò ex grauiſsimo aliquo morbo,quem fœmina in pueritia perpeſſa fuerit. Quod quidem malum alijs ex ſiccitate euenit, alijs quidem ex praua vteri figura,vt inferiùs latiùs ſum monſtraturus.

Signum. Dignoſcitur autem cauſa hæc ex frequentiſsimis & grauiſsimis vteri doloribus, quales feruidus ſanguis aliquo loco incluſus efficere ſolet, ex totius ventris ardore,ex purgamẽtis vteri,quæ ſimillima ſunt colliquationi rubræ,fœtidæ,itẽ ex ſubſtãtia acris & erodentis humoris:quibus frequẽter vteri os & pudenda exulcerari cõtingit. Quippe in his fœminis nõ ex toto vterus clauditur,vt nihil percolari poſſit: ſed citra ordinem & menſtruam periodum huiuſmodi purgamenta nõ quidẽ innoxiè exeunt. Dignoſcitur id etiam ex partium genitalium ardore,aut ſqualore,& gracilitate,ac veluti tenſione & duritie. Quibus item partibus ineſt pilorum craſſorum & nigrorũ maxima copia:nec non & grauis odor veluti carnis aduſtæ. Quod profectò vitium frequẽtiſsimè in cancrum degenerat,& in maligna ipſius vteri vlcera.

Curatio. Curandi verò methodus & ratio,duplex eſt, altera, quæ vterum præcaueat ab his malis:nam cùm iam dictorum aliquod præeſt,peculiarem requirit curandi rationem,quam reperies proprio cap. lib. ſequenti de vteri affectionibus: altera rurſus quæ ſuperabundantem ſanguinem minuat,& in vtero iam contẽtum ſenſim & leniter diſcutiat & attemperet, quam præmittere in hac curatione neceſſum eſſe cenſeo. Victus primò huiuſmodi fœminis is optimus erit, qui frigidus cũ ſit, parcus etiam,aut ſaltem quantitate modicus exiſtat:hoc quidem vt auarior facta vniuerſi corporis natura,minùs aut nihil in vterum trãſmittat:illud verò vt & ſanguis frigidior factus vſtioni ſit ineptior,& ſenſim ac paulatim vteri temperiem mutare poſsit. Ob id pullorum carnibus,arietis,aut vituli vti eſt opus, & ex oleribus quæ frigida ſunt admiſcere,& eiſdem ſeorſum vti ac malis granatis, arantijs, & quæ conſimilis fuerint naturæ. Bibant aquam radicibus ſcorcioneræ,aut hordeo, aut ſaccharo decoctam. Somnus ſit aut moderatus,aut moderato paulò breuior: Exercitium ſit partium tantùm ſuperiorum, quale fœminis vitam agentibus ſedentariam proprium eſt. Iram & animi perturbationes arceant,& frequentẽ deãbulationem. Locus habitationis ſit temperatus,aut temperato frigidior,irroratus ſemper frigidis aſperginibus & olfactui gratis.

Verũ licèt in huiuſmodi fœminis rarò aut nunquã menſtrua mouere tentandũ ſit,ſaltẽ medicamentis id valẽtibus,ne maior fiat aut ſanguinis ad vterũ attractio, aut

aut efferueſcentia & vſtio:erunt tamen huic vſui apta pharmaca omnia, calidæ naturæ. Cum hoc tamen ſanguine miſſo per conuenientem regionem, nimirum per tali venas bis,terue in anno menſtruum euocare eſt neceſſum,tum vt vterus nitatur ſucceſsione eius, quod euacuatur,aliquid etiam expellere:tum verò vt ſi quid nimium obtinet, ſanguine detracto ad meliorẽ ſtatum reducatur:hac enim ratione ventilatis illis partibus minus exuretur ſanguis ibidem contentus. Quòd ſi diſſueſcere naturam ab vtero voluerimus,vtiliſsimum fore cenſeo ex dextra aut ſiniſtra ſaluatela,vel ex vtraque ſemel aut bis ſanguinem interpoſito eodem modo tempore,extrahere. Atqui cùm in his corporibus rationi conſonum ſit, plurimũ fæculenti & aduſti ſanguinis redundare,idque prope vteri partes, vtiliſsimũ eſſe cenſeo incuntibus vere & autũno hæmorrhoydes excitare, ſanguinemq; per eas effundere. Quòd ſi adhuc ſpurciſsimum aut plurimum ſanguinem per corpus inundare cognouerimus,mollibus frictionibus (præſertim ſuperiorum partium) & frequentibus aquæ dulcis temperatè calidæ balneis vti neceſſum erit:tùm vt ad vterum tranſmittere natura diſſueſcat euocata ad partes cutis extimas: tùm verò vt ibidem redundans ſenſim & placidè per halitum digeratur:tùm etiã vt vteri ardor mitior factus vrere ſanguinem deinceps deſinat,& ſi quid eius continet, inſenſibiliter pellat. Præſtabit quoq; nõ mediocre commodum apozematũ frigidorum vſus,qualia ſunt quæ conficiuntur ex aquis ſtillatitijs frigidis,aut decoctis cum ſyrupo roſarum,portulacæ,borraginis,& cichorij:quam etiam gratiam epithemata hepati adhibita præſtare ſolent. At vteri maxima habenda eſt prouidentia,ne eius vitium in aliquod grauius degeneret:& ob id curandum eſt humidis,temperatis, & leniſsimis medicamentis eiuſdem vias dilatare,reſerareq; vaſorum oſcula,vt liberè ſanguinis aliquid exire poſsit, aut ſaltem eius calor attemperari,& in meliorem habitum,ſi natiuum fuerit vitiũ,mutari. Quapropter primò ventrem inunges in ima eius parte oleo violaceo ſepties aqua roſacea loto,& lacte muliebri admixto:idem præſtabit oleum amygdalarum dulcium aqua etiam ordei elotũ,& oleum cucurbitæ ac roſarum.

Quòd ſi compoſitis vti voluĕris,facile erit ex prædictis oleis vnguenta, aut linimenta cõficere,adiectis aſſũgia anatis,lacte caprilo,butyro vaccino,cum ſuccis portulacæ,ramentis cucurbitæ viridis,aut foliorũ violarum cum modica cera. Præſtat item ceratũ ex eiſdem rebus cõficere,cui fœmina aſſueſcat:quod tanquã peculiare præſidiũ,& minus importunum probo. Ex vſu quoque ſunt fotus ex dulci aqua mediocriter calida aut temperata,præſertim ſi in ea ferbuerint lactucæ, portulacæ,& violarum folia,necnon & papaueris folia,& cucurbitarum ramenta, ac lenticula paluſtris. Eundem etiam vſum præſtant inſeſsiones & euaporationes, quas ex temperatiori aqua prædictis rebus decocta fieri neceſſum eſt. Quòd ſi velis ſimul attemperare vterum & eius vaſa reſerare,commodum, quoq; erit, decoctis prædictis addere capillorum veneris comam,aut mercurialis pugillum,vel artemiſiæ modicum,præmunito tamen prædictis euacuationibus priùs corpore. Cõfert non minùs clyſterium refrigerantium vſus,præſertim cùm fœmina it dormitum: nam hæc optimè vteri intemperiem citra vllum incõmodũ corrigere nata ſunt. Cuius cenſus plura reperies lib. noſtro de auxiliorum indicatione.

Siccitas. Siccitatem,ſi ex diuturnis pueritiæ febribus, aut obſtructionibus contraxerit vterus,ita vt collapſis aut corrugatis meatibus ſanguis profluere non poſsit, cognoſces haud difficulter ex præcedentibus affectionibus, ex totius corporis macie, ex partium externarum gracilitate, ex pudendis partibus gracilibus: quas in

virginibus craſſas,prominentes,& carnoſas eſſe compertũ eſt.Itẽ quia huiuſmodi fœminæ ne minimum quid per vterum excernunt,imbecilles ſunt, languidæ, & leuiſsimis laboribus defeſſæ.Item procedẽte morbo partes externæ craſsiores reddũtur,veluti quodam malo habitu affectæ,vtero nihil ſuſcipiente ex partibus ne queuntibus vitioſum illum ſanguinem conficere.

Curatio. Curabis hãc ſiccitatem,& mẽſtruam purgationem fortaſſe prouocabis humectiori facto vtero,ſanguineq; ad ipſum euocato.Illud quidem efficies non ſolũ cibis & potibus humectioribus & optimi nutrimẽti,ſed balneis frequentibus ex dulci aqua confectis,inunctionibus ex oleo violaceo,amygdalarum dulcium, ſeſami no ſæpiſsimè lotis,& reſumptiuo vnguento & ex eo etiam,quod conficitur ex prædictis oleis,ex mucillaginibus pſyllij,ſeminis citoniorum, limaciarũ cum modico oleo liliorum alborum,aut cerato ex eiſdem confecto.Prodeſt etiam clyſterem ex prædictis oleis injicere,aut iuribus pinguibus, præſertim ſi fiat ex extremitatibus hædi,capreoli,aut ex decocto coclearum.Item ex butyro,ex lacte, ex decocto altheæ,maluarum,& ex ſucco portulacæ cum oleo amygdalarum dulcium,aut ſeſamino. Sanguinem fortaſſe vocabis ad vterum frequentibus deambulationibus, eis tamen,quæ laſsitudinem non afferant:item frictionibus moderatis ſupra vteri regionem factis:nã ijs auxilijs calor moderatus in eãdem parte excitatur, quibus partes collapſæ dilatantur,vt alimentum & ſanguis menſtruus eodem etiã calore & frictione euocatus,facilè ſubire vaſa poſsit,& in vterũ deinceps prolabi. Vacuationes omnino in hoc affectu fugere oportet, alienæ quippe ſunt à corpore ſiccitate laborante.

Deprauata figura. Menſtruis frequentiùs fœminæ carẽt ob vteri deprauatã figurã:præſertim ſi ex natiua conformatione proficiſcatur.Vt Gal.aduertit lib.3.de cauſis ſympt. cap. 4. Nam qua ratione mõſtruoſam cõformationẽ in mẽbris exterioribus factã frequẽter cõſpicimus,eãdẽ prorſus in interioribus idẽ accidere ſolet.Sic vterus deprauatam ſi ſortiatur figurã,mirũ non eſt,ſi proprijs munijs probè fungi nõ poſsit, præcipuè ſi aut vaſculis aut foraminibus careat,aut perperã ea habeat figurata,aut à debito loco auerſa,aut vtcunq; cõtorta,ita vt ſanguis,quẽ natura in vterũ defert,prorumpere minimè queat.Quod nõ rarò ex diuturna obſtructione,ex caſu, ex ictu, aut alio quouis accidenti euenire quoque poteſt. Cuius affectionis cauſas noſſe difficile non eſt,ſi quis primò expendat priuationem prædictarum cauſarũ: nam ſi nullum earum ſignum affuerit,rationi conſonum videtur vitium omne in partium deprauata figura ſitũ eſſe:præſertim ſi fœmina in cæteris ſana appareat,optimi coloris,& boni habitus,& cum hoc accidentibus infeſtetur grauiſsimis,ventris tumore,dolore,tenſione,& grauitate.Quòd ſi figuræ vitium ex antiqua & inueterata obſtructione,ac ferè natiua facta prodierit,faciliùs adhuc id poſſe dignoſcere ſperabis:nam viſcerum obſtructorũ propria & peculiaria exiſtunt ſigna.Quorũ meminero cap.proprio.de vteri obſtructione.

Curatio. Hanc autem cauſam,diuerſam à prædictis expoſcere curationẽ notiſsimũ eſt. Nam in eadem nullis medicamentis vterum tractare oportet,neque vllã eius habere prouidentiã,eò quòd ſit ex ijs,quæ ex natiuo vitio alioqui irreparabili, prodit.Sed omni ingenio curandum eſt,redundantem ſanguinem aliò transferre vel imminuere,antequam aut in vitioſum degeneret,aut in morbum aliquẽ prorumpat.Obidq; tutiſsimum in his fœminis eſt,ter quaterue ſanguinem ſingulis annis extrahere ex brachijs quidem maiori ex parte, aliquando verò ex talo, videlicet cùm vterus ex vitiato aut copioſo ſanguine ibidem redũdante, affectũ contrahit aliquem.

aliquem. Atque ea ratione cauendum ſemper eſt,ne in vterum irruat ſanguis,eodem(vt dictum eſt)extracto,& retracto per brachiorum venas. Quòd ſi fœmina (licet ſanguine abundet)viribus careat,ita vt nequeat harum vacuationũ frequẽtiam perferre,curandum profectò eſt,alijs auxilijs copiam minuere, nimirum victus parſimonia,ac frequentioribus exercitijs,quibus parum ſanguinis generetur, & ſi modicum quid redundat,exercitij viribus euaneſcat. Auertere etiam ſanguinẽ à partibus internis ad extimas proficuũ eſſe,ipſa rei natura docet:cui vſui molliter vniuerſum corpus perfricare oportet,præſertim ſummo manè,ſinguliſq; diebus:nam præter id,quòd frictio mollis ad extimas partes humores allicit, diſcutit etiam eorum non minimam partem.Idem quoq; beneficium præſtare cognoſcimus aquarum dulcium balnea modicè calida temperata:quibus fortaſſe maiorẽ redundantium humorum reſolutionem moliri poterimus: quæ quidem auxilia in fœminis,quæ viro vtuntur,prodeſſe,mihi non eſt dubium:præſtat etiam nõ parua vacuationem viri acceſſus.Verùm in virginibus,& caſtis ac pudicis viduis ea ſufficere non poſſe,experientia comperimus.Quamobrem prædictis auxilijs addere oportebit ea,quæ virtutem habeant ſanguinem aliò transferendi, vt natura ab vtero diſſueſcat,& copia quodammodo minuatur. Cumque tantùm in ſanguine ad vterum tranſmittendo ſemper innitatur natura ex inſita ſibi lege, neceſſum profectò erit per partes vicinas deriuationẽ moliri,ne dum ad diſtantiſsimas retrahere conamur,tantũ vterus ſuſcipiat, quantũ generandis alijs morbis ſat ſit. Quocirca in naturalibus vacuationibus ſuppreſsis antequam in morbum aliquẽ degenerent,tutius & certius erit præſidium,per vicina deriuare:vt quod ex naturæ lege ibidem tranſmittitur,per proximam regionẽ excernatur.Sic in huiuſmodi fœminis aut hæmorrhoydes excitare,aut fonticulas crutibus aperire,indubitatum extitit ſemper auxilium,milleq; experimentis comprobatum.

Cæterùm ſi ex inueterata obſtructione & ferè natiua facta malum oriatur,non erit ab re præter auxilia,quæ nuper diximus,aliqua vtero adhibere ex ijs, quæ obſtructionibus auferẽdis proficua ſunt.Quod item obſeruare fas eſt in ijs fœminis, quibus inſtante aut incipiente primitus menſtruo,ex graui aliquo ſympthomate, aut animi pathemate in totum ſuppreſſum fuit. Quorum omnium latiùs meminero cap.de vteri obſtructione.

Verùm quia rarò medicus accerſitur, niſi dum à prædictis cauſis iam aliquod graue accidens ſuboritur, qualia ſunt quæ frequentiſsimè accidere ſolent: neceſſum eſt noſſe eadem mitigare. In quare duo potiſsimùm animaduertat lector: primum, nullam eſſe aliam potiorem ſubueniendi rationem,quàm ad cauſæ principium deuenire, eidemque ſemper inniti:nam ceſſante menſtruæ purgationis redundantia, aut vitio, protinus mala ab his proficiſcentia ſubſidebunt. Secundum,quòd licet neceſſum ſit aliquando poſt habita cauſa ob imminens periculũ, eadem accidentia mitigare,& alijs auxilijs vti,quæ longè ſunt à prædictis diuerſa, iuxta accidentis naturam & varietatem : cum hoc tamen ab optima ſcribendi ratione alienum mihi videtur, eorum hac in parte meminiſſe. Præſertim cùm inſtitutum ſit,vnicuique ſeorſum proprium caput dicare, vt paulò inferiùs reperies.

De ijs, quæ clausa habent genitalia & vterum. Cap. VI.

ALio quoque vitio (etsi rarò) affici fœminas cõspicimus: quippe nonnullæ genitalia & os etiam vteri perforata non habent, sed omnino, aut maiori ex parte clausa, ita vt neque viri accessum ferre possint, neque concipere, neque rursus purgari: quas non perforatas medici appellarunt, & quæ huiusmodi affectum patiuntur fœminæ Atritæ appellantur etiã à Galen. lib. 3. de cau. sympt. cap. 4. Albucasis verò lib. 2. Methodi, barbara lingua Alratica nũcupauit, Rasius vocauit huiusmodi affectum Ractam, & Arabes cum Auicen. clausuram. Ætius autem peculiare caput huic malo dicauit, de vtero non perforato inscriptum. Quod sanè vitium cùm vniuersum ferè fœminæ vsum auferat, peculiarem prærequirit diligentiam, præsertim cũ præter vsus commoditatem, quam interdicit, grauissimorum morborum soboles existat. Cuius affectus natura in deprauata membri configuratione sita est, in ea specie, quæ ad occlusos meatus refertur, etiamsi plures sint fœminæ quæ stricta adeò habent genitalia vt nec viri congressum admittant, nec ferre possint. Fatentur quidem Græci & Arabes omnes quotquot huius mali meminerunt, fœminas tribus modis posse claudi, vno quidẽ in pudendi alis, siue labijs: altero verò in ipso pudendi sinu: tertio denique circa vteri ipsius osculum. Sic enim inquit Auicen. 21. 3. tracta. 1. cap. 4. Clausura est, cùm per os matricis eius descẽdit aliquid, quod prohibet coitum ex re addita lacertosa, aut pãniculosa forti, aut est illic incarnatio ab vlcere, aut creatione, aut illud, quod est inter os vuluæ aut os matricis est secundũ vnũ & eundem horum modorũ, aut est super os matricis eius, quod prohibet impræg-nationem & exitum menstruorũ ex panniculo, aut incarnatione vlceris, aut quod est eis simile: aut meatus non est inuentus in creatione, ita vt accidat virgini, cùm incipit menstruari, vt non inueniant menstrua meatum propter aliquam harum causarum. Ac postquam has omnes differentias adduxit, subdit præsagium, & inquit. Quare accidunt ei dolores & ægritudo magna. Si ergo non ingenietur ei, redit sanguis, & denigratur mulier, & præfocatur, & moritur. Refert etiam paulò inferiùs curationem non contemnendam. Cuiusdam etiam clausuræ meminit Hippoc. lib. 1. de morb. mu. dicens: Si mulier non excipit semen viri, etiamsi perio dicè secundùm naturam menses ferantur, suspicio quidem est quòd membrana propendet pro foribus vteri. Quibus verbis constat tertiæ illius clausuræ alter modus, nimirum cùm non integra est, sed aliquid habet peruium, eo tamen modo, quòd menstrua profundantur, semen verò susci pi non possit, quòd pendula sit ab ostio vteri ita venientibus mensibus introrsum cedat, semini verò extrinsecus occurrenti obsistat.

Hoc profectò vitium, cuiuis parti insit, ab altera duarũ causarũ proficisci conperimus, aut ab exulceratione, vtcunque fiat, si in eadem parte præcesserit, cuius labia coaluerunt, vel callo obducto indurauerunt, aut à tumore aliquo in scirrhi naturam indurato, aut carne aliqua in eadem parte superexcrescente: quibus aut partes illas coalescere, aut coniungi, & foramen seu meatum naturalem occludi est neces-

necessum, vt ex Auice. paulò ante retulimus, quã affectionem phymosim appellarunt Galen. 9. localium phar. cap. 6. & Paul. lib. 6. cap. 72. Secundò autem ex naturæ defectu & monstrosa conformatione proficiscitur, quod aut materiæ vbertate, aut naturæ vitio in prima fœtus formatione effingitur, adnascente prædictis partibus carnosa vel membranosa aliqua substãtia, aut factis ex toto occlusis, & citra foraminis aliquod vestigium: aut si vestigium existat, addita tamen membranosa aliqua tunica, qua vniuersum foramen protegitur. Quam quidem membranulã fert Sauanarola aliquando ex panniculo femur cooperiente fieri. Sed longè distinctiùs Paulus lib. 6. cap. 72. causas & rationem huius mali exequitur, dicens: Genitales mulierum partes claudunturinterim ex natura, interim ex accessorio morbo quodam præcedente, aliàs in imo, aliàs in alis, sæpe etiam in medio spatij, idque aut secundùm naturam, aut ex obstructione. Quod autem foramen intersepit, intercludit que, vel caro vel membrana est: sed specialiùs causas recenset lib. 3. cap. 73. Quo etiam in loco præsagium & dignoscendi rationem adfert, ac leuem quandam curationem, quam ego etiam suo loco referam.

Dignoscendi verò ratio (præter affectus notitiam, quæ manifesta est ex mensiũ perpetuo defectu, licet Moschio asserat aliquando menses fluere: nam sanguis qui prosilit ex vteri ceruice, à marisci s potiùs quàm ab vtero profluit. Quo fit vt sic affectæ, ex sanguinis suppressi vbertate nigriores fiant, vt docuit Auice. sed sat est viuidum amittere colorẽ non enim semper in nigrum mutatur, quo disidere à mẽsium suppressione cognoscimus, & ex tumore & dolore partium pudendarum ad vterum menstruis confluentibus, & ibidem detentis, quo à deficientibus mensibus distare scimus) non vnica est: nam primùm docere oportet qualis naturæ sit causa: deinceps quo in loco ex ijs, quæ retulimus, existat. Causam igitur fuisse solutam vnitatem (cuius extrema coaluerunt, aut callum contraxerunt) præcedens vulneris occasio haud obscurè monstrat, veluti ictus, casus, vel ab aliqua re scindẽte, contũdenteue percussio. Tumorem præter naturam, aut carnem supercrescentem facilè ostẽdit sensus partis: necessum enim est, si quid intercidit inter ea, quæ naturalia sunt & contigua esse tenentur, protinus sentiri, tanquam quid extraneũ & à natura alienum partique superadditum. Scirrhosum & induratum tumorem cognosces etiam, ex præcedente inflammatione, ac dolore, & ex partis duritie. Verùm si natiuũ fuerit vitium, ex priuatione prædictorũ signorũ perdiscere prõptè poteris: nam his deficientibus, rationi consentaneum videtur, ex natiua sorte vitiũ proficisci. At non ita facilè distingues qualis sit affecta particula, videlicet, quę illarum trium partium (quas superiùs retulimus) clausa sit. Quod in virginibus & fœminis, quæ viro orbatæ sunt, aliter quàm per visum speculo immisso perdiscere minimè poteris: in alijs tamen, quæ viro accedunt, affecta sedes facilè dignoscetur, ex defectu nimirum alicuius actionum, quas & pudendum & vteri collũ præstare habent. Præbent namque hæ partes hos vsus, videlicet, viam ad conceptum, coitum, & sanguinis menstrui exitũ: quare ea fœmina, cui pudendi labra tunica intercludũtur, prædictis munijs destituta est. Nam cùm coire non possit, neque item concipere neque menstrua purgare. Verùm si viro vti possit, cum hoc tamen menstruam purgationem non pellat, sed ocyssimè semen à viro eiaculatum decidat, haud leue est argumentũ, pudẽdi sinum clausum esse. Quod si in ipso vteri ostiolo fœmina idem vitium patiatur, concipere neutiquã poterit: benè tamẽ menstruã fundere purgationem: quoniam, vt superiùs probatum est, in virginibus & prægnantibus menses profluere per venas, quæ in vteri collũ desinũt, optimè possunt.

Itaque non inconuenit fœminam esse clausam & viro vti,ac menstruis probè purgari, dum in vteri osculo vitium præfuerit:sed concipiendo apta minimè quidem erit.Atque hæc sunt signa,quibus clausas fœminas nosse, haud difficilè erit,& quibus clausionis locum distinguere promptè poterimus.

Curatio. Cùm propria huic affectui curandi ratio chirurgis magis quàm medicis vsu veniat,non est mihi in animo in eadem plurimùm immorari:sat erit medendi rationem in genere cuique causarum propriam docere, si priùs dixero Paulum li.6.ca. 72.ad scissionem reduxisse vniuersam eius curationem . Sed lib.3.cap.73.specialiùs hæc scripsit . Loci muliebres circa ipsorum os clauduntur vel ex præcedente exulceratione,vel in scirrhum durata inflammatione. Curabuntur insessibus,qui emolliant ex hydræleo, & fœnugræci decocto, consimilibusque cataplasmatis & pessulis.Porrò inquit,Si malum inueterauerit,suffimentis, vaporibusque ijs,qui ex aromatibus conficiuntur,vtendum erit. Iã verò soluit hoc vitium, cũ nil aliud sit, quàm vuluæ ostili astrictio,pessulus ex hyssopo,nitro,resina, & terebinthina. Sed ad medendi methodum iam accedo.Præcedens igitur vlcus, cuius ratione partes callum contraxerunt,aut coaluerunt, nouare iterum oportebit, vt separatis partibus,quæ coaluerunt, adhibita deinceps maiori diligentia ,antequam partes congrua cicatrice obducantur,separatè coalescant ; quod fit instrumento quodam ad virilis membri similitudinem efformato, confecto quidem ex lineis filamentis, in spersis verò puluisculis & medicamentis,quibus inducendæ cicatricis vis insit.qualia diximus lib.2.de Indicatione præsidiorum.Verùm si callum partes vlceris contraxerint,abscindi scalpello callosam substãtiam medendi ratio postulat. Deinde, eisdem medicamentis leuem cicatricem inducere, quæ nulli partis officio impedimento sit.Quodsi vteri aliqua pars ex ijs, quas retulimus, in tumorem induruerit, mollibus medicamentis rem agere primò oportebit, quibus & tumor mollior factus,faciliùs per insensilem halitum ope resolẽtium auxiliorum euanescat,partiumque meatus subinde reserentur , dilatenturque partes ipsæ ,quantum propijs ministerijs opus fuerit. Præmittenda tamen sunt cataplasmata & encatismata emollientia, quæ parantur hydræleo,& fœnugræci elixatione. Cui etiam vsui deseruiunt pessi, suffitus,lotiones,& pleraque alia, quæ cap.de vteri scirrho & inflammatione docebo . Solent etiam melicerides,& atheromata,& steatomata in ipsis partibus adnasci, & prædictas clausuras ferè efficere. Quæ omnia dum cognouerimus,facilè prædicta methodo curari possunt. Fœminis verò,quibus ex prima conformatione hæc vitia insunt, nullum aliud inuenies tutius & vtilius præsidium,quàm scalpello tunicam, quæ foraminibus antestat, per medium scindere . Cuius operis rationem docuit optimè Arabs Albucasis:in cuius foramen immitti iussit instrumentum illud virili membro persimile, quod ibidem diu immorari permisit , donec cicatrice inducta, partes non ampliùs coalituras cognoueris . Docent autem paulò latiùs huiusmodi curationem authores non pauci : nam Theodorus Priscianus peculiari diligentia id conatur docere. Sed diligentiùs adhuc Moschion medicus quidam Græcus . Quod etiam docuisse visus est Ætius lib.4. Ser.4. cap.96. quò poteris adire, si pluribus verbis opus habeas . Curandum quoque est in quauis causa, ne quid menstrui sanguinis, si fortè in vterum decidit, cui via præ occlusione non erat, vel pauxillum quidem temporis ibidem maneat: nam dum concrescit,grauissima solet accidentia inferre. Et ob id maxima diligentia vterum abluere sequenti die ab vteri apertione cõueniet.

De menstruis per locum non naturalem erumpentibus. Cap. VII.

IVSTISSIMAM Hippocratẽ appellasse naturam cẽseo, eamque eruditam esse, quamuis nondum aliquid addidicerit: nam quis naturæ maiestatem & diligẽtiam non mirabitur, si attento, peruigilique animo eius opera intueatur. Quæ profectò non solum in efformandis corporibus, augendis, reficiendisque sedula diligentia innititur: sed incredibili etiam solicitudine ea præcauet , curatque, ne quid mali, quantũ in se est,ipsis accidat.Quod sanè opus vt consequatur, quæ non tentat? bone Deus, quibus non innititur? quæ non consequitur aduersus omnem expectationem? Eius proculdubio dignitatis & efficaciæ sunt naturæ opera,vt eandem meritò artẽ diuinam appellauerit Plato. Atqui (vt interim alia, breuitati studens subticeam) quantam illi menstruorum purgatio curam impenderit, admiratione dignum esse arbitror.Quam si iamiam instantem cognouerit,præcauens grauissima mala, sollicitè expellere curat. Quòd si loci naturalis oblita, aut fortasse impedimento alio præpedita, onus excrementi persentit, citra vllam moram, locum, per quem sese ab onere liberet, quærit, & qualiscunque sit,sibi efficit naturalem, eique assuescit . At licet ex eo fœminas ,steriles efficiat, præcauens maius periculum , id patienter fert.Contigisse id naturæ beneficium (ne dicam vitium) fœminis, non rarò conspicimus : nam dum errabunda onere pressa natura menses pellere conatur ,si aut scopo aberret ,aut illi naturalis locus obstaculo quouis sit denegatus:in quibusdam per nares copiosissimo sæpe sanguine effuso,menses agit, in alijs vero per os. Nec mirum profectòid esse debet,siquidem Hippocra.5.apho.32.refert, mulieri sanguinem vomenti menstruis erumpentibus solutio. Ex qua sententia infero,haud esse difficile naturam turgentem & errabundam per consimiles regiones menstruam purgationem pellere: quippe facilè defertur menstruus sanguis ad os , aut ab ore in vterum . Per cauam enim in stelechiam , & ex ea per venas Meserei,si multus sit, in duodenum ac ieiunum , ex eis in pilorum,& per vẽtriculum vomitu reijcitur.Sed quod maiorem infert admirationem , id sanè est quod nos iam ter vidimus , videlicet, per minimum manus digitum & per anulare sinistræ manus singulis mensibus sanguinem profundi , non copiosum, in religiosa quadã fœmina , cui natura menstruam purgationem per vterum denegauerat. Alteri quoque certò accidisse scio,rubore quodã facto in altera maxillarũ, singulis mensibus naturam purgationem menstruam denegasse . Cognouimus etiam aliam,cui vnoquoque mense sanguis licèt modicus,per maiorem oculi sinistri angulum fluebat. Plures item sunt,quas per sanguinis sputum à menstrua purgatione natura immunes fecit.Ac ne videar tempus in historijs conterere , certũ est huiusmodi affectionem esse sympthoma in genere excretorum præter naturam consistens , idque quatenus ad particulam à toto genere huic vacuationi alienam,pertinet. Quamobrem id vitium referendum est in facultatem excernẽtem, cuius munus in corpore est,aliena pellere:quam porrò facultatem totius corporis intelligere oportet, non vteri , etiamsi huic operi dicatus à natura fuerit . Quod profectò sympthoma non rarò contigisse arbitror ex eiusdem facultatis robore & prouidentia: nam cùm ob aliquod vteri vitium, aut venarum,quæ in ipsum desinunt,

admirabilis

nunt,ora cæca esse natura cognouerit,gnara huius ministerij, aliam quærit regionem:qua inuenta incolumem tuetur fœminæ sanitatem,quam alioqui ocyssimè casuram cognoscit.Hanc nosse medicus præ omnibus tenetur distinctionem, ne fortè causam ignorans,curationem vbi opus nõ sit,tentet,aut eã prætermittat,quã consequi non esset difficile.Quo circa primò nosse & diligentia distinguere oportet, an natura errans id accidens efficiat,an melioris gratia coacta id moliatur: nã hoc profecto aut impedire, aut peruertere aut vtcunque alterare nefas est: illud verò sensim & leniter permutare vtile & necessarium.

Dignotio. Dignosces autem,hoc an illud sit ex fœminæ habitu,ex cõferentia ex sympthomatis,quæ natura in vtroque casu mouet:nã dum id melioris vsus gratia molitur: citra accidentia,quæ maximã inferant molestiã,mouet; & boni habitus præest fœmina:quinimò vacuatione præmissa,si quid mali anteà perpessa fuerat,libera euadit,tandẽ optima fruitur sanitate.Ad quod etiam non leuẽ coniecturã præstat vterũ singulis mensibus quodammodo turbari,signũ profectò euidẽs,quo monstratur naturam vterum aggredi,vt per ipsum,menstruum excernat:quem cũ impedimẽto aliquo ineptum persentit,deserit,& vt valens ad consuetum locum regreditur. Quod cũ medicus cognouerit,auxiliares manus adhibere non curet.At in alijs fœminis,in quibus errans natura vitiosam hanc purgationẽ molitur, inquirendũ est quali sint habitu præditæ,qua fruantur sanitate, quibus premantur accidentibus, quoue tempore. Nam si valetudinaria fœmina fuerit,si frequenter conqueratur, præsertim dũ purgationis instat tempus, quo prætereũte leuari minime conspicimus,nulli dubiũ esse arbitror,erroneam esse illam naturæactionem.Cuius causas inquirere deinceps oportebit,& iuxta earum rationem cuiq; rationem ascribere.

Causæ. Solet sæpissimè natura hæc vitia mouere vehementissimo aliquo animi pathemate,aut mentis turbatione, distracta,irritataue potentia,præsertim instãtibus aut fluentibus mensibus:qua etiam occasione perturbata & erronea quoq; efficit munia. Nam quantum possint animæ passiones nemo ignorat: sunt enim qui mortẽ inferre posse fateantur: quod etiam malum ab externa aliqua occasione proficisci comperimus.Prodit item id vitium à vehementissimis partium superiorum doloribus,vel earundem grauissimis malis,quibus naturam euocari per easdem partes, dum superflui aliquid obtinet,mirum non est.Item id malum sæpe efficit partium superiorum imbecillitas, vteri & partium inferiorum robur,quo renuũt superflui quicquam recipere:quapropter coguntur partes supernæ & iecur per aliam partẽ id expellere.Quòd si per hæmorrhoydes,aut per vrinam natura menstruũ purget, minùs sanè vitiosum existit,cæterum conceptui obstat.

Dignotio. Primas causas dignosces facilè ex ijs,quæ præcesserunt,fideli à laborante accepta relatione,præcesserit ne aliqua prædictarum causarum,velut ingens timor,aut alia mentis vehemens turbatio,vel quæuis alia externa causa, quæ validam in mulieris corpore turbationem efficere possit.Quod non minùs causare poterit intempestiuus frigidæ potus,qui clausis infernis meatibus supernam regionem petere naturam cogat. Sic crurum aut capitis lauatio instantibus menstruis, sic etiam esus aut vsus aceti. Quarum omnium notitiam diligens medicus facilè à fœmina accipere poterit.Quòd si nihil ex his præfuerit,interrogare oportet,doluerint ne vehementer aut diutiùs quondam partes superiores,aut graui aliquo malo affectæ fuerint. Quæ sanè omnia diligenter examinata præuidere oportet,& ex eis,quæ præcesserunt,vel tunc affuerint,habita certa coniectura, iuxta id,quod potissimã mali causam esse cognouerimus, medendi rationem instituere oportebit.

S:

Si qua in re facta diligenti prouidẽtia curationẽ aggredi oportet,in ea profectò est,in qua aduersus naturæ motum est pugnandum,etiamsi motus à lege naturæ abiit. Nam & naturam cogere contrarium instituta efficere, & humorem alio euocare, & præternaturali vacuationi disponere,magni momenti rem esse dubitabit certè nemo.Atque cùm hæc sint opera, quæ necessariò medicus exequi tenetur,vt quid vtile efficere possit,necessum proculdubio est, diligẽter quid agere aut prætermittere in curatione hac opus sit,priùs considerare.Quamobrem huius modi fœminas curandas suscipere formidandum est,nisi dum grauius periculum speratur ex accidentibus,quæ quotidie crescunt,quàm ex violentia in naturam illata. Erit igitur primum curandi principium redundantem sanguinem demere, eundem euocando ad imas partes,factis extalo vacuationibus,adhibitis cucurbitulis femoribus & suris,& coxis etiam,quandoq; scarificatis.In quo profectò opere,eo tempore magis inniti oportet, in quo accidentis alicuius gratia eo vtimur: vtrunque tamen vsum præstabit sanguinis euocatio & extractio per hæmorrhoydes.Nã dum in animo est solùm ad vterũ euocare sanguinẽ, oportebit potiùs supernas partes quodammodo refrigerare ac densare,infimas verò calefacere & humectare ac aperire. Verùm quoniam illud fieri commodè nequit(nisi aut per brachiorum frigida lauacra,capitis etiam & faciei,aut per priuationẽ exercitij earundem partium:quapropter interdicere oportet in huiusmodi fœminis cantum)tentandum quidem frequentiùs est frictionibus, deambulatione ,lauacris, balneis naturalibus,aut calidis arte paratis,inunctionibus,fomentis,insessionibus, pessarijs,clysteribus vterinis:quorum cap.de prouocatione menstruorum meminero. Vnum tamen habet tanquam peculiare præsidium hoc mali genus,nimirum frequentium balneorum naturalium vsum,eorum præcipuè,quæ sulphurea sunt: in quæ fœmina summo manè ingrediatur,ibidemque debito tempore immoretur, dummodo balnei aqua tantum vteri & iecoris regionem pertingat,quo tempore eiusdem fœminæ superiores partes(ne calidissimo aëris balneo etiam dilatentur) flabellare, attemperareq; commoto leuiter aëre oportebit.Cætera verò, quæ hîc desiderantur,reperies cap.citato & lib. nostro de indica.præsidiorum cap.de prouocandis suppressis fluxionibus.

De menstruis superfluis. Cap. VIII.

Vantam Hippocr.in artifice ad affectuũ curationem prærequirat diligẽtiam, nullus eorum,qui eius scripta curiosè euoluerit ignorabit: inquit enim lib.de morbis(docens quæ sunt perito medico , ne in curatione aberret,expendenda.)Primùm quidem, à quibus omnes morbi hominibus fiunt, deinde verò, qui morbi necessariò,vbi facti fuerint,aut longi sunt aut breues, aut lethales,aut non lethales,aut aliquam corporis partem mutilent,aut non mutilent, & qui postquam orti sunt,dubij sint,an mala ab ipsis sint euentura, an bona, & à quibus morbis ad quales transitus fiant,& quæ per fortuitum successum medici ægrotos curantes faciunt,& quæ bona aut mala ægrotantes in morbis perpetiuntur,& quæ importunè aut dicuntur,aut fiunt à medico ad ægrotum, aut ab ægroto ad medicum,& quæ exactè fiunt,aut dicuntur in arte,& quæ recta in ipsa,

& quæ

& quæ non recta, & quod ipsius principium, & finis, aut medium, aut aliud quid eiusmodi demonstratum, quod rectè habet, vt in ipsa sit, aut non sit; & quæ parua & magna, & multa & pauca; & quod omne in ipsa vnum est, & omnia quod vnũ; & quæ fieri possunt, intelligereque ac dicere, & si opus sit, neque intelligere, neque dicere, neq; facere; & quod facilitas in ipsa sit, & quod difficultas; & quod opportunitas, & quod intempestiuitas; & quibus alijs artibus similis sit; & de corpore quod calidum sit, aut frigidum, aut siccum aut humidum; & quod forte, aut debile, aut densum aut rarum; & quæ multa pauca fiunt, aut in melius aut in peius; & quod honestè aut turpiter, aut tardè aut citò, aut rectè aut non rectè; & quod malum supra malum fieri necessum est. Optimum esse duxi ad verbum transcribere Hippocra. dictum, vt quisque intelligat, quàm sit difficile curationem quamuis aggredi, quando hæc omnia diligenter nosse, necessarium esse apertè fatetur. Quibus si adhuc addideris sexus differẽtiam, clariùs proculdubio cernes tam esse difficile in fœminis curationem optimè moliri, quàm esse medicum. Quippe vt Hippocra. fatetur lib. 6. popul. par. 7. diuersi in fœminis reperiuntur morbi, & diuersa ob id necessaria illis est curandi ratio. Hoc sanè diximus, ne quis illotis (quod aiunt) manibus existimet fœminarum affectus curari posse: sed cautior & diligentior ex rei difficultate factus, faciliùs quæ difficilia sunt, consequi possit.

Ad institutum igitur accedendo, optimè Hippocra. dixisse constat lib. 5. Apho. tex. 57. Si menstrua plura fiunt, accidunt morbi, & si non fiunt, ex vteri morbi cõtingunt. Nam frequentissimè conspicimus fœminas ex fluxu mensium ad tantam peruenire immoderantiam, vt vel pereant, vel in grauissimum aliud malum prom ptè affectus degeneret. Quod etiam lib. 1. de morb. mul. Hippocr. hac verborum serie dixerat. Si menses plures quàm oportet, prodeant, & crassiores nimirum corpore natura fluido, & osculo vterorum prope pudendum sito, & ad hæc multo cũ viro coitu vtatur & conuiuetur semel, aliquando multi descendentes & affatim prodeuntes os vterorum impetu suo magis dilatant, & si ad hæc non incidat vasorum euacuatio, sed rursus multus accesserit calor, & os amplũ faciunt, & corpus, vt pote muliere conuiuante & voluptatẽ consuetudinẽque viri cõfectante facili fluxu ad vterum etiam calor defertur, & decolor erit, quandiu sic habuerit. Subdit quoque idem author multò plura, quibus comprehendit vniuersam ferè huius morbi rationem. Verùm quia, vt Hippocra. refert, grauis est affectio hæc, & quæ plures alias ascisere solet (vt etiam Mosem Ægyptium particula 16. text. 18. dixisse constat) ob id necessum est, eius naturam & causas adamussim expendere.

Affectus natura.

Est igitur menstruorum fluor, vt Galen. docet lib. 6. popul. parte 1. com. 7. quando menses plures aut copiosiores fuerint, quàm solent. Multi verò definiunt esse, quando vltra consuetum tempus purgationis magna copia effluxerit. Alij autem aliter diffiniunt: nimirum, cùm fluunt immodicè & præter modum peculiaris naturæ, ætatis, aut viuendi institutum, aut præter statas periodos, hoc est, si bis in mense repetat. Nec credendum est, adductam Hippocra. mensuram lib. de morb. mu. omnino veram esse & certam. Inquit enim: Menstruam purgationem moderatã esse, quando per biduum aut triduum excernuntur sanguinis ferè duæ heminæ atticæ: verùm hoc verum fuisse arbitror illis temporibus quando & victus ratio tẽperata seruabatur, neque ita otio erant deditæ mulieres. At nostris temporibus cũ plurima in illis reperiatur diuersitas (siquidem aliæ ad quinque vel sex vsque dies purgantur, aliæ ad octo etiam, & aliæ copiosissimè atque aliæ parciùs) naturarum, &

& consuetudinis quoque diuersitatem inspicere opus erit. Sed vt rem paucis complectar, existimo cuiusque fœminæ naturam aut statum quoquo tempore fuerit, considerandum esse, vt ab his sumpta ratione, facilè metiamur quãtum sit immodicum, quantumue modicum. Nam ea verè dicitur menstruorum redundantia, cùm purgatio naturalem modum excedit: at is modus existimandus est penes fœminæ consuetum fluxum, aut penes sanguinis conditionem, aut iuxta id, quod in aborsu excerni solet, si fœmina abortierit, aut si pepererit, iuxta debitam partus naturalis copiam. Quòd si medicamenti alicuius ora venarum aperientis occasione sanguis profluat, vires quoque medicamenti extimare oportet, & quantùm ipsas fluxio superauerit, tantùm ipsam esse immodicam conijciendum est. Quibus etiã adiungere oportet, quod Gale. docet lib. de differ. sympt. videlicet, si prædicta vacuatio fiat ad animalis commodum aut incommodum. Quòd si vsui proficua nõ fuerit, immodica & inutilis existimanda est, præsertim in prægnãtibus, quibus rarò aut nunquam vtilis existit.

Est quoque necessarium expẽdisse cuiusnam sortis sit hæc affectio, quã censeo reducendam esse ad sympthomatum genus, quod in se cõplectitur ea, quæ immodicè excernuntur. Atqui licet quibusdam (vel ex Galeni mente) visum sit, hanc solã vacuationem ex sanguinolentis non esse toto genere præter naturã, quia menstrualis purgatio ab hac lege excipitur: ego quidem existimo menstruam purgationem dum naturæ modum non excedit, excipiẽdam esse ab ijs excretionibus, quæ ex sanguine factæ toto genere præter naturam dicuntur: sed quando naturæ modum excedit, ita vt immodica fiat, mihi non est dubium, quin etiam toto genere præter naturam sit, quemadmodum & cæterę omnes. Nam si loci commoditas, & naturæ consuetudo, ac vsus eam vacuationem, naturalem efficiant, hæc quidẽ nõ possunt immodicam sanguinis excretionem secludere, quin toto genere præter naturam sit, quemadmodum fluxus sanguinis narium, si quidem per vtranq; partem id, quod vsui naturæ necessarium erat, præ cunctis humoribus, liberè excernit. Vtcunque tamen sit, ab eo morborũ genere proficisci censemus, quod in mala figura seu partis conformatione situm est: nam ex meatuum naturalium præternaturali amplitudine vitium id proculdubio prodit, nisi ex soluta vnitate aliquando accidat. Itaque necessum est, figuram retentioni sanguinis idoneam vitiatam esse in eo affectus genere, quod ampliores, quàm par sit, meatus in se complectatur. Fieri autem tales meatus non vno modo contingit, sed plurimis: nam aut vasa, quibus incumbit sanguinem continere, rumpuntur à re soluente, dilacerante ue continuum, aut aperiuntur per propria foramina & extremitates, aut exeduntur ab humorum malitia & acrimonia. Dum verò vasa aperiuntur, si magna sint, Anastomosis affectio appellatur: profluit enim in his multũ sanguinis & confertim. Verùm si parua sint, appellatur Diapedesis, in qua fertur per resudationem sanguinem prosilire, sicut etiam in vtroque vasorum genere contingit, prosilitque sanguis sensim & paulatim. Cùm autem vasa exeduntur, Diæresis nuncupatur. Nosse tamen oportet duo esse vasorum genera per quæ is fluxus assuescit prodire: alterum est per venas vteri internas, quo tempore verè menstruus dicitur talis fluxus: alterum verò per ea vasa quæ terminantur ad ceruicem & collum vteri quas sanè venas, dum plurimum sanguinem fundũt appellant: tùm Græci: tùm Arabes, vteri hæmorrhoydes, & Aristo. 2. de genera. anim. cap. 4. dixit affectum hunc similem esse marisis.

Occasionem & sympthomati & morbo plurimæ præbent causæ: quas à pleriſq; *Causæ.*

authorum variè traditas reperies. Ego tamẽ eas omnes trimembri quadã diuisione hac in parte complectar; præter causas externas seu euidentes, velut est ictus, casus, immodicum exercitium, calor immodicus, vehemẽs animi perturbatio, balneorũ inordinatus vsus, præsertim crurum, aut frequentes ligaturæ, frictionesue, vteri quoq; rhagadia, aut vlcus, vel virilis membri excedens magnitudo, laboriosus partus, aut abortus, vel ipsius vteri hæmorrhoydes immodicè fluentes: quæ omnia peculiarem requirunt medici diligentiã, & nos paulò inferiùs eorũ curationẽ docebimus. Sũt igitur in genere, internæ causæ numero tres: quarũ prima, ad vteri & corporis vires & raritatẽ refertur: secunda, ad humorẽ seu sanguinem fluentẽ: tertia verò, ad vterum ipsum. Prima rursus causa subdiuiditur, nam sanguis profluit ex naturæ robore & efficacia, quibus corp⁹ à nocuis humoribus immune reddit. Cuius meminit Gal. lib. 6. de locis affe. his verbis. Sed accidit interdum fœminis muliebre vocatum profluuium vel vtero haud quaquam affecto, cum videlicet, vniuersum corpus per ipsum expurgatur, quemadmodum interdum per renes quoq; euacuatur. Ac docet etiam eadem parte, qua lege curari debeant. Contingit item fluor ab ipsius impotentia & languore, ita vt humorem sibi commissum continere non possit, propter ipsius corporis raritatem, vel hiantibus vteris, vt expressè docuit Hippo. lib. 2. de mor. mulie. his verbis. Si vteri præternaturam hiarint, menses plures prodeunt & viscosi & frequenter, & genitura intus non manet. Et paulò inferius subdit: Si os vterorum hiarit ampliùs quàm in mensibus solet, menses ita fiũt plures & deteriores omnes, & liquidiores & per longius tempus. Patitur autem (inquit) hæc maximè, si quid in ipsa corruptum computruerit, ac compactum fuerit, quædã verò etiã ex partu patiũtur, aliæ etiã aliter. Quibus sententijs cõstat facultatẽ vterorũ contentricẽ, cui munus est vterũ corrugare & cõprimere, languidã quandoq; esse, & ob id officio cõtinẽdi minimè posse fungi: quibus accedit os vteri esse ad pudendũ prolapsum & veluti à sua sede dimotũ: vt optimè aduertit Hippoc. lib. 1. de morb. muli. dicens: toto corpore patente & ore vteri prope pudendum sito. Secunda quoq; causa alias duas sub se cõplectitur, siquidẽ humor, aut vt quantitate peccans, tanquã graue onus deponitur à natura (cuius mali meminit Hip. lib. 1. de mor. mulie. his verbis. Quibus corpus plenum fuerit, his mẽses plures prodeũt. Scimus nõ rarò plerisque cõtingere iecore nimiũ sanguinis progignẽte, seq; per vterũ exonerãte citra aliquod damnum fieri, etiam si nimiũ fluat) aut vt qualitate ab eadẽ alienus reijcitur, veluti tenuis, mordax, calidus, acris, salsus, putridus, venenosus frigidior mixtione seri factus, & alijs huius census vitijs conspuratus. Sed tenuioris meminit 6. popul. parte. 1. textu. 6. dicens. Muliebra aquosis mulieribus plurimũ morãtur cũ autẽ nõ celeriter eãt, intumescũt, immorari enim, intelligere oportet, diu durare. Sic dum aquosior fit sanguis vt in hydrope, vberrimè funditur: vt habetur apud Hippocra. lib. 2. de morb. mulie. Haud dissimili ratione tertia causa in plures alias degenerat; nam vterus retentioni ineptus efficitur, quia rarus, mollis, laxus, patentiorue factus, vel asperitatem aliquam in sẽ continens, qua nequeat vndique claudi, & foramina coercere. Ad quam etiam causam vterum hiãtẽ reducere oportet, saltem quatenus pertinet ad eius figuram, non ad potentiam, quæ in primo causarum genere sita est. Sic enim dixit Hippo. lib. de natu. mulie. Si vteri præter naturam hient, & menses plures, quàm oportet prodeunt. Quo etiam libro inquit. Si læuigati fuerint vteri, & menses plures fiunt, & deteriores, & humidiores, ac frequentiores.

Quibus præmissis expendendum est, qua nam ratione quæuis causarum aliquẽ ex

ex prędictis morbis efficere in vtero habeat, aut ipsum in corpore succrescere. Aperiuntur quidem meatus, laxiores facti, aut vi aperti, aut exesi, disruptaue vasorum substantia. Laxiores porrò fiunt, & imbecilla redditur contentrix facultas ex ea distemperie, quæ cùm calida & humida nimis sit, robur & firmitudinem vteri debilitat: quod etiam ex frigiditate, & nimia humiditate inundante fieri frequenter contingit. Aperiũtur enim vteri oscula vi & impetu facultatis expellentis, quæ turgens præ nimio pondere irruit in partẽ sibi huic muneri à natura dicatã, & per consuetũ locũ inconsueto more onus deponit, iuuante totius corporis firmitudine, aut præstãte vberrimã sanguinis copiã iecore: quod ita cõtingit esse calidũ & sanguificum vt citra vllã legem in vteri venas sese exoneret præcauens maiora mala. Cui etiam operi principium frequẽter præstat sedẽtaria, otiosaque vita, & crapulis dedita: quã quoq; profusionem venerem immodicam mouere scimus: nam vt Hipp. lib. de genitura statuit, sanguinem venus calfacit & humectat, & viam sternit mensibus ac reddit longè faciliorem. Exeduntur, disrumpunturue vasa à re mordenti & acri, modò in corpore præsit, vt est humor huius naturæ in corpore genitus, modò extrinsecus occurrat, vt pessarium acre, vel quoduis medicamentum causticum aut acre, cui insit exedendi potentia: id quod contingit ab ijs, quæ disrumpendi vires habent, qualia esse creduntur, quæ mox retulimus. Vitiosus item humor etiam si vteri vasa non admodum à propria natura dissideant, excernitur irritata facultate præ mordicatione & acrimonia, aut ipse egreditur, quia tenuior factus sua sponte profluit non reluctantibus vasorum osculis per Diapedesim in minoribus vasculis, aut per Anastomosim in eisdem & maioribus, vel exesa parte, per quam liberè possint profluere. Vterus quoque vitiosus efficitur præ laxitate, mollitie, aut apertione ab inundante humiditate: qua quidem occasione etiamsi sanguis vitiosus non sit, sanguinem multum & inordinatè profluere haud rarò contingit.

Diagnostica signa.

Dignosces autẽ & morbũ & occasionem, si primitiuas causas primò ex relatione expendetis: quippe laboriosus partus, & abortus, ictus, casusue, aut medicamentum exedens, vel quid aliud ex ijs, quæ superiùs retulimus, signis proculdubio non egent. Pari quoque ratione vacuationẽ aliã ex ijs, quæ ex sanguine fiunt, suppressam fuisse, fœmina ipsa patiens narrabit, si diligenter quæsieris. Primò tamen siue interna, siue externa causa sit, disquires, quem morbum efficiat: nam si per Diapedesim sanguis profluat, eum sensim paulatimque instillare comperies, ac tenuiorẽ & aquosiorem, qualem ad resudationem necessariũ esse oportebat. In Anastomosi verò, vberiùs prorumpit sanguis, ita vt ex copia facilè distinguere possis per maiorum vasorum oscula, aut per plura ex minoribus sanguinem prosilire. Cui etiam adiungitur sensus quidam doloris, aut leuis mordicationis. Diæresim quidem cognosces, si ex procatarctica fiat causa, ex repentino, copiosoque fluxu præcedentibus causis continuũ soluere, dilacerare, aut rumpere valentibus. Quòd si ex humorũ acrium, exedentiũ & mordacium erosione fiat: id euidẽter constabit ex dolore fluxui adiuncto, qui leuis profectò est, sed molestus. Constabit etiam ex sanie, ex virulenta excretione, & grauiter olente, quæ sanguini admixta prosilit. Ex lento etiam motu in principio, ex maiore tamen præcedente exesione, & aperto foramine. Cui accidit aliquando ob concretum sanguinẽ supprimi, ac denuo paulò post prosilire. Dignoscitur quoq; ex labiorum, & gingiuarum scissura à vaporibus inde ascendentibus facta. Sanguinis maximam copiam & virtutis robur monstrãt cõferentia & tolerantia, & corporis ipsius consistentia & habitudo. Nam viuidior, co-

loratiorque redditur fœmina,ac persentit ab alijs affectionibus leuamẽ,neq; etiam si multus fluat sanguis,virium iacturam degustat:quam etiam causam ostendit rubeus sanguis,qui profluit. Verùm si ex suppressa aliqua vacuatione prosiliat,res ipsa seipsam indicabit. At si iecoris robore & sanguificandi efficacia profluat, pari quoque ratione conferentia & tolerantia monstrabunt : quippe hepaticam dysenteriam ex prędicta causa fœminis sępe proficuam toto iuuentutis tempore perstantẽ haud rarò cõspeximus. Quòd si vteri imbecillitate,aut nimia apertione, laxitateue sanguis profluat, fœminæ ipsius habitus ac dispositio monstrabunt facilè, nã & de color & marcida, fastidiens, confracta & imbecilla protinus reddetur, ex quibus haud multò pòst, non leuia subsequentur mala. At si humorum vitio hæc affectio cõtigerit,totius corporis habitũ inspicere oportet, nã similis efflorescit in cute color ijs humoribus,qui in corpore vagantur. Item excrementa & sanguinem ipsum inspicere oportet,nam & color & calor,frigiditas,consistentia;odor,substantia, & ea,quæ sibi admixta sanguis deuehit, facilè cuius humoris redundantia subsit,monstrabunt. Et cuius senseris prædominium,eum iudicabis causam fluxui præstare: nam si sanguinem linteo exceptum inspexeris, disces in medio rubram apparere maculam & in circuitu eius humoris qui redundant notos esse. Hoc tamẽ vnum velim animaduerti;quòd si humor & acris & mordax irritata natura pellitur, citra dolorem & molestiam circa lumbos & vterum aut pudẽdum ipsum expelli vsquã poterit. Si verò solùm vt quid alienum & inutile natura reijciat, citra molestiã subsequetur fluxus. Præterquàm quòd à rebus læduntur adstringentibus, & si fluxio supprimatur,venter intumescit,quasi in vtero habeat mulier,& membra fiunt laxa & mollia,& fœmina velut deiecta & mille affectionibus plena. Reperies etiam legem & rationem cognoscendi idem cuiusque humoris in nostra methodo, quã gratia dignoscendorum affectuum conscripsimus. Quòd si vlcus mali causam præstiterit, cognosces id ex pure,ex sanie,ex fœtore,ex dolore,& alijs etiam,quæ vlcus ostendere nata sunt. Atque cùm medendi rationem nonnihil euariet sanguinis fluor per ceruicis vteri venas,aut eiusdem membri internas, ob id noscendi rationem docere quoque decreui. Quam sanè distinctionem nosces,eò quòd si ex vteri penitioribus partibus prodeat, sanguis prosilit niger,graueolentior, & grumosior;ex ceruice verò rubicundior & fluidior,& mali quoque odoris,licèt non quantum ex abditiori loco.

Præsagiũ. Sperabis ab hoc affectu,nisi diligẽter præcaueris,grauissima & irreparabilia mala:nam succedunt huic fluxui morbi,& sunt tabes ab exsiccatione,hydrops ex frigiditate. Quæ mala præter Hippocratem retulit etiam Gal. lib. 5. de locis pa.& 5. Aphor.57.quibus etiam addidit & vitiatam coctionem & inappetẽtiam,syncopin & fœdum colorem. Veretur quidem Gal. fluxuum, præsertim ex vtero consuetudinem adeò,vt id ex toto præcauere lib.5.de locis affect.consulat; quòd quiuis fluxus firmatus plurium morborum causa sit:nã vtraque illius immoderantia dũ perstat,grauis est & periculosa,siue plurimũ seu parum effundatur,consueta quippe in totũ supprimi perdifficile est. Itaq; ex hac immodica vacuatione corpus frigidius, siccius,& mille accidentibus vexatũ sæpissimè euadit. Quòd si per Solis aut Lunæ eclypsim menses profluant,rarò curationẽ admittũt,teste Apuleio Platonico,quia oscula vasorum occaluisse iam constat. Succrescit insuper tanta virium omnium iactura,quòd nisi diligẽtia pręueniatur vel præ languore moriatur,aut quouis morbo apprehensa citra resistẽtiam succumbat. Cum hoc tamen credendũ est,minùs hæc omnia accidere, quàm in hæmorrhoydum fluore.

Nec

Nec temerè quemuis fluxum supprimere oportet, sed primò huic negotio legẽ exquires aptam lib.1.nostro de Auxiliorum Indicatione. Sed interim eos fluxus ex ijs,quos retulimus compescere teneris, qui aut à procatarctica oriuntur causa, aut ab humorũ vitio;aut vteri morbo aliquo,vel eiusdem impotentia,aut magnitudinẽ, dispendij vitalis spiritus minantur: cæterùm non pari lege aut diligentia. Nã qui ex aborsu,aut partu supersunt,peculiarẽ prærequirunt sistendi rationẽ, quã sanè reperies propijs cap.de Partu aut Aborsu laboriosis. Qui verò prodeunt ictu, casu,aut medicamento exedenti,vel calore, aut frigore immoderatis, vel alia causa,quæ rumpendi vel dilacerandi venarum ora vires obtineat,ocyssimè supprimẽdus est,nulla alia facta diligentia,quàm sanguine misso ex brachio,quantum fat sit reuulsioni efficiendæ:à qua ijs,quæ astringunt aut agglutinant, vtere, iuxta partis disruptæ situm & naturam;frictionibus etiam ac ligaturis supernis partibus factis, victu quoq; parcissimo, ac quiete imperatis. Verùm si aut ex iecoris vbertate, vel sanguinis maxima copia sanguis fluat, cauẽdum est, ne naturæ legitimum motũ præpediamus,sed parcissimo refrigerantiq; victu præmisso, totum negotiũ est naturæ committẽdum;ni timueris ex vbertima vacuatione maiorem spirituum resolutionem,quàm par est,subsecuturam. Quo quidem tempore,ne immodico impetu natura ruat,sanguinem mittere,& vtcunq; immodicam copiam imminuere,ne cessum erit,perspectis semper viribus,ne labantur adeò, vt vacuationem deinceps perferre non possint,sic enim omni arte sanguinem minues & habitum dissipabis, cauens ne balneis vtaris, quãuis authores consulant,suspecti enim in hac affectione mihi vidẽtur. Quòd si aut vteri laxitate impotẽtiaue, aut humorũ aliena qualitate sanguis immodicè fluat,maturo opus est consilio,ne plus minusue cõprimas, quàm rei natura exposcere videatur. Quapropter cuiusque harum partium seorsum meminisse oportet,vt res magis innotescat. Huius autem fluxionis curationem orditur Hippocra. lib.1. de morb. mulie. inordinatè,sed cum hoc remedia aliqua consulit non omnino contemnenda: quæ si quis expendat, frugi esse cõperiet. Sed ad curandi methodum me confero. Quare diligenter legat illud caput,qui in hunc locum inciderit. *Curandi ratio.*

Si verò ex feruido & æstuante sanguine fluxus concitetur, primò victum institues refrigerantem, qualis ex pullorum carnibus assis parari solet, aut elixis lactuca,scariola,cucurbita,& agresta:quibus etiã in cœna vti erit necessum,citra carnis vsum, cuius vice amygdalato aut amylo vti poteris. Potus sit aqua chalybeata, aut hordeo decocta,vel mastiche suffumigata. Exercitiũ omnino interdicatur. Sõnus sit moderatissimus. Aër maiori ex parte ad frigidum vergens. Quo quidem in affectu vsui erit proficuum bis,semelue sanguinem extrahere ex basilica aut saluatela dextræ manus, præsertim per frequentia interualla & paulatim, vt minori virium dispendio distractio fluentis sanguinis fiat maior. Prodest quoq; cucurbita ferri,& aliquãdo spleni affixa,qua maior fiat ad superna reuulsio. Serapijs etiam & apozematis frigidis vtendũ est. Cui negotio vtilitatem præstat syrupus granatorum,rosarum,acetosæ,rosarum siccarum, borraginis & papaueris cum aquis plantaginis,capitum rosarum,vel acetosæ. Quem item præstat vsum aqua chalybeata, aut ex eisdem herbis decocta,vel mastiche suffumigata. Poteris etiam in fœmina boni habitus & mediocris roboris,frigidæ potum porrigere,aut dilutioribus syrupis solito frigidioribus vti. Quòd si diu his præmissis affectus perstiterit, coniectandum profectò est,feruorem & calorem sanguinis tueri bilioſum aliquem humorẽ, quẽ fieri ex diuturna sanguinis efferuescentia,credibile est,etiam si à principio nõ

apparuerit. Quem protinus rhabarbaro infuſo, aut myrobalanis cum aqua borraginis aut plãtaginis purgabis, vel caſia cũ modico rhabarbaro, aut ſyrupo ex infuſionibus roſarum rubearum cum prædicto rhabarbaro. A purgatione tamen porriges hordei decoctũ cum ſaccharo, aut aquam chalybeatam cũ ſaccharo roſaceo. In quo ſanè caſu, rarò purgatione eſt vtẽdum, & per maiora interualla: nã tenues humores facilè ad maiorem feruorem excitantur. Partes verò circa vterum, neq; vterum ipſum, vllo medicamento tractandas eſſe arbitror, ne quod feruidum eſt, vi aſtringentium ibidem præter naturæ inſtitutum immoretur, & grauioris affectionis cauſa exiſtat. Corpori enim & ſanguini ſolũ prouidendum eſt, non vijs per quas fluxio fit. Hoc tamen vnum in huius mali curatione præuidere oportet, videlicet, ne extimæ parti prope vterum frigida auxilia frequenter adhibeantur: nam ſæpiſsimè maiorem ſolent concitare fluxionẽ. Argumento ſunt menſtruantes fœminæ, quibus in ſubuculis, quas recentes & mũdas induunt, vberior ſanguinis copia prorumpit: quippe illis protinus fluunt denuò menſes, etiãſi ceſſaſſe videãtur. Quocirca & in hoc caſu, & in pleriſq; ſimilibus, id obſeruare plurimum oportet. Quod etiam de ijs, quæ frigida toti corpori ex multorum conſilio adhibentur, intelligi præcipuè velim: nam hæc ſunt, quæ facta in vterum reuulſione maiorẽ concitant fluxum, illa verò, quæ prope vterum, compreſsis humoribus, tumorem efficiunt.

Quòd ſi ex ſeroſo, tenui, fluxili, & aquoſo ſanguine affectus concitetur, curabis diligenter exquirere ſit ne ob iecoris lãguidam potentiam, an quòd ſanguis non ſatis expurgatus ſit à renibus. Et reducto priùs iecoris temperamento, in melius aut renibus de obſtructis, vel purgatis ea lege quã nos docuimus lib. de præſidio. indicatione cap. de ſiſtendis fluxionibus & lib. 2. ca. 2. de apperiẽtibus: Quo facto, (quia in hoc affectu adiũcta ſæpe eſt Anaſtomoſis, aut Diapedeſis) craſsius quodãmodo porriges alimentum, optimæ tamen ſubſtantiæ, vt eſt gallinarum caro, cuniculi, perdicum, arietis, & vituli. Proſunt quoq; gallinarum, aut caponum hepata & extremitates, præſertim in cœna, amylum & oua ſorbilia, & quæ conſimilem obtinent naturam. Potus is optimus eſt, quem in prædicta cauſa diximus: vinum tamen interdices omnino, niſi humor pituitoſæ, aquoſæ, frigidæue extiterit naturæ, aut vires deiectæ: quo tempore vinum ipſum nigrum & aſtringens proficuum eſt, præſertim ſi chalybeatum ſit, & prædictis aquis ſummè dilutum. Parcior tamẽ & moderatior potus is indulgendus eſt, ne aquoſior factus ſanguis vberiùs fluat. Nec alienum eſt ab affectionis natura, aquam maſtiche ſuffumigare, aut leuiter incoquere, aut infundere, aut aquam pluuialem porrigere. Sic etiam affectis longiorem conſules ſomnũ, moderatum exercitium per interualla quidem, ſin aliter nullum. Frequentiores per vniuerſum corpus imperabis frictiones, & ligaturas. In qua ſanè re Paulus & Ætius conſulunt, eas femoribus eſſe adhibendas: quas omnino timere iubeo: nam prõptiùs menſes euocare habent, quàm ſiſtere. Quarum loco, Hippocratis conſilio. 5. Aphoriſmo. 50. vtendum eſt, nimirum, cucurbitas mammarum radicibus affigere: quæ ſi non profuerint, proderit ſaltem fluxum ſanguinis narium excitare. Quod videtur rationi eſſe conſonum, & ab Hippocra. etiam non alienum. Aërem quoque huiuſmodi fœminæ ſemper habitent temperatum, vt corpus & humores ad mediocritatem facilè perducas. In quibus rarò aut nũquam ſanguinem detrahes, niſi per cucurbitarum ſcarificationes ſub alis, & in ſcapulis, quæ ſeroſos humores euocant, & rurſus (vt experientia docuit) efficaciùs diuertunt: quod eſt etiã Ætij conſilium. Deniq; vtendũ eſt omni diuerſionis genere,

genere, præterquàm in femoribus, vt Auicen. conſulit fen. 21. tracta. 3. lect. 3. Licet ipſe conſulat ibidem cucurbitulas apponere in loco, qui eſt inter vtraſq; (vt eius verbis vtar) anchas. Quod ſanè conſilium non eſt omnino aſpernandum. Purgare autem in hoc affectu contracto ex prædictis humoribus, frequentiùs ex vſu eſſe comperimus; nam cùm tota ratio fluxus dependeat ex tenuis & ſeroſi humoris miſcella cum ſanguine, ex vſu tibi erit eundem ab huiuſmodi vitio expurgare, qui poſteà naturalis factus, ipſe ſua ſponte ſubſidet. Quos quidem humores nullo alio medicamento ſecuriùs & commodiùs purgari cenſeo, quàm frequenti rhabarbari vſu, aut diluto, aut in puluerem redacto, aut leuiter torrefacto cum corticibus myrobalanorũ & modico agarico, quem aqua lactis dilues, aut ſaccharo roſaceo admiſcebis. Item purgabis hoc quod recipit pulueris myrobalanorũ citrinorũ & chebulorum. ana. 3. ß. rhabarbari toſti. ℈. iiij. ſacchari roſarũ. ℨ. ß. vel in aqua plantaginis infundes prædictos pulueres, aut in liquore nouem infuſionum roſarum ru. & facta expreſsione potui dabis. Verùm ſi facta per debita interualla purgatione, adhuc fluxio nõ quieuerit, iterum ad ea, quæ diuertendi vires habent, te confer es: inter quæ potiſsimũ eſt remedium, ſæpius ante prandium vomitum ciere: cæterùm vomendum non eſt, ſed ſolùm id tentandum. Sic etiam non minùs diuertunt ſudores, quos mouere conſulit Auicen. cum decocto aſari, apij, & rubeæ. Ego autem cum radice chinæ tutiùs eos moueri exiſtimo. Vtcunque tamen ſit, cautè id efficere oportet, & per interualla.

Cùm autem huiuſmodi humores comitem vt plurimùm ſibi habeãt Diapedeſim, aut Anaſtomoſim, præmiſsis quæ mox diximus, quorum vis eſt humores aliò transferre, aut minuere, omni arte curandum eſt venarum oſcula recludere, & humores craſsiores, motuiq; ineptiores reddere. Fit hoc per epota, per deuorata, per appoſita vtero, aut vicinis partibus, aut per ea, quæ in ipſum immiſſa idem beneficium præſtant. Quæ potui ſumpta proſunt, varia ſanè reperies: eligam tamen ex eis, quæ mihi ſelectiora & vſui vtiliora eſſe videntur. Vtuntur quidem ferè omnes medici in hoc affectu, poſca (iudicio noſtro) licentioſiùs quàm par ſit: quippe cùm particula, quæ in hoc affectu præcipuè afficitur vterus ſit, iſque membranoſus, neruoſus, & omnino aceto inimicus exiſtat, facilè conſtat id citra damnum fieri nequaquam poſſe, etiamſi aceti potum conſuluerit Auicenna libro tertio Fene. 21. Tractatu tertio, capite. 4. quod ex Raſio deſumpſiſſe cenſeo, & mihi ſemper pertimeſcendum viſum fuit. Quamobrem niſi in bilioſiſsimis fœminis, & ijs, quæ nullam ex aceto perſentiſcunt noxam, hoc ego præſidio libenter non vterer, ſi quidem ad manum ſemper eſt quo vti poſsis, præmiſsis ante omne auxilium, quæ modicè ſiccent, quemadmodum Haliabas, conſuluit, etſi mihi magis arrideat hæc eadem alijs admiſcere. Sunt autem hæc, cuminum torrefactũ, ſpica, ſquinantum, thus & ſimilia. Verum in principio per ſe, aut prædictis admixta, præbere ex vſu eſt decoctũ ex aqua chalybeata, aut pluuiali, confectum ex poligono lentiſco, myrto, pyro, pruno, vlmo, quercu, rubo, aut ex fructibus omniũ: ex radicibus etiam nympheæ, ſymphiti maioris virẽtis aut exſiccati, quibus addere poteris ſanthalum omnis generis, malicorium, balauſtium, roſas, flores cydoniorum, aut cydonia, pyra acerba & auſtera, dactylos, nuces cupreſsi, galam immaturam, glandes cum cauliculis & fõlijs, rhu, riues, oxycantham, vuam omphancintidem, ſemen vuarum & plantaginem ſiccam. Ex quibus pro fœminæ conditione & promptitudine ad ea quæ offeruntur, facilè eligere poteris quæ vtiliora, & guſtui gratiora ſint. Verùm vtcunq; decoctũ confeceris, adde ſaporis & vilitatis gratia, ex

Quæ potan tur.

ex syrupis eundem vsum præstantibus, quem volueris. Sunt autem hi, syrupus myrtilorum, de rosis siccis, de cydonijs, cum alijs, quos ex succis prædictorum simplicium cum saccharo facilè conficies, si diligenter rem tractare voles. Quibus sanè addere nonnihil poteris ex puluere margaritarum, ex bolo armeno, terra sigillata, cornu cerui, santhalis, mastiche, thure, tragacantho, gummi, succino, lapide hæmatites, corallo, coagulo leporis, hædi, vel cerui, & cuniculi vsto, & ex arboribus aut fructibus supradictis etiam aliquid. Quippe ob id vberiorem siluam scripsi, vt facilè vbique possis parare, ac ne tibi vsquam materia huic rei necessaria desit. Præter quæ omnia, consulit. Auicen. loco paulò superiùs citato, potum lactis porrigere, in quo vel infundatur scoria ferri, vel ferrum ignitum sæpiùs extinguatur. Quod etiam Rasius & Arabes alij consuluisse videntur. Cauendum tamen est ab hoc præsidio, vbi humoris vitiosi aliquid redundare cognouerimus, vel malignam febrem subesse. Potiones verò, quas huic vsui probatas apud probatos authores reperio, scribere non recusaui, & eas etiam, quas fidissima obseruatione proficuas habeo. Prima sanè recipit boli armeni. ʒ. ij. coquito in aqua chalybeata, & facta collatura laboranti porrige. ℥. ij. Secunda recipit scoriæ ferri crematæ, & in aceto extinctæ, & subtiliter puluerizatæ, lapidis hæmatitæ triti. ana. ℈. ʃʃ. syrupi myrtilorum & rosarum. ana. ℥. ʃʃ. aquæ plantaginis. ℥. iij. fiat potio. Tertia recipit trochiscorum de carabe. ʒ. j. dissoluatur in modico vino & copiosa aqua plantaginis, ac potui detur. Sed præter hæc & alia non pauca, quæ passim reperies, probatum præsidium est. ʒ. j. gummi Arabici aqua plantaginis dissoluere, & additis guttulis vini austeri potui præbere. Est quoque peculiare præsidium, puluis, qui ex corticibus radicum mori conficitur, cum astringenti vino aut aqua chalybeata exhibitus. Verùm licet hæc omnia, & pleraque alia quæ breuitati consulens prætermitto, sint suaptè natura huic malo proficua, non sunt omnibus fœminis æquè gustui grata: quod non solet esse minoris momenti in mulieribus curandis, quàm quoduis aliud consilium. Ob id profectò vsui esse vtilius & gustui gratius censui semper, & experimento confirmatum reperi, ex prædictis decoctis, ex succis (qui prælo exprimi facilè possunt ex simplicibus, quæ nuper retulimus) ex potionibus, & ex omnium ferè astringentium sylua stillatitias aquas depromere, quibus auxilium promptiùs exequimur citra ventriculi aut partis alteriùs offendiculum. Quapropter tanquam peculiari subsidio huiusmodi stillatitijs aquis vti consulo, quæ & citiùs permeant, & promptiùs sese in vniuersum corpus, & humores inserunt, & insinuant. Ego autem tanquam præstantissimum auxilium maximè probo stillatitium hunc liquorem: quem sic extrahere poteris. Confice panem ex farina hordei, orizæ, & ex amylo, quem probè confectum ac recenter coctum proijce in libris septem aquæ chalybeatæ: quibus adde rosarum siccarum. p. iij. succi plataginis lib. j. consolidæ maioris virentis & conquassaræ. ℥. iij. caudæ equinæ. m. j. carnis pyrorum aggrestium & citoniorum. an. ℥. ij. portulacæ. m. ij. boli armeni. ℥. j. balaustiarum & santhalorum omnium. an. ℥. ʃ. Quæ omnia per alambycũ instillentur, & instillationis sume. ℥. j. &. ʃʃ. cui adde syrupi portulacæ, aut rosarum. ℥. ʃʃ. & laboranti summo manè porrige.

Quæ deuorantur.

Facessit frequenter tantum negotium hæc sanguinis fluxio, vt non solùm quæ possumus, sed quæ non possumus laborantes & assistẽtes expostulẽt. Quapropter si quæ potantur non prosunt, vti quoque ijs, quæ deuorantur, frequenter cogimur: quæ sanè non indistinctè, & vtcunque administrabis, sed cùm maiorem damni partem

partẽ in maiori humorũ parte, ac in iecore ipso, & partibus prope ipsum existere, compertum sit. In quibus necessariũ est diu immorari medicamentũ, si aliquid est effecturum. Sunt quidem huic vsui non pauca medicamenta, eligam tamen quæ mihi probatiora videntur. Primùm sanè conficere poteris ex saccharo rosaceo vetustiori, quem iterum dissolues in aqua plantaginis cum bolo armeno, aut margaritis præparatis, vel puluere succini, aut corallorum, & bolum conficies. Item ex eâdem conserua conditum parabis hac forma. Recip. conseruæ virentis, rosarũ. ℥. ij. seminis plantaginis. ʒ. ij. coralli rubei, puluveris corallinæ. an. ʒ. j. lapidis hæmatites & gummi Arabici, an. ℈. ʃʃ. misce & fiat conditum, cũ frustulis auri: scoria itẽ ferri tenuissimè trita, & aqua rosarum vnius diei spatio macerata, igne deinde siccata, pondere. ʒ. j. exhibita, sterilibus aut religiosis mire opitulatur. Item id quod recipit sacchari. ro. antiqui. ℥. ij. puluveris vtriusque consolidæ. ʒ. ij. mastichis. ʒ. j. misce & præbe. ʒ. iij. Confert aliud medicamentum, quod recipit ouorum recentium adustorum, thuris, mastichis. an. ʒ. j. margaritarum, coralli rubri præparati, carabe. an. ʒ. ij. lapidis hæmatitæ & smaragdi præparati. an. ℈. ʃʃ. farinę hordei sine furfure. p. ij. albumina quatuor ouorum, aquæ chalybeatæ quod sufficiat, vt fiant duo panes, donec in puluerem possint redigi: cuius puluveris porrigere poteris vsque ad. ʒ. ʃʃ. Parabis etiam aliud, quod recipit carnis citoniorum vino rubro decoctæ. ℥. iiij. puluveris spodij, sanguinis draconis, cornu cerui vsti, thuris, acaciæ, & gummi tragacanthi. an. ʒ. ʃʃ. lapidis hæmatitæ præparati. ℈. ʃʃ. misce, & summo manè porriges vsque ad. ℈. ij. ac mox succi poligoni. ℥. ʃʃ. aquæ pluuialis. ℥. j. Nec sunt etiã minoris momenti trochisci de carabe, de spodio, de terra lemnia, & alia etiam, quæ superiùs retulimus. Ego tamen dũ humores sunt serosi & plurimùm tenues, præmissis quæ sanguinem ab eorum spurcitia vindicent, conditum hoc conficere iubeo, quod recipit, Pelliculorum interiorum, quæ adhærent nucleis auellanarum siluestrium. ʒ. ij. terræ sigillatæ, trochiscorum de carabe, puluveris leporis vsti, & conchularum vstarum, thuris, mastichis. an. ʒ. ʃʃ. succi millefolij. q. s. vt fiant pilulæ, quarum tres numero manè adhibeto. Quòd si succum millefolij cum saccharo adhibueris, non minùs prodesse poteris, quàm præstito quouis præstantissimo auxilio. Idem facit succus radicis philippendulæ aut caro eiusdem radicis, pondere. ʒ. j. Sed inter omnia auxilia id tibi fidissimum reperies, adhuc in desperatis sanguinis fluxionibus, nimirum. ʒ. j. puluveris corticis radicis mori singulis diebus ventriculo ieiuno cum viuo nigro epota. Item puluis ex corticibus granatorum acrium & ex auribus leporis combustis cum saccharo. Sunt etiam qui coagulum leporis proficuum alioqui auxilium, porrigunt, quo tamen consulo ne vtaris, nisi priùs correxeris absynthio, mentha, aut myrto: nam alioqui plus damni inferes. Inter hæc autem medicamenta ex vsu esse solent narcotica, quæ non vtcunque & incautè administrabis, sed cùm plurimùm necessitas præpollet, & alia nõ profecere. Inter ea verò, quæ sumuntur, confert requies magna, deinde athanasia, demum philonium maius aut Romanum, nisi facultas imbecilla extiterit: quorũ vsum eo tempore proculdubio interdices.

Quæ in vterum infundantur.

Cùm præter sanguinis vitium etiam ex vteri anastomosi aut diapedesi sanguis profluit, non sat est, quæ hucusq; diximus administrare, ni peculiarem vteri prouidentiam habeamus ijs, quæ venarũ oscula & poros recludere possint. Nã frequenter contingit, etiamsi sanguinis vitium arte & diligentia compescuerimus, impetu delationis, & loci commoditate, & nimia apertione, crassum adhuc & naturalẽ sanguinem profluere. Atque etiamsi pessarijs & multis alijs ingenijs medicorum

non-

nonnulli hoc vitiũ corrigere nitantur,ego tamẽ,innitens decretis priſcorũ in hac re,parum peſſarijs fiderem:modò ab vteri ceruice,modò ab vtero ipſo ſanguis profluat:vis enim peſſariorum aſtringens,rarò ad aperta vaſorũ oſcula peruenire poterit. Quamobrem per vterina clyſteria,ac per ſuffitus hoc vitiũ corrigere hac in parte conabor.Cum hoc tamen,quia alijs etiam præmiſsis peſſaria aliquid cõducere poſſunt,melioris & copioſioris doctrinæ gratia nõ erit abs re,ex ijs quæ ſuperiùs diximus peſſaria conficere.Immittere primò in vterum per metranchitam(vterinum appellatũ clyſter) poteris vinum dulce cum cortice maligranati decoctum: ſuccum etiam ſanguinariæ,plantaginis,conſolidæ maioris,aut aliquid ex ſuprà dictis decoctis cũ pulueribus boliarmeni,ſanguinis draconis,& aliorum, quæ mox retulimus. Succũ quoque ſtercoris aſinini & ſumptũ, & in vterũ immiſſum plurimum prodeſſe fertur.Cui conſimilem virtutẽ præſtat ſuccus burſæ paſtoris deuoratus,aut in vterũ iniectus.Maiori verò efficacia(vt ex Gale.lib. experimentorum conſtat)ſanguinem ſiſtit,ſi in vterũ infundas hoc præſidium,quod recipit, mucillaginis ex gũmi Arabico,& tragacãtho cũ aqua plãtaginis extractæ.ʒ.iij.ſucci plãtaginis.ʒ.ij.cuius etiam partem potui præbere poteris.Sed inter alia pleraq;, quæ in vterum immitti poſſunt,vnum mihi habeo peculiare ſubſidium,quod recipit,ſucci poligoni.ʒ.iiij. mucillaginis gũmi cõmunis extractæ in prædicto ſucco quantũ ſufficiat,vt citra impedimẽtum infundi poſsit,aquæ capitum roſarum ſæpius chalybeatæ.ʒ. iij. amyli.ʒ.j.miſce & infunde.Ad ea etiam,quæ in vterum immiti poſſunt,reduces facilè ſuffumigia,quæ mille modis parare poteris.Cæterùm quæ magis probo,conficiuntur ex maſtiche,pice, thure,ladano, ranis combuſtis, vngula mulæ,vngula odorata,coriariorum ſegmentis,galis per infundibulum euaporanti bus,roſis,vuarum paſſarum acinis,& ex alijs,quæ haud facilè his ſimilia inuenies. Ferunt etiam non mediocris authoritatis viri; ſaluiæ ſuffitu menſes immoderatè fluentes,& omne muliebre profluuium ſiſti, licet bibita & appoſita ipſos euocet. Nec minoris ſunt momẽti clyſteria in inteſtina iniecta,quæ ijſdem conficiantur & fortioribus.

Vtero admouenda. Vnguenta quoque,cerata,& emplaſtra huic vſui non parũ proficua parari ſolent,quãdo cætera auxilia mali vehementiam frænare nequeunt:dummodo eis, ſi frigida fuerint,plurimũ nõ innitaris,niſi calidorũ aliquid permiſcueris,per interualla quidem ac repetitò exhibita.Primò itaque id conficies,& vteri regioni parti ſui anticè & poſticè applicabis,quod paratur ex porci ſtercore additis pulueribus roſarũ,& farina volatili, donec ad formam cataplaſmatis reduxeris. Aliud autem conficitur ex oleo myrrhæ,nenupharis,citoniorum.an.ʒ.ij.ſucci plantaginis, linguæ paſſerinæ,& caudæ equinæ.an. ʒ.j.coquantur ad conſumptionem ſuccorũ, quibus adde coralli rubei,ſeminis plantaginis,myrtilorum,ceruſæ,boli armeni,& pulueris conchularum,quæ portantur ex beati Iacobi æde.an.ʒ.ij.ceræ.q.ſ.vt fieri poſsit vnguentum. Aliud pubi & lumbis apponendum, recipit ex citinis, ex gala, hypociſtide,bolo armeno,ſtercore caprino, an. partes æquales: ex cola, quæ fit ex pellibus bouis diſſoluta in poſca.ʒ. j.olei citoniorum & myrtilorum. an. ʒ. i. &.ſ.lento igne fiat emplaſtrum molle. Poteris etiam aliud conficere cataplaſma ex vitellis ouorum conquaſſatis,ex gypſo,pulueribus thuris,maſtichis,acaciæ, balauſtiorum quantum ſit ſatis,vt efformetur cataplaſma.Nec minoris momenti eſt emplaſtrum,quod conficitur ex carne citoniorum & pyrorum agreſtium,quæ vino rubro auſtero ſatis ferbuerit cum pulueribus prædictarum cõchularum,cornu cerui vſti,boliarmeni,gummi arabici,& farina oryzæ.Verùm quia ſæpe malũ eò

eò miſeriæ deuenire ſolet,vt ne maiora quidem prodeſſe videãtur,nõ eſt ab re alio vti præſidio,in quo maior inſit cõprimẽdi efficacia:hoc autẽ recipit, boli armeni,terræ ſigillatæ,ſanguinis draconis.an.ʒ.ij.thuris,maſtichis,myrrhæ.an.ʒ.j.pilorum leporis combuſtorũ.ʒ.ij,acaciæ,hypociſtidos.an.ʒ.ſ.ſeminis acetoſæ,ſeminis plantaginis,ſeminis portulacæ,& citoniorũ. an.ʒ.j.ſ.quibus adde olei omphãcini,& ſucci plantaginis.an.ʒ.vj.bulliant lento igne ad ſucci conſumptionem, ac mox adde ceræ quod ſufficiat,vt fiat cerotum. Huic quoque præſidiorum generi reduci facilè poſſunt encathiſmata ſeu inſeſſus, quæ paratu facilia ſunt, aliquo ex ſupradictis decoctis aut ſuccis leuiter calfactis.Atque hæc de Anaſtomoſi ſeu Diapedeſi ex tenui & fluxili humore prodeunte,dixiſſe ſit ſatis.

Humorum & corporis prouidẽtia Neceſſe proculdubio eſt in hac curatione interim dum hæc adminiſtrãtur, per interualla & ſtatas periodos corpori & humorũ motui prouidere,partim purgationibus repetitis,partim frequentibus diſtractionibus, ea lege, quã in prima huius capitis parte adduximus:quorũ etiam medicamentorum meminiſſe hac in parte vtiliſsimum fore cenſeo.Verùm ſi flaua bilis,quæ præ nimio calore,atq; mediocri acrimonia,quæ naturam ad motum excitare habeat,fluxus concitetur,iuuãte vaſorum raritate & anaſtomoſi,prouidendũ ſtatim eſt,poſt victus inſtitutionem,quæ nimis frigida nõ ſit,ne vẽtriculus & cætera viſcera,quæ ocyſimè affici in hoc affectu ac labefactari ſolent,frigiditate nimia lædantur: ob id moderatione vtendum eſt,& aliquando ad frigidum inclinandũ,ſubſiſtendum tamen. Aërem frigidiorem reddere oportet,ſomnũ conciliare omni arte,quietem & animi etiã tranquillitatẽ.A quibus quàm celerrimè flauã bilem purgare oportet,& vniuerſum ſanguinis impetũ alio transferre,ac bilis ipſius calorẽ & acrimoniã compeſcere,craſsioremq; & motui ineptiorem reddere,& meatus anguſtiores,& fluxui minùs paratos efficere.Purgabis verò flauam bilem(accepta priùs leui occaſione attẽperandi eius calorem & acrimoniam ſyrupo roſaceo,borraginis,acetoſæ,de agreſta, & ſimilibus)infuſo rhabarbari,decoctione tamarindorum cum corticibus myrobalanorum,& ſyrupo ſolutiuo roſarum,idque nõ ſemel,ſed bis debito interpoſito ſpatio,ea lege,quam ſuperiùs adduximus,ne eadem ſæpius repetere videar. Quibus præmiſsis vacuationibus,aut inter vnã & aliã quod rectius eſſe arbitror, ex altera aut vtraq; ſaluatela ſanguinem detrahes,penſatis tamen priùs laborantis fœminæ natura & habitu.Quo facto ex re erit,per interualla pulueris rhabarbari.ʒ.ſ.cum ſaccharo roſaceo,manè,bis,terue citra dierum intermiſsionem præbere: quod eſſe præſtantiſsimum auxilium frequenti experimento conſtat,& vacuandæ flauæ bilis nonnihil gratia,& cauſa comprimendi,roborandiue partes internas,& viſcera omnia,ne promptè ſanguinem defluere permittant.Quo ſanè auxilio iterato, interpoſitis aliquibus diebus,vti erit neceſſum,ſi rẽ ex voto cedere deſideras.Qua tenus verò ad ſanguinis diuerſionem pertinet,eiſdem poteris ingenijs vti, quæ in præcedenti cauſa didiciſti,hoc vno addito,quòd ſi diu fluxus perſtiterit, deriuationis gratia hæmorrhoydes hirudinibus aperire erit proficuũ.Nam coniectabile eſt,fæculenti etiã ſanguinis aliquid ſupereſſe, quod alterius mali principiũ præſtet, & præexiſtenti robur addat. Verùm præcipuè hoc præſidio vti oportebit deriuationis gratia,& vt altero fluxu excitato,facilè præexiſtens ſubſiſtat.

De flauabile.

Quæ eporta flauã bilem frænent. At fluentem flauam bilẽ,& motos etiam ad vterũ humores frẽnare nõ erit difficile,ſi quis exactè expẽderit,qualia medicamenta huic vſui proficua exiſtãt: non enim quouis aſtringentium indiſcriminatim vti poteris, ſed ſolùm eo,quod cum hoc quòd aſtringat, refrigeret quoque & attemperet, admixtis etiam alijs

quæ

quæ leniendi,& acrimoniam ac mordacitatẽ obtundendi vires habeant,ne flaua bile intempestiuè impedita ac detenta,maius faceſſat malum. Quamobrẽ potui datam proficuam eſſe cenſeo ſtillatitiam aquã,in qua hæmatites confricetur, donec ipſa aqua rubeſcat: prodeſt etiã lac aſinæ,cremor condri,aut ptiſanæ, ſyrupus de agreſta,& roſarum viridium,ac ſiccarum,ſyrupus borraginis, bugloſæ, de ſucco acetoſæ,de papauere, cum decoctis hordei,plantaginis,lactucæ,ſolani,ſideritis,poligoni, ſymphyti,roſarum,papaueris,aut cũ aqua,quæ pluries extinxerit ignitum aurum:ex quibus & alijs eiuſdem naturæ,ſtilloticas aquas conficere poteris,& varias parare potus differentias. Qua ſanè auxilij forma frequentiùs vti in hoc affectu neceſſum eſt,potiùs quã ſolida,aut ex ſiccis pulueribus cõfecta: renuet enim hæc,& fortaſſe exacerbabitur magis id genus medicamentis natura peccantis humoris,etiamſi dum fluxus indicatio vrgentior eſt ea quæ ab humore præſtatur indicatione,neceſſum ſit aliquid eorum medicamentorum, quæ ſuperiùs retulimus,his potibus admiſcere. Quæ omnia frigida adhibenda ſunt: nam & frigidæ potus proficuus etiam eſt, quippe qui ſolus hæmorrhagiam omnem ſiſtere habet. Quibus etiam potationibus addere poteris (dum prædicta indicatio præualuerit) aliquid,quod vorando ingeratur,& eundem vſum præſtet,velut eſt opiatũ, quod recipit conſeruæ roſarum antiquæ.ʒ.j.cõſeruæ ſymphyti.ʒ.ß.trochiſcorum de carabe.ʒ.j.boli armeni.ʒ.ij.ſanguinis draconis.ʒ.ß.ſyrupi de roſis ſiccis,vel myrtylorum quod ſufficiat,vt fiat opiata. Eandem quoq; gratiam præſtat illud, quod recipit, ſymphyti & carnis cydoniorũ ſaccharo conditorum.an.ʒ.ß.cõſeruæ roſarum antiquæ.ʒ.j.trochiſcorum de ſpodio,& de terra ſigillata.an. ʒ.j. pulueris diamargaritonis frigidi,& diapapaueris albi.an.ʒ.j.ſyrupi cydoniorũ quod ſufficiat,vt fiat opiata. Cuius quantitas exhibenda eſt ad magnitudinem fabæ cum aqua plantaginis. Item aliud conficies, quod recipit conſeruæ roſarum. ʒ. ij. pulueris coralli rubei.ʒ.j.pulueris electarij de gemmis ſine ſpeciebus,aut margaritarum. ℈.ij. cum aqua roſacea fiat conditum. Præter quæ etiam vſui proficua eſſe experimẽto conſtat catapotia Meſues de bdelio,trochiſcos oxicanthæ,ſigillum lemniũ,trochiſcos de vulgari electro,de ſpodio,corallũ ſumptum cum ſucco granatorum,philonium item perſicum,pondere.℈.j.

Quæ in vterum miſſa flauam bilem compeſcunt.

Quæ in vterum huic vſui immittenda ſunt præter aſtrictionem,vt de epotis retulimus,frigida quoque eſſe conuenit,cum hoc quod lenem & mulcebrẽ ſubſtantiam nacta ſint. Huius cenſus ſunt clyſteria,quæ ex lacte aſinino,& modico plãtaginis ſucco parari à multis ſolẽt,& ea etiam,quæ ex cremore cõdri, aut ptiſanæ,ex aqua decoctionis hordei & orizæ torrefactorũ,& ex ſanguinaria & conſolida maiori cum roſis,& ſyrupis roſarum,aut myrtilorum. Poſſunt etiam huic vſui adhiberi aliqua ex ijs,quæ in præcedenti cauſa diximus,veluti eſt illud,quod recipit mucillaginis ex gummi arabico,& tragacãtho cum aqua plantaginis,chalybeata,aut aqua ex hordeo decocto,& per inſtillationẽ detracta.ʒ.iiij.ſucci plantaginis.ʒ.iij. Id quoque beneficium præſtat peſſarium (incredibili quadam efficacia) confectũ ex lythargiro,bolo armeno,& albumine oui. Verùm quia in huiuſmodi cauſa concitari ſæpe ſolent grauiſſimi dolores,ob id cogimur frequenter ad narcotica confugere, vt ſuperiùs diximus:in quem vſum conficimus vterina clyſteria ex aqua vel ſucco portulacæ,ſanguinariæ,plantaginis & ſolani cum modico philonio perſico,aut (quod magis probo, ni dolor aut fluxus vehementior ex vteri ſenſibilitate factus fuerit) ex collirio albo Raſis appellato: quibus addere poteris trochiſcos de carabe,ſpodio,& de terra ſigillata,quibus prudenter vti conuenit, ne aut ſterilis fiat

fiat mulier,aut aliud vitium contrahat,præſertim ſi imbecilla facta fuerit. Cui etiã præſidiorum generi adiungere par eſt ſuffitus roſarum,myrtilorum,& earum rerum,quas frigidas ſine maxima aſtrictione eſſe diximus. Verũ ſuffitus bilioſa cauſa prædominante non debent fieri ex re plurimùm cremata,ſed vehemẽter calefacta,ita vt aliquid ex ea citra vſtionem euaporet. In qua ſanè cauſa placent magis encatiſmata,quæ fieri poſſunt ex aſtringentibus aqua chalybeata elixis, cum his quæ modicè leniant.

Quæ exteriùs adhibẽda ſunt.

Exteriùs autẽ mitescenda quoquè eſt bilis acrimonia & calor medicamentis, quæ præter aſtrictionem, refrigerandi etiam idonea ſint, veluti eſt vnguentum, quod recipit, olei myrtini, nenupharis,& citoniorum. an. ʒ. ij. ſucci plantaginis, vel linguæ paſſerinæ, aut ſemperuiuij. ʒ. j. ß. coquantur ad conſumptionem ſuccorum: quibus adde coralli rubei, ſeminis plantaginis,myrtilorum,ceruſæ,& boli armeni.an.ʒ.j.ceræ quod ſit ſatis,vt fiat vnguentũ,quo renes & prope os pubis fœmina inungatur. Vtile quoq; huic vſui erit illud,quod recipit,ſucci lenticulæ paluſtris,conſolidæ maioris, & agreſtæ.an.ʒ.j.ß.olei citoniorum, nenupharis,& roſarum.an.ʒ.ij.coquantur ad conſumptionẽ ſuccorũ,& adde ſanguinis draconis,trochiſcorũ de carabe.an.ʒ.j.aceti cocleare vnum,& ceræ quod ſit ſatis. Vel inungere etiam prædictas partes non erit ab re vnguento roſaceo,aut refrigeranti Galeni,præſertim ſi eis miſcueris nõnihil terræ ſigillatæ,pulueris cornu cerui vſti, coralli,roſarum,myrtilorum,ſeminis plantaginis,aut acetoſæ,& aliarũ rerũ quarũ ſuperiùs abundè meminimus.

Monitum tamen velim hac in parte lectorẽ,ne interim dum hæc adhibet, omnino à purgantibus pharmacis, aut leui aliqua ſanguinis detractione,vel diuerſione,& ab alijs auxilijs,quæ ſuperiùs præmittenda eſſe diximus,ſubſiſtat, ſed prout vires tolerare viſum fuerit,aut morbum expoſcere,hoc,illoue præſidio vti erit neceſſum: cauentes tamẽ ne nimia auxiliorum copia,& naturæ opus præpediamus, & tædium,ac moleſtiam fœminis inferamus.

Ex diruptо vaſe.

Vltima porrò cauſa ex ijs,quas huic malo principium præſtare diximus,procul dubio eſt ipſe vteri affectus,qualis eſt venarum exeſio, aut diruptio à re ſoluente continuum facta,vel ab humore mordaci exedente & acri excauata. Quo tẽpore conſiderandum eſt,an vrgeat magis fluxionis impetus quã affectionis natura: nã cũ vera curatio ſit per cauſæ ablationem,tunc in hoc malo ea curatione vtendũ eſt,cùm fluxio nimis non vrgeat,quod in menſtruis non vrget,donec vt Auic. refert,vires quodãmodo concidere videantur, ac ſi id accidat cauſa poſthabita fluxui intẽdendum eſt: ſin aliter,vera curatione vtendum,quæ fit per morbi venarũ aut vteri ablationẽ. Sic profectò vbi ex intrinſeca violentia vaſis diruptio accidat, aut ex ſubita & magna animi paſſione (nam à laborioſo partu vel aborſu proficiſcentis ſuo loco latiùs meminero) inſtituta parca victus ratione, quiete, ſanguine ex brachijs aut ſaluatella miſſo ſemel,aut bis,vel ter,ſi mulier boni habitus fuerit: exteriùs quidem ac per vterũ adhibenda ſunt quæ agglutinandi vires habent. Cui vſui in vterum immittere oportet albumen oui fortiter agitatum per ſe ſolũ, vel cum pulueribus gummi Arabici,tragacanthi,amyli,aut plantaginis. Præſtat idẽ beneficium ſuccus ſanguinariæ,vel ſuccus radicis philipendulæ, puluis quoque earum radicum,& rhu,balauſtiorum,& conſimilium in prædicto oui candido,aut decocto,vel ſucco aliquo ex prædictis in vterum immiſſus. Quòd ſi diruptio venis ceruicis vteri accidat,aut ex hæmorrhoydibus vteri profluat, peſſarijs ex prædictis rebus confectis,& bolo,aut farina volatili,vel terra lemnia rẽ agere oportet.

Sed

Sed maioti efficacia confert peſſus,quod recipit triferæ,micletæ,athanaſiæ.an.ʒ.ß. hypocyſtidos,acaciæ,boli armeni,ſanguinis draconis,radicum conſolidæ maioris, arnogloſſæ,gallarũ.ana.ʒ.ß.mixtis fiat peſſus,ad cuius penſum ex ſupradictis ſimplicibus, & ijs,quæ paulò inferiùs referam,facile cuiuis vel mediocriter exercitato erit, plura alia huic vſui proficua effingere. Sic & iniectiones proſunt ex decocto fragariæ,cumini,burſæ paſtoris,cornu cerui,lyſimachiæ,myrti,nymphææ,glãdis,corticum balauſtiorum, vuis paſſis,additis pulueribus maſtichis,thuris,myrtilorum. Sed maximè in hac cauſa prodeſt iniectio quæ recipit foliorum plantaginis, poligoni, agrimonij, ſcolopendrij quod ceterach officinæ vocant, myrti, lentiſci vel ſummitatũ rubi. ana.m.j.decoquantur ex aqua ferrata,aut in qua plumbũ feruens extinctum fuerit & decocti excipe.ʒ.iiij.ſyrupi de roſis ſiccis vel roſarum.ʒ.ij.olei roſacei omphancini.ʒ.j.miſce,& proijce. Quod etiam præſidium parabis ex ſtillotica aqua ex ſero & prædictis herbis ac pyro ſilueſtri & viridibus lentibus cũ ſaccharo aut ſyrupo roſaceo,ſi poſtea candens ferrum in ea ſæpe extingatur.Partes quoque ſupernas frequenter perfricare oportet,vinculiſque ligare; item ſyrupis & apozematis vti,quæ & ſanguinem denſent,& motum cohibeant: quorum materiam abundè dixiſſe cenſeo.

Sed multa quidem ſunt,quæ deuorata, aut exteriùs adhibita peculiari quadam efficacia ſanguinem ex aliqua harum cauſarum proficiſcẽtẽ ſiſtunt, veluti ſunt trochiſci de terra ſigillata, de carabe ſeu acacia, hypocyſtidos,cornu cerui: prodeſt & bolus armenus,corallum puluerizatum,puluis conſolidæ maioris,florum cytonio rum,margaritarum,mumiæ,& myrtilorum, cuiuſlibet.ʒ.j.cum vino vel aqua ferrata,vel decoctione corticum granatorum,radicum nenupharis, vel ſucco ſanguinariæ,plantaginis,vel portulacæ. Verũ ſi ſanguinis profuſio vlteriùs pergat,aliquo ex prædictis liquoribus diſſolues athanaſiæ.ʒ.j.ß. Præſtat & puluis picis nauallis,vel peoniæ, aut cinis corticum ouorum quantitate.ʒ.j. item cinis ſtercoris capri ni.ʒ.j. cũ aqua pluuiali. Cõfert ſyrupi myrtini.ʒ.j.aquæ plãtaginis.ʒ.j.ß.ſucci ſtercoris aſinini.ʒ.j. Præſtat etiam non minorem gratiam id medicamentum, quod recipit, conſeruæ roſarum.ʒ.j.ſyrupi papaueris.ʒ.ß. pulueris coralli.ʒ.j. margaritarum, & trochiſcorum de carabe. ana. ʒ.ß. terræ Lemniæ.ʒ.ij. miſce, & fiant boli deaurati. Ex quibus non pauca poteris conficere, quæ non ſolum huic cauſæ, verum & reliquis, cauſa ſemota prodeſſe poterunt.Exteriùs verò cataplaſmata adhibenda ſunt,qualia conficiuntur ex albuminibus ouorum cum pulueribus roſarum,myrtilorum,thuris,& maſtichis,cum gypſo etiam ſubtiliter in puluerem redacto,& alijs pleriſque: quorum vberrimam copiam reperies facilè lib.ʒ. noſtro de indicatione præſidiorum.Cæterum peculiariter vtero ſic affecto conferunt varia auxilia, quæ hucuſque retulimus, ſed peculiariùs fotus, qui paratur ex decocto caudæ equinæ,lentiſci,foliorum myrti,pyrorum,prunorum,ſeruarum,ſymphiti,corticum interiorum quercus,roſarum,virgæ paſtoris,biſtortæ,& gallarum cum aqua pluuiali, vel ferrata: cuius etiam per infundibulum euaporationes prodeſſe poſſunt:ſicut ſuffumigia hoc modo parata.Excipe colofoniæ.ʒ.ß.ſpodij,boli armeni,papaueris nigri,hioſcyami.an.ʒ.ij.conquaſſentur, & ſuper prunas poſita ſuffumigium excipiatur. Vngere etiam vteri regionem antè & retrò vtiliſſimum eſt, vnguento quod recipiat,olei myrtini.ʒ.iiij.olei maſtichini, ſucci plantaginis ana. ʒ.ij.ſumach,myrtilorum,hypocyſtidos,terræ ſigillatæ,boli armeni.an.ʒ.ij.ß.ſpodij,roſarum.anna.ʒ.j.hordei vſti.ʒ.ß.ceræ quantum ſit ſatis.Eſt autem aliud vnguẽtum huic vſui pretioſum,nonnullis tanquã ſecretum habitum, quod recipit corticum

media-

medianorum caſtanearum,& etiam arboris glandium,myrtilorum,gallarum,corticum fabarum,corylorum,vuarum immaturarum,glandium, ſorbarum ſiccarũ, meſpilorum immaturorum,radicum chelidoniæ,foliorum pruni ſilueſtris.an. partes æquales,contuſa coquantur in aqua plantaginis,& poſt collaturam accipe olei myrtini quantum vis,in quo conuenientem ceræ quantitatem diſſolue, poſteà in prædicta decoctione laua ſæpiùs innouata coctione, vel ex decocto accepta ad vnã lotionem ſufficiente quantitate, & factis ſufficiẽtibus lotionibus accipe corticum caſtanearum,quercus & arborum gallarum.an.partem.j.cineris oſsium cruris bouis,ſeminis myrtilorum,corylorum,vuarum immaturarum. an. partem mediam, fiat puluis ſubtiliſsimus,cuius accipe partes duas, trochiſcorum de carabe partem. j.& fiat vnguentum cum oleo & cera ſupradictis.Conficies etiam aliud non minoris momenti, quod recipit acaciæ,hypocyſtidos, terræ ſigillatæ, trochiſcorum de carabe,colofoniæ.an.ʒ.ß.fiat puluis,quem ſucco plantaginis admiſce, addito modico aceto,& fiat emplaſtrum. Aliud parare poteris, quod recipit pulueris cornu cerui vſti,papiri combuſtæ, limaturæ ferri præparatæ.an.ʒ.j.pulueris corticũ glandium.ʒ.ij.miſce,& cum albuminibus ouorum, & modico aceto cõfice emplaſtrũ. Vel ſic aliud confice:excipe maſtichis,olibani,mumiæ,ſanguinis draconis. an. ʒ.j. facto puluere, efforma cataplaſma cum albumine oui, ſucco artemiſiæ,& caudæ equinæ.Præſtat non minùs emplaſtrum ex lumbricis terræ,thure,& albumine oui factum.Item ſuccus vrticæ Græcæ in bombace ventri appoſitus.Expendat tamen hac in parte lector, duplici motum ratione tot aſtringentia auxilia me adduxiſſe, quamuis certum ſit,ijs fluxibus,qui ex diruptione fiunt,propriora eſſe quæ agglutinandi potentiam habent pharmaca, tum vt alijs fluxionibus aſtringentium ſubſit vberrima copia,& ex hac parte medicus exquirat; tum verò quia maius ſæpe faceſsit negotium fluxio,quàm continui ſoluta vnitas,& ob id aſtringentibus præſtò eſſe oportet,ne ex nimia profuſione maius aliquod damnum ſubſequatur,præterquam quòd fluente ſanguine agglutinari vlcus non poteſt,& ob id neceſſe eſt primò fluentem ſanguinem compeſcere.

Ex vena extſa.

Quòd ſi fluxio ab exeſa vena proficiſcatur,longè diuerſa ratione curãdi methodum inſtituere oportet.Proficiſcitur etenim hoc malum ab exedenti,vitioſo, & acri humore,qui ſenſim abraſis vaſorum tunicis viam foramenq; quo proſiliat,ſibi parat.Quapropter triplex erit in vniuerſum curandi ratio,prima,quæ cacochimiã ſeu vitium humorum reſpiciat ſecunda,quæ factam exeſionem curet:tertia verò, quæ fluxui prouideat.Iuxta primam indicationem victum ea lege primò inſtituere oportet,qui ſufficiens ſit vitioſum humorem attẽperare, & meliorem deinceps conficere.Cuius rei gratia alimentum optimi nutrimenti,& glutinoſæ ſubſtantiæ eligere oportet,quo paulatim ac frequentiùs vti erit neceſſum.Eſt autem huius naturæ auium domeſticarum caro,iuſcula,amylum,panatela ex iure, aut lacte amygdalarum confecta.Item ex oleribus,lactuca,portulaca,borrago,& ſcariola. Præſtat quoq; eundem vſum ius,aut caro extremitatum capreoli,arietis,porcellorum, aut agni. Cui etiam vſui is potus eligendus eſt,qui paretur ex aqua,in qua ſæpiùs aurum extinguatur,vel ex decoctione radicum bugloſæ, vel admixta ſtillatitia ex portulaca.Curandũ itaque,vt is humor in corpore ex alimentis ſuccreſcat,qui præexiſtenti ſit omnino contrarius,tum vt cæteros corrigat,tum verò vt vlceri curando ac renutriendo,lentore & bonitate ſit idoneus. Corrigimus quoq; præexiſtentem humorem ſyrupis & apozematis,nõ quidem aſtringentibus primo morbi acceſſu,vt in prædictis cauſis, ne partibus fixiùs adhæreat humor, vehementiùſque

erodat; sed ijs sanè, qui attemperandi, leniendi,& mitescendi humorum acrimoniam, vim habeant. Cuius modi est syrupus bugloſæ, borraginis, roſarum, granatorum, portulacæ, & papaueris. Inter quos peculiari quadam dote præpollet is, qui ex portulaca conficitur,& ij omnes, qui parantur ex mucillaginibus,& cre more hordei,& alij cõsimilis naturæ. Siſtit quoq; fluxum, & humores mirè corrigit mucillago cytoniorum diſſoluta aqua capitum roſarum vel plantaginis, aut ablutionis boli armeni. Confert item aqua ex ablutione amyli, boli, aut terræ ſigillatæ cum conſerua roſarum. Quibus proculdubio frænatum humorem leuibus medicamentis, ſed electorijs per epicraſim purgare oportet, tum ne conferta vacuatione inteſtina dyſenteria periclitentur, tum verò quia huius conditionis humores hac purgatione gaudent magis, vt rurſus paulatim corpus mitioribus renutriatur. Purgabis igitur rhababari infuſo, infuſis etiam corticibus myrobalanorum in ſucco granatorum, aut in aqua lactis, vel ſucco portulacæ. Item proficua erit huic vſui manna, caſia, ſyrupus infuſionum è roſis Hiſpanis. Confert item ſuccus roſarum extractus cum aqua infuſionis rhabarbari ad formam largioris ſyrupi cũ ſaccharo redactus. Renuũt etiam ferè omnia huiuſmodi fœminarum corpora ſanguinis detractionem: tum quia affectio ſuapte natura id interdicit, tum quia huic humorum vitio & corruptioni ſemper vires adiunguntur debiles. Quocirca (vt conſulit ſecunda huius affectus indicatio) diuerſionibus ad diſtantiores partes factis, vitioſum ſanguinem ab affecto loco diſtrahere oportebit ſuperiorum partium frictionibus, & vinculis, & cucurbitis etiam frequenter ſcapulis adhibitis citra vllam ſcarificationem. Quibus omnibus primitus factis, licebit ſyrupis, & potionibus ex ijs, quæ modicè aſtringunt quantum ſit ſatis, vt humores firmiores, fluxuique ineptiores reddantur, admiſcere: quæ quidem ex eis, quæ ſuperiùs diximus, facilè colliges. Conſulit verò tertia huius mali indicatio, vlceri ſeu exeſioni venarum prouidere: primo ijs medicamentis, quæ foramen obſtruendi vires habeant, qualia ſunt emplaſtica omnia, ſola, aut cum agglutinantibus admixta. Quem vſum præſtant bolus armenus, terra ſigillata, puluis farinæ volatilis, amylum, mucillagines omnes,& gummi, vel ſuccus portulacæ: quæ omnia aqua chalybeata plantaginis, aut capitum roſarum diſſoluta in vterum immiſſa ſummopere proſunt. Quippe eiſdẽ obturato foramine, natura (cui id munus incumbit) ex optimo ſanguine, carnem citra fluxus impedimentum cõficere poteſt, partemq; renutrire. Id etiam prædicta pharmaca præſtant beneficium, vt ſi quis ad huc humor acris & mordax ad affectum locum confluxerit, minùs poſsit exeſionẽ efficere: nam & impediũt ſuo lentore, quominus fiat,& humoris vitium corrigũt: certum etiam eſt, & fidiſsimum experimentum, radicis philipendulæ. ʒ. j. ſingulis diebus in ouo foruili ſumptã incredibili efficacia ſanguinem omnem ſiſtere, ſed maximè ex vtero. Sed efficacius præſidium facies, ſi ſerapium cum ſaccharo ex ſucco eiuſdem radicis confeceris, cuius laborans cum dormitura eſt. ℥. j. ſumat. Partibus item externis, ex prædictis medicamentis varia confici poſſunt. Sed vſui probatum magis mihi eſt id, quod conficitur ex albumine oui fortiter agitato,& pulueribus gummi tragacanthi, aut Arabici, boli armeni,& ſanguinis draconis. Item aliud conficitur ex ſucco burſæ paſtoris,& farina tritici, vel amylo, igne leuiter ſpiſſatis. Aliud quoque facile & vtile parabis ex farina volatili, modico gummi,& albumine oui, necnon & emplaſtrum diaphenicon appellatũ. Ex quibus omnibus additis, quæ modicè aſtringunt (præſertim ſi vitiũ humoris iam correxeris) non erit difficile varias pharmacorum effingere formas huic vſui proficuas. Verùm omni

cauſæ

cauſæ præualenti ferunt prodeſſe ſuccum chelidoniæ mammis appoſitũ: de quo creditur vteri ſanguinem vehementer ſiſtere. Quod etiam referunt de moro & eius fructu, ſicut de ſucco oleæ vuluæ in panno admoto. Quibus præmiſsis, ſi nihil profuiſſe compertũ ſit (quauis exiſtente cauſa) narcoticis vti oportebit, & ijs quæ ſomnum concilient: qualia reperies abũdè lib. noſtro. 2. de auxiliorum indicatione, cap. de anodynis. Quibus in hoc caſu cautè eſt vtẽdum: nam ſuſpicari oportet, frigidiorem eſſe fœminam, quàm vt poſsit narcotica tutò ferre.

Quòd ſi fluxus ex ſuppreſſa aliqua vacuatione ſuboriatur, præter prouocationẽ antiquioris fluxus, eiſdem omnino præſidijs iuxta morbi & humoris rationem vti liberè poteris, ſicut & alijs pleriſque, quæ apud barbaros experta habẽtur: quorum magnam ſiluam reperies apud Sauanarolam.

De menſtruorum ſuppreſsione. Cap. IX.

IMmunes eſſe à menſtrua purgatione fœminas, multis modis contingere poſſe, eſt compertum: quippe aut ætatem nondum nactæ ſunt conuenientem, aut ſenectute iam contabuerunt, ſiquidem ſtatutum habẽt menſtruationis principiũ, & finem: ita vt nec anteuertere, nec tardare ſalubriter alicui fœminarũ datum ſit. Item alijs, vt dictum eſt, menſes deficiũt ex natiua quadam ſtructura huic vacuationi omnino inepta, licèt familiari & genuina: plurimis, quia grauidæ factæ ſunt, aut laboribus, ac ruralibus exercitijs deditæ, conuenientem & ſuperabundantem ſanguinem conterunt,& conſumunt. Alijs quidem menſes ſupprimũtur morboſæ alicuius cauſæ interuentu, quæ morbo priùs excitato in hoc ſympthoma prorumpit, à quo poſtmodum mille alia ſuboriri comperimus. Sed antequam ad peculiarem affectum huic capiti dicatum, deſcendam, operæpretium duxi docere, menſtruam purgationem, cum actio ſit alicuius potentiæ & partis, tot poſſe pati læſionum differentias, quot quæuis alia corporis pars. Nam aut ex toto aufertur vel diminuitur, aut mille modis vitiatur. Verum de his duobus vltimis vitijs ſingulari diligentia ſum acturus: de primo verò, qui varias & graues habet cauſas, tantùm hac in parte agere, nobis eſt in animo. Eſt igitur menſium ſuppreſsio ſympthoma de genere eorum, quæ retinentur immodicè, pertinens quidem ad abolitam omnino actionẽ: quam ſanè alicui facultati propriè reducere eſt perdifficile, niſi abuſiuè, eo quòd ſæpiſsimè accidat, fœminas menſtruis carere, facultatibus expultrice aut retinente minimè affectis. Cum hoc tamen vniuerſam huius ſympthomatis naturam illis, vel earum alicui referendam eſſe cenſeo, modò vitium inſit in vtero, modò aliunde proueniat: vtcunque enim ſit, contingit aut ipſis omnino ociantibus defectu materiæ menſtruorum, aut nequeuntibus ob aliquem morbum munus ſibi commiſſum perficere. Cuius affectionis adamuſsim meminiſſe Galenum conſtat lib. 3. de cauſis ſympth. Morbus tamen, à quo prædictæ facultates vitiantur, nec vnus eſt, nec vni cuipiam parti dicatus, ſed multiplex & diuerſus, iuxta naturam cauſæ, quæ nata eſt hunc affectum excitare. Vtcunque tamen ſit, actionem hanc vitiari contingit, aut facultate expultrice vteri ex morbo in temperamento partis labefactata, aut obſtructione meatuum, quos huic vſui natura fabrefecerat. Vltimò item facultas vitiatur, aut (vt rectiùs loquar) ociatur, à morbo per conſen-

ſum,ſibi præſtita non operandi occaſione ob defectum materiæ. Quæ ſanè culpa reijcienda eſt in totius corporis, aut alicuius membri vitium: cuius munus ſit, vtero ſanguinẽ impartiri,morbũ,vtero aut eius facultatibus minimè patientibus.

Quales cauſa.

Cauſas verò huius affectionis ad vnguẽ narrare & exquirere nullus eorum qui id opus tentarunt,abſoluit:tam enim variæ ſunt,difficiles & abditæ,vt mirum non ſit,ſi neq; nos etiã eas omnes cõplecti valeamus:conabor tamen methodo & ratione id opus aggredi.Tribus itaq; cauſarũ generibus cõtineri huius mali cauſas omnes,cõpertũ eſſe reperio eruditis & præſtãtiſsimis in hac arte viris. Primũ quidem facilè ad vniuerſum corpus reduces:ſecundũ ad ſanguinem ipſum: tertium verò & vltimum ad vterum & vaſa illi ſubſeruientia: quibus addes externam cauſam, quæ non minoris ſolet eſſe momenti. Præſtat porrò huic affectioni corpus cauſam,nimirum, quia ad vterum non pellit ſanguinem:quòd verò non pellatur,cauſa eſt,aut penuria, aut auerſio,aut immodica abundantia.Nam cùm nimis ſanguine plenum corpus eſt,ſibi vias obcæcat,ne ad inferas ſedes delabi poſsit. Penuria verò cõſtat,dum ſolito factum eſt obeſius:hæc etenim corpora pauciſsimi ſanguinis eſſe monſtrat venarum anguſtia:quæ licet natiua non ſit,ſæpe pinguedinis & carnis mole talis efficitur,& pinguedo ipſa,in quã maior pars ſanguinis cõcreſcit, ac degenerat. Et quamuis ſuppreſsio menſium ex hac cauſa ſuborta rarò in affectum prorumpere aſſueſcat,tamen quia ſteriles omnino reddit fœminas, conſiderandaquoq; hac in parte eſt.Corpus etiam ex diutino aut graui morbo, vel inedia gracile,excarne,& exangue factum huius affectus ſæpe fuiſſe principium,frequenti obſeruatione eſt compertum.Hoc dixerim,ne quis intrepidè curationem his ita exiſtentibus aggrediatur.Item defectu optimi ſanguinis id quoque accidere conſtat,in ijs præſertim fœminis,quæ malo corporis habitu laborant:in quibus etiam ſi plurimum de prauati,aut ſemiconfecti ſanguinis redundet,ad vterum tamen nihil trãſmittere curat natura.Nam tantùm ei parti cõmittit, quod vtile generationi eſſe ex inſtituto cognoſcit,niſi errãs.Illud verò, cùm vitioſum potiùs & excrementoſum ſit,quàm in quanto peccans,tranſmittere nõ laborat. Quò fit vt menſtrua huiuſmodi fœminis omnino deficiant.Alijs quoque nõ effloreſcunt, ſi menſtruis minantibus,aut erumpentibus, laborioſo alicui totius corporis exercitio,vel alicuius partis ſe dederint. Veluti cantatricibus frequenti experimento contigiſſe conſpicimus,euocato ad ſuperiores partes ſanguine. Sicut alijs repulſo,frigidi alicuius acceſſu,vt cõtingit ijs,quæ incauta viuendi ratione ſeductæ crurum lauacris prædictis temporibus vtuntur,aut ſeſe pedibus manibuſq; in aquam immergunt,vt ſæpe mulierculis ſeruituti addictis accidiſſe viſum eſt.Quod etiam fieri ex timore, mœſtitia, & alijs animi perturbationibus mihi non eſt dubium.Si cuti ſanguinolẽtæ vacuationis interuẽtu,modò per hæmorrhoydes,per nares,aut per os fiat.Idem quoque efficit ſudor largus,aër calidus,& repẽtinus frigidæ potus, labor,& ea omnia,quæ vtcunq; ſiccandi vel cõprimendi corpus vim habẽt, velut febres,aut morbi alij acuti,ſanguine dẽſato,reſoluto,vel nimis vſto efficiunt. Pari ratione res ſe habet in viraginibus,robuſtis,exercitatis & nimis calidis fœminis,in quibus & ſuperabundans & vtilis etiam conteritur ſanguis. Sanguinis etiam fluxuri vitio ſuppreſsionem fieri,nemini eſſe dubium arbitror. Fit autem huic purgationi ineptus,dum craſſus,lentus,copioſus,aut parcior iuſto efficitur.Præ craſsitie enim conſueta vaſa ac foramina permeare nequit. Præ lentore moueri nõ poteſt, quia partibus,& venarum tunicis atq; oſculis adhærens expultrici vel vehementer operanti reſiſtit.Sic dũ copia abundat,ſeipſum impedit,viaſque præ plenitudine

tudine ad vaſa,recludit. Quò fit,vt permeare liberè minimè poſsit.In qua ſanere ſtatuendum eſt,menſtrui ſanguinis duplicem eſſe craſsitiei differentiam & cauſam:quippe aliquando obſtruit ipſemet vias,quãtumuis expeditæ ſint,quòd ipſe vt nuper diximus,ſua ſponte aut ex alterius permixtione craſſus exiſtit,aliquando verò craſſus efficitur, quòd coërcitus & concluſus in vteri venis exiſtat. Namque tunc ex permiſtione nigræ bilis cum pituita lenta fiunt menſtrua. Qua ratione factam atram bilem,cenſeo maximè viſcoſam ab Hippo.fuiſſe appellatam lib. 1. de natu.hum.non quòd ipſa vt aduſtione ex bile oriatur,talis cenſeri poſsit: ſic enim ſummopere adhæret,ita vt ſi viæ patentiores fiant cum hoc tamen fluere nequeãt, & ob id menſes non fluant.Dum verò parcè in vteri vaſa cõgeritur,etiã ſi in toto corpore redundet (nam hic non loquimur de paucitate,quæ in toto corpore ineſt, ſed de ea tantùm,quæ in vtero reperitur)cùm naturam non grauet,minimè ad excretionem accingitur.Vt frequentiſsimè contingit in ſplenis,iecoris,aut meſerei obſtructionibus,à quibus menſes ſupprimuntur.Et ob id totum corpus pletoricum efficitur, etiam ſi præ ſanguinis paucitate in vtero,menſes ab eo non profluãt.Morbi quoque,qui vtero ipſi accidere ſolent,frequẽtiſsimè menſium ſuppreſsioni cauſam præſtant.Quippe aut morbus fit in propria vteri ſubſtantia, aut ob eius intẽperamentum,aut fit in vaſis vteri per quæ ſanguis purgatur, vel prauam nactus eſt figuram:quod Hipp.vt potiſsimam lib.de morb.mulie.aſsignauit cauſam:itẽ quæuis in vteri oſculo aut corpore vlceratio ſtatas mẽſium periodos euertere nata eſt, ac diſces ex puris fœtidioris,quàm ſi citra vlcus mẽſes ſupprimantur,fluore.Quoad primum huius diuiſionis membrum, conſtat Galen.3.de ſympthom.cau.cap.8.& 5.aphoriſ.28.optimè dixiſſe, cùm referat difficulter purgari fœminas quæ vteros habent denſos & duros,modò id à natura, modo ex caſu proueniat.Sic temperatura frigida aut ſicca,vel ex his compoſita, facilè in id vitium fœminam defert:quod probauerat Hippocra. lib. de locis aqua & aëre.Pari prorſus ratione vteri vaſa id vitium moliuntur, dum aut nimis arcta ſunt natura, vel aliqua occaſione anguſtantur. Itaque quæuis prædictarum cauſarum vterum diſponere nata eſt propria vi,vt vel non ſuſcipere,vel non tranſmittere poſsit. Non ſuſcipit quidem ob venarum affectionem, modò ex frigore denſentur prædictæ venæ: modo ſiccitate excaleant & contrahantur. Vtcunque tamen hæ cauſæ operentur, ad meatus ipſos obſtructos aut compreſſos reducere, proculdubio æquum eſt: quos quidem inflammatio vteri, vel partium vicinarum comprimere nata eſt: obſtruere verò, vel immodica ſanguinis copia ibidem congeſta,vel ſanguis ipſe craſſus, aut humor alius viſcidus & craſſus etiam oſculis & tunicis venarum adhærens, vt ex Galen. colligitur facilè comm.2. in lib.de humoribus, & lib. 3. de ſympthо. cauſ. cap.4.& lib.de differ.ſympthо. cap. vltimo,& li.6.de lo.patien.cap.4.Vteri verò inflammationem dupliciter hac in parte intelligere oportet,eam nimirum,quã mox diximus,tumorem videlicet durum,dolentem:aut inflammationem,hoc eſt,incẽſionem. Cuius latè meminit Hipp. lib.de natu.mul.his verbis.Si vteri inflammati fuerint,menſes omnino non prodeunt, aut praui & pauci,& cùm ieiuna eſt,vomitus ipſam corripit:vbi verò quid ederit, vomit cibos,& dolor imum ventrem ac lumbos habet,& animi deliquium inuadit.Venter autem aliquando durus eſt, & inflatur,ac magnus fit,& putat ſe in ventre habere. Si verò contigerit plenitudo illa,vacua fit.Quibus verbis & alijs,quæ ſequuntur,euidenter conſtat,huius inflammationis Hippo.meminiſſe,non tumoris præter naturam. Præterea eandem ſuppreſsionem molitur vteri retractio,aut cõtorſio,vel deprauatus ſitus,qui aut ex

morbo aut partu supereſt, aut natiua conſtitutione ſuboritur, quippe aliquando conniuet oſculum vteri, aut diſtorquetur, aut euertitur pars quædam pudendi. Quippe è directo vtrunque vteri foramen oportet reſpondere, alioqui menſes nõ fluent, vt etiam ex Hippo. lib. de nat. mul. conſtare videtur, & lib. de mor. mul. per hæc verba. Poſtquam igitur mulieri, quæ non peperit, occultati fuerint menſes, & viam foras reperire non potuerint, morbus fit. Hoc autẽ contingit, ſi vteri os concluſum fuerit, aut diſtortum, aut aliqua pudendi pars contracta. Et paulo inferiùs ſubdens harum affectionum rationem, inquit. Fit autem hic morbus ijs maximè, quæ anguſtos vteros habent, aut ceruicem vltra pudendum ſitam. Si enim horum alterum fuerit, & mulier viro non miſceatur, & venter magis quàm oportet euacuetur, ab hac affectione vteri obtorquentur: nec enim humidi in ſe ipſis ſunt, vtpote muliere non cõeunte, & amplitudo ipſis ſpatioſa eſt, vtpote cùm venter magis vacuus exiſtat. Item addit paulò inferiùs. Hæc igitur cauſa eſt, vt ipſi ſint concluſi, nimirum, à venere abſtinente muliere. Quibus ſanè cauſis altera accedit, vteri nimirum frigiditas, quæ ipſum & ſanguinem ſpiſſum reddit, & expellentem facultatem languidam, & ſui muneris oblitam. Cauſa etiam inuerſionis eſt pituitæ copia altero in cornu vteri exiſtens, quæ illuc inuerti ipſum cogit ob intumeſcentiam illius partis. Dimitto conſultò hac in parte idem vitium poſſe efficere induratas cicatrices, vteri pinguedinem, carnem ſupercreſcentem, & pleraque alia, quæ Hippocr. recenſet lib. de natu. mulie. & alibi ſæpe. Verùm quia ætatis vetuſtioris ratione menſes ſuppreſi plerunque inordinatè ſtillant, arbitrari oportet duabus de cauſis inſtillari poſſe poſt ætatiuam ſuppreſionẽ: vna quòd iecur non ita facilè deficiat in ſanguificatione, ſed adhuc plurimum gignat, fundere tamen per vterum non poſsit ita copioſè ob viarum corrugationem ætatis ratione, aut defectu viri contractam: inſtillat tamen ob copiam in quibus fœminis, quæ plerunq; obeſæ ſunt & carnoſæ ex talo prædicto ſtillicidij tẽpore in morbo aut extra vereri nõ oportet ſanguinem mittere: non quidem vt menſes fluant aut vt eorum defectus ſuppleatur, ſed vt ſanguis qui eis partibus abundat ante quàm malum machinetur per eas venas extrahatur. Alijs verò fœminis gracilioribus & hirſutis ſanguis poſt debitam fluendi ætatem inſtillat potiùs viarum apertione ob calorem copioſum, quàm ob ſanguinis vbertatẽ, in quibus ſatius eſt ſanguinem à recrementis mordacibus immunem reddere, & attẽperare, quã ipſum vena ſciſſa fundere, quæ omnia ante eius prouocationẽ nouiſſe oportebit & hanc ſuppreſionem non reuocare.

Signa. Cùm paſsim in fœminis, quæ viro vtuntur, menſes dũ grauidæ fiunt, ſuppriman tur quoq;, diligenti cura expendendũ eſt, nũ vterus conceperit, an ex cauſis morboſis menſes cohibiti exiſtant, ne nobis vſquam decipi turpiter accidat. Nec par eſt dignoſcendi ratio in virginibus, ac in reliquis: quippe in virginibus ſuppreſſus ſanguis per venas errabundus vagatur, & eò magis obſtructiones, febres & coloris mutationes molitur. At in corruptis, in vterũ frequentiùs irruit, quò fit, vt hydropes, & alia vterina mala, quæ paulò inferiùs recenſebo, ſuboriantur. Ex quo etiam prodit prægnantes in cibi faſtidiũ, nauſeam, vomitũ, picam, & reliquas ventris affectiones prolabi. Virgines verò, licèt eis mẽſes ſupprimãtur, minimè, aut rarò hæc patiũtur. Ratio proculdubio eſt, quia maior exiſtit conſenſus ab vtero vbi ſanguis ille colligitur, ad ventriculũ, cui propriè prædicta ſympthomata competũt, quã ex venoſo genere, in quod irruit in virginibus ſuppreſſus ſanguis ad ventriculum ipſum. Et ob id prægnantibus illa accidunt, virginibus verò minimè. Sunt id monſtran-

monſtrantia generalia ſigna non pauca: quorum primum docet Hippo. 5. aphor. 39. dicens: Si mulier, quæ neq; concepit, neq; peperit, lac habet, menſes ei deficiũt Cui cõiecturæ accedit inſolita corporis grauitas ſine lacte in mãmis, cibi faſtidiũ, & horror inæqualis, dolor lumborum, colli, ſincipitis ad oculorũ radices, præcipuè ſi diu ſuppreſſæ ſint: febres etiam aliquando lentæ, & tumores in ilibus inflammatorij, vrina quoq; ægrè redditur quibuſdam, alijs omnino ſupprimitur, vrinæ etiã nigricantes cum rubra ſanie tanquam fuligini mixta, cum lotura carnium recens mactatarum. Quibus accedit lac in mammis frequenter repertum, iuxta Hipp. de cretum. Oſtẽdit adhuc clariùs idẽ ſauthor ſigna quædam lib. 1. de mul. morb. quibus certiores facti, poſsimus ſuppreſionem veram ab vteri geſtatione diſtinguere, & rurſus præſagire quæ mala hac ratione ijs fœminis ſuccreſcere poſsint: inquit enim. Tertio menſe incipit ſuffocationẽ ſentire & horrores, & lumborũ dolores, quandoq; etiam febrem. Quòd ſi ſuppreſsio perſeueret, præter hæc, obdureſcit vẽter, vrina copioſior mingitur, cibi faſtidium, & vigilia aduenit, vt etiã ſtrideat dentibus. Et ſi adhuc retineantur, quinto menſe his omnibus, & maximè doloribus vrgebitur grauiùs. Sed ſexto menſe inſanabilis morbus redditur, qui anteà curari poterat. Et cũ hoc anxia fit, & animo linquitur, pituitam vomit, ſiti magna vexabitur, dolebunt partes ventris & pectinis, febris accedet, ſupprimenturq; excremẽta alui, atq; veſicæ, ſpina dorſi dolore vexabitur, & quaſi balbutiet. Poſt hæc autem intumeſcent crura, pedes, venter, & vrina mingitur rubra, ſanguineaq;, & dolor totum occupat corpus, maximè collum, ſpinam & inguina, atq; ſic moriuntur, ſcilicet ex hydrope. Quam ſanè ſententiam ſi quis ſedula diligentia intueatur, multa perdiſcet, quibus facilè conceptum à menſium ſuppreſsione diſtinguet. Cum hoc tamen experimento frequentiſsimo nobis eſt compertum, plures fœminas ex ijs, quæ vtero gerunt, omnino his ſimillima accidentia perpeti, ita vt quantũuis diligens ſit medicus, id diſtinguere nequeat, præſertim ſi mulier ex ijs ſit, quibus menſtrua prodeũt fæculẽta, fœtida, aut alia quauis deterrima qualitate fœdata. Quod profectò rationi & obſeruationi innitẽtes haud rarò diſtinximus. Nã licet finitima ſint vtriuſq; affectus accidentia, in ijs tamen, quæ vtero gerunt, color viuidus, qualem tempore ſanitatis obtinere ſolebant, perſeuerat, hilares ſuperſunt fœminæ, & nihilo aut quàm parciſsimè in animi conditionibus mutatæ. Cuius contrariũ omnino in menſiũ ſuppreſsione reperitur. Itẽ dum fœmina vtero gerit, ex prauis accidentibus ea quæ ſuperueniunt, primis tantũ menſibus durant, creſcẽte verò fœtu, ſubſident omnia, & res apertiùs conſpicitur. At in vera menſium ſuppreſsione è contrario: nam primis menſibus nulla, aut quàm leuiſsima accidentia inſunt, procedente verò ſuppreſsione in immedicabilẽ affectum (vt loco citato Hippo. teſtatur) & mortem ſæpe degenerat. In qua ſanè ſuppreſsione præter ea, quæ paſsim ſuc creſcere viſuntur mala, verendum eſt, ne id, quod lib. 1. de morb. mul. Hippo. præſagit, aliquando accidat: inquit enim. Quibuſdam ſuppurati fiunt menſes, vbi per duos aut tres menſes moram contraxerint. Hoc autem maximè fit, ſi à febre fuerint combuſti: & ſubdit. Signa verò ſunt, ſi ſuppurati fuerint, dolores enim incidunt in pectinem, & pulſationes fortes, & contactum non ſuſtinent. Qua ſanè in re dixerat paulò ſuperiùs: Menſtrua ſex menſibus retenta curari non poſſe. Verùm quia ad varias partes ſuppreſſus ſanguis recurrere poteſt, huius quoque ediſcere notitiam oportet. Sic dum ad emulgentes venas irruat vrina, fiet multa & craſſa, ac non raro nigra: verum ſæpius rubra. Si verò in ventrem recurrat ſanguis, durior & maior fiet. Verùm ſi in caput irruat vel dentibus

tibus ſtridet mulier,aut ſi peniti⁹ ſe inſerat ſanguis, vigilias moleſtiſsimas accerſit. Pari ratione ſanguine recurrente in ventriculum,vel cibos faſtidiunt aut praua appetũt,ſic profecto iuxta munus aut ſympthomata partium in quas decũbit ſanguis,facilè venaberis affectam ſuppreſſo ſanguine partẽ.Quòd ſi ſanguis ad maiores venarũ tubos recurrat,nil horũ erit: verũ ſi bileſcat & ventriculi fundũ adeat, vomet mulier bilioſa,ſi in ceruicẽ veſicæ irruat,vrina ex toto ſupprimetur,ſi in eius corpus guttatim minget: ſic aliquando aluus obſtruitur. Prætereà tumet vterus ſanguine ibidem coercito,ac iterum,etiam ſi nõ fluat detumeſcit ob recurſum ad maiores venarũ tubos,à quibus ad varias partes it, quo totius corporis dolor inguinum & crurum ſuccreſcit:verùm ſi in vteri cauum ſeſe exoneret, menſtrua fluũt & accidentia deliteſcunt.

Cauſarũ dignotio.

Cognita igitur ſuppreſsione,cauſas ad vnguẽ nouiſſe tenemur,ſi recta medendi ratione vti velimus.Sic primò vniuerſum corpus huic affectioni cõſentire dignoſces ex ſignis plenitudinis,quibus corpulẽtior,pulchrior,rubicũdiorq; fœmina apparet:itẽ ſi obeſior iuſto facta fuerit,vel ſi morbũ diutinũ perpeſſa,vel inediã:nam id ex interrogatione facilè innoteſcet.Malũ quoq; corporis habitũ vel ſolo intuitu cognoſces,vt cõijcias ſanguinis optimi defectũ,ſuppreſsionis fuiſſe cauſam.Externam frigiditatem,ex potu aquæ aut lauacris,vel frigido aëre eãdem lege perdiſces:ſicut præceſsiſſe copioſam ſanguinis vacuationem,ſudorem, laborem, vel quamuis animi affectionem.Sanguinem eſſe craſſum haud difficulter cognoſces, ſi tẽporibus,quibus fœmina purgari aſſueuerat,labores ac dolores in lũbis,ac partibus prope vterũ perſentiebat,cum hoc tamen parùm expurgabatur.Aderit etiã corporis mollities,ſomnus grauis & profundus, color corporis albicãs cum venis eminentibus & viridibus ac ſubnigris,præſertim quæ crura pertingunt. Pulſus ijs erit rarus,vrina aliquando multa,& tẽpore menſtruationis aut pauca,aut ſuppreſſa,ſæpe tenuiſsima.Aliquando colliquantur ex vtero humiditates quædã craſſæ, mucoribus perſimiles,præſertim,ſi tenacis humoris aliquid ſanguini adiũgatur. Pituitoſum verò,melãcholicũ,vel alterius deprauatæ conditionis humorẽ eo dignoſces,quòd pituitoſo redundãte,frigus ad fundũ vteri ab ipſa percipitur, ſtupor, tardus menſiũ & eorũ albicantiũ deſcenſus,venus neq; appetitur, neque delectat. Cõmunia quoq; ſunt melãcholiæ ſigna,præter fluorẽ pituitæ:cõtraria verò melancholiæ ex bilis vſtione craſſatæ:nam aderit veneris appetẽtia,& celeris ſeminis excretio,labra ſicca,ac ſæpe ſciſſa,& menſiũ fluor cũ morſu,& eroſione.Sanguis quoque dum fluebat,aut ſecta nunc vena exceptus linteo,aut arena vmbra ſiccatus, colore albido pituitã,flauo bilem,fuſco melancholicũ humorẽ ſignificat. Quorũ eſt ſententia Hipp.Mulieri menſes decolores, neq; per idem ſæpe tempus venientes purgationem indicant eſſe neceſſariam.Cuius quidẽ rei ſi quis plura ſigna exquirat,reperiet facilè lib.noſtro de præſidiorũ indicatione in methodo dignoſcẽdi.Multum tamen ſanguinis ſupereſſe cognoſces ex tẽſione,dolore, totius vẽtris grauitate,ac lumborũ,quæ omnia euidenter atteſtantur,vterum multum ſanguinis ſuſceptaſſe, ita vt præ diſtẽſione & grauitate comprimi ad expulſionẽ non poſſit:potiſsimùm ſi accedat ſitis,capitis dolor grauatiuus, ſplendores rubentes iuxta oculos,& ſanguinis ſpontanei vomitus, aut fluxus per nares, quibus eadẽ affectio ſæpe vel Hipp.teſtimonio lib.5.aphoriſm.32.ſubſiſtit,& monſtratur. Parũ ſanguinis vterum ſuſceptare multa ſanè docent,primum,nulla vẽtris grauitas adeſt,neq; dolor,aut tumor,ita vt fœminæ nil in ea regione ſe perſentire referãt:eſt tamẽ totũ corpus decolor,ſecur obſtructũ,meſereõ,vel ſplen, quorũ vitio nihil in vterum confluit,

confluit,quod excerni poſsit.Aderunt etiam in partibus ſuperioribus vitioſæ plenitudinis ſigna,vt color pallidus,ſubniger,vel alicuius humoris cum ſanguine redundantis ſpecimen referens.Vterũ eſſe cicatrice,aut carne aliqua ſupercreſcente occluſum,vel contortum,aut alia morboſa figura affectum, quæ præceſſerunt vlcera,aut laborioſus partus,vel tumor aliquis præter naturam,qui præfuit,aut adhuc induratus viget,euidenter,facta interrogatione,moſtrant. Quod noſces ex priuatione reliquorum ſignorum.Sic coaleſcentem vterum dignoſces ex precedente vlcere vel quauis alia continui ſolutione. Subſidẽt etiã vaſa & ob id ſanguinem non fundunt,quod diſces ex præcedente vacuatione vel vſu aſtringentium medicamentorum aut ingente perfrigeratione,quo conſtipationem potiùs moliuntur.Obſtructionem vel compreſsionem vaſorũ vteri haud difficulter cognoſces ex defectu ſignorum,quæ hucuſq; retulimus. Præſertim ſi tempore,quo natura aſſueuit menſtrua promouere,dolores moleſti,inquietudines,& vterina alia accidentia ſuccreſcunt.Quibus accedit lenta febricula,à iunioribus alba appellata, capitis infeſtiſsimus dolor,præſertim prope ſinciput,totius corporis confractio,& veluti impotentia ad motum,ac ſi moueri fœminæ cogantur,protinus laſſitudine maxima corripiuntur:dolet intenſiùs caput, & tempora vehementer pulſant, cibi faſtidium illis accidit,& animo frequentiſsimè delinquunt.Verùm quia vaſa, quæ in vterum occludi poſſunt, varia ſunt,variumque ſitum obtinent,eius diuerſitatis quoq; prouidentiam ediſcere conuenit,vt tutior, certiorq; euadat curatio. In qua quidem re ſcito,ſi vaſorum menſtruis ſeruientium obſtructio ſit, prædictis ſignis facilè dignoſci, verùm ſi obſtructio vaſa etiam ſpermatica attingat, vteri ſuffocationem ſibi comitem habere menſtruorum retentionem.Si verò in orificijs cotylidonum minùs damni vtero euenit,niſi dum fœmina conceptura eſt. Nam vel non concipiet, vel facillimè alimenti defectu abortiet.

Præſagia.

Ex quibus fit proculdubio,quòd ſi hæc purgatio præter naturæ inſtitutũ ſupprimatur,mulieribus innumera accidentia,& grauiſsima mala ſuccreſcant,vt Hipp. teſtimonio probari poteſt lib.5.aphor.57.cùm ſcribit.Si menſtrua plura fiant,accidunt morbi,& ſi non fiant,ex vtero morbi cõtingũt.Quorũ malorũ quædã vtero propria exiſtunt,& pleraque vniuerſo corpori communia. Primò enim ſi fluant menſes in vteri cauũ & non exeant,ſanguis grumeſcit,non ſine graui fœminarũ damno.Verùm ſi nullo modo exeant, primò ſterilis efficitur fœmina, item vteri ſtrangulatione vexatur,ſcirrhoſo tumore etiam,cancris,eryſipelate,& aquoſitate repletur,ac flatibus & vlceribus prauis gracileſcit præter modum. Item mulieres nonnullas in viros degeneraſſe hiſtorijs eſſe proditum reperio. Cuius etiam Gal. meminit lib.3.popul.29.Adde partes quæ in conſenſum veniunt,caput primùm, vt ex Hippoc.conſtat.6.popul.1.& oculi,& ventriculus,demum iecur, vnde hydrops aliquando ſequitur,& innumera alia mala, quæ nullis plerunq; auxilijs cedere viſuntur. Vt vteri ſuffocatio,nunc in latus, nunc ad ſuperna ipſius peruerſio, ſæpiſsimè cùm diutina eſt, indicat frigidam corporis cachexiam, quòd calorem extinguat. Hinc difficiles reſpirationes,tuſſes,oculorum,capitis, & aliarum partium dolores,& in virginibus febris alba, & variæ obſtructionum ſortes prodeunt. Prætereà hanc affectionem eſſe curatu difficilem,euidenti ratione cõſtat, vel ex eò quòd vterus ſanguinem menſtruum ad ſe non trahat, quia ſic mille rationibus prouidit natura.Atq; cùm ſuſcipere (cùm vniuerſum animantis corpus vel eò abundat, vel noſcit profuturum eſſe ac neceſſariũ) tantũ teneatur, deficit natura ab vteri ipſius miniſterio,opere alioqui in omnibus actionibus neceſſario,

quod

quod præcedit omnem naturalem vocationem. Et cùm vacuare quod ſuppreſsũ eſt, in animo ſit, deficiente virtute tractoria mirum non eſt, ſi vacuationem difficulter moueamus, quia naturam non habemus adminiculantem, quòd non trahat humorem, quem extrahere medicamentis nitimur. Prætereà ſi conſtrictum fuerit vteri os, ſuppreſſa materia primo calorem concipit, & mox putredinẽ: quod etiam vereri oportet dum ſe vterus exonerare nequit in cauitatem, neque ab ea in extremam ceruicem dum oſculum vteri ad muliebrem ſinum non referatur, eiq́ue è directo reſpondeat. Ex quibus vereri etiam oportet ne ſanguis adeò occultetur in venis vteri tanquàm in ergaſtulo, vt ſcilicet nec refluere poſsit vnde delapſus eò eſt, nec foras effluere. Quo fit vt præter naturam redditus ſanguis furiat, ſæuiatq́ue & adoriatur partes ſibi proximas, quod facilè per tranſcolationem fieri poſsit, & per flatus tranſmiſsionem, quo grauiſsima accidentia ſuccreſcere arbitrãdũ eſt, præterquã quòd craſſeſcit & glutinis modo vtero adhæreſcit. Nec credendum eſt omnino verum eſſe Hippoc. teſtimonium lib. de morbis muli. quo refert, ſuppreſsionem vltra ſex menſes perſtantem incurabilem eſſe. Nam id difficulter fieri potiùs quàm impoſsibiliter eſt credendũ, cùm idem Hipp. lib. 4. popu. ſcripſerit fuiſſe ancillam cui per ſeptẽnium fuerant ſuppreſſa menſtrua, tandem redeuntibus ipſis, ad priſtinum ſtatum reſtituta fuit. Nam licet corruptus ſanguis correctionem ea parte non admittat: rurſus & viarum firmata cæcitas difficulter aperiatur, ac licet quintus præterierit menſis qui maiori motui dicatus eſt, cum hoc tamen tanta eſt naturæ vis, vt ſua ſponte non rarò conſuetum motum iterum reuocet, ac menſes moueat. Prætereà ſtatuendum eſt hanc menſtrui ſanguinis putredinem veram non eſſe quòd ex carne non fluat, licet. 4. aphoriſm. 81. & 7. ſententia. 15. contrarium videatur aſſerere, ſed id ſano modo intelligendum venit. In qua menſium ſuppreſsione coniectandum eſt, quòd non ſolùm pro vetuſtate ſuppreſsionis difficiliùs mouentur menſes, ſed quòd etiam ea ratione grauiora aut mitiora ſuccreſcunt accidentia. Quæ ſanè ceſſant, ſi puris & ſanguinis profuſio ſubſequatur, maximè ſi præeat pus & ſequatur ſanguis, quòd ſic natura & ordo ſuppreſſorum requirat: quòd ſi id non fiat in inguen dilabetur, & graue dicitur malum, maximè ſi febricula ſuccreſcat.

Curandi ratio.

Haud temerè huius affectus curationem aggredi oportet: nam ſæpè tãti eſt momenti id ediſcere, vt incautis mille in laborantibus ſuccreſcant accidentia, quæ potiùs manu facta, quàm vi morbi oborta eſſe credendum ſit. Sic profectò nutricibus (etiam ſi menſes habeant ſuppreſſos) minimè auxiliares manus porriges. Neque ijs, quibus laborioſa vitæ ratio innata eſt, quia ex ſuppreſsione nihil mali perſentiunt: non tenuiter viuentibus, pinguibus, à morbo diuturno confectis, neque adhuc ijs, quibus euenit ante ſolitum tempus, quo natura ad excretionem ſeſe componere aſſueuit, neque viraginibus, & alijs eiuſdem cenſus, quales ſunt quæ iam conſenuerunt: verùm adhuc ſtatis aut errantibus temporibus aliquid ſanguinis inſtillat: in quibus quid agendum ſit in explicatione cauſarum breui methodo docuimus. Tunc verò prouocantur potiſsimum, cùm grauia incidunt incõmoda, aut minantur accidentia, quod lypothymia videlicet, vertigo, deiecta appetentia, tabes, fœdi colores, hydrops, difficilis reſpiratio, dorſi & lumborum dolorifica grauitas, articulorum cruciatus, nephritis, ventris tormina, & id genus alia oſtendunt. Quòd ſi iam curare tentaueris, non vt rudis plebecula, aperientibus & incidentibus, vt ſors tulerit, aut vtcunque ex talo ſanguine miſſo, id obſecro facies, ſed pro cauſæ & morbi, quem excitant, dignitate & ratione: nam ſic mihi

mihi non eſt dubium, quin optimè curationem moliaris.

Si vitio totius corporis.

Primò quidem ſi ex corpore vniuerſo vitium hoc oriri conſpexeris, mox in memoriam reuocabis obeſas fœminas macrefacere, ſi velis mẽſtrua prouocare, extenuatas impinguare, & optima viuendi ratione moderari, victu nimirum vberiori & optimi nutrimẽti: ſicut eas quoq;, quæ malo corporis habitu laborant, in meliorem cõmutare. Quæ verò ex nimio exercitio hoc malo affectæ ſunt fœminæ, quiete & ocio ad munus naturæ conſuetum reuocandæ ſunt, temperãdæ verò quæ ex calore reſolutæ & ſqualidæ ſuperſunt, aut frigidum & ſpiſſum habitum contraxerunt. Quo etiam attemperamento languidam expultricem in priſtinum ſtatũ reduces. Quòd ſi ex dolore auerti ſanguinem ab vteri vijs cõtingat, protinus ipſum mitigare opus eſt, ac ſi id non profuerit, vtere Hipp. conſilio, qui lib. de natu. mul. hæc refert verba. Si menſes omnino non fiant, ſi quidem præ dolore id cõtingat, primùm ventrem infrà purgato, deinde medicamentum, à quo ſanguis ex vteris purgatur, apponito. Poſteà intermiſſa die vna, aut altera, rurſus id à quo ſanguis purgatur, apponito. Reliquo verò tempore corticem crethmi in vino tritũ bibat. At purgationem ex mercuriali eſſe ſummè proficuam, vt ex eiuſdẽ teſtimonio cõſtat, cenſeo. Vetùm ſi auerſione ex repulſu à frigiditate ambientis, vel retroceſſu ex aliquo vehementi animi affectu malum ſuboriatur, omni ingenio menſtruum ſanguinem ad inferas ſedes euocare oportet, frictionibus nimirum, vinculis, lauacris, cucurbitulis, balneis, deambulationibus, quibus potiſsimùm vti conuenit dũ ſanguis vomitu, aut per nares excernitur, præſertimq; ſanguine frequenter, ſed in paruiſsima quantitate extracto per venarum tali ſectiones, aut per ſcarificatas cucurbitulas. Quo caſu localia vtero adhibere poteris, qualia paulò inferiùs recenſebo, quæ & partes dilatent, & ſanguinem ad vterum euocent, niſi ad anum fluxio ſanguinis conuertatur: eo enim tempore neque trahentia, neque topica tutò adhibebis, omnia enim non minus ad inteſtina, quam ad vterum trahere nata ſunt. At ſi immodica ſanguinis copia cõmunes vias lædat, quominus liberè ad inferas ſedes permeare poſsit, ſola ſanguinis detractione ſine alterius auxilij adminiculo, mẽſtruum ex hac cauſa ſuppreſſum euocabis, non quidem, vt vulgariter fit, venis tali protinus inciſis: nam è duobus malis alterum facilè ſubſequi eſt compertum, nimirum ſanguine copioſiùs euocato, immodicam menſium fluxionem, quam cohibere deinceps difficulter poteris, corpore ad partem ſciſſam pellente totam plenitudinem, excitabis: aut maiorem obſtructionem irruente ſubitò ſanguine ad obſtructa vaſa. Quamobrem conſilium Galeni in menſium prouocatione prolatum, quo præcipit venas tali incidendas eſſe, non eſt intelligendum perſtante totius plenitudine. Cuius profectò ratione Ætium dixiſſe cenſeo, internam cubiti venam eſſe ſecandam in menſium prouocatione. Quam etiam ſententiam Matthæus de Gradi protulerat. Itaque redundante in toto corpore ſanguine, vt obſtructionem in vtero, aut vicinis partibus efficiat, à diſtantiſsimis partibus ab ea, quæ affecta eſt, aut obſtructa, ſanguinem reuellere & euocare oportebit, vt Ætij eſt conſilium. Verùm redundante ſanguine in vtero ipſo, aut in toto corpore propter vteri ipſius obſtructionem, à venis tali ſanguinem commodiùs extrahes, vt Galenum docuiſſe conſtat: quod ſanè facies tribus quatuorue diebus ante præfinitum menſtruationis tempus. Quippe non ſat eſt in hac curatione ad cauſam, ſed ad cauſæ principium deuenire: nam illud primò auferendum eſt, quod alterius cauſa exiſtit. At verò ſanguine ſufficienter miſſo, & victu tenui inſtituto quantum

sàt sit; cõsule, fœminam modico vti exercitio,leuibus,sed lõgiusculis frictionibus, vinculis,& alijs externis præsidijs,quæ sanguinẽ ad inferas sedes euocare habent, velut est viri etiã accessus,in nuptis.Docebo tamen paulò inferiùs nonnulla auxilia,quæ huic vsui proficua erũt,qualis cucurbitula est,suris,femoribus,& coxis affixa,& scarificata:maximè in albis & crassioribus fœminis, in quibus vt Gal.cõsulit, promptiùs euocantur menses suris scarificatis,quàm venis sciſsis.Nam graciles fœminæ,imbecilles & quibus plenitudo in vtero viget,magis id præsidij genus expostulant potissimũ.Cæterũ dubitandũ est an hirudinũ vsus eadẽ lege proficuus sit in mensium suppressione.In quare statuendum est,sanguinẽ nõ esse mẽsibus suppressis per hæmorrhoydes euocandũ,nisi dum immedicabilis est suppressio,haud secus quàm scriptum reliquit Hipp.5.apho.33.quòd mẽstruis deficiẽtibus sanguis è naribus fluens,bonum est,vt quod superabundat & nullibi cõmodiùs potest purgari per eã partem commodè expurgetur.At in ea mensium suppressione quæ curari potest,nefas est hæmorrhoydes hirudinibus euocare.

Si fiat sanguinis vitio

Quòd si sanguinis fluxuri vitio suppressio fiat,quale sit vitiũ primò distinguere oportet:nam si ad vterum non cõfluxerit,id profectò erit,vel quia aliò trãsfertur, vel quia corpus sanguine caret:vtrunq; tamen corrigere anteà docuimus.Verũ super est in hoc causarũ genere,plurimũ sanguinis in vtero congregatũ considerare, qui sanè præ copia vterum ita distendit,vt cõprimi ad expulsionẽ minimè possit. Qua quidẽ causa existẽte,nullũ aliud vtilius,neq; tutius præsidiũ adinuenies, quã copiosum sanguinẽ extrahere,apertis malleolorũ venis.Memini me legisse apud Gal.curandã suscepisse fœminã,cui menstrua iam diu defecerant,& nihil præstantibus alijs auxilijs,sanguine ex vena tali copioſè profuso sanitati restituisse, etiã si excarnis & contabefacta primo accessu appareret. Quãobrẽ in huiusmodi fœminis sanguine,& per tali sciſsionem,& per scarificationem in femoribus,ac suris,extracto,menstrua medicamentis prouocare,tutũ & vtile sæpe existimaui esse præsidium,dũmodò calfacientia valida nõ sint,in hac vel in quouis crasso humore, ne nimis excoctus ac reſiccatus humor fluxui ineptior redatur.Quibus præmissis, frictionibus,lauacris,frequentioribus balneis,& vinculis,ac motibus, sanguinem ad cõsuetum locũ mouere oportebit.Pessarijs item,& inſessionibus vti tutò poteris, & modicis inunctionibus ex oleo liliorũ alborũ,de semine lini & amygdalarũ dulcium.Ex quibus etiã tepentibus cũ decocto mercurialis,matricariæ,& pulegij fomentũ parare poteris,quod vtero adhibens,idẽ beneficiũ præstabis, præsertim si ex eadẽ decoctione euaporationẽ quoq; susceptet fœmina,quantũ sat sit,ne vterus maiorem calorẽ moderato persentiat. Fugiendũ porrò in hac causa est ab ijs medicamentis,quæ menses vehemẽter mouere nata sunt: nã hæc plus sanguinis ad plenũ vterũ trahent,quàm quòd ex eo qui ibidẽ continetur,excernãt.Verùm si rei ipsius necessitate ad id deuenire cogaris,vacuabis primò sufficiẽter & vterũ ipsum,& vniuersum corpus,ne eisdẽ medicamẽtis maior humorũ copia ad vterum confluat,& pressiùs ipsum cõprimat,quã par sit.Quod frequenter vsu venire solet.

Si ex humore pituitoso

Verùm enim verò si sanguis tam is,qui in venis vtero proximis,quàm qui in toto corporis ambitu cõtinetur,crasior,tenaciorq; factus fuerit,aut quouis alio vitio conspurcatus,ita vt fluxui ineptus fiat,ei quidem prouidendum est. Damnauerat quippe Hipp.menses decolores.5.apho.36.dicens:Mulieri menses decolores, neque semper secundùm idem tempus venientes,purgatione indigere significat.Ex qua sententia sic infero rationẽ.Si menses,qui decolores fiunt ex adhæsu vel miscella pituitæ,melãcholiæ,aut flauæ bilis crasioris,inhac suppressionis specie curari necessa-

necessariò debent expurganti medicamento,multo profectò rectiùs eadem erit curandi ratio,vbi ob eorundem humorum admixtionem supprimuntur, siquidẽ eadem ferè est vtriusque affectionis natura,saltẽ quatenus ad humoris cõditionẽ pertinet,eoque ab eadẽ medendi methodo auspicari curationẽ opus erit. Quamobrem peculiarẽ oportet instituere curãdi rationem,iuxta ideam humoris, quem cum sanguine redundare cognouerimus.Sic pituitosus humor viscidus & crassus existens,sanguini admixtus,cùm eundem reddat fluxui ineptum, videndum profectò est,qualem in artifice requirat diligentiam,antequam ad obstructionis curationem accedat:inquit enim Hipp.lib.1.de morb.mul.si verò omnino non proceduntpræ morbo,aut crasi aut viscosi aut glutinosi fiunt: primùm igitur, vẽtrem purgare oportet sursum ac deorsum,deinde vteros subductitio medicamento, à quo sanguis purgatur,atq; ita quiescere,& potandũ dare pharmacũ,à quo sanguis prodeat.Qua porrò methodo præhabita,initium curationis sumere oportet. Primò igitur fœminæ institues calidum,extenuantem,& incidentem victum, non plurimi nutrimenti:quem sumere,nusquam fœminæ concedatur priùs,quàm sese exercitio dederit.Vtatur porrò auium carne,præsertim montanarum,quæ tenerã habeant substantiam,iusculis item,calidis speciebus & aromatibus conditis.Bibat vinum odoratum,tenue,& sufficiẽter dilutum aqua cinnamomi, corticum citri, capillorum veneris,anisi,fœniculi,vel Indicæ saxifragiæ, aut ex radice chinæ decocta.Somno vtatur parcissimo,exercitio copiosiori.A cibo ociosa sit,ne quid crudum in maiora vasa transmittat. Quòd si huic causæ,totius quoque frigiditas accesserit,à purgatione leui vniuersum corpus semel in die frictionibus concalfacies:à quibus in lecto quiescat,vel parùm dormiat.

Humorem quoq; pituitosum(præmissis melle rosaceo,oxymellite,syrupo de rabicibus sine aceto,vel cum ipso,si fœminæ vterus permiserit,de mentha,de artemisia,de hyssopo,de pulegio,de origano,de calamintha,& id genus alijs, cũ decoctis matricariæ,pulegij,fœniculi,apij,graminis,oreoselini,asparagi, ruſci,& rubi: quibus aliquid odoratum vel ex diacalamẽtho adijcere poteris)purgabis primò, medulla casiæ fistulæ dissoluta decocto camedryos,glycyrrhizæ, vuarum passarum, polipodij,& adianti,pondere.ʒ.j.Cui adde syrupi de radicibus cum aceto.ʒ.j. Ex vsu etiã est agarici.ʒ.ij. zingiberis.℈.ij.Salis gẽmæ.ʒ.ß. diluãtur fero caprillo addita oxymellitis simplicis.ʒ.j.quibus per linteum mediocris crasitudinis percollatis vti,ieiuno vẽtriculo poteris,exhibitis ex collatura.ʒ.iij.&.ß. iuris gallinæ.ʒ.iij.Vti etiã poteris vulgarib⁹ medicamẽtis,vt agarico,turpeto,electuario Indo maiori,diaphenicone,& alijs huius cẽsus, quæ robustioribus fœminis esse proficua cõperies. Ex pulpa casiæ fistulæ,&.ℨ.iiij.agarici,bolũ vtiliter cõficies:quibus aliquando non citra maximã vtilitatẽ hieræ simplicis Galen.ʒ.ß.addere expediet.Eundem vsum præstãt pilulæ ex.ℨ.iiij.agarici,& prædictæ hieræ.ʒ.j.cõfectæ. Itẽ ex quæ recipiũt myrrhæ,croci,aloës,agarici trochiscati.ana.ʒ.ij.puluerizentur omnia per se,deinde misceãtur,posteà irrorẽtur succo maioranæ,permittanturq; exiccari,& ita iteretur septies:posteà fiat magdaleõ cum syrupo de absynthio & formentur pilulæ xij. quarũ fœmina tribus horis ante prandiũ tres sumet.Quòd si validioribus indigeas,fœtidis,de sagapeno,aggregatiuis,ac de agarico veteris,si fœminæ robur permiserit,aut suspicio de visceris alicuius calore non adsit. Ad eundem sanè vsum conficere poteris tabellas,quæ recipiũt rosarum rubearũ,zingiberis, cinnamomi. an.ʒ.ij.santhalorũ alborũ,& rubeorũ.an.ʒ.j.hermodactylorũ. ʒ.iij. turpeti.ʒ.iij.& ß.diagridij.ʒ.j.mastichis.ʒ.ß.sacchari lib.j.dissoluãtur omnia in liquore stillatitio

artemisiæ,& confice prædicto vsui tabellas,quarum.3.iij.summo manè porrigere poteris. Immuni facta sanguinis massa(vt aiunt)ab humoribus crassis & viscidis, tentandum est sensim & paulatim ex venis tali sanguinem extrahere,aut scarificatis cruribus,femoribusue.Quo facto summa diligentia curandum est, residuũ humoris paulatim inscindere,& extenuare, vt sanguis fluxibilior factus,ad vterũ descendat, per ipsumque prolabatur: quod sanè ante purgationem & sanguinis detractionem,nefas esset.Parătur autem huiusmodi auxilia ex hydromellite confecto ex decocto cinnamomi,corticis casiæ fistularis,croci,aristolochiæ rotundæ, calami odorati,corticis radicum capparrorum,costi,dictăni,radicũ tormentillæ, radicum eringij,foliorum lauri,origani,polij,zingiberis,calamẽti,thymi, smirnij, seminum rutæ syluestris,dauci,nasturtij,hyssopi,nigellæ,anisi,& baccarum lauri, vel quod vtilius videtur,ex aliquibus ex his.Ferunt quoque brassicæ decoctum cũ dulci vino haustum mulieribus mẽses ducere,& semen hortensis apij cum vino albo potui datum,ac cepa commanducata cum vino,item & raphanus cum melle comestus,idemque fertur de satureia,fœniculo,thymo,vel eius seminis decocto: de rore etiam marino,& florum aridorum leucoij, decoctum mirum in modum prodesse ferunt,idemq; de decocto bellis hortensis,& de semine vrticæ. Placuit hæc omnia scribere,vt facilè eligere possis quæ iuxta affecti corporis cõditionem magis proficua esse cognoueris.Præter quæ omnia(corpore purgato,& ante dimidium mensis)vtilissimum est,vomitum aliquando mouere,maximè si vẽtriculus pituitæ copiam præstiterit.

Quibus præmissis,rationi consonum est conijcere,vteri vasa ex prædicto humore obstructa esse,quæ profectò maiorem in artifice requirunt diligentiã, vt quod frequentius accidat,& difficiliùs curetur.Primò itaque prouidendũ est in obstructione ex crasso,vel ex quouis alio humore oborta,sanguinis plenitudinem, quã in ijs subesse necessum est,deponere,iuxta eam, quam cognouerimus plenitudinem,apertis malleolorum venis:quod fieri per partitas vices tutius & commodius esse,quã semel & confertim existimo.Sed docere hac in parte mihi est in animo, qua nam ratione sectiones prædictarum venarum menses euocent, siquidem lib. 2.ad Glau.cap.2.Galen.ab vtero deriuare refert.Quam rationem secutus lib. 13. meth.in vteri inflammatione easdem secare iubet.Sunt etenim diuersa deriuare ab vtero,& per ipsum purgare.Siquidem nihil aliud est,menses mouere,quàm sanguinem ad vterum euocare,& repleri vteri venas.At deriuare,tantùm est inanire repletas vteri venas, non per vterum ipsum, sed per scissam venam. Quæ sanè opera, cùm inter se contraria sint, harum venarum sectiones efficere nequeunt. Ratio proculdubio stat in hoc, quòd negari non potest, quin venæ tali sectæ sanguinem à supernis ad inferiores partes alliciant, qui non magis ad vterum, quàm ad ani venas dilabitur. Quò fit vt etiam Galen. docuerit lib. de sanguinis missione venas crurium secare, si hæmorrhoydes prouocare velimus. Quamobrem euocari ad inferas sedes sanguinem per huiusmodi venarum sectiones comperies: quemadmodum vtero existente pleno, ab eodem deriuare,ac sæpe, dum parum sanguinis aut in vtero aut in corpore abundat, menses ipsos incipientes supprimere. Verùm dum copiosior est, vel ibidem impactus, non deriuat quidem,sed ad vterum reliquum sanguinem allicit, & præexistẽtem mouet.Qui sanè motus nulli dubium est,quin per consueta loca prorumpat, & menses appareant:nam inflammationes,in vtero vel in alijs vasculis,quæ mẽstruationi destinata nõ sunt,vel in eisdem,sed summè plenis,fieri cõtingit. Et ob id talo

sciſſo potiùs deriuationes, quàm mensium prouocationes fiunt:licèt modo dicto vtrumque fieri possit seruata tamen præhabita lege.

Præterea hoc auxilio facto, ad repetitas purgationes te conferes,quas per epicra sim appellant,ex minori quantitate eorum medicamentorum factas;quæ superiùs retulimus.Præter quæ,eum vsum frequenter mihi præstiterunt pilulæ ex rubea tinctorum in puluerem redacta cũ modico agarico, ita vt ex 3.j.agarici,& altera prædicti puluerís, formentur octo pilulæ:quarum singulis diebus duas porrigere oportebit. Alias item conficies ex chalybe præparato & diacurcuma cum agarico,& pulueribus calamenti, thymi,& dauci, aut ex solo agarico, myrrha & diacurcuma cum pulueribus aristolochiæ, corticis casiæ,& calami odorati. Quem etiam vsum præstant confectæ ex eodem chalybe, & rubea tinctorum cum modico succo artemisiæ.Prosunt quoque mastichinæ cum pauco turpeto,ita vt ex.3.j.pilularũ de mastiche,& 3.ß.turpeti fiant sex pilulæ,additis puluisculis supradictis: quarum vnam singulis diebus summo manè laborans deuoret. Secundò poteris singulis diebus, tertio, vel quarto quoque die, bolum huic vsui maximè proficuum præbere, qui conficitur ex diacartamo, diacurcuma, pondere.3.ß. puluerís rubiæ.ϑ. ij. puluerís squinanti,nigellæ,& cinnamomi.an.ϑ.ß.& cum modico syrupo de artemisia, conficiantur duo boli,quorum alter summo manè, alter verò sequenti die eâdem hora sumatur, ac desuper bibat fœmina.3.ß.aquæ artemisiæ, vel graminis.3.j. Consimilem medicamenti formam conficies ex conserua rosarũ persicarum cum modico agarici, vel ex theriaca & modica conserua, aut ex fermento & saccharo; quod probatum multis est. Item ex pulueribus sæpe dictis, & 3. ij.electarij diapheniconis, aut indi maioris,aut ex chalybe præparato, melle rosaceo, & prædictis pulueribus ad formam boli redactis. Probatissimi enim commodi & efficaciæ sunt pilulæ, quæ conficiuntur hac lege. Re.aloës.3.iij.cum succo sabinæ formentur pilulæ.xx. Ex quibus iij.immediatè ante prandium tertio quoque die porrigito. Quòd si solidius medicamentum parare velis, tabellas facilè ex eisdem medicamentis, & alijs, quæ paulò inferiùs recensebo,conficies cũ aqua artemisiæ & saccharo, quantum sit satis: post quæ omnia exercitio vtendum est, quippe sola hac lege prodesse poterunt citiùs. Sed vtiliora,pretiosioraque multò, conficies pharmaca potui idonea:nam hæc,vt quæ minùs in ventre immorentur, citiùs in affectum locum eunt, & promptiùs vsum præstant. Primum inter omnia obtinet locum agarici dilutum, tertio quoque die exhibitum,factumque ex aqua cinnamomi,rubiæ,& pimpinellæ cùm modico croci. Nec minoris est vsus is, qui conficitur ex hydromellite parato ex aqua origani, calamenti,pulegij, & artemisiæ, quod posteà bulliat cum 3.j.& ß. optimi turpeti: cuius facta collatura, sumat.3.iiij. Eiusdem est efficaciæ decoctum radicum diureticarum, in quo,antequàm refrigeretur,maduerit per diem integrum radicis ireos viridis. 3.j. cui,facta collatura,adde puluerís sabinæ,cinnamomi,squinanti,& betonicæ.an.ϑ. j.bulliat iterum omnia lento igne,& colletur.Cuius decocti summo manè.3.ij.cũ saccharo, aut melle porriges.Cõficies facilè aliam chimica arte per instillationẽ in balneo Mariæ extractam,ex pari vini & aquæ quantitate,quæ lib.iij.compleat;quibus adde agarici trochiscati,turpeti optimi,& cartami.an.3.iij. theriacæ magnæ.3. ij. artemisiæ virẽtis,& pimpinellæ.an.m.j.radicum ireos & ebuli.an.3.j. radicũ diureticarum.an.3.vj.puluerís cinnamomi.3.ij.contundantur omnia,& per balneum Mariæ instillentur:cuius instillationis cum iure pulli porriges.3.j. aut 3.j.& ß.His itaque medicamentis, & alijs, quæ passim reperies, si prudens fis, expurgabis

craſſos viſcidoſque humores,vel ex parte adhuc obſtructa educere paulatim poteris. Quibus vti oportet per interualla,& repetitas vices,ne aut naturã plus iuſto defatiges,aut eam medicamentis aſſueſcere nimium cogas. Quòd ſi & ſanguinis miſſione,& his purgationibus vſus fueris,nihilque cum hoc profis,per pharmaca menſes ducentia,per lauacra,balnea,inſeſsiones,ſuffitus,& peſſaria tentandum eſt inceptum opus perficere. Quorum omnium ſeorſum meminiſſe,vtiliſsimũ & claritatis gratia neceſſarium eſſe duxi.

Itaque inter vnam & aliã purgationem ex ijs,quas modò retulimus, præmiſsis tamen aliquot(donec ſuperfluí humoris tam in vniuerſo corporis ambitu, quàm in ipſo vtero contenti,aliquid excreuiſſe compertũ habeamus)alijs auxilijs vtendum eſſe conſulit rei ratio,vt & humores expulſioni præparentur,& ad inferas ſedes deuehantur,& meatus occluſi aperiantur,laxenturq; partes, & huic miniſterio promptiores fiant. In quo ſanè opere efficiendo nil commodius,quàm ea medicamenta quæ menſes mouent comperies. Quorum vſus haud cuiq; cognitu facilis eſt. Licet enim menſes mouentia nuncupentur,non ob id credendum eſt,omnibus cauſis ſuppreſsionem efficientibus proficua eſſe,ſed tantùm aut craſſo ſanguini,aut obſtructo ob eandem cauſam vtero. Et ob id Gale. inter medicamenta menſes mouentia retulit multa,quæ valenter ſiccant,ac vrinas mouent, nõ quòd ea huic vſui ſint proficua,ſed quòd obſtructionibus auferendis ſint idonea. Menſes enim mouentia,calida,ſed non valenter ſicca eſſe oportet,vt Gale. refert. 5. ſimplic. c. 21. & ideò omnibus alijs affectionibus nulli dubium eſt, quin maximum damnum ſint allatura: nam quæ talia ſunt,vrinã potiùs quàm menſes mouent,in medio enim lac generãtium & vrinam cietium ſunt: quæ menſes mouent magis quidem quã lac mouentia calida & ſicca: minus verò quã ea quæ vrinã mouent. Sed ne quis intrepidè,& vtcũque adhuc cognita cauſa eis vtatur(nam multa ſunt quæ cũ valde vrinas moueãt,potiùs menſes auertere adhuc fluentes, quàm ſuppreſſos euocare nata ſunt)noſſe oportet,tres eſſe medicamentorum menſes mouentium ſortes,omnes tamen menſibus mouendis idoneas,non quidem eodem modo,neq; omnes omnibus ſuppreſsionibus,licet omnia eſſentiæ tenuitate & calore magis fluxilem ſanguinem reddant,& venarum oſcula in vterum, & eius ceruicem deſinentia patentiora efficiant,atque expultricem vaſorum vim ad conſuetum munus laceſſant,præterquàm quòd ſubſtantiæ quadam proprietate vtero amica & familiaria exiſtunt. Inter quæ ſanè mitiora quædam medicamenta reperiuntur,quæ vſui proficua tunc exiſtunt, cùm affectus minimè vrget, ac fortaſſe quia plenius eſt corpus,& eò minùs admittet valentiora, quæ & ventrem ſubuertunt,& febres excitant,exulcerantue vterum,ſi ipſi adhibeantur. Quo tempore, ſi plurimùm neceſsitas vrſerit,vmbilico aut vtero commodè adhibebis. Quamobrem,quæ clementia ſunt ſola & per ſe primò adhibebis. Quòd ſi non ſufficiant, ex valentioribus addendum eſſe aliquid conſulit medendi ratio. Primi igitur generis medicamenta,quæ clementer mẽſes mouere diximus,ſunt ficus,paſſæ,amygdalæ amaræ,cicer rubrum,ſemen orobi,lupini,phaſeoli,præcipuè rubri,lens,radix graminis,& ſemen ruſci,aſparragi,pentaphili,adianti vtriuſque,phyllitis,cichorij, intybi,& omne rumicis genus,eupatorium, braſica,malua,lactuca agreſtis, hyperici folia,flores,ſemina,& oleum quod ex his conficitur. Secundum verò genus ea complectitur medicamenta,quæ mediocriter menſes mouent: qualia ſunt radix, folia,flores,ſemina raphani,raphanitidis,apij,chere folij,porri,cepæ,erucæ, naſturtij, galitrici, ocymi, allij, peoniæ vtriuſque, meliſophili, petroſelini, anethi, anniſi, ameos,

carui,dauci,fœniculi,leuiſtici,ſeſeleos,ſaxifragiæ,betonicæ, meu,leucoiorum,capparis,radix ireos,rubiæ,ariſtolochiæ,gentianæ,enulæ,aſphodeli, eryngij: abſynthium,item abrotonum,artemiſia,calamintha,polium,origanum,pulegiũ, phu,aſarum,ſatureia,hyſſopus,ſerpyllum,maiorana,ſtachis, coniza,ſchordium, marrubiũ,chamædrys,chamæpitys,mercurialis,anemone,vrtica,tlapſi,ruta ſicca: flores ſambuci, camemali, caryophylli: ſthœcas,& crocus. Cuius etiam naturæ ſunt ſemina prædictorum,& lythoſpermi,lolij,melanthij,lauri, & iuniperi. Item iuncus odoratus,calamus aromaticus,amomum, cinnamomum, cardamomum, caſia,xylobalſamũ,ſpica nardi,coſtus,cyperus,aſarum,zingiber,galanga, nux muſcata,piper,cubebæ,moſchus,ambra,caſtoreum,vnguis odoratus,œſypus, bitumẽ, ſal,nitrũ,ſulphur,aloës,& ex ipſa hiera Ruffi: myrrha,& ex ea trochiſci: ſtyrax, centaurum,opopanax,ammoniacum,ſagapenum,galbanum. Quorum minorem doſem,quã Ætius propinat,adhibendam eſſe cenſeo: nam præbet ferè ʒ. j. Cuius etiã cenſus ſunt pilulæ montagnanæ,quæ recipiunt ſeminis apij,caſiæ ligneæ. an. ℈. ß. muſci. gr. xv. trochiſcorum de myrrha. ʒ. j. &. ß. cum ſucco apij formentur pilulæ. Tertium & vltimum genus horum pharmacorum(quorum. ʒ. j. cum cyatho vno aquæ pimpinellæ,vel alterius,exhibenda eſt) ea complectitur,quæ valenter mouere menſes nata ſunt,vt eſt elleborus vterq; (cuius non. ʒ. ſed minimum,& non ex ſubſtantia exhibendum eſt) pyrethrum,brionia,ciclaminis radix, atque cucumis agreſtis,turbith,ſtaphyſagria,ſinapis, ſiliquaſtrum, colocynthis, thymelea, tithymalorum genera,ſcammonium,eupatorium,cantharides,ſella. Eiuſdem quoque naturæ eſt theriaca,& trifera magna ſine opio,& diacalamynthes. Verùm cauere oportet,ne eorum. ʒ. illam indiſtinctè porrigamus,ſed vel in maxima aquæ quantitate proiectam: cuius aquæ puſillum exhibeatur,vel eorum minori doſi primò exhibita. Ferunt etiam allijs cum oleo de ſpica tritis,& in rarum linteolum oblongi ſacculi modo conformatum intruſis,ac in vuluam profundè pulſis,& dum licebit excluſis,menſes ceſſantes moueri potenter,& vterum mira voluptate refici,ac repurgari,adeò vt hinc facta ſit vis nonnullis ad conceptum longo tempore deſperatum. Ex quibus varias medicamentorũ formas facilè eligere poteris, admixtis tenuioribus,ſi craſſus fuerit humor,& calidioribus,ſi frigidus,aut è contra,ſi ſors tulerit. Quæ omnia recipiuntur per os,aut per collum vteri: per os quidẽ epota, deuorata,aut in puluerem redacta: per vteri collum,glande,peſſo,metranchita, ſuffitu. Quæ porrò noctu non ſunt in vtero dimittenda,aut in ipſius collo, ne phlegmonem aut febrem excitent,vel exulcerent partem ipſam.

Redeuntes igitur ad penſum,dum materia frigida eſt,craſſa, atque obſtruens, primò à prædictis euacuationib⁹,apozemata porrigere oportet, quæ huic vſui hac lege conficies,ex aqua nimirum mulſa,ex decocto rubiæ tinctorum,aut calaminthæ cum ſyrupo de artemiſia compoſito. Item confert ſyrupus idem cum decocto dictami,aſari,& pulegij. Præſtat quoque apozema,quod recipit calaminthæ, artemiſiæ,pulegij,thymi. an. m. ß. acori. ʒ. ß. croci. ʒ. j. bulliãt in lib. vj. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis,reſiduum colletur: cui adde mellis. ʒ. iiij. & rurſus bulliat,donec totam euomueritſpumam: cuius decocti bibat. ʒ. vj. Cõfert item myrrhæ. ℈. j. cum aqua mulſa,aut caſtorei. ℈. ß. cum aqua origani & pulegij. Item decoctum ſabinæ cũ melle,cæterùm in parua copia: aſari etiam aut iridis decoctum. Sumito deinceps,ſi plura perdiſcere volueris,ex ijs, quæ in primo genere menſes mouere diximus,quæ magis placuerint,coquito ſecũdùm artem, & facta collatura cũ leui expreſsione, adde ex aromatis quod ſat fuerit, & iterum cum modico melle & ſaccharo

Apozemata.

ſaccharo ſyrupum ſolito dilutiorem conficies. Et eadem methodo, ſi diuturnior fuerit ſuppreſsio,parabis ex ijs, quæ in ſecundo aut tertio genere contineri diximus:quibus addere poteris ex ſyrupis ſupradictis aliquem. Cuius cenſus multa pharmaca reperies apud probatiſsimos authores,veluti eſt illud, quod recipit inſtillationis ex raphano,folijs eius & pimpinellæ.℥.ij.caſiæ ligneæ ſubtiliter pulueriſatæ.ʒ.j.croci.g.iiij.ſacchari:℥.j.Decoctũ item ligni Indici cum dictãno. Quòd ſi eadem vino macerentur,& reliqua quæ diximus,non minoris ſupererit res commodi.Sic decoctum modicæ ſabinæ cùm artemiſia & pimpinella,& modico cinnamomo.Vinum etiam Hippocraticum appellatũ præſtat ex vino albo, vel ſuluo confectum,dilutũ tamẽ aqua graminis,vel aſparragi,apij,petroſelini, aut decocto eryngiorum.Prẽter quos potus,alter etiam paratur eo artificio,quò citiùs & tutiùs poſsint menſes moueri.Recipit autem radicum diureticarum in aceto priùs temperatarum.an.℥.j.radicis rubeæ tinctorum.℥.ß.ſabinæ,nepetæ.ʒ.ij.pulegij, artemiſiæ.an.m.ß.petroſelini,fœniculi,apij.an.ʒ.j.ſeminis endiuiæ,portulacæ,cucurbitæ, melonum.an.ʒ.j.&.ß.florum cordialium,geniſtæ,anthos,an.p.ß.decoquantur ad lib.j.& collaturæ adde mellis,aut ſacchari,ſi biliosa ſit fœmina,quantum ſit ſatis,vt fiat zulapium. Item ſuccus raphani ſylueſtris extractus cum vino infuſionis aſari menſes mouere fertur.Sicut ſyrupus,qui recipit rubeæ tinctorum ſabinæ.ʒ.iij.artemiſiæ.m.ß.radicum fœniculi,& acori,numero.iij.ſquinãti, aniſi,& pulegij. an. ℥.ß.caryophyllorum,meliſſæ,bugloſæ. an.ʒ.iij.cyperi,galangæ,calami aromatici, & fœniculi.an.ʒ.ij.medullæ paſſularum.℥.ß.cinnamomi.ʒ.j.fiat ſecundùm artem decoctio,& cum melle & ſaccharo potui detur.Benefacit etiam decoctũ apij,acori,ſpicæ nardi,iunci odorati,mercurialis,carpeſiarum cum ſaccharo ſumptũ.Item acori decoctum cum vino albo veteri,vel decoctum cumini,fœniculi,oreoſelini, dauci,amij,& cicerum,inter quæ non minoris eſt momenti vinum ex crimno,ſeu fœniculo marino. Verùm quia eò ſæpe deuenire ſolet huius affectionis renitentia & peruicacitas,vt ne validiſsima quidẽ auxilia ſufficere queãt:neceſſum ſubinde eſt aliquot excogitare,quæ citra fœminæ damnum maius beneficiũ præſtare poſsint.Cuius ſortis eſſe creduntur chimicæ inſtillationes,quas guſtui eſſe gratiores,& cæteris longè vtiliores exiſtimo.Atque inter plurimas,quæ ex viridibus herbis,aut ſiccis, ſed decocto aliquo infuſis melle addito fieri poſſunt, quæ maximè mihi probatiſsima cenſetur,ea eſt,quæ ex pane ferè ad fermenti naturam redacto & mediocriter cocto,& calido conficitur:cui ablato cortice,mellis.℥.xij. addãtur, pulueris ſeminis vrticæ,dauci,ameos,aniſi,& fœniculi.an.ʒ.j.trochiſcorum galliæ muſcatæ,myrrhæ,rubiæ.an.ʒ.j.cotulæ fœtidæ.ʒ.ß.Quæ omnia infundes in lib.iij. infraſcriptæ decoctionis(quæ recipit phaſeolorum rubrorum,cicerum rubrorum an.p.ß.ſeminis iuniperi.℥.j.radicum rubiæ,ruſci,raphani ſylueſtris,aſparragi,apij, & oreoſelini.an.℥.ß.chamædreos recentis.m.j.ameos,aniſi,fœniculi.an.℥.ij. Coquito omnia ſecundùm artem) deinceps in balneo Mariæ ſtillatitium liquorem extrahes:cuius.℥.ij.ſummo manè laboranti porriges,addito ſyrupi capillorum veneris,& acetoſi de duabus radicibus,vel ſine aceto,vel violarũ.ana.℥.ß. Quod profectò præſidium maximi momenti eſſe cenſeo, præſertim ſi fœmina parum antè ſeſe exercitio dederit: quo medicamento ſumpto lenta etiam deambulatione vtatur,& ſequenti die maiorem ingerat quantitatem,ſi ventriculum alterari non perſenſerit.

Trochiſci pulueres,et electuaria.

Verùm ne eiſdem medicamentis tædium fœminis parere videaris,& ne etiam vni remediorum generi natura aſſueſcat, acideò contemnat, immutare eâdem opor-

opportunũ apud viros in hac re peritos eſt conſilium.Quapropter ex pulueribus, ac electuarijs trochiſcos & bolos cõficere poteris: quæ & æquè vtilia & minùs guſtui ingrata ſæpe exiſtunt.Inter quæ ſanè medicamẽta probatũ reperies præſidiũ extrochiſcis de gallia muſcata cum aliquo ex ſupra dictis pulueribus.ʒ.j.Item.ʒ.j. trochiſcorum de myrrha cum aliquo ex prædictis potibus, aut aqua pimpinellæ. Conſimilem obtinet vim fermentũ magnitudine auellanæ ſingulis diebus ſumptum:quod cum ſaccharo adhibẽdum eſſe cẽſeo,addito modico croco,aut quouis alio ex prædictis pulueribus.Itẽ.ʒ.j.&.ß.calaminthæ tenuiſsimè tritæ cũ mellis deſpumati cochlearijs tribus.Idem beneficium præſtãt trochiſci ex rubia, ex cotula fœtida,ex ſagapeno,de raſura eboris,cornu cerui,& alij, qui ex prædictis ſimplicibus confici poſſunt.Item vti poteris trifera magna ſine opio cum modico vino,theriaca magna,& mythridato. Placentulas quoq; conficies,aut rotulas ex ſupradictis pulueribus,aquis,& ſaccharo.Præterea incredibili quadam efficacia prodeſt hieræ ſimplicis Galeni.ʒ.ß.ex qua formentur duæ pilulæ,quæ cum decocto ſabinæ, vel pimpinellæ tertio aut quarto quoque die ſumãtur.Cõfert & mel,quod ex electuarijs de corticibus aranciorum exprimitur cum puluere cinnamomi,vel caſiæ fiſtularis,calami aromatici,laccæ,eringij,vel ſmyrnij.Probatam etiam apud viros doctos reperies mixturam,quæ recipit myrrhæ,calamenti mõtani. an.ʒ.iiij.medullæ paſſularũ.℥.ij.rutæ viridis.ʒ.ij.ſabinæ.ʒ.ß.ex omnibus contuſis cũ ſufficienti mellis quantitate fiat confectio:cuius doſis ſit.ʒ.ß.cum aqua pimpinellæ. Cui quoq; vſui pilulas conficere poteris,quæ valenter menſes mouere natæ ſunt, & recipiũt, muſci,myrrhæ.an.℈.ij.ſthœcados,rubiæ tinctorum,pulegij,corticum citri, piperis longi,corticis caſiæ ligneæ,granorum peoniæ,calami aromatici.an.ʒ.iij.ſpicæ nardi.℈.j.cum aqua artemiſiæ fiant pilulæ.n.vij.pro drachmate:cuius quantitas ſit in hebdomada.ʒ.j.vel tertio quoque die.℈.j.Præſtat etiam opopanacis,aut ſagapeni,myrrhæ,aut caſtorei.ʒ.j.Cuius ego quantitatem, præſertim caſtorei minuerẽ, & cum ſucco roſaceo efformato bolo,præberem.Præter quæ omnia reperies, à viris doctis paſtillos huic vſui probatos,qui recipiunt ſeminis fœniculi,dauci, ſeſeli. an.℈.j.cinnamomi,acaciæ,an.℈.ß.ſeminum melonum,aut cucumeris.℥.ß.ſacchari diſſoluti in aqua melliſophili,aut capillorum veneris,quantum ſat ſit,vt formentur paſtilli,quibus fœmina vtatur cum aqua mulſa.Ad quam etiam medicamentorum ſortem reducitur electuarium,quod ex chalybe præparato cõficitur, tanquam peculiare huius affectus beneficium.Eſt etiam non minoris momenti,ſi paſtinacæ condiantur cum melle,addito pipere,zingibere,& caryophyllis: ex quo melle accipiat laborans.℥.ij.cum.ʒ.j.pulueris cinnamomi.Maturo equidem conſilio opus eſt ad vtendum ijs,& prædictis pharmacis: nam primò fugiendum eſt à ſudoris prouocatione,qui haud difficulter huiuſmodi auxilijs moueri ſolet. Diſtrahes enim eo magis ſanguinem,& menſtrua fortaſſe ſupprimes potiùs quàm euocabis.Item hæc eadem pharmaca dum indiſtinctè adhiberi contingit,frequentiſsimè in maiores affectus,quàm ſit menſium ſuppreſsio,fœminas conijcere ſolent. Calida nanque ſunt omnia & ſicca:ob idq; potibus vti potiùs, quàm ſiccis & ſolidis ſemper arriſit mihi magis.

Fomẽta, et inſeſſiones

Verùm,quia non ſat eſt medicamenta ea adhibere, quæ aduerſus cauſam affectus pugnent,niſi affectum ipſum oppugnauerimus,& corpus etiam,vterumq; fluxui,quem intendimus,præparatum habeamus:ob id profectò neceſſum eſſe duximus,ea remedia excogitare,quæ præterquam quòd vſui ſunt communia, cauſam quoque elidunt,& corpus peculiari ratione præparant. Qua in re primum obtinent

nent locum fomenta,& inſeſsiones,quæ manè ventriculo ieiuno adhibenda ſunt; ac præſertim circiter dies octo ante tempus purgationi ſtatutũ. Primum igitur vti le eſt,ſi inſideat fœmina vſq; ad vmbilicum in decocto artemiſiæ, polij, pulegij, & origani. Item partes illas aqua tepida fouere oportet,vel decocto maluarum, & liliorum,& aliarum rerum,quæ vim habent diſſoluendi, & extenuandi craſſa, venaſque dilatandi: velut eſt decoctũ camemali, artemiſiæ, mentaſtri,ſabinæ,origani,calamenthi,apiaſtri,pulegij, mercurialis,ocymi,& foliorum ſambuci. Quod quidem decoctum conficies ſumptis ſingulorum.m.j.artemiſiæ.m.iij. radicis valerianæ lib.j. Quibus contuſis (dempta artemiſia,quæ ſeorſum in ſacculo includatur)& ex arte coctis,fomentum varijs modis parabis,modò ex ſpongia, modò ex veſica,aut ſacculo aliquo ex eiſdem rebus confecto, & in prædicto decocto madefacto,vinoque irrorato,atque vteri regioni,necnon pudendo adhibito. Cuius etiã decocti vaporem ſuſcipere per infundibulum poterit fœmina, vel decoctionis ſabinæ,rubiæ, acori,& calamenthi. Cui etiam vſui vel fomentum, vel euaporationes conficere licebit aqua calida ſponte ex ſulphure naſcẽti,quæ in hac re maximi eſſe momenti cẽſeo. Fouendus quoq; vterus eſt odoratis fomẽtis, maiorana nimirũ,ſerpyllo,calamintha,camemalo,pulegio,artemiſia,radice iridis, & ſimilibus in olla decoctis. Confert itẽ pedes aqua calida immergere, quippe quæ ſanguinem deorſum trahit,& ora vaſorũ aperit,& corp⁹ totũ doctiſsimorũ ſentẽtia emolleſcit. Ferũt empirici radicẽ cucurbitæ ſilueſtris coctã & pedib⁹ appoſitã mẽſes mouere.

Idem beneficium præſtat: ſi parũ ante, aut poſt, fœmina ligatis ſeiunctim femoribus aut poplitibus incedat.

Aromatũ ſuffitus.

Si quando vſum aliquem aromatum ſuffitus in prouocandis menſibus habet,in ea potiſsimùm habet cauſa,de qua modò diſſerimus,nimirũ, vbi ex obſtructione vel nimia humorum craſſorum redundantia vterus non purgatur: quippe in alijs aut nocet,aut nihil prodeſt. Quapropter cognita,quam prædiximus cauſa,capite à ſuffitus cõtactu ſatis præmuñito,eum ſuſcipere oportet,nam & vias reſerat,& craſſos ac viſcidos & tenaces humores attenuat,atque fundit. Quæ ſanè opera ſuffitus poſſe efficere,ex Hippo. 5. apho. 28. euidenter conſtare videtur. Tria namque commoda ex aromatum ſuffitu annumerat in commentario Gal. Attenuãt quidem craſſa,& diſſecant lenta,ex quibus fiunt obſtructiones,& aperiunt oſcula venarum. Calidum enim cùm diſſoluat,manifeſtum eſt, quomodo attenuet craſſa: ſiccũ verò cùm diuidat,apparet quomodo lenta extenuet atq; inſcindat. Aperit tamen ora venarum,primò excitando ad motum ſanguinem,nam ferueſcens cum impetu fertur,& dum in vapores ſanguinem vertit,vapor ipſe penetrat & aperit. Sed & opus id magis facit,quoniam oſcula illa bifariam coëunt,& ſponte nimirũ, & vi ipſa continente glutine quodam,& ſic calor trifariam aperit ora venarũ: virtutem laxando & aliquando gluten,contrahendoq; ſubſtantiam venarũ,quæ breuior facta cogitur diuelli,vt ſic ſeptem in vniuerſum modis calida venarum ora aperiant, & ſanguinem fluere faciant. Quòd ſi cum his adſit acre aliquod medicamentum, vno quidem modo imminuta ſubſtantia, altero, excitato impetu facultatis,maiores fiunt effectus. Probauit autem Hippocr. hãc ſententiam,& expreſsit qualia ſint huic vſui aromata lib. de natu. mul. Ea verò triplici genere continentur, quædam enim ſunt,quæ bene olent, ſuffita non olent, vt violæ,de quibus Hippo. num intelligit in prædicta ſentẽtia. Alia ſuffita olẽt,nõ ſuffita etiã nõ olent, vt ſucci nõ: quædam rurſus vtroq; modo,vt lignum aloës. Quorum omniũ cõfuſa oratione meminit Hipp. loco nuper citato: inter quæ recenſentur thymbra, ariſtolochia, caſtoreum, adiantum,dracontium,peucedanum,apij & fœniculi ſemen, rutæ folia & ſemen. Alibi tamen annumerat cyperum, iuncum, rotundum, odoratum, cala-

calamum aromaticum,nigellam, ſiſymbrium, aniſum, & cinnamomum. Quibus addi poſſunt myrrha, ſtyrax, galbanum, thus, bdelium, radix ariſtolochiæ,artemiſia, caryophyllus, cibetum, moſchus,trochiſcus de gallia muſcata,de opopanace,de ſagapeno,de myrrha,& de ſabina. Ex quorum omnium ſylua facilè tibi erit vel ſimplex aliquod medicamentum huic vſui proficuum eligere, vel ex varijs conficere,ſumptis pulueribus cum gummi,myrrha, ſtyrace, aut alio tenaciori pharmaco: ex quibus pilas conficies,quarum vna ſuper prunas iniecta ſuffumigium præſtabit.

Peſſi & iniectiones.

Quòd ſi neque his omnibus debita ratione & occaſione factis, affectio cedere videatur,accedendum eſt tunc ad peſſaria,& metranchitas: quibus ſanè maxima cum cautione vti oportebit,nã & exulcerationes in vtero, & validas diſtẽperies, & alia non contemnenda mala paſsim inferre ſolent. Conficiuntur autem peſſaria duobus modis,quæ videlicet tantùm os vuluæ attingant,naſcalia appellata,& quæ ſeſe penitiùs inſerant. Naſcale præſidium virginibus eſt vtile & neceſſarium: nam illæ reliquum abhorrent. Parantur verò naſcalia puluere aliquo ex ijs, quos mox referã,bõbace excepto,& oſculo pudẽdi adhibito. Peſſus porrò eſt medicamenti genus,quod in collum matricis inditum ſuppreſſos menſes mouere natũ eſt. Conſtat quidem figura terete, longitudine.iij. digitorum, & craſsitie digiti vnius,plus minuſue,prout prudenti medico viſum fuerit: eſt ſanè nuptis vtile præſidium. Fit autem multis modis: primo,ex liquore aliquo glandis forma,melle aut cera coactum. Fieri quoque poſſunt,ſi receperis mellis cocti. ℥.j. cui circum adde hieræ picræ.ʒ.ij.euphorbij in puluerem redacti.g.iij. miſce,& fiat peſſus. Ex radice quoque rubiæ probè conficitur,inuncto melle,aut felle,& ſparſis nigellæ puluiſculis. Quibus omnibus aliquid odoratum velut galliæ, muſci,vel ambræ addere oportet. Cõficies quoque ex melle,aut cera additis pulueribus radicis ireos, acori, aſphodeli,cyperi,caparrorum,ariſtolochiæ,rubiæ,foliorum,abrotoni,artemiſiæ,abſynthij, calaminthæ,hyſſopi,praſij,ſabinæ,nigellæ,baccarum lauri, ſeminis aniſi, vrticæ,& trochiſcorum de myrrha. Quem quoq; vſum præſtant peſsi ex medulla ceruina inuoluta linteo mũdo,& appoſita: vel ex mercuriali & terebinthina cum modico agarico. Prodeſt & ſuccus ciclaminis vẽtri illitus. Fieri etiam poſſunt hæc auxilia ex ſtyrace,ladano,galbano,ſagapeno,ammoniaco,bdelio,& ſimilib⁹. Quibus,vt valentiora fiant,addi etiam poteſt.ʒ.j.aut.g.x.pulpæ colocynthidis,ſcãmonij, aut radicis vrticæ. Alios item peſſos,quos maximi eſſe momenti ſcio,cõficies, ſi receperis fellis hirci,aut vaccæ.℥.j.aſari,agarici,cinnamomi.an.ʒ.j.ſucci mercurialis.℥.j. coquatur ſuccus cum pauco melle, & ſimul incorporata reducantur in formam vnguenti,ex quo peſſum confice. Item alios conficies, præſertim pituita redundante,ex trifera magna ſine opio,ex theriaca,caſtoreo cum prædictis pulueribus,aut alijs eiuſdem farinæ,addito pipere,terebinthina,vel reſina. Quos peſſos filo ligabis,neque per integram horam ibidem morari ſines, ne aliquod ex ſupra dictis malis fortè accidat. Fiet identidem peſſus admodùm vtilis ex modico mercurialis tritæ,& hiera ſimplici,& mythridato,cum granis aliquot moſchi. Conficies tamen aliũ peſſum hoc modo. Recipe radicis ireos,ciclaminis. an. ʒ.j.myrrhæ electæ,caſtorei.an.ʒ.j.ſeminis rutæ: melãthij. an.ʒ. ß.ex quibus fiat puluis,qui terebinthina exceptus,in peſſum degeneret. Ex radicibus etiam tapſi,maluæ, altheæ, iridis,apij,enulæ,fœniculi,& alijs conſimilem habentibus virtutem purgatis à ſuperficie,& illitis oleo liliorum,iaſminorum,coſtino,euphorbij,vel cui incoctæ ſint res menſtrua mouentes, addito vino, & additis etiam pulueribus nuper dictis,

peſſos

pessos parare poteris,radices autem primò modicè calfacito,vt emolleſcant. Ex quibus omnibus peſsi, qui tutiores fiunt,linteo quodam tenui indui debẽt,vt vterus vires medicamenti ſuſcipiat,acrimoniam tamẽ,ac mordacitatem minimè deguſtet.Sed vſui proficuos quoq; parabis hac lege,R reſinæ.ʒ.ſ.myrrhæ.ʒ.j.croci. ϑ.ſ.ſtyracis,& galbani vtriuſque.ʒ.ſ.mellis.ʒ.j.ſ.cũ coto,aut lana carpta fiat peſſus.Vel fiat ex melle,myrrha,& ſucco abſynthij,belzoino,& oleo irino.Poſſunt tamen parari faciliores ex ficu arida ad formam digiti extenſa,inuncta, madida,aut mixta aliquo ex prædictis medicamentis,vel ex felle,aut ſucco aliquo. Velim tamen huius loci lectores monitos,ne indiſtinctè ijs,quæ diximus,vtantur medicamentis:nam cùm vteri natura ſua ſponte facilè ob loci calorẽ & excremẽta,diſtentionem contrahat,exulcerationes & alia mala neceſſum eſt ſubſequantur. Cuius gratia ſumma rei erit,mucillagine,aut ſucco aliquo temperatos in vterum immittere,vt eorum vis & acrimonia aliquo modo frenetur.Nam quantùm calida medicamenta mucillaginibus & blandis medicamentis retunduntur,tantùm eadem mucillagine vterus emollitur,præparaturque,vt ocyſsimè,& mitiori adhibito medicamento facilius cedat,laxeturq;,aut ad expellendum irritetur. Modus tamen vtendi his peſſulis eſt,à leuioribus initium ſumere,qui fiunt ex anſerino,ſeu gallinaceo adipe,ſaccharo rubeo,& pauco croco.Poſt modùm deuenies ad eos, qui fiunt ex mercuriali,ſeu artemiſia,ex pulegio,ex maiorana,ex ruta,& ſabina. Quibus præmiſsis ſi vſus popoſcerit,ad acriores peruenire poteris ſenſim & gradatim. Naſcalia verò ex ciſdẽ parari poſſunt medicamentis,goſsipio,lana,cera,reſina,aut ficu aliqua exceptis,& pudendi oſculo adhibitis. At vterinos clyſteres deguſtare virgines fas nõ eſt:cauere enim oportet eas ab huiuſmodi præſidio,verùm in alijs fœminis mille modis parari poſſunt. Primò,ex ſucco mercurialis depurato,vel ex decocto rubiæ tinctorum,origani,vel radicum aperitiuarum, ſaluiæ, matricariæ, nepetæ,quantitate.iij.ʒ.addita.ʒ.ſ.pulueris melanthij.Item parari poteſt ex oleo liliaceo,camemellino,laurino,cũ decocto calaminthæ,& origani,additis myrrha & croco,cum oleo de ſtyrace.Cui vſui conſimiles parare poteris facto decocto ex ijs,quæ ſæpius hucuſq; memorauimus.Cæterùm hoc præ oculis habeto in ijs, quæ in vterum infunduntur,ne diu ibidem immorentur:ſed peſsi poſt vnam, aut duas auferantur horas,iniectiones verò, poſt duas aut tres. Mox verò vterum diluere oportet aqua graminis,vel apij,aſparragi, petroſelini, aut decocto eryngiorum. Mihi tamen arriſit magis maluarum decoctum: nam cùm ardor vteri collo, aut vtero ipſi facilè concitetur ex acrium medicamentorum adhæſu,mitigare id proculdubio teneris butyro recenti inſulſo,oleo roſaceo,aut cerato refrigerãte Galeni,vel lacte, aut hordei cremore, vel aqua hordei mediocriter calida editis maluis.Proſunt & idonea exiſtunt menſibus mouendis vterina clyſteria,quæ hac forma vel ſimili conficies.Re.roris marini thymi,valerianæ,ſabinæ.an.m.j. ſampſuchi,ſmyrnij,fœniculi.an.m.dimidium,fiat decoctum:cuius ſume.ʒ.iiij.ſtyracis.ʒ. j.catholici.ʒ.ſ.diſſolue & prope ſomnum infundito.Vel ſi magis placuerit, excipe raditum aperientium, rubiæ maioris.an:ʒ.j.radicis eringij,cyclaminis.an.ʒ.ſ. mercurialis.m.j.ſabinæ parum,ſpicæ vtriuſq; aſſari.an.ʒ.ij.feminis melanthij.ʒ.ij. ſ.facta coctione infunde in vterum cum modico vino.ʒ.iiij. Quòd ſi abſtergere volueris,his addes lupinorum vel fabarum.an.ʒ.ij.

Externæ inunctiones.

Verùm quia his omnibus adhibitis renititur adhuc rebellis affectio:vltimam ei adhibere manum oportet inunctionibus & vnguentis,quæ exteriùs adhibita prædictis auxilijs opitulentur.Inunctiones quidem facito ex oleo liliorum, de caſtoreo,ex ſucco angelicæ,ex oleo anethi,baccarum lauri,de croco, de vitellis ouorũ, de

de capparibus.Ex quibus cum cera,croco,& aliquo ex prædictis pulueribus, vel theriaca,facilè poſſunt vnguenta cõfici,quæ huic vſui proficua eſſe comperimus: quibus omnibus vtilè proculdubio eſt mucillagines admiſcere. Cõficies tamẽ vnguentũ,quod recipiat olei liliacei,& irini.an.ʒ.j. olei amygdalarum amararum,& capparorum.an.ʒ.ſ. ſucci rutæ, aut ſabinæ, & artemiſiæ.an.ʒ.iiij.ladani & ceræ quod ſufficiat,vt fiat vnguentũ.Ex ſucco etiam mercurialis, rubiæ,& ſummitatũ ſambuci cum oleo capparorum,& de lilio,addito modico croco,& cera,mirabile paratur vnguentum,ſi interim dum conficitur,modicum vini addatur. Illinantur etiam imus vẽter & lũbi,oleo de ſtyrace, belzoino,laurino,& anethino, addita myrrha,& galbano.Cæterùm poteris alia effingere ex ijs,quæ nos lib.2. de indicatione auxiliorum,capite de aperientibus abundè adduximus. Atque hæc dicta ſufficiant de ea obſtructione,quæ ex craſsis & pituitoſis humoribus ortum ducit: circa quam mirari non debes,ſi pluſculùm immoratus fuerim:nã cùm frequentius menſtruorum ſuppreſsio ex ea prodeat,cogimur diligentius eam expendere, & curare.

De atra bile redũdante.

Si atra bilis redundauerit,& ex copia aut craſsitie,& ſoliditate,ſanguinem craſſiorem,& fluxui ineptiorem reddiderit,aut meatus occluſerit, materiam eo tempore præſidiorum mutare oportebit,& in eam, quæ è directo atrabilioſo humori reſpondere poſsit,commutare,ſeruata tamen vniuerſali medendi ratione,& victu etiã humidiori,& optimi nutrimenti inſtituto:ſicut frictionibus,vinculis, & alijs, quæ ſuperiùs diximus communi lege adminiſtratis.Primò itaq; ea cauſa cognita ex corporis hirſuto habitu,ex inſolita mœſtitia,& reliquis quæ prædictum humorem atteſtari diximus,ſanguinem mittere,cæterum in minori copia, & per longius interuallum,bis tetue oportebit.Idque ex venis tali,præſertim ſiniſtri cruris, niſi affectio ſit ineunte vere.In quo melancholiam cum maſſa ſanguinaria redundare neceſſum eſt:ſiquidem creſcente ſanguine,melancholiam quoq; eius fœcem creſcere rationi eſt conſonum.Ego tamẽ circa hoc præſidium magni feci ſemper in menſium ſuppreſsione ex hac cauſa concitata,per hirudines ab hæmorrhoydibus ſanguinem extrahere:nam in eis venis melancholicum ſanguinem redundare magis, quàm in reliquo corpore compertum eſt.Ob idq; ſatius erit, ab ea parte,vbi copioſius viget melancholia,eam extrahere:præterquàm quòd promptius eundem ſanguinẽ per proximas venas ab obſtructo,aut pleno vtero extrahimus, quàm per diſtãtes.Cui etiam rationi accedit,in ſanguinis detractione ex alijs partibus,plus ſanguinis eſſe extrahendum,ſi vtero profuturum eſt,quàm exigat melancholicum corpus,in quo vereri ſemper oportet plurimum ſanguinis extrahere.Et ob id eas venas inſcindere,quæ citiùs & tutiùs à parte affecta craſsiorem ſanguinem euocent,quales hæmorrhoydes eſſe cenſeo,rationabilius videtur.Verùm ſi ſplenẽ, aut ipſius obſtructionem,cauſam ſuppreſsioni menſiũ præſtitiſſe cognouerimus,ſaluatelam ſiniſtræ manus tũdere,commodiſsimum eſſe inficiabitur nemo.Hoc tamen in hac re expendas velim,præmiſſa aliqua melãcholiæ purgatione,ſatius eſſe ſanguinem mittere,quàm ante ipſam.Nam decolores fœminas purgatione ſanari magis dixerat Hipp.5.aphor.36.

Purgatio.

Purgationem autem redundante melancholia inſtitues ſemel,aut bis,confertim:præparatis tamẽ ſufficiẽter corpore & humore. Quo facto rariùs & paulatim purgatione vtaris opus eſt:maiori nimirum facta in præparatione,diligẽtia,quàm in pituitoſo humore, vehementioribus adhuc medicamentis, in minori tamen quantitate exhibitis,vt capite de expurgatione lib.1. indicationum diximus.Quã

legem ſi ſeruaueris,cenſeo te parum poſſe ab ſcopo aberrare. Parabis quidem humorem ſyrupo de pomis,de ſucco borraginis,de epithymo, aut fumariæ:quem dilutiorem facies(nam talia oportet eſſe quæ melancholiam præparant)decocto prunorum,paſſularum,florum violarum, radicum ſcorcioneræ, & bugloſæ, ſeminis maluæ,petroſelini,& cinnamomi,demum epithymi,ac ſenæ decocto. Quibus per plures dies exhibitis,corpus confertim purgabis,non validiſsimis medicamentis, ſed mitioribus,in maiori tamen quantitate. Cuius cenſus ſunt caſia fiſtula in prædicto decocto diſſoluta pondere.ʒ. ß. vel efformatis ex ea bolis cum puluere foliorum ſenæ & ſaccharo. Prodeſt.ʒ.j.diacatholici,vel cõfectionis Hamec(abiectis ſcamoneo,& colocynthide)in aqua lactis,vel prædicto decocto diſſoluta,aut formatis ex eadem bolis cum puluere foliorum ſenæ, & ſaccharo: quibus omnibus agarici aliquid addere non erit abre. Proſunt item cortices myrobalanorum indorum põderis.ʒ. ß.luteorum.ʒ.ij.diluantur horis duodecim in ſero caprilo, & facta collatura,ac expreſsione adde mannæ electæ.ʒ.j.& ß.aut ij.epithymi.ϑ.ij.mellis roſacei.ʒ. j.& fiat potio. Facta hac pleniori purgatione,maiori quàm potueris diligentia curabis,menſes ex hac cauſa detentos euocare:nam ex ea facilè in grauiſsima ſymptho mata dilabuntur fœminæ. Ob id antequàm in aliquod prorumpat ſuppreſsio præparare,& purgare per epycraſim,ſeu paulatim humorem melancholicum oportebit. Cui vſui præmiſsis ſyrupis & decoctis, quæ nuper diximus, apozematibus aliis vtaris neceſſum eſt,quæ conficies ex prædictis rebus,additis,quæ aduerſus melancholiam à viris doctis excogitantur. Cuius gratia hoc decoctum parabis,quod recipit,adianti,florum vtriuſque bugloſi, violarum,ſthœcados,chamædryos,& lupulorum an.m.ß.polipodij.ʒ.iij.glycyrrhizæ,vuarum paſſarum an.ʒ.ß.terantur parum,& coquantur in ſufficienti aqua,in fine decoctionis adde epithymi.ʒ.ß.colletur,& adde ſacchari quãtum ſit ſatis ad conciliandam dulcedinem:cuius.ʒ.iiij. aut v.porriges. Poteris etiam facilè alios potus excogitare eadem ſeruata methodo:ſed præſtat decoctum florum violarum,& adianti,cum paſſulis ſine acinis,& foliorum ſenæ facta forti expreſsione:quibus & rebellem humorem temperabis,præparabiſque & paulatim expurgabis. Nam licèt dictum à me ſæpe ſit,minutas melãcholiæ purgationes neceſſum eſſe validis fieri medicamentis:id præceptum rarò vſu venit in fœminis: in quibus vel à leuiſsimo medicamento ob ſanguinem retentum grauiſsima exacerbantur accidentia: Cum hoc tamen ſi prædictis dilutis modicũ ex valentioribus addideris,facta purgatione per longiora interualla, nihil nocebis. Ob id quidem proderit turpeti parum per noctem infundere,aut agarici, vel fortioris. Quod cum maxima cautione aggrediendum eſſe conſulo,propter ſuperiùs adductam à me rationem.

Pulueres, & placẽtæ. Pulueres quoq;,& placẽtulas,ac electuaria facile tibi erit cuiq; fœminæ parare,ſi rebus,quas ſuperiùs pituitoſis corporibus dicauimus, addideris aliquid ex ijs, quæ melancholiam reſpiciunt,quæ immodicum illorum medicamentorum calorẽ tẽperare habeãt: ſiquidem in omnibus ad melancholicos pharmacis ea ſemper ſunt adhibenda,quæ modicè calfaciant,& plurimum humectent: Quamobrem cauendum eſſe cenſeo à rebus aridis. Ob id profectò ex prædictis pulueribus, & ijs, quæ melancholiam reſpiciunt, nonnihil ſumere oportet,& conſeruis florum borraginis, bugloſæ, aut violarum admiſceere. Ex quibus placẽtas & bolos cum aqua lupulorũ,borraginis, bugloſæ, ſcorcioneræ, vel lactis & ſimiliũ parare poteris. Theriacam quoq; plurima aqua dilutam,aut confectionem alchermes, vel de hyacintho potui dare licebit. Item radices bugloſæ, cardus ſancti, & ſimilium herbarum ſaccharo

charo conditarum. Sic crithinum marinum,vel lupulorum ſummitates, aut capparrorum capita cum ſaccharo,aut melle,cum modico aceto & ſale condita, incredibili efficacia prodeſſe,fertur.

Balnea & inſeſsiones Ex eiſdem herbis,quas in pituitoſa cauſa parare docuimus, probè inſtituere balnea poteris,additis maluarũ folijs,altheæ radicibus,& ſeminibus vtriuſq;, floribus etiam violarum,borraginis,& bugloſæ, item fœnugræco,ſemine lini,& pſyllio,& alijs,quæ humori melancholico occurrere dictum eſt. Ex quibus & balnea & inſeſsiones parari facilè poſſunt.

Suffitus tarò melancholica exiſtente cauſa prodeſſe poſſunt:exiccãt enim potiùs,indurantq; ſiccum ſua natura humorem. Ob idque ſuffituũ loco euaporationes eſſe frequentiùs ſuſcipiendas,mihi ſemper arriſit magis:tùm, quia halitus ille & vapor faciliùs humoris duritiem euincit emollitq;:tùm verò, quia partes faciliùs dilatantur,& aperiuntur:tùm vltimò, quia confici poſſunt euaporationes ex ijs rebus,quæ melancholicæ naturæ aduerſari magis poſſunt,quales ſunt,quas nuper retulimus.

Peſſus & metrãchita Peſſus & vterini clyſteres ex ijs rebus,quas ſuperiùs diximus,confici poſſunt,ca uentes ſemper eas,quæ ſicciorem habent naturam,& additis, quæ mulcebrem & leniorem obtinuerint. Sic prædictis mucillagines addere poteris,& portulacæ,vel borraginis ſuccos,vt & peſsi,vel clyſteres ſimul humorem melancholicum irritẽt, & mulcebrem,ac manſuetiorem reddant.

Inũctiones. Inunctiones eadẽ lege parabis addito ſemper oleo amygdalarum dulcium, ſeſamino,mucillaginibus,& ſuccis,qui vires habeant humoris duritiem frænãdi, ac emolliendi. Sic aſungia ex vſu eſt,vel,ſi fœminæ vterus pertulerit,addito modico aceto.

De flaua bile redũdãte Arbitror quidẽ fœminis nuſquã poſſe mẽſtrua,vi caloris aut calidioris humoris ſupprimi,niſi aut bile craſsiori ob aduſtionem facta,aut calore incraſſante reliquã humoris maſſam,reſoluta ab ea tenuiori parte,id quod facilè diſces ex pallido faciei & totius colore,ex oris amarore & ſiti,ex corporis pruritu & inquietudine & alijs quæ id quoq; doceãt. Quãobrem hac cauſa præualẽte auxilia omnia aut frigida,aut moderata eſſe oportet,& humida:ideoq; victus ratione inſtituere oportet his conditionibus prædità,ac potus paulò largiores,aërem frigidum,& reliqua his conſentientia. Quibus inſtitutis ex baſilica dextri lateris rationi videtur conſonum primo ſanguinem mittere ventilationis præſtandæ gratia,ac mox ex talo, vltimo tamen ex ſaluatela dextræ manus:cuius inſciſsio maiorem decori præſtat refrigerationem. In quo ſanè caſu plus ſanguinis,quàm pituita aut melancholia redundantibus,educere oportet,minus tamen quàm plenitudine præualente: tùm ob ventilationem omni ſuppreſsioni neceſſariam:tùm verò ob refrigerationem. Nam calore aut bile redundante,id præſtat potiſsimùm ſanguinis detractio.

Purgatio. Quòd ſi calor cum bilis flauæ craſsioris acceſſu cauſam ſuppreſsioni præſtiterit, refrigeratione maiori opus eſt,quàm ſi ſolus in affectum prorumpat. Quo tẽpore rarò,aut nunquam expurgantibus vti medicamentis licebit,frequentiùs tamen alterantibus,ijſq; efficacioribus erit neceſſum. Nam & potus aquæ,& alia,quæ conſimilem corpori calido teporem inducãt,frequenter menſes mouiſſe cõperimus. Verũ ſi bilis redũdantiã cognouerimus,non erit,ab re mox à ſanguinis detractione eam minuere pharmaco ſeligenti exhibito. Quam tamen prius præparabis ſyrupo cichorij,bugloſæ, roſarũ,& violarũ,cum aquis ſtillatitijs,vel decoctis ex hordeo,violis,cichorio,acetoſa, & radicibus ſcorcioneræ, adianti, florum vtriuſque

bugloſi, eupatorij,& quatuor ſeminibus refrigerantibus. Quibus & alijs potibus humore frenato,ac reddito expulſioni idoneo, vti poteris expurganti pharmaco, veluti caſia,manna,rhabarbaro,corticibus myrobalanorum citrinorum,& pilulis de aloë lota,ac ſyrupo de infuſionibus roſarum,factaque ſemel,aut bis pleniori purgatione:ex vſu cenſeo eſſe,paulatim quoque purgare rhabarbari diluto, tertio aut quarto quoque die in aqua lactis copioſiori facto. Interim tamen ipſam lactis aquã cum ſaccharo manè porriges cum ſyrupo violarũ,aut quouis alio ex prædictis. Nec ob id ceſſandum eſt à vinculis, frictionibus, cucurbitulis,crurium lauacris,& alijs, quæ ſupra diximus. Quibus accedit conſilium Hippo.lib.1.de mor.muli.hæc verba proferentis. At verò bilioſi ſi menſes prodeant, puſillanimitas incidit, & cibi faſtidium,aliàs atque aliàs, & anxietas, ac vigilia, & eructat frequenter,& non vult deambulare, & triſtis eſt, & non videre ſibi videtur, timet, & ſi curetur ex his,ſana erit. Si verò tempus proceſſerit,adhuc magis dolebit. Optimè verò cum ea agatur, ſi vomitus bilioſus ſuccedat,aut venter turbetur non fortiter,& ſubeant bilioſa,& fluxus ſuccedat ipſi non fortis. Si enim quid ex his fortè inciderit in corpus afflictum,periclitabitur. Si verò leniter depurgetur aliquid bilioſi,aut totum id,quod moleſtum eſt,ſana fiet. Qua quidem ſententia & præſagandi & curandi rationem appoſitiſsimè docuiſſe videtur: quam qui inſequatur,& ad vnguem expenderit,reperiet facilè per ſupernam, & præcipuè per infernam aluum, & qua lege tutò purgari poſsint fœminæ hoc affectu laborantes:quo facto ad topica confugies.

Electuaria & placẽta. Qua in re conſerua violarum, vel roſarum, aut borraginis vti erit neceſſum cum decocto aliquo, aut ſtillatitia aqua ex ijs herbis quæ menſes mouere natæ ſunt, dum remiſsioris ſint caloris,admixtis in inſtillatione roſis, violis, cichorio, acetoſa,hordeo,& ſimilib⁹: ex quibus cum ijs pulueribus, quos mẽſes mouere poſſe ſuperiùs diximus,placentas cum ſaccharo& aqua roſacea effingere perfacile eſt. Quibus manè ſumptis cum largioribus ac frigidioribus potibus,ægrotas iuuari experimento comperimus.Cui etiam vſui parare oportet paſtillos ex frigidis ſeminibus cum ſaccharo.

Balnea, & inſeſſus. Balnea item ex dulci aqua,aut temperatiori facta ex decocto ſupradictarum herbarum, hac quoque cauſa præualente maximè ſunt ex vſu. Cui balneum hac methodo conficies: R. altheæ cum radicibus.m.iiij.artemiſiæ.m.j. foliorũ ſambuci,foliorum ſalicis,foliorum violarum, polytrici.an. m.j. valerianæ ſeſquilibrã,fœnugræci lib.j,ſeminis lini lib.ſ.& artemiſia in linteo excepta cũ ſeminibus fiat decoctum. Ex quo etiam inſeſſus parari poſſunt,aut ex prædictis rebus fieri facculi, qui nuper dicto decocto madidi,calentes, & expreſsi pudendo adhiberi poſſunt. Aliter quoque hæc eadem auxilia conficies,ex decocto nimirum maluarum,altheæ,foliorum violarum, & camemali florum. Quod vſui eſſe proficuum ſummopere cenſeo. A balneo verò,aut inſeſſu fœmina ſumat paſtillum aliquem cum cremore ſeminum melonum,vel cucumeris, addita aqua hordei, vel capillorum veneris,aut glycirrhizæ.

Peſſi & metranchita. Cui ſanè cauſæ prædominanti cautè adhibebis peſſos & metranchitas,ob rationes à me paulò ſuperiùs adductas. Peſſos tamen conficies ex contuſis maluarum & altheæ radicibus,ſaccharo rubeo,adipe anſeris,vel gallinæ cũ modico hordeo decoctis, omnibus tamen contuſis ac ſimul mixtis & ſerico linteo inuolutis ad peſſi formam redactis: quem antequam in vterum immittas, oleo amygdalarum dulcium,aut ſeſamino inunges,lacte aut emulſione ſeminis melonum,ſuperſparſo aloës

aloës puluere.Item metranchitam parare tantum oportebit ex rebus quæ modicè attemperent,& quodammodo menſes moueãt,veluti ex lacte ſeminũ frigidorum maiorum,ex hordei decocto,maluarũ,& violarum cum modico ſaccharo:ex lacte etiam ac alijs conſimiles vires habentibus.Nam calidioribus vti periculo nõ vacat.Ferunt etiam radicem lilij hortenſis ſub prunis coctam, & oleo ſubactam, vteroq; per linteolum immiſſam menſes trahere,vterum emollire & vuluam, ita vt certum ſit ſemen eius vino albo tritum ac epotum,celerrimè fœtum mortuum educere.

Inũctiones. Inunctiones circa pupem & inguina quoq; adhibebis ex oleo amygdalarũ dulcium,violarũ, ſeſamino,& de cucurbita cum mucillaginibus ſeminis citoniorum & pſyllij.Item ex vnguento roſaceo & refrigerante Galeno aſcripto, addito oleo liliorum,& mucillagine radicis altheæ,vel maluæ,facta harum radicum ſufficienti coctione.Ex quibus cum modica cera & pauco croco,aut citra ipſum,varias poteris effingere inunctionum formas.Ea tamen à viris doctis probata eſt,quæ recipit, olei amygdalarum dulcium & amararum,ac de cucurbita. an.ʒ.j.adipis anſeris,& butyri recentis.an.ʒ.iij.ceræ albæ & ladani,an.ʒ.j.ſ.fiat vnguentum.

Quòd ſi neque his omnibus affectio cedere videatur,eiſdem addere tutũ & neceſſarium eſt aliquid eorum quæ menſes mouere diximus,paulatim à mitioribus ſumpto initio,prout fœminam ferre poſſe citra caloris exacerbationem cognouerimus.

De ſuppreſſione menſiũ ex alijs vteri vitijs. Frequenti experimento conſtat,fœminis menſes ſupprimi ex vteri diſtorſione, vel retractione ad alienam partem & extraneã regionem, ita vt vaſorum oſcula vel occludãtur,vel peruerſa eorum figura inepta conſueto fluxui efficiãtur. Quã ſanè affectionem curare perdifficile eſt:noſſe tamẽ poteris ex laborioſo partu præcedente,ex ictu,percuſsioneue,aut caſu,vel conuulſione,quæ dum affuerint,minimè eſt cognitu difficile, id vitium aliquando procreare. Quorum omniũ meminerat Hippo.lib.de nat.mul. dicens:Si vteri ad coxam decurrerint,& menſes non prodeunt,& dolor ad imũ ventrẽ accedit,& ad lateris mollitiẽ.Verũ hanc affectionis cauſam citra manus attrectationem noſſe non datur,quo experimẽto per obſtetricem facto,cauendum eſt ab vſu diureticorum & eorum quæ menſes mouẽt: nã ea,vt dictũ fuit millies ab Hipp.humorũ lẽtori & craſsitiei atque viſciditati proficua exiſtunt, nõ cauitatũ vitio:nam longè preſſior fiet obſtructio & grauiora ſubſequentur accidentia.Qua parte iubet ſic affectas multa calida lauare:& inter aliqua,quæ ibidem recenſet,fomenta quoque parti adhibet,præſertim poſt purgationem.Conficit quidem fomentum ex fœniculo,& abſynthio:à quibus iubet digitis vterum ad antiquum ſitum retorquere,& mercuriali purgare:quæ omnia fieri docet,donec menſes fluere incipiant.Eis quoq; medeberis frequenti exercicio, equitationib⁹,balneis,aut diuerſis corporis vectionibus,vel ſaltu,vel quouis alio laborioſo motu.Alia quippe adhibere præſidia fruſtra eſt,& nõ tutũ,præter quã cataplaſmata dorſo adhibita,quæ vterũ ipſum facta priùs per digitos euulſione,ad antiquũ locũ reuocẽt,& reuocatum firmiter teneant,vt vulgariter obſtetrices efficere ſolent.

Ex frigiditate externa. Item ſi vteri oſculum,aut vterus ipſe ex frigiditate externa durior factus fuerit, aut ſpiſsior,& ob id corrugatior,ita vt minimè poſsint menſtrua profluere, ex relatione habito cognitionis principio, curationem inſtitues calorificis præſidijs, ſuffitibus nimirum,euaporationibus,balneis,inunctionibus,& alijs auxilijs,quæ citra vllam euacuationem calfaciendi tantùm vires habeant.

Ex cicatrice. Verùm si vterus ex cicatrice,aut callo aliquo ad nascente ita durùs factus sit,solidus,ac foraminibus destitutus,vt minimè possit sanguinem fundere, quæ leniter emolliant sunt adhibenda,donec callus emollescat.Interim tamen non erit ab re sanguinem mittere,ne superabundans in aliquod maius malum prorumpat.Qualia autem debeant esse hæc præsidia reperies cap.de emollientibus lib.secundo nostro de præsidiorum indicatione.

Ex supercrescente carne. Pari quoque ratione carnem supercrescentem exedere est necessum,cùm menstruam impedit purgationem,vt lib. secundo paulò antè citato capite de cicatricem inducentibus,reperies.Item si membrana aliqua antesteterit in vteri osculo, vel clausa fuerit fœmina,qua lege debeat dirumpi capite de fœminis clausis facilè edisces.

Ex tumore Quòd si ex tumore aliquo præter naturã vteri ipsius,vel partis alicuius vicinæ menstruorum suppressio fiat,fugiendũ est ab ijs, quæ menses euocant. Sed primitus tumorem ipsum curare oportebit sanguine sufficienter misso,& adhibitis auxilijs,quæ inflammationẽ ab vtero arcẽt:qualia reperies proprio cap. paulò inferiùs, vel tumore quouis duro priùs curato,vt proprijs capitibus scriptum est.

De menstruis diminutis,ac de mensium Stillicidio. Cap. X.

Affectionis natura. HAud secus,quàm in vesica, cùm vitiosè excernit vrinã, contingunt in mensium suppressione vitia & sympthomata. Nam sicut ischuriam(vrinæ quidem cohibitionem)omnino refert mensium suppressio, sic diabeticã æmulatur passionem mensiũ diminutus fluor, & pari quoque ratione dysuriam redolet difficilis mensium profusio(præsertim si dolor & labor ei adiungantur,cuius meminero sequenti cap.)nimirum cùm mẽses guttatim & per longius tempus prorumpunt,affectio quidem,quæ eis reduci habet sympthomatis,quæ in vitiosa, seu corrupta actione facultatis,cui munus illud incumbit,consistit.Morbum sanè eum habet authorem, qui ad malam partis figuram pertinere creditur , licèt aliquando figura non sit suapte natura vitiosa,sed respectu humoris tenuioris iusto,aut alterius causæ : cui excernendo figura naturalis proficua non sit,etiam si non rarò ex mala temperie prodeat,seu humoris acrimonia,quæ dolore ac morsu facultatem lacessat ad frequentem excretionem,vt sequenti cap.docebo.

Differẽtiæ Contingere huiusmodi affectionem vno è duobus modis probatũ apud viros doctos,præsertim apud Ætium reperio.Nam aut stillatim profluunt menses indolenter,& citra aliquod aliud accidens,præter quàm quòd & diu,aut parum durãt, & minutè prodeunt,aut cũ accidentibus & grauissimis sympthomatis: his quidẽ, peculiariter mihi est in animo caput dicare,illis verò,hac in parte sermo instituetur.Grauis porrò est affectio,& quæ multarum calamitatũ in fœminis soboles existit:nam & viris ingratas reddit,steriles, & alijs plerisq; affectionibus obnoxias.Ob idq; diligenter oportebit præuidere,quominus mala hæc ipsis accidant.

Causæ. Si quis Ætium legat lib.4.sermone.4.cap.63.huius mali causas ad vnguem expressas reperiet:quas quinque esse specie diuersas fatetur:meatuum nimirum angustia vna est,tamen diuersimodè contingens: virium debilitas altera: sanguinis multi-

multitudo tertia:sanguis etiam pituitosus quarta,& vltima sanguis fæculẽtus:quibus nõ erit ab re sextã addere,nimirũ sanguinis acrimoniã & tenuitatẽ,quæ vel facultatem perpetuò lacessit,vel ipsa nolẽte defluit,quam sanè rem paulò diligẽtiùs expendere est necessum,vt quæ frequenter accidat,& difficulter curetur. Primò meatuũ angustia diuersimodè contingens, à prædicto authore nõ sine magna ratione refertur.Nam ea meatuũ angustia,quæ totalis est,& in omnibus meatibus, hæc omnimodã efficit mensiũ suppressionem,& licet ex diuersis proficiscatur causis,non quidem stillicidium,sed suppressionem efficere nata est.Verùm dum exto to meatus non recludũtur,neq; omnes,sed aliqui,hos quidem varijs figuris gaudere nulli esse dubiũ arbitror.Quippe magis minusue recludi,non paruam efficit in affectu differentiam.Atqui cùm ex toto meatus non recludantur,neque multum sanguinis defluere posse,neque ex toto cohiberi par est.Ex quo cõstat fluere quidem,cæterùm paulatim,sensim,& diu.Sed vt mea fert sententia,simplex pleni tudo & vtcunq; existens non præstat huic malo causam.Nã ea proculdubio omnimodã efficiet obstructionẽ.Verùm si aliquando hoc vitiũ nata est efficere,parua plenitudo id quidẽ parit,quia ex humorũ inæqualitate proficiscitur, dum ipsi non sint vnius naturæ & conditionis,sed quasdam habeãt partes alijs crassiores & tenaciores:ac ob id nihil mirum,si minori existente plenitudine,hoc vitium subo riatur propter humorum obstruentium inæqualitatem:quam sanè ego censeo huius affectionis esse potissimam causam.Præterea nuper dictis altera accedit: nã in omnimoda viriũ debilitate nihil prorsus excernitur,quia cùm id munus sit facultatis opus,ipsa deficiente necessum profectò est & actus quoque cessare. Verùm dum aliquid potest,idq; parum ac debiliter,agit quidem,cæterùm diminutè. Ex quo fit nonnihil ab eadem excerni, parum tamen ac diu excretum:parũ,quia cõfertim & subitò,cùm imbellicis sit,excernere nequit:diu verò & sæpe, quia multũ sanguinis supereſt,& ob id paulatim & sensim excernere cogitur.Quòd si vitium in retentricem reierere velis, quia sensim defluere permittit quod illi commissum erat,ita vt indeterminatum habeat excernendi tempus,fit quidem, vt paulatim menstruationes efficere cogatur,nisi sanguinis nimia multitudo huic quoq; malo causam præstiterit:tũc enim neq; vniuersum sanguinem venæ capiũt,neque omnino occludũtur. Quapropter instillat sanguis,ac veluti colliquatur,& gutta tim exit.Sanguis etiam pituitosus cũ fluxui ineptus sit,dũ abundat,fluit quidem: vbertim tamen fluere nequit:ex quo constat,paulatim ac sensim teneri fluere.Sic quoq; fæculentus sanguis dũ præter modum abũdat, excollata sanguinis tenuiori parte, hos mouet minutos menses:nam cũ crassum defluere nequeat ; neq; tenue omnino detineri,fit facilè,vt instillatim prodeant. Quibus accedit ossis sacri vel alterius vertebræ renũ vel partium quibus vterus alligatur luxatio.Hoc dixerim,vt quis intelligat,qua via medendi rationem in grauissimo hoc affectu aggredi teneatur.Nam si ignoret modũ,quo quæuis harũ causarũ operari habet, perdifficile profectò erit non errare.

Signa Signa verò,quæ affectũ ipsum in genere monstrant,exquirere,inutile esse censeo:siquidem fluendi modus id planè ostendit, ita vt facile sit cuiuis ,quantumuis idiota existat,eũ nosse. Cum hoc tamen scito menses,licèt fluant,suppressos censeri,si lac in mãmis appareat citra aliã causam,& etiãnõ reddi ad antiquũ modum, & quantitatẽ,ni lac è mammis defuerit. Et ob id fœminæ, quæ lac habent, interim dum habuerint,steriles censendæ sunt ,& omnino ad conceptũ ineptæ.Causarum autẽ dignotio haud ita facilis est,& ob id breui ratione & manifestissimis

ſignis eas mõſtrare curabo. Plenitudinem dignoſces ex fœminæ habitu,ex totius corporis grauitate & laſsitudine,lumborum,ac renum graui dolore,præſertim inſtantibus menſibus. Ac ſi quando plus ſolito excernatur,leuamen perſentiunt. Capite dolent,potiſsimùm parte eius ſuperiore,torpent manus,& frequẽter crura ſtupore corripiuntur. Sanguis tamen qui excernitur, purus eſt, & ab omni vitio immunis,tenuis quidem,ſed ruber. Facultatem ſecernentem eſſe imbecillam,oſtendit excretio citra moleſtiam guttatim facta. Item ab exercitio,frictionibus,& calorificis auxilijs maior ſanguinis profuſio,argumentum planè euidens impotentiæ ipſius,ſiquidem adiuta calore,adapertis vijs,& commoto humore ab exercitio ſanguis vberiùs profluit. Sanguinem eſſe pituitoſum euidenter oſtendit color ipſius fluentis: nam albicans eſt,craſſus,mucoſus & lentè mobilis,præterquã quòd fœmina mollis eſt carne,alba,& vitæ ſedentariæ,ac crapulis dedita. Quibus adiungitur in huiuſmodi fœminis pudendum ſemper eſſe mucoribus & ſuperfluis humiditatibus fœdatum,præterquàm quòd pigræ ſunt ad motum & quamuis aliam actionem,ſomnolentæ,tædioſæ,& alijs ingratis conditionibus præditæ. Fæculentum eſſe ſanguinẽ ex eo cognoſces,quia craſſus admodùm profluit,inæqualis tamẽ, ex craſsis,ac tenuibus partibus conſtans,colore niger,aut alio tetro inſignitus: fœmina hirſuta eſt,ſubnigra,prauis alimentis dedita,mœſta,cogitabunda,malè morigerata,& vltimò ſi quid ſanguinis profluit id certè eſt,dum per aluum excrementa vi excernere nititur. Nam conatu illo,quem natura in expellendis excremẽtis apponit,licet craſſus & fæculentus ſanguis exiſtat: cùm hoc tamen aliquid excernitur,alioqui verò nequaquam. Inæqualem eſſe vaſorum figuram,ex priuatione prædictorum ſignorum coniectura facta,venari poteris. Tenuem aut acrem ſanguinem noſces ex mordicatione,& ex ipſius conſiſtentia,ac ex dolore & exulceratione pudendarum partium.

Præſagiũ. Neque fidendũ eſt huic affectioni plurimum: nam & deterrimum fœminæ ſtatum monſtrat,& deteriorem prædicit. Humoribus quidẽ abundare, & conſueta vacuatione carere,graue profectò exiſtit,& periculo plenum,quia neceſsũ ſubinde erit,corpus in deterius decidere. Ideoque dixit Hipp. bonum habitũ ſtatim ſoluere,expedire. Ex quo infertur longè grauius eſſe,plenitudinem eſſe vitioſam, & non ſolui,præſertim per naturalẽ & conſuetã vacuationem. Item dum facultatum impotentia malum oritur,longè grauius eſt,quia eadẽ paulatim ſuccreſcit plenitudo,& corpus minus potens indies ad propellendũ efficitur, & rurſus ad reſiſtendum eis malis,quæ ex hac cauſa oriri aſſolent. Præterea pituitoſam cacochimiam redundare,& expurgari non poſſe,nemo nõ veretur. Nã ſi ſanguis ſola copia peccans,tantorum malorum cauſa exiſtit: quantò maiori ratione pituitoſa redundantia,ex qua & malus corporis habitus,& hydropes,& diuturnæ febres, importuni etiam & graues capitis dolores,diſtillationes,& alia huius ſortis vitia fiunt. Quòd ſi ſanguis fæculentus fuerit,dubiũ non eſt,quin hæc & maiora mala ſuccreſcant. Veluti ciborum inappetentia,deprauati appetitus,puſtulæ per totum corpus,melãcholici affectus,ac ſæpe, ſi humor excalfiat,furores. Vereri deniq; oportet,quauis harum cauſarum præualente,ne ex toto menſes ſupprimantur. Vtcunq; tamẽ ſit, ſteriles reddit fœminas.

Curãdi ratio. Eãdem omnino ratione mihi viſum eſt,curationem aggredi,ac diſtinctionem cauſarum. Quippe viarũ anguſtiam corrigere nemo poterit,niſi cognita cauſa cõprimente,& coarctante vias ipſas. Sic dũ inflammatio eſt,peculiarem prærequirit diligentiam, vt cap. proprio reperies. Si compreſsio ex aliquo membro diſlocato, reditus

reditus ad priſtinum ſtatum remedium eſt: & ſic de ſingulis cauſis pro cuiuſque natura. Sed earum, quæ huic vitio communiores & frequentiores ſunt, curationem ſcribam, initio ſumpto ab ea plenitudine, quam ob id hoc malum efficere dictum eſt, quòd inæqualis exiſtat: dixerim, quòd ex inæquali conſtat humorum vitio: ex quo efficitur fluere quod tenue eſt, idque ob craſſum obſtruens paulatim, & ſenſim, ac diu. Quamobrem potiſsimam curandi rationem, eam exiſtimo, quæ à ſanguinis miſsione incipit. Verùm neque tantum, neque confertim extrahere conuenit, quantum plenitudo expoſcere videtur, niſi plenitudo grandior extiterit: quo tempore copioſiùs extrahes, ſed minus, idque ob craſſas partes alteram conſtituentes plenitudinis partem. Ex quo optima ratione medendi ductus infero, neceſſum eſſe à ſanguinis miſsione inſcindentibus & attenuantibus potibus crebriùs eſſe vtendum, fugiẽdumq; ab omni arido medicamento, ne quod in redundantia craſſum eſt, craſsius & durius fiat. Verùm potus huic vſui aptos vel nullo negotio reperies: cui ſanè fore proficuum cenſeo, ſi fœminæ vterus id perferre videatur, acetoſi alicuius ſyrupi, aut aceti ipſius, vel oxymellytis modicum alijs potibus adijcere. Quibus etiam ad miſcere non erit præter inſtitutum aliquid ex lenibus pharmacis, veluti ſyrupum violarũ, borraginis, de portulaca, & alios conſimiles. Interim tamen & frequenter pilulis de aloë vtaris oportet, vel alijs ex ijs, quas præcedenti cap. diximus. A quibus, balneis & inſeſsionibus rem agere oportebit. Nam huic affectioni, ſi vſquàm alicui, ſummè prodeſſe poſſunt: quippe quod craſſum eſt, funditur, & quod clauſum aperitur. Præſtat item peſſarijs ex aloë vti: nam incredibili quadam efficacia ſanguinem fundunt, & vias referant. Quòd ſi ne adhuc quidẽ his omnibus quicquam profueris: ea parabis auxilia, quæ craſſos humores eligendo extrahant. Verùm inter omnia quæ huic vſui aliquid prodeſſe poſſunt, nullũ penè reperies aliud tutius aut vtilius, quàm hirudinum vſus, quippe quæ & copiam demunt, & quod craſsius fæculentiuſque eſt, mirè eligunt & extrahunt. Ob id profectò neq; crurũ lauacra, neq; cucurbitulas, neq; ſcarificationes fœminis ſic affectis adhiberem, eò quòd tantũ habeant diſtrahere, aut extrahere quod tenue eſt, craſsis humoribus ſuperſtitibus manẽtibus. Vterinos etiam clyſteres immittere, maximi eſſe momẽti exiſtimo, præſertim ſi receperint quæ attenuandi & extergendi vires habeant. Quorum abundè meminimus cap. præcedẽti. Sed inter omnia præſidia huic affectioni apta, id ſemper expertus ſum proficuum, quod ex inunctionibus paratur. Inter quas, eas eliges ex ijs quas ſuperiùs diximus, quæ vterum emolliant, & humores ibidem contentos attenuent. Veluti quæ ex oleo ſeſamino, de ſemine cucurbitæ, liliorũ alborum, de croco, & vino albo feruefactis ad cõſumptionem vini paratur. Alia item conficitur ex prædictis oleis, vel de vitellis ouorum, & theriaca: quo cenſu alias cõficere inunctiones facile eſt: nec erit profectò ab re in hoc malo chalybis antidotum præbere.

Verùm ſi ex facultatis impotentia menſium ſtillicidium prodeat, curandum eſt omni arte, aut facultatem irritare, aut eius motum ſupplere. Irritabitur porrò facultas clyſteribus vtero immiſsis paulò acrioribus, vt recipiant fermenti diſſoluti in ſucco mercurialis cum modico aloë. ℥. j. Idem etiam fit peſſarijs, quæ conſimilem facultatem obtineant, qualia præcedenti capitulo abundè docuimus. Cauendum tamen eſt omnino in hac cauſa à ſanguinis detractione, aut frequenti purgatione: ſed perpetuò vtendum eſt ijs, quæ valenter menſes mouere nata ſunt, tam per os ſumpta, quam per ſuffitus

ſuffitus,& inſeſsiones,& fométa. Quæ ſi feceris,ſcito te vera medẽdi ratione vſum.

Lentam & craſſam pituitam(quæ ſanguinem efficit craſſum)ſi huic malo cauſam præſtare cognoueris, facilè quibus extenuare,atque corrigere,& totam rẽ agere,ex ijs,quæ præcedenti cap.diximus,colliges.Habet tamen id peculiare,dũ non obſtruit,ſed fluxui ineptum reddit ſanguinem,vt verè inſcindentia & attenuãtia pharmaca deſideret,præter victus inſtitutionem,quam eiuſdem cõditionis quoq; expoſtulat.In quo ſanè caſu præmiſsis,quæ diximus,medicamentis,& calorificis, atque alijs,quæ aduerſus pituitoſum ſanguinem,& ad coctionem , & alia munia exequenda valere omnibus ſunt notiſsima,liberè vterer,aut ijs,quæ vrinã mouẽt, vel ſudoribus ex ligno guayaco, vel ſparta parella , aut radice chinæ prouocatis: aut ſaltem dilutiori decocto ex his facto cum modico oxymellite, quod vſui eſſe proficuũ ſcio.Quòd ſi neque his affectio quieuerit,ad ſulphurea balnea cõfugiendum eſt,quæ miram habent in hac re efficaciam.Vltimò tamen exiſtimo dũ affectio plurimũ inueteraſcit,fontanellam in aliquo crurum apertã maximi fore momenti.Tentare tamen ante hæc omnia,paulatinam & frequẽtem purgationem oportet ex agarico & aloë,aut pilulis maſtichinis,& alijs huius naturæ.In quo ſanè affectu hæc omnia ordine aggredi,tutum & vtile eſſe cenſeo.

Fæculentum ſanguinem,dum in hunc affectum prorũpit,nullo auxilio tutiùs corrigere poteris,quàm proba victus ratione inſtituta,modico exercitio, ac denique ea vitæ ſorte, quæ omnino præcedenti(quæ talem naturæ præſtitit habitum) ſit contraria.Verùm tutiùs huic affectioni medeberis ſanguine miſſo,non ex vena ſciſsa,ſed per hirudines hæmorrhoydibus affixas.Quod præſidiũ in hac cauſa tanquam peculiare & maximè proficuum ſummoperè laudo.A quo purgationem inſtituere oportet ex caſia,mãna,ſyrupo ex infuſionibus roſarum,aut violarum , ex cõfectione Hamech ſine ſcamoneo,& colocynthide,diſſoluta in aqua lactis,vel in aqua lupulorum.Item maximi erit momenti decoctum foliorum ſenæ ſingulis diebus,aut tertio quoque die laboranti exhibitum,præſertim ſi id feceris admixtis aliquibus ex ijs,quæ ſuperiùs attenuandi virtutem obtinere diximus. Atque hac etiam cauſa prædominante inunctionibus & molliſsimis euaporationibus vti erit neceſſum:quale eſt decoctum florum violarum,borraginis,& bugloſæ, & quod ex radicibus altheæ,ac mercuriali parari ſolet. Peſſarijs quoque vtendum in hoc affectu eſt,cæterum mitioribus,ex mercuriali nimirũ cõfectis,ex aſungia,ficu pingui,& alijs, quæ cõſimiles vires obtineant(quibus addere oportet aloës nonnihil) nam verendum eſt, ne vehementioribus fæculentus ſanguis exaſperetur,ſuccendatur ue,ac maiora ſuccreſcant mala.Talis enim eſt fæculenti ſanguinis natura,vt facilè in grauiſsimos affectus degenerare habeat vel leuiſsimo quodam nacto irritamenti principio.Quòd ſi ex ſanguinis acrimonia & mordacitate affectio ſuboriatur, haud ſecus curabis quàm vrinæ difficultas curari expoſtulat, purgato mordaci humore & attemperato reſiduo eius, his quæ lenia ſint, velut eſt maluarum ac ſeminis earum decoctum,altheæ & portulacæ: item ſuccus ſeminis melonũ & cucurbitæ,tandem mucillagines,& ſyrupus ex mucillaginibus, quem lib. indicationum. 1. cap. de clyſteribus ſcripſimus: ſed valet plurimum ſtillatitia aqua ex maluis, ſemine earum, altheæ & portulacæ ac ſeminum melonum , & portulacæ,ac ex portulaca ipſa ſucco extracto, cum ſaccharo & aqua cucurbitæ, quibus in alẽbico addes ſemen lactucæ,hyoſcyami albi,& papaueris albi.an. 3.ß. corticũ fauarũ viridiũ.3.viij.quæ omnia contũdãtur. Præterea inſeſsionibus & inunctionibus dolorẽ ſedãtibus,quales ſunt decoctiones ex ſemine lini,altheæ,foliis maluarum,violarum & ſimilium.Conferunt etiam cataplaſmata pectini impoſita, quale eſt quod recipit ſeminis lini.li.ß. panis tritici lib.j.vitella ouorum num.iiij. lactis quod ſufficiat. Præſtat & lac infundere cum decocto aut ſucco maluarum, ſed hæmorrhoydibus hirudines affigere, niſi plenitudo vteri cauſa ſit,non probo, nec cucurbitas pectini, niſi flatus malo & fluxui cauſam præſtent. Tandem alijs vti oportet quæ ad prædictam vrinæ difficultatem proficua ſunt, & facilè reperies cap.de mentium fluore.

De menſtruis difficillimis,& cum grauiſsimis accidentibus. Cap. XI.

INter diminutas,& ſtillatim factas ſanguis menſtrui purgationes,non minus, ſed fortaſſe maius faceſsit negotium ea, quæ præter hoc quòd minutim & inordinatè prorumpit, difficulter etiam & cum grauiſsimis accidẽtibus fit: affectio quidem omnino perſimilis vrinæ difficultati. Non enim quæuis menſium minuta purgatio ſtillicidij nomen meretur, ſed ea tantùm,quæ cum accidẽtibus, dolore,ac moleſtia fit.Quæ ſanè mala aliquando inſtante purgatione euenire ſcimus,aliquando verò, iam fluente:prioris meminerat Hippocr.lib.2.popu.part.1.text.13.dicens.Ex vtero menſes quæ iudicationum poſtridie,vt in lumbos aut femur,hoc eſt, iuxta veriorem illius loci interpretationem,& verſionem(etſi alij aliter ſentiant) dolores lumborũ aut femoris poſtridie in mẽſes deſinũt,in ſeparatione enim mẽſtrui ſanguinis & in expulſione plurimum natura laborando patitur,adhuc ſecundùm naturam exiſtente ſanguine,nedũ cũ vitioſus eſt.Nam coniectabile eſt, craſſum ſanguinem per arctas vias citra ea mala & maiora prorumpere minime poſſe,quippe venarum vteri quæ,cum his partibus vicinam habent conſortio,certum eſt id fieri.Solet aliquando cum dolore colico profluere renulis excretis, & cum maximis cruciatibus,maximè tempore menſtruationis,vel parum ante ipſum , quòd craſſo ſanguine abundẽt renes ad generandos calculos & vterus,quominus fluãt menſes:quo fit vt mirũ non ſit ſi eodem tẽpore mẽſtruationis renes quoq; compatiantur.Quæ ſanè affectio de genere eſt earum,quæ ad diminutam actionem pertinent, præſertim ſi excreti humoris conſideretur copia. Verùm ſi excernendi modum intuearis, nihil mirum ſi ad deprauatam excernentis facultatis actionem reduxeris:idque potiſsimum ſi conſideres dolores,moleſtias, & alia accidentia,quæ huic affectioni adiungi frequentiſsimè ſolent. Morbus præterea, à quo hoc ſymptomatis genus prodit,neq; vnus eſt neq; vnicã habet actiones lædẽdi ratione. Nam aliquando morbus eſt in via,puta obſtructio,aliquãdo ſoluta vnitas, quæ aut vlcus eſt, aut eroſio aliqua, nonnunquam verò vicini alicuius membri dololoroſa affectio quam ad diſtemperiem,vel ad ſolutam continuitatem reducere teneris. Prodeunt quidem fœminis ſic affectis menſes guttatim quoque & ſtillatim , per intervalla frequentiùs, quàm continuè, idque magis citra ordinem,quàm ordinatè.Et vtcunque prorumpant ſibi habent comites dolores, inquietudines,totius corporis confractiones,& alia innumera accidentia,quæ difficulter numerari poſſunt.Nam quibuſdam grauiſsimi accidunt capitis dolores, alijs

Affectus natura.

alijs animi deliquia, & oris ventriculi morsus, pleriſque ventris inferioris & lumborum intolerabiles cruciatus, multis quidem conuulſionem: tandem quæuis ſuum patitur accidens, prout humor redundauerit, aut viſcus aliquod imbecille obtinuerit, ita vt facilè ex commotione alterari menſtruis erumpentibus poſsit.

Nata eſt hæc affectio cauſas quodammodo ſimiles eis, quæ in ſuppreſsione menſium reperiuntur, verùm minùs efficaces, minùſq; vehementes, & adhuc minùs in eis fœminis, quæ pepererunt, quàm in ſterilibus, & virginibus, vt Hippoc. prodidiſſe ſcimus initio lib. 1. de morb. mul. Cuius ſanè affectionis ipſum meminiſſe cõſtat, & cauſas quoque retuliſſe eodem loco per hæc verba, de vaſorum obturatione, quam potiſsimam arbitratur huius mali cauſam. Si verò menſes mulieri prodeant quidem, verùm pauciores, quàm conuenit, vtpote oſculo vterorum paululum à pudendo emoto, aut ſuper concluſo, ad hoc vt prodeant quidem, verùm obturentur ab ipſis etiam tranſitus, per quos penetrant, vbi ad vteros deſcendunt. Moderati ſanè paulatim prodeunt ſanguine ſemper oſculo perfectè incumbente. Et poſtquam dies præterierint, quibus purgari ſolet, & concluſus fuerit ſanguis in vteris relictus, & alij menſes ſubdeſcendentes non expulerint cõcluſum ſanguinem, ſed ſemper paulatim grauant, & primis menſibus duobus, aut tribus non valde prodeunt. Poſtquam autem præterierint plures menſes, adhuc magis dolebit, & non habet in ventre. Quandiu ſanè ſic habuerit, & febris corripit ipſam debilis, & maximè in diebus, quibus purgari ſolet. Qua procul dubio ſententia, Hippocra. complexum fuiſſe huius affectionis principium, ac generationis modum nemo ambiget. Ego quidem cenſeo non eſſe vtcunq; obturata vaſa, ſed peculiares huius cauſas eſſe inæqualem vaſorum vteri obſtructionem: quæ ſanè inæqualitas proficiſcitur ex ſanguine aliquo denſo, concreto, & coagulato, vel fæculento, cui adiungitur facultas excernes robuſta, quæ cùm plurimum excretioni inniteatur, atq; cùm vaſa nõ poſsint capere craſſum illum, & concretum ſanguinem, vt liberè profluat, fit facilè, vt in extenſione vaſorum, & partium ſenſibilium, graues concitentur dolores, & guttatim prodeat ſanguis, ac fortaſſe aliquando grumoſus vel denſus. Fit etiam ex craſſo ſanguine à quo cùm excretionis tempore moueat natura ipſum, flatus eleuantur craſſi, caliginoſi, ac denſi, qui diſtendentes vterum ac partes ei vicinas, cruciatus maximos & ſæuiſsimos dolores efficit, quemadmodum inteſtinis ex flatu frequentiſsimè accidit. Huius affectionis meminerat Hippoc. lib. 1. de mor. mul. loquens de menſtruis biliosis quæ reddi nigriora refert & ſplendentia. Tunc enim valdè nigra (inquit) apparent, non nunquam etiam nigra ſunt ſplendentiaq; ac paulatim funduntur, ſed quæ citiſsimè tamen concreſcant. Et paulò inferiùs inquit. Præterea febres erraticæ ſuperueniũt, acutæ, cum horrore & cibi faſtidio, ſæpenumerò accidit ſtomachi morſus, ac tunc maximè torquebitur, quando mẽſtruorum inſtabunt dies. Quæ ſanè mala ad materiæ craſſitiẽ & malignitatem referenda veniunt. Habet quoque aliam cauſam hæc affectio, quæ maioris ſæpe ſolet eſſe momenti, nimirum vlcus aliquod, ſeu tumorem præter naturam doloroſum, vel humorum infarctorum in vtero, aut ipſi vicinis partibus, copiam: quamobrem dum humor mouetur, eadem omnino accidentia ſuccreſcunt. Nam vlceratas, dolentes, aut tumore affectas partes ſi vel mediocriter tangas, haud parũ lædes: exacerabuntur enim, & maiorem moleſtiam contrahent: præterquã quòd ex continuo dolore ac moleſtia nihil mirum, ſi aliquid partes continuo trahant, quo menſium ſtillicidium facilè fiat. Vltima verò cauſa iudicio noſtro eſt humorũ acri-

acrimonia & mordacitas, quæ viſcidis quodammodo, & craſsiuſculis humoribꝰ inhæret. Quamobrem, quà viſcidi, difficulter profluũt, quà verò acres & exedentes vel plus iuſto calidi, dolores & cruciatus non leues inferunt. Præterquam quòd non minus à tenuibus, acribus, ac mordacibus citra craſsitiem fieri id accidens poteſt, dum continuò defluant, & pari quoque ratione continuò facultatem laceſſant ad expulſionem: ex quo fieri mẽſtruas purgationes minutas neceſſe eſt, quia frequentes & graues ac doloroſæ fiunt. Præter has omnes cauſas reddit Hippo. rationem laborum ac dolorum in menſtruis purgationibus lib. 1. de morb. mulie. dicens: Ob carnium raritatem plurimum trahere ventres in fœminis, quòd ſi ab ipſo non ceſſerit, carnibus impletis (inquit) & calfactis dolor oboritur. Sed ex inæquali humorum ſubſtantia haud rarò comperies hanc fieri affectionem, profluit enim quod tenue fuerit, intus manente craſſo, ac dolorem & accidentia nõ leuia excitante.

Affectus ipſe ſeſe ipſum adeò manifeſtat, vt nullo indigeat ad ſui notitiã ſigno: nam ſtillatim menſes fluere, & cum dolore, moleſtia, alijſq; accidentibus, is eſt affectus. Cauſas verò ſignis opus habere certũ eſt. Sic profectò concretũ & inæqualẽ ſanguinem aut quemuis alium humorem facilè ipſe, qui purgatur, monſtrabit, nam grumoſus excernitur: quo excreto dolores tãtiſper leuantur, & poſtmodùm iterum redeunt, & ſimiliter excreto ſanguine aut alio inæquali humore iterum ceſſant. Item dolores multo ante excretionis tempus exacerbantur, quaſi natura parturiente, nitenteq; per anguſtas vias concretũ illum ſanguinẽ vi pellere. Quòd Hipp. dixiſſe conſtat lib. de nat. mulie. per hæc verba: Si ſanguinis grumi in vtero coierint, os ipſorum velut eruo plenum fit, et ſi attigeris, ita habere deprehendes, & menſes nõ fiunt. Verùm ſi ex craſſo ſanguine flatus eleuentur, authores quidẽ doloris & accidentiũ, ex tẽſiuo dolore promptè cognoſces, & ex eo, qui per interualla repetit, & ad tempus plurimùm exacerbatur, ceſſatque flatu excreto, aut per infernam aluum, aut per os vteri. Præterea in his menſes profluunt cum ſtrepitu & ſonitu ac murmurio ventris inferioris: dolores etiam neque alicubi preſunt, ſed vndique vagantur, & aliquando lumbis & ilibis incumbunt. Quòd ſi vlcus mali cauſam præſtiterit, præceſsiſſe quæ vlcus nata ſunt mouere, neceſſum erit, & præexiſtens cognoſcetur ex pure cum ipſo ſanguine excreto, vel ſanie, cum dolore fixo, & vnius tantũ partis: & menſes quidẽ diutiùs durabunt vlcere perpetuò laceſſente & excretricem facultatem ad excretionẽ cogẽte. Humorũ verò acrimoniã & mordacitatem cognoſces ex ſanguinis excreti colore & natura, ex fœminæ habitu, ex præcedenti ac præſenti vitæ inſtituto, ex pruritu partiũ genitalium, & doloris natura: nam veluti vlceroſus eſt, qui maior & acrior fit ſanguine adhuc fluẽte, ex oris amaritudine, aut ſalſuginis ſenſu. Vteri etiam oſculum acri madore, ac mucillaginoſo, ſanioſoq; plerunq; abundat. Quæ profectò ſigna, alijs quæ humorũ vbiq; redundantium naturam monſtrant, adiuncta, procul dubiò patefacient huiuſce affectionis cauſas.

Signa.

In hoc infeſtiſsimo affectu, & qui plures fœminas plerunq; moleſtare habet, duplex reperitur curandi ratio, altera quidem, quæ dolores, accidentia & labores mitigare docet: altera verò, quæ cauſam ipſam reſpiciens illidit. Hãc ego qua potero diligentia proſequar: illam verò Ætius optimè exequitur lib. 4. ſerm. 4. cap. 63. Dolores quidem (refert) & accidentia mitigaueris, ſi vnum hoc tantum reſpexeris, videlicet, viarum apertionem & vaſorum laxitatem. Quod intelligas velim grumoſo ſanguine vel flatu cauſam præſtante. Nam ſi vlcus, humorumq; acrimonia

Curandi ratio.

cauſam præſtiterint,quæ ſenſum leniunt,vel ſtupefaciunt,aut acrimoniam retundunt,proficua ſanè forent,ni fluxui impedimẽto eſſent:quamobrem quæ lenientis ſolũ vires habent adminiſtrare oportet.Sic vigente dolore ex flatu,vel inæquali plenitudine,primò Ætij cõſilio vti oportet,qui pedum ac manuũ extremitates faſcijs ligare iubet: ſic & foueri femora ventremque inferiorem varijs calfactorijs,impoſita lana ſuccida vino & roſaceo imbuta, aut veſica oleo calido ſemiplena,vel vaſe aliquo euaporatorio. Iubet prætereà cubiti internã venã ſecare,ſi fœminæ habitus permittere videatur,& venæ ſciſſa cataplaſma ventri adhibet ex ſemine lini,pane & aqua mulſa paratum.Verùm ſi his adhuc adhibitis dolor perſtiterit,inſeſsionibus vtemur ex altheæ,ſeminis lini,fœnugræci,anethi,rutæ ac artemiſiæ decoctis,& ſpongijs ex eiſdem expreſsis pudendum fouebimus.Hæc quidem, & alia non pauca apud Ætium loco nuper citato reperies,quæ huc transferre inutile mihi eſt viſum,præterquam quòd libro huius operis ſecundo de vteri doloribus integrum caput reperies. Hoc tamen vnum memoria ſemper in hac prima curationis parte habeto,vt lenientibus,laxantibus,ac modicè diſcutiẽtibus vtaris, modò cataplaſmatis,modò inunctionis,modò fomenti forma.Ego tamen cõcreto ſanguini,vel flatui cenſeo proficuum eſſe auxilium,vmbilicum & inferam eius regionem inungere oleo de croco,liliorum alborũ, ac de vitellis ouorum admixto modico amygdalarum dulcium:quibus addere tanquam peculiare præſidium cenſeo.ʒ.ſ.theriacæ,ex qua ſola ſi parum etiam vmbilico appoſueris non parũ iueris:vel ſi inunxeris prædictas partes aſungia gallinæ cũ butyro, vel ſi adhibueris prædictis partibus decoctum aliquod ex herbis huic vſui dicatis, cum butyro & aliquo ex prædictis oleis,aut oleo de ſemine lini, vel ſeſamino: vel ſi infernam aluum tractaueris ſucco angelicæ cum modico oleo capparorum & cera,adiectis vini albi guttulis. Cuius ſanè herbæ decoctum ac fomentum tutum & vtile exiſtit, præſertim ex eius ſemine: ex quo ſi ſacculus paretur, quo fœmina crebrò ante menſtruationis tempus vtatur,proficuum perſentiet: item ſi tertio, aut quarto quoque die eiuſdem ſeminis angelicæ decocto vtatur,cum modico ſaccharo, aut miua paſtinacæ melle confectæ.Conferunt quoque & mitigationis & curationis gratia crurum lauacra,vel ſaltem pedes diutiùs calida aqua continere: cucurbitæ etiam ſuris ac femoribus affixæ, & aliquando ſcarificatæ: item hirudines eiſdem partibus infixæ,vel hæmorrhoydibus:quas ceſſante menſtruo,ac perſtantibus doloribꝰ adhibere oportebit:quippe derivatione facta(ſi ante adhibeas)menſtruum interdicere ſolent.Quòd ſi neque prodeſſe videantur hæc omnia, theriacæ.ϑ.j.vel.ʒ.ſ.cum aqua meliſſæ ſummo mane porrigere oportet,vel mythridati, aut theriacæ ſmaragdorum tantundem cum decocto portulacæ,vel ſeminum ipſius,vel maluarum. At ſi vlceris vitio affectus oriatur, dolorem mitigabis infuſis in vterum,quæ vlceri prouideant.Cui vſui aqua mulſa,vel ſi caloris ſenſus adfuerit ſaccharata cum trochiſcis albis Raſis,proficua eſſe ſolet : item aqua aluminoſa, incredibili quadam efficacia huic malo ſubuenit, vel decoctum hordei cum ſyrupo roſaceo,aut aqua lactis cum ſaccharo, vel lac ipſum cum pari quantitate aquæ extractæ per lapideum mortarium, vel decoctum ſeminis plantaginis, aut plantaginis ipſius. Vlcere tamen exiſtenti, ab euaporationibus & fomentis abſtinendum eſſe rationi eſt conſonum.Si verò acris & erodens humor mali cauſam præſtiterit,fomentis & infuſis ac inunctionibus blandioribus vtendum eſt. Cui vſui plurimum cõfert aqua tepida infuſa,vel fomentis adhibita. Item aqua portulacæ,& lactucæ.Emulſiones etiã ſeminum frigidorũ maiorum extractæ aqua per-

collata

collatâ lapideo mortario,ac exhibitæ tepentes potui. Inunctiones quoque ex oleo amygdalarum dulcium,ex oleo violaceo,vel de ſemine melonum, aut cucurbitarum . Quibus inſpectis facile erit viro diligenti plura alia excogitare non minus proficua,velut eſt vnguentum roſaceum aut reſumptiuum & ſimilia.

Secundam curandi rationem, quæ cauſam reſpicit, exequimur pugnantes aduerſus vnamquanque, veluti ſi grumoſus, concretuſque ſanguis iſque plurimus fuerit, inſtituta priùs victus parſimonia,moderato exercitio,protinus ſanguis demendus ex brachio eſt. Verùm quia craſſum illud,concretumque remeare ſurſum ſanguine miſſo nequit, euocare id per vteri oſculum opus erit,fomentis nimirum, inũctionibus,& euaporationibus, item femoribus ac ſuris cucurbitis ſcarificatis. Quòd ſi parum aut nihil fluere videatur, hirudines quoque hæmorrhoydibus apponere erit vtile: aliter verò nequaquam, ne naturæ motum interturbent, ac præpediant.At ſanguine ſufficienter miſſo, vel ad vterum euocato, præter ea, quæ capite præcedenti huic humori prædominanti proficua eſſe diximus, theriacæ.ϑ.j.vel ʒ.ſ.laboranti porriges cum copioſa aqua,vel decocto ex prædictis.Quæ ſanè potio vires habet fundendi quod concretum eſt,ac tenuandi craſſum. Cæterùm licet in ijs quę ex denſo & concreto ſanguine oriũtur affectionibus,commune ſit medicorum dogma,quæ inſcindunt pharmaca adhibere : quæ acetoſa proculdubiò ſunt maiori ex parte, vtero hac ratione affecto adminiſtrare minimè licet.Ob id alijs rem aggredi oportet,qualia ſunt quæ ex leporino coagulo,& aqua graminis conficiuntur. Decoctum item chelidoniæ cum melle, aut aqua graminis,vel capillorum veneris. Vel decoctum chelidoniæ,vel radicum diureticarum, liquiritiæ,vel paſſularum,cui incoquere oportet coagulum leporis , & laboranti porrigere.ʒ.iiij.cum modico ſyrupo capillorum veneris,violarum,aut de quinque radicibus . Quibus porrò factis donec affectio ſubſideat,& menſtruæ purgationis tempus prætereat,curandum eſt reliquo tempore, ne ſanguis craſſus deinceps futuræ menſtruationi paretur,victu nimirum extenuante, modico, ſed continuo exercitio,moderatæ vel tepidæ aquæ balneis : quibus quarto aut quinto quoque die vſque ad vmbilicum , aut paulò ſupra fœmina immoretur: adhibito etiam ſenæ decocto cum aqua lactis, diebus intermedijs. Cui vſui etiam præſtant quæ attenuandi & inſcindendi vires obtineant: qualia abundè diximus capite de mẽſium prouocatione. Quòd ſi ſummo manè tertio quoque die leuiter vniuerſum corpus fricueris,nihil nocebit. Verùm ſi flatuoſæ potiùs materiæ copia, quàm craſſioris ſanguinis affectio ſuboriatur,mittere ſanguinem minimè oportet,purgare tamen, vt præcedenti capite dictum eſt, frequentiùs conuenit:quod intelligas velim dum ex imbecillitate flatus non prodeunt (quippe eo tempore diſcuſſorijs magis,quàm purgantibus vteris)ſicut alijs auxilijs,quæ nuper retulimus:quibus admiſcere conuenit diſcuſſorium aliquod,vt proximo capite facilè reperies . Tempus autem purgationi idoneum id eſt, quod anteſtat purgationi menſium octo aut decem dierum ſpatio.

Vlcus ſi huic malo cauſam præſtiterit,ocyſimè curabis,ne in grauius malũ affectio degeneret,principio curationis ſumpto à totius corporis purgatione,à qua primò prodeſt ſuccus plantaginis iniectus, præſertim ſi valde ſordidum vlcus non fuerit, nam ſi ſordes adſint, extergentibus erit vtendum, veluti ſucco apij cum melle , aut praſij vel braſicæ. Item adminiſtrabis aquam hordei cum ſaccharo, vel lactis ſerum cum eodem ſaccharo vel ſyrupo roſarum. Sed quod vtilius videtur,eſt aluminoſæ aquæ vſus,vel lactis virgineæ cum ſaccharo. Quòd ſi dolor

vehemens ſit,& ardor etiã, decoctum hyoſcyami, vel papaueris cum alijs admiſcebimus.Et tandem opiatorum medicamentorum aliquid immittemus cum ſupra dictis ſuccis.Alia quidem huius cenſus reperies proficua capite huic rei dicato,lib. ſequenti de vteri affectionibus.

Verùm ſi acres,calidos,ac mordaces humores ſanguini admixtos,id vitiũ excitare cognoueris,inſtitutis victu paulò frigidiori moderato ac optimi nutrimẽti,animi quiete,& omni tranquillitate,ex rhabarbaro,antequam mẽſes inſtent,bis,terue purgabis,mãna,caſia,aut decocto ex myrobalanis,aut aqua lactis vel ſtillotica ex maluis,ſemine maluarum,altheæ & cichorio.Interim tamen vti erit neceſſum ijs,quæ ſanguinem attemperent,humorùm acrimoniam retundant, mordacitatem compeſcant,ac ſeroſos humores aliò transferant. Quorum abundè dictũ eſt capite de immodico mẽſium fluore.Scio tamen proficuum eſſe in hoc malo alijs nihil præſtantibus,fontanellam in crure aperire,dum nimia,& habitualis corruptorum,aut vtcunq; aliter vitioſorum humorum copia ad vterum confluit,corpore vniuerſo illuc humores tranſmittente,aut membro aliquo prauè affecto.

De *menſtruis,quæ debitum tempus anteuertunt.* *Cap. XII.*

FRequentiſsimo euentu confirmatum eſt in pleriſq; fœminarum,menſtruam purgationem,licet per interualla repetat,nullũ tamen ſtatutũ tẽpus habere,nullãq; legẽ ſeruare:ſed mẽſtruari ordine peruerſo,modò naturæ periodũ anteuertere,modòq; ipſum remorari:ſiquidem quæ ſecundũ naturã ſunt,ordine & vnica ratione procedũt,quæ verò præter naturã,variè & confuſè, niſi cauſa præter naturam connaturalis & ſtabilis quoque ac firma facta fuerit.Quod etiam Platonẽ in Cõuiuio, & Gal.lib.de vtil.reſpi.dixiſſe cõſtat.In qua ſanè mutatione plerũq; inordinatè procedit natura,aliquando verò ſtatutis interuallis accelerat, aut remoratur præſcriptũ ſibi inſtitutũ.Quam proculdubio affectionẽ(Cuius etiam meminit Hipp. lib.de nat.mul.per hæc verba.Si mẽſes cõſtituto tẽpore nõ fiant,&c.)quia grauiſsimorũ affectuũ cauſam eſſe,experimẽto fit certiſsimũ , paulò diligentiùs expẽdere in animo eſt:ac primò eam quæ debitum tempus anteuertit, hoc capite exponã.

Qualis affectio. Eſt quidem affectio hæc degenere eorum ſympthomatum,quæ in vitiata actione facultatis naturalis conſiſtunt:eius nimirum,cuius munus eſt menſtruum ſanguinem in naturæ vſum & gratiam per ſtatutas periodos adſeruare . Quæ ſanè facultas modò ex proprio vitio,modò damno aliundè ſibi illato,à proprio munere aberrans huiuſmodi vitiatam actionem promouet,quam ſentio pertinere ad retinentem vteri facultatem,vel ad expellentẽ:quæ quidem ex eo morbo aberrãdi in proprio munere originem ſortiuntur,qui vel intemperamento partis, cui incumbit,vel eiuſdem partis deformi figuræ innititur,& conſiſtit, ita vt humorem defluere permittat,aut vt par eſt probè continere non poſsit, donec ſtatutum adſit excernendi tempus.Quibus etiam aliquando accedit ſoluta vnitas,ex acrimonia aut mordacitate humorum vel vtcunque aliter facta,proueniente. Quæ non minorem huius mali partem præſtare poſſe, mihi eſt compertum , vitioſo humore in vterum à toto corpore vel ab aliquo membro tranſmiſſo, ita vt ante tempus

tempus inſtitutum facultatem laceſſat.Cuius etiam affectionis Hippocra.meminit 5.apho.36.dicens:Mulieri ſi menſes decolores,neque ſecundum idem tempus ſemper euenientes,purgationem indicant eſſe neceſſariam.

Cauſæ. Porrò,lib. 3.de ſympt.cauſis,exemplo ſumpto ab alui excrementis Gale.cauſas omnes actionis,quę debitum tempus anteuertit,trimembri quadam diuiſione optimè viſus eſt comprehẽdiſſe.Nam ob materiam,facultatem, aut cauſam ſine qua non vitium hoc poſſe fieri,aperta ſatis oratione monſtrat. Primam tamen cauſam in multo plures ſubdiuidit,in copiam nimirum,alienam ſubſtantiam,tenuitatem, humiditatem,calorem,acrimoniam, aut mordacitatem materiæ. Quibus addidit Hipp. li.1.de mor.mulie.pituitæ defluxum ad vteri cauitatem.Inquit enim:Si pituita vterus fortè compleatur,concitantur flatus in eo,ac tunc menſtrua parciori manu funduntur,alba pituitoſaq;.Accidit interdum etiam,vt ſanguis tenuis purus & integer pelliculis plenus ſit. Conturbatur verò quibuſdam aer in menſe apparet,adeòque præ nimio humoris affluxu mulier minus expetit & delectatur. Et paulò inferiùs ſubdit,fluxionem fore diuturniorem,ſi quæ fluunt mordeãt exulcerentque pudendi oras: quibus conſtat naturam citra ſtatum tempus irritari ad expulſionẽ.Secundam verò reduxit ad facultatis retentricis imporentiam,vel ad expultricis robur, vel irritamentum,maximumuè vteri calorem.Cauſam autem ſine qua non eam eſſe cenſet,quam ad ſenſus acrimoniam & perſpicuitatem reducit . Senſus enim exquiſitior cauſa videtur eſſe,ſine qua huiuſmodi actiones fieri minimè poſſunt: ſiquidem neceſſum eſt expultricem irritari, ſi ſuo munere fungi debeat:id quod tanto promptiùs facit,quanto ob exquiſitiorem ſenſum citiùs afficitur cauſis,quæ ſenſum mutare habent naturalibus,vel præternaturalibus exiſtentibus . Quibus accedit alicuius oſſis, vel vertebræ renum aut oſsis ſacri luxatio , quo fit vt cataplaſmate admoto debitum tempus prædicta purgatio adſeruet.

Cauſarum cognitio. Cum affectus ſeſe ipſum notum faciat ea certitudine, vt demonſtratore non indigeat:ſuper eſt cauſarum tantùm dignotionem docere:nam eas & varietatem nõ paruam & principium curationi præſtare certum eſt.Ob id dignoſces humorũ plenitudinem ex grauitate totius corporis,& ad motum pigritia, ex ponderis ſenſu, ex fœminæ habitu plurimo ſanguini gignendo idoneo,ex vita ſedentaria & otioſa,ex crapula,ex ſuppreſſa alia vacuatione, vel diminuta,ex pulſu magno,cui accedit per interualla etiam paruitas,ex vrina rubea,craſſa, & multa, ex ſanguine ipſo ſola copia peccante:præſertim ſi ab eo excreto leuamen ſubſequi accidat.Acrimonia,mordacitas,& denique reliqua humorum vitia, ex calore,ex eroſione,ex dolore præſertim parum ante ſanguinis excretionem, vel dum erumpit facilè percipiuntur,adhibito in conſiderationem fœminæ vitioſo habitu,neque nõ & vita præcedenti,ac alimentis,quibus vti cõſueuerit.Id etiam oſtendit ſanguinis excreti natura, ſi tenuis fuerit,dilutus,aquoſus,decolor,aut colore aliquo præter naturam affectus.Quòd ſi horum nihil adfuerit,& impetu ſanguis proruperit, neceſſe eſt expultricem facultatem fuiſſe irritatam,cõijcere. Verùm ſi vlcus,aut alia cauſa eã excitauerit,ex ijs,quæ cap.præcedenti diximus,ſcire poteris. At ſi ne hoc quidem accidat,ſed citra aliquem læſionis ſenſum prorumpat,læſam eſſe retentricem facultatem conijcies.An verò ex temperamento,an ex figuræ aliquo vitio id malum prodeat,diſtingues ex diſtemperamenti ſenſu:qui ſi nullus fuerit, vitium figuræ eſſe colligito,& ex ijs,quæ præceſſerunt,aut adſunt.Nam & tumor præter naturam & inducta cicatrix, vel euerſa naturalis vteri ſtructura ex ictu , caſu , aut laborioſo

partu,vel quouis alio accidenti,haud difficulter cognoſcentur.Quorum omnium ediſcere prouidentiã conuenit,quippe quæ non rarò fœminis accidere ſolent: ex quibus laxiores facti meatus,& patentiores viæ,mirum non eſt,ſi ſanguinem ante debitum tempus profundant.

Curãdi ratio. Curationem igitur menſium non debito tempore fluentiũ inſtituerat Hippocra. lib.de nat.mulie.aliquo modo citra methodũ,& rationem. Quam ſanè complet ex braſsica,ruta,& decocto paleæ hordei,exhibetq; polypum, & piſces odoratos, id eſt,cum aromatibus conditos,vt leuis ſit cibus,& qui vteros purgare poſsit. Polypi autem conferunt maximè vtero,& purgatio leuis fit,& flatum pellens. lib. tamen.2.de morb.mul.aliter huius affectus inſtituerat curationem. Cæterùm quia in genere vtcunque tempus debitum peruertat,harum affectionum curationem tractat,neceſſum eſſe duxi,cuiuſq; ſeorſum meminiſſe,vt quæ maximi ſit momenti affectio.Cùm enim frequentiſsimè viſum ſit ex ea menſtruatione, quæ conſuetum præuenire tempus aſſueſcit,immodicum ſanguinis profluuium ſuccreſcere: curandũ obid eſt,mox à principio in hoc affectu id damnum vitare, præterquàm, quòd fœcunditati,& conceptui ſolet eſſe graue,& certiſsimũ inconueniens:quòd ſi quas diximus cauſas exactè tenueris,haud difficulter efficies.Nam cognita plenitudine,fœminam pauco victu tractabis,maiori etiam ſolito exercitio,& moderato ſomno,& parciſsimo potu.Mox tamẽ à principio ſanguinẽ ex vtraq; baſilica pro fœminæ viribus extrahes.Idq; non inſtante menſtruationis tẽpore,ſed in medio menſe,aut parũ antè.Verùm ſi non profuiſſe videatur,dextræ manus ſaluatelã ſecabis,& inde ſanguinis,quantũ vires ferre viſum fuerit extrahes. Corporis item ſuprema regionẽ molliter ſummo manè perfricabis.Quibus ſanè vteris, donec plenitudinem ſatis eſſe depoſitam intelligas.Atq; ſic affectis vinum in totum auferes,ſicut & coctas aquas,præſertim eas,quæ cũ cinnamomo efferueſcunt, imperabiſq; chalybeatam,vel deauratam aquam bibere,aut crudam,ſed mica panis mediocriter toſti emendatam.

Verùm ſi ex humorum vitio, acrimonia,calore, aut mordacitate prædicta affectio ſuboriatur,ita vt ſanguis vel præ tenuitate defluat,aut præ acrimonia facultatem adhuc ſecundum naturam exiſtentem irritet:hæc duo primò facies (præterquàm quòd ſenſum retũdere,& facultatis expultricis acutiem hebetem reddere, vt paulò inferiùs docebo,teneris)primùm humores corriges ſyrupis ,apozematis, & alijs auxilijs,quæ cap.de menſium ſuppreſsione diximus(pudet me eadem ſæpiùs repetere)iuxta humoris peccantis conditionem.Nam calidum refrigerabis, acrem & erodentem retundes,ac mulcebrem & manſuetiorem reddes ijs,quæ lenia,& mucilaginoſa ſunt.Optimi quoq; nutrimẽti cibaria admiſcebis, ea enim & præexiſtentes ſuccos corrigunt,& vtiliores deinceps gignunt.Quamobrem eam victus rationem inſtituere conuenit,quæ optimũ ſanguinem,& copioſiorem generet.Vtero etiam prouidere oportet mollibus atq; attẽperantibus enematis,qualia ſunt quæ recipiũt oleum violarum,roſarum,& nenupharis, decoctum hordei, maluarum,& florum,ſaccharum etiam,& expreſsionem ſeminum frigidorũ. Cauere tamen tanquam à maximo malo,in huius affectus curatione oportet,ne interim dum menſes ordinatiores reddere nitimur,ſuppreſsionẽ eorum moliamur. Nam & plurimũ & vitioſum ſanguinem diu cõtinere,præſertim aduerſus naturæ, quantũuis irritatæ,impetum,grauiſsimum eſt,& maiorũ affectionum cauſa. Ob id cautè procedendũ eſſe cenſeo,ijs tamen remedijs adhibitis,quæ cauſam illidãt, vteri verò,aut ſanguinis compreſsionẽ minimè efficiant.Secũdum quod,humorũ vitio

vitio præualente,proficuum exiſtit,erit quidem,corpus,& confertim,vt maior cacochimiæ pars deponatur,expurgare:& deinceps paulatim ac ſenſim,hoc eſt, per epicraſim quod ſupereſt,ne corpus aut vehementi purgatione lædatur , aut vires labantur,educere rhabarbari infuſo frequenter exhibito,nimirum bis , terue in hebdomada, aut infuſo, leui facta ebullitione, myrobalanorum citrinorum:vel ſi aduſtum quid ſupereſſe viſum fuerit,foliorum ſenæ.

At ſi iecoris caliditatem huic malo cauſam præſtare compertũ ſit,poſt hæc ſanguinem ex ſaluatela extrahes. Sicut ſi vteri calida diſtemperies cauſa fuerit,ex venis tali.Quibus ſanè auxilijs fit,vt humores ſuperuacui,& qui mali exiſtunt cauſa, ad aliam regionem diſtrahantur, & paulatim citra dyſſenteriæ,aut alterius affectionis grauioris periculum,minuantur,vel generari(ventilatione facta in iecore)deſinant.

Quòd ſi ex facultatis retentricis vitio,vel inſtrumentorum laxitate, vel vitioſa alia figura malum hoc prodeat(nam dum ex ſecernentis irritamẽto proficiſcitur vt dictũ eſt modo curari debet) prouidendũ eſt facultatum robori per ea auxilia, quæ aduerſa ſint diſtemperamento imbecillitatis authori.Nam ſi immodicã frigiditatem cum humore adeſſe cognoueris,facta leui humorum frigidorum ex agarico & ſyrupo ex infuſionibus purgatione, vel ex catholico cum modico electuario indo,vterũ curabis calfacere & roborare,calidis & modicè ſiccis auxilijs: qualia ſunt quæ ex oleo liliorum alborum,camemelino,anethino, & rutaceo conficiuntur,præſertim cerati forma cum modico ladano,ſtyrace,& belzoino .Saccelli ex rebus calidis,vel ſiccis,vtiles etiam exiſtunt,facti ex milio,furfure , camemalo, anetho,ruta,matricaria,pulegio,thymo,timbra,& ſimilibus, præſertim ex radicibus,& folijs,ac ſemine angelicæ ſiccæ.Item prodeſt inunctio balſami,aut olei rorismarini,vel de ſtyrace,theriaca etiã emplaſtri forma vmbilico & inferiori vteri regioni adhibita,proculdubio vtiliſsima exiſtit.Item communia emplaſtra,quæ pro matrice in officinis parantur,eundem quoq; vſum præſtare ſolent.Multa quidem alia ſunt,quæ diſtemperiẽ ac imbecillitatem corrigere poſſent:ſed vereri oportet, ne plusiuſto menſes remorentur,& ob id horum meminiſſe ſat eſt:nã ad penſum eorũ,quæ diximus,prudens medicus alia facilè excogitabit,huic etiam vſui proficua.Verùm ſi diſtemperies calida fuerit,ea ratione qua humores calidos eſſe corrigendos diximus,mitescenda eſt,excepto medicamentorum purgantium vſu: ſat enim eſt victu refrigerante inſtituto,quiete,ocio,& animi tranquillitate, aëreque temperatiori facto,adhibitis etiam ſyrupis,& apozematis, ac temperatis clyſteribus caliditatẽ attemperare. Si tamẽ diutiùs perſtiterit diſtẽperies, coniectandum proculdubio eſt,aliquid calidi humoris aut præeſſe,aut generatum eſſe.Quamobrem leuiter corpus eo tempore manna,aut caſia, vel ſimilibus purgatione vacuare oportebit,& ea,quæ modicè ſiccent,ac refrigerent, vtero ad corroborationem adhibere,facta inunctione ex oleo melino,roſaceo vetuſtiori,vel ex roſis ſiccis cõfecto,& alijs quæ citra vehemẽtem aſtrictionem temperare , ac roborare vterum poſsint.Quorum latè meminimus lib.2.de auxiliorum indicatione.Reliqua verò figuræ vitia vel artè emendabis,vel alijs auxilijs eorum defectum ſupple .Nam vtcunque debitum tẽpus ſanguinem continere non poſsit vterus,id protinus corriges:quippe ſi diu duret,emendare perdifficile & periculoſum eſt: præterquã ſi ex tumore præter naturam affectio prodeat:nam aliter eo tempore curanda,vt capite de vteri inflammatione perleges.

Itẽ ſi exictu,caſu,vel laborioſo partu partes vtero vicinæ,& vterus ipſe,laxiores

factæ fuerint,cataplasmate reficere, ac ad pristinam figuram reducere necessum erit.Fiunt quidem ex terebinthina,puluere sanguinis draconis,thuris, mastichis, & consolidæ maioris.Itẽ fiunt ex albumine ouorũ (si fœmina calidiori prædita sit temperamento)cum pulueribus rosarum,myrthilorum,balaustiarum, mastichis, & cum farina volatili. Item ex melle,& pulueribus coralli,sanguinis draconis, rosarum,mastichis,myrthylorum,dragacãthi,& similium.Quæ prædicta forma, vel cerati,vel emplastri cum ladano & cera conficiuntur, & passim à mulierculis parantur:additis aromatibus,& calidis medicamentis,vt si quid frigiditatis in parte receptum est,medelam suscipiat.At si ex immodico,exactioriq; sensu(cæteris existentibus secundùm naturam)anteuertat debitum tempus purgatio, nihil aduersus causas ages:sed omni ingenio sensum curabis hebetiorem reddere,nõ stupefacta potentia:nam id verendum in fœminis est,sed retusa sensus acrimonia pinguibus enematis,vel ex lacte,aut oleo violarum leuissimis inunctionibus ex asungijs, oleo sesamino,violarũ,& amygdalarum dulciũ, sumptis etiam frequenter amylo, vel rebus mucillaginosis ac pinguibus, & frequẽtiori potu,quippe alijs vti periculo non vacat.

De menstruis, quæ debitum tempus remorantur. Cap. XIII.

MEnstruæ purgationes remorantur quidem, & tempus ipsum præfinitum protrahunt,vel ætatis causa,cum iam iam desinere nituntur, vel vitio aliquo peculiari vteri, aut corporis totius:primum enim vitium curatore non indiget,sed præcautore, qui prouideat quo minus consuetus fluxus(etsi secundum naturam supprimatur) in podagram,coxendicum dolorem,aliumue affectum,vt frequentissimè solet,prorumpat:facto quidem copiosiori exercitio,& instituto victu parciori,donec ex toto nobis compertum sit naturam destitisse à sanguinis menstrui generatione,& congestione,vel annuatim,aut bis,terue in anno sanguine misso.Quo facto rarò ex mẽstruorum suppressione pericula aduenient.Secus autem se res habet,quo tempore natura suppressionem minare videtur. Vltimum verò vitium,id nimirũ,quod ex totius corporis affectu suboritur,emendari,satis superq; discces ex cap. de menstruorum retentione.Verùm dũ hæc affectio ex aliquo vteri,aut humorum ad ipsum defluentium affectu prodit,peculiarem quoque requirit diligentiam & peculiarem etiam curationem.

Qualis affectus. Est sanè tarda mensium expurgatio, affectio de genere corruptarum actionũ. Quòd si adimminutam reducere velis,nihil inconueniet, dummodò intelligas, id malum pertinere ad secernentis facultatis impotentiam,munus suum perficere nequeuntis.Idque quia languidior iusto facta,vel fortasse impedita ex causa aliqua id efficiente,etiam si ipsa secundùm naturam existat. Cui profectò actionis damno,causam præstat id morbi genus,quod aut in mala figura(siue ex crasso humore obstruẽte,siue ex alia quauis causa prodeat)aut in distemperie existat,modò sit sola,modò cum materiæ affluxu.

Causæ. Causas huius morbi easdem numero esse cum ijs,quas diximus præcedẽtes affectionis causas existere certum est:verùm omnino cõtrarias.lib.3.de causis symptb. apud

apud.Gal.reperies.Quas quidem ad humorum vitia,quæ mox referam,aut ad expellentis facultatis impotentiam,aut vltimò ad sensum hebetem,pari numero facilè quiuis reducere poterit.Humorum enim vitia sunt ipsorum paucitas, crassities,acerbitas,& visciditas:quibus accedit siccitas,aut fæculentia:inquit enim Galen.lib.5.aphorism.commen.36.Contingit enim mulieribus, quæ prauos humores habẽt,non modò decolores apparere purgationes menstruas, sed etiam tempus periodi non seruari,siquidem crassiores fuerint humores, & difficiliùs fluẽtes ijs, qui secundum naturam se habent, morando & longius tempus expectando. Impotẽtia verò facultatis,vel vitio proprij tẽperamenti,quo in actionibus obeundis fungitur ex frigore oborto,vel instrumenti,quo operatur, ineptitudine, contracta quidem ex figuræ vitio,modò obstructio sit(quod frequẽtiùs accidit) modò quoduis aliud figuræ damnum.At sensus hebetudo,quam ad causam sine qua nõ Gal.reducit,facilè huic malo causam præstare habet. Nam neque pondus,neque acrimoniam(siue naturalis sit,siue ab ea recedens)donec nimia sit,& plurimum à naturali dissidens,persentiscit:siquidem,vt dictum est,oportet expultricem irritari,si suo munere fungi debeat.Id quod tanto promptiùs facit,quanto ob exquisitiorem sensum citiùs afficitur,tardiùs verò,quanto minùs senserit quæ noxia sunt. Ob id quidem hebete existente partis sensu, nihil mirum est, si menses protrahi contingat.

Causarum dignotio. Cognosces haud difficulter quale sit humorum vitium ex ijs,quæ cum sanguine excernuntur,& ex sanguine ipso:nam præter quàm quòd visui albidior apparebit,erit quoq; crassus aut viscidus,ita vt difficulter à partibus,quibus adhæsit, separari possit.Constabit quoque id ex vita præcedenti sedentaria, ex forma victus crassa quoque, & ex edulijs pituitam redolentibus.Quæ proculdubiò omnia,fœminæ laborantis habitus mollis,ac plerunque obesus,colore subalbidus,aut plumbeus facilè monstrabunt.Sicut & sanguis ipse,qui lentè prorumpit & mouetur,ac diu menstruæ purgationes durant, desinuntq; sæpe in mucores quosdam,ac pituitosa purgamenta. Imbecillam verò existere facultatem excernentem ex eo colliges,quòd etiam si transacto menstruationis tempore,fœmina molestiam aut grauitatem aliquam persentiat ex sanguine illo præter naturæ institutum retento, cum hoc tamen nequit languida facultas ad motum sese accingere, sed diu permittit molestari,donec validiori facto irritamento,tandem in minutã quandam purgationem prorumpit.Quod sanè vitium solet etiam haud rarò contingere retentrice admodum valente,neque tempore stato humorẽ sibi commissum prætermittẽte.Instrumentum aliquod vitiatũ esse ex ijs,quæ præcesserunt,perdiscere poteris.Nam ex laborioso partu,ex tumore aliquo præter naturam præsente, aut iam curato,ex prauè etiam confecta cicatrice,vel ex saltu,aut casu alio,haud difficile est membrum aliquod vtero vicinum,aut subseruiens, aut vterum ipsum dislocari,aut praua alia figura affici. Quod proculdubio in fœminis frequentissimè accidere solet.Sensum porrò esse hebetem cognosces facilè,quia etiam si menses diu remorentur, nullam fœminæ in vtero,aut partibus vicinis molestiam percipiunt.Signum sanè euidens sensum esse obtusum: siquidẽ nec plenitudinis pondus persentit,nec acrimoniæ molestiam.

Curãdi ratio. Maximi proculdubiò momenti erit diligẽs huius vitij consideratio.Nam facillimum esse cõperitur,plus minusue in eius curatione, morbo tribuere quàm par sit.Et ob id sedula diligẽtia curandum est,ne quid horum vsquam curãti accidat. Quod profectò facies,si primò consideraueris humores crassos, viscidos, ac lentos men-

menſtruam purgationem remorãtes, expoſcere in primis victum extenuantem, maiuſculum exercitiũ, frequẽtiores totius corporis frictiones, ac vltimo extenuãtes, calfacientesue potus: quales ex calamentho, cinnamomo, fœniculo, ſaxifragia, pimpinella, adianto, & alijs ſimilibus parari ſolent. Poſt quæ conſiderabis à quo auxilio curationem auſpicari oporteat: nam ſi ſanguinem detraxeris hac humorum idea redundante, haud parum offendes: ſi inſcidentibus, & extenuantibus vtaris corpore exiſtente pleno, non minus lædes: ſi verò purgaueris, nihil magis efficies ſed fortaſſe deterius quid. Nam plenitudine in corpore iam collecta verẽdas eſſe per pharmacum purgationes vnanimi doctiſsimorum cõſenſu conſtare arbitror. Quapropter vt mea fert ſententia (ſuppoſito his tribus auxiliorum generibus vtendum eſſe neceſſariò) rectam medendi rationem à tempore quo vnũquodq; fieri debet, ſumendam eſſe exiſtimo. Quippe mox facta naturali mẽſium purgatione, quæ plenitudinem deponat, ne opus ſit ſanguinis detractione, & viam ſuppeditet purgantibus auxilijs, citra prædictum periculum curationis principium auſpicari oportet. Quo ſanè tempore vtpote corpore ex natura vacuato, quæ humorem inſcindere, extenuare, & abſtergere poſsint porrigere tutò poteris, quibus collecta menſtrua purgatione, & inſtãte, vti non datur. Nam maiores & preſsiores proculdubio fient obſtructiones, ita vt ſæpe ex leui obſtructione, aut humore nõ fluente ob craſsitiem, contingat fluere non poſſe propter integram obſtructionem, vi medicamentorũ factam. Huic conſimilem curationẽ docuerat Galen. lib. 5. aphoriſ. commen. 36. dicens: Poſſunt igitur & menſes tardi, hoc eſt qui poſt conſuetũ veniunt circuitum, purgatione indigere humoris pituitoſi, ob quẽ & decolores fiũt, non tamen egemus hac ſola neceſſariò. Nam & per extenuantẽ aliquãdo victum tales affectiones ſanabimus. Et ſubdit. Suffitus inſuper aromatum idẽ facit, & qui eandem vim habent peſsi adhibiti, epotaq; medicamenta, quæ inſcindunt, & humorũ craſsitiẽ extenuãt: quale eſt quod ex calamẽtho fit, quo nos aſsiduè vtimur, quodq; ſæpiùs tardantes menſium purgationes exciuit. Nam initium ſanationis in ipſis eſt, cũ ora vaſorum in ipſis aperire, quæ pertingũt ad vterũ, tũc ſanguinẽ extenuare. Ac ſanè purgatio totius (vt dixi) quando craſsi euacuantur humores, tales ſanat affectiones. Quibus verbis breuiſsimè viſus eſt vniuerſam huius mali curationem cõprehendiſſe. Cui proculdubiò, vt optimè fiat, tempus præſtatur mox à menſtrua purgatione. A qua ſanè ego curationẽ auſpicarer, & mox medicamenta prædicta porrigerem. Poſt quæ quidẽ purgantibus iterum vti pharmacis, tutius & vtilius erit, ante (inquam) quàm plurimum ſanguinis in vtero, aut vicinis partibus ſuccreſcat. Cui vſui, agarico, electuario Indo, modico diaphenicone, vel pilulis maſtichinis, aut de agarico vti proculdubio poteris. Quo facto (vt ordinẽ faciẽdorum proponam) ſex aut octo dierum ſpatio ante menſtruationis tempus non erit ab re ſanguinem ex talo mittere, & poſtmodũ ipſum ad inferas ſedes euocare crurum lauacris, frictionibus, ligaturis, ac frequenti cucurbitarum ſuris ac femoribus appoſitione: quas rarò ſcarificare cõſulo. Nam craſſus ille ſanguis difficulter percutis ſcarificationes ſpirabit, & ad euocationem ſat ſunt reliqua præſidia. Quibus ſic factis, ſi adhuc menſtruã purgationẽ protrahi conſpexeris, trãſacto purgationis tempore, vtile citra dubium, erit corpus per epicraſim purgare, & ſanguinem à pituitoſorum, craſſorum, ac viſcidorum humorum ſpurcitia liberare. Quod quidem facies ſumpta pilula vna ex agarico, aut ex maſtiche, vel leui agarici, aut turpeti, vel cartami, infuſo aqua ſaxifragiæ, graminis, pimpinellæ, adiãti, cinnamomi, calamenti, fœniculi, aut ſimiliũ facto: quo tertio, aut quarto quoq; die exhibito mirè pro-

profuiſſe comperimus: Sicut corpus exercitio mandare, aut fricare diebus intermedijs, ſumpto etiam aliquo ex medicamentis, quæ menſes mouere ſimul, & craſſos humores attenuare nata ſunt. Quorum ſyluam adduximus cap. de menſiũ ſuppreſsione. Quibus admiſcere vtile eſſe expertus ſum, theriacæ vel mythridati aliquid, ſicut ventrem inferiorem inungere oleo capparrorũ, liliorum alborũ, de anetho, ac de croco, vel de cinnamomo, ſi haberi poteſt, vel confecto ex angelica, cuius miram cenſemus eſſe efficaciam, adhibitis etiam fomentis, vel clyſteribus, aut inſeſsionibus ex decocto fœnugræci, camemali, anethi, meliloti, fœniculi, petroſelini, matricariæ, dauci, & aliorum medicamentorũ quæ prædictas vires obtineãt. Cui quoq; vſui ego proficuum eſſe cenſeo, Galenuſq; loco citato ſummoperè cõmendat, ſuffitibus aromatum vti, quippe hi humores extenuant, & vias patentiores efficiunt.

At ſi ex impotentia expellentis facultatis menſes vltra ſtatutum tempus prorogentur, id primò efficies, vt diſtemperiem, cuius vitio facultatẽ labefactari cognoueris, corrigas: frequenter enim ex caloris defectu id accidere conſpicimus, vel ex humido vteri madore, quo ſenſus obruitur, minimèq; perſentit ex pondere moleſtiam. Quamobrem & calfacere ijs, quæ nuper diximus, vterum oportebit, & præexſiccare ac corpus purgare, ſi humiditatem præeſſe cognouerimus, adhibentes primò cibum calfacientem, & modicè acrem ac mordacem, vt irritato quodãmodo ſenſu, ad expulſionem gliſcat natura. Quem vſum quoq; præſtant euaporationes ex decocto origani, pulegij, menthaſtri ſiclæ, thymi, naſturcij, & ſimiliũ. Clyſteres etiam acres conficies ex eiſdem rebus & alijs, quæ modicè facultatem laceſsãt. Quem ſanè vſum peculiari quadam dote præſtant peſſaria vteri oſculo appoſita, qualia ſunt, quæ cap. de menſium ſuppreſsione, menſes mouere diximus. Verùm ſi ex vitio alio figuræ affectio ſuboriatur, aut facultas ineptior facta ſit, ceratis, emplaſtris, cataplaſmatis roboranda eſt, ijs nimirũ, quæ calfaciendi & firmandi membrum vires obtinere capite præcedenti diximus.

De menſtruis corruptis. Cap. XIIII.

NON ſolùm in menſtruis purgationibus vitium ineſt ex quantitate aucta, vel diminuta, aut ex improbo fluendi ordine: ſed frequentiſsimè in ipſa excreta ſubſtantia vitium quoque comperimus, nimirum, ipſo ſanguine fluẽte vitioſo facto in propria ſubſtantia, vel ex miſcella alicuius praui ſucci: cuius ratione menſes decolores fiũt, hoc eſt, rubrum colorem & naturalem non ſeruantes. Quod facilè comperimus, ſi pallidi fiant, albicantes, liuidi, nigri, virides, aut plurium ſimul colorum, id verò propter rationem humoris, qui ſanguini admiſcetur. Quorum recordatum Hip. lib. 5. apho. 36. dixiſſe opinor. Mulieri menſes decolores, neque ſecundum idem tempus ſemper euenientes, purgationem indicant eſſe neceſſariam.

Qualis affectio

Eſt proculdubio huiuſmodi affectio de earum ſorte, quæ ad exitus mutatum pertinere videntur, tertium quidem ſympthomatum genus. Nam cùm ſanguis ruber & naturalis exire teneatur, mutatum eſſe inficiabitur nemo, ſi eum prodire conſpexerit decolorem, aut prauo alio colore affectum. Proficiſcitur porrò vt plurimum ex diſtemperie totius corporis, vel alicuius mẽbri præcipui, iecoris nimirũ, aut

aut ventriculi,ac nonnunquam vteri ipsius.Quo morbo prædictæ partes affectæ facilè prædictos humores redundare efficiunt,qui ad vterũ dilabentes huiusmodi concitant affectum,quo nõ rarò steriles fiunt fœminæ,morbosæ,& viris ingratæ, aut mille alijs affectionibus pressæ.

Causa. Causæ verò,quæ id malũ excitare habent,eæ sunt quas mox retulimus, cæterũ specialiùs sunt expendendæ.Prauas & paucas mensium purgationes, Hippocrat. lib.de locis,aqua & aëre,refert prodire ob deprauatam substãtiam potus(& vt ego addo,victus aut rationem vitæ)inquit enim.Ex mulieribus verò primum quidem multæ steriles fiunt propter aquas quæ duræ sunt,crudæ, & frigidæ: purgationes enim mensium non contingunt commodæ,sed paucæ ac prauæ. Cuius sanè rei ratio est,quòd crudæ aquæ in fœminis(& reliqua huius census cibaria aut alia,quæ prauæ sunt substantiæ)quæ calorem habent imbecilliorem,non coquuntur,& ob id sanguis crassior efficitur: quo fit vt non fluat,aut parum fluat. Et quoniam nõ bene purgatur,etiam corrumpitur sanguis & menses non prodeunt quales debẽt. Dicuntur autem quales non debent prodire,cum substantia sunt nimis crassi aut aquosi,colore albi aut nigri,aut flaui aut mixti,odore fœtidi, qui sunt deteriores nigris ac demum cum egrediuntur cum dolore. Quas omnes differentias adamussim recensetiterum Hippocrat.lib.de nat. mulie. dicens:Si vteri pituita impleti fuerint,flatus oboritur,& menses albi,pituitosi superueniunt.Aliquando etiã sanguis tenuis pelliculis plenus, & præ humiditate cum viro coire non vult, & pallida ac tenuis fit.Flaua enim bilis pallidos efficit menses.Quem sanè humorem proficisci ab exurente iecoris caliditate nemo negabit, sicut albicantes reddere inundantem pituitam ex ventriculi, aut vteri frigido intemperamento,etsi Hippocrat.lib.1.de morb.mul.credendum sit,ex cerebro:quippe inquit,Nam si pituitosa prodeant & pelliculosa ei appareant,& aranearum expenduntur, & aliquantum albicantia videntur:quod quidem accidit si mulieri totũ corpus atq; adeò caput oppletũ sit phlegmate,quod neq; per nares,neq; per sedem, nec per vrinam, ne modicum quidem expurgetur, sed in menstruorum tantum recursu, hoc est periodica sanguinis perturbatione foras effundatur vnà cũ purgatione. Quibus constat ex capite etiã prodire:ac nonnũquam adeò in vtero vitiari, quòd eadem succrescant vitia ac bilioſis mensibus prodire dictum est:quod etiam expendit eadem sententia Hippocrat.At si hoc superueniat(inquit) semper quotidiè aliquid effunditur,nunc quidem confertim,aliâs verò sensim.Est & quando solum stillat aqua velut è carnibus,& aliquando sanies ac tunc sanguinis grumi frequenter accidunt & aceti modo terram abradit quod fluit, & qua parte mulieri contigerit, eã compungit & mordet & exulcerat:nam residente in vtero substantia crassiore in grumos concreta & acida facta, id proculdubio instillat mille damna efficiẽs. Ergo huius humoris prolapsu ad vterum dilatantur orificia vasorũ, mordentur & dilacerantur,vlceraq; deformia & mali moris suboriantur.Ita quoq; in nigrũ colorem,sanguinem vertit melancholia ex iecoris siccitate,& splenis impotentia per vniuersum corpus redũdans,atque ad vterum delata. Pari etiam ratione liuidos, virides,aut plurium colorum menses fieri conspicimus,vel ex membrorum nutrimentaliũ diuersa,validaq; intemperie,vel ex totius corporis vitioso temperamento,vario tamen in diuersis eius partibus,præsertim ad caliditatem vergente cum totius imbecillitate.Ex quibus constat,quales sint corruptorum mensium causæ, Præter quas aliam etiam addit Hippocrat.lib.1.de morb.mul.nimirũ, mensium trimensem suppressionem,quæ menses efficit suppuratos:inquit enim.Signa verò sunt,

sunt,si suppurati fuerint,dolores in pectine,& pulsationes fortes, etiam tactum nõ sustinent.Et si melius habitura est,menses ipsi erumpuntur in pudendum,& procedit pus ac sanguis,& procedit graueolens ad septimum,aut octauum, aut nonum diem.Atque hæ in vniuersum sunt mensium deprauatorum causæ.

Causarum & affectus dignotio. Docet Hipp.lib.de nat.mul.&.1.de morb.mul. ex colore humorẽ peccantẽ in mẽstruis cognoscere,primo enim loco iubet,sanguinẽ mẽstruũ super arenã spargi & exsiccari sole,& si color euaserit pallidus,flauam bilẽ dominari refert:si verò sub albidus,pituitam:quam noscere docet idem author lib.de morb.mulie.his verbis. Si mulier corpore malè habuerit,& pituitosi mẽses prodierint: cognosci autẽ possunt,si pituitosi prodeant,pelliculosi enim apparẽt,& velut araneorũ casses distenduntur,& subalbidi sunt.Hoc autem cõtingit,si corpus & caput ipsi pituita repleta fuerint,& hæc nõ sit purgata neq; per nares,neq; per sedẽ,neque per vrinæ meatum,sed in mensibus,& in turbatione sanguinis vnà cũ purgatione foras exit. Licebit autem totam Hippoc.dictionẽ subiungere.Nam ex eo sermone facilè disces & causas & affectus naturam,ac præsagandi rationẽ. Multa enim refert pericula fœminis sic affectis succrescere.Si mulier corpore malè habuerit,& menses bilioſi prodierint:ex hoc probè cognosci possunt,nigri sunt,quãdoq; verò nigri,aut splẽdidi,& pauciſsimi prodeunt,& cẽtiſsimè congelantur.Ac subdit paulò inferiùs.Et incipiente quidem morbo purgatur diebus,quibus sõlita fuit,nõ pluribus,progredientibus autem mensibus,pluribus diebus purgatur,& mẽses pauciores singulis diebus apparent,& febres succedunt erroneæ,acutæ,cum horrore & cibi fastidio aliâs atque aliâs,& stomachi dolor, & dolebit magis vbi menses appropinquauerint.Postquàm autẽ purgata fuerit,& ad modicũ tempus superiorum respectu meliùs habuerit:posteà rursus ad idem perueniet.Dum autem curatur,citò sana fit.Si verò non curetur,& tempus procedat,omnia priùs relata valde ipsam affligẽt, & dolor corripit imam ventris partem infra vmbilicum,hũc inguina,nunc lumbos, & coxendicum ad sedis iuncturam,nunc collum,aliquando verò strangulatio fortis accidit,& caligo ante oculos obuersabitur,& vertigo, vtpote purgatione sursum vergente,& accedente. Si in corpus malè habuerit mulier,menses pauciores fiunt.Et quibus corpus plenum fuerit,his menses plures prodeunt.Et tandem subdit Hipp.docens signa redundantis humoris.At verò bilioſi si menses prodeãt: pusillanimitas incidit,& cibi fastidium, & anxietas,& vigilia,& eructat frequenter, & non vult deambulare,& tristis est,& non videre sibi videtur,& timet. Tandem paulò inferiùs inquit.Si enim quid ex his fortè inciderit in corpus afflictum,periclitabitur.Si verò leniter depurgetur aliquid bilioſi,aut totum id,quod molestum est,sana fiet.Si verò neq; curetur, neque quicquam horũ fiat, moritur mulier.Quibus verbis,& alijs quæ paulò inferiùs subdit,euidenter constat qualia sint accidentia,quæ his fœminis ex hoc morbo succrescunt,vt facilè in eius notitiam deuenire possimus.Nam si optimi medici diligentia fœminarũ queremonias intuearis: proculdubio pleraſq; menstruorũ corruptione affici conspicies, tam virgines, quàm viduas,& eas etiam quæ viro vtuntur.A quibus interrogare iubet Hippocr. lib. de nat.mul.(vt certiores nos humoris peccãtis reddat)an quod fluit,mordeat,& exulceret:& si nõ mordeat,pronũciare à cerebro fluxum esse:si verò mordeat,à vẽtre: sed arbitrandum est non tantùm mordere aut non mordere, quòd ab hac vel ab illa parte defluat, sed quòd in vtero detentum computrescat,crassescat vitietur-que.Sed pensatis Hipp.signis,ad alia nobis confugiendum est, siquidem menses pituitam, aut melancholiam, decolores longo tempore latent & protrahuntur,

bilioſi verò feſtinãter prodũt, & albi quoq; ſubinde feſtinãt, modò ſeroſi ſint. Corruptos etiam eſſe menſes vel ex eo diſces, quòd eodem ſemper modo, neq; cũctantur, neq; anticipant, etiamſi quammaximè ſemper eodem modo viuant, eo quòd temperatura optima ſemper ſuo more conſtat, & parum certè huc aut illuc mutatur. Intemperata verò lubrica eſt, & nũquam eodẽ ſtatu permanet, ſed modò huc modò illuc magis inclinat. Medium enim certis quibuſdam terminis circunſcribitur, extrema in vtrãq; partem varijs modis inſoleſcũt & luxuriantur. Ita bilis prout eſt moroſior, aut procacior: nunc plus, nũc minùs feſtinat: & pituita quò eſt ignauior, eò magis cunctatur. Præterquam quòd ex acrimonia, calore & exulceratione bilem flauam rimari etiam conceditur, ſicut ex grauiori capitis dolore, quia ab inferis ad ipſum caput aſcendat, ſicut pituitam ex ſtupore, mucore, frigiditate, flatu, & vteri tenſione, & mitiori capitis dolore aut nullo, quòd à capite pituita defluat. Quapropter præter ſanguinis fluentis colorem, vitæ inſtitutum, corporis habitum, accidentia quæ ſuperueniunt, fluendi quoque modum & rationem intueri fas eſt, vt certiores facti, tutiùs grauiſſimi & communiſſimi huius affectus curationem aggredi poſsimus.

Curandi ratio. Huius affectionis curandi rationẽ ac methodũ. 5. aphor. 36. & libris de morbis mulie. & de nat. mul. adduxit Hipp. verũtamen ita obſcurè, indiſtinctè, ac breuiter, vt omnino tyronum captum ſubterfugiat. Quamobrem ſumptis ab eodẽ Hippoc. principijs, paulò clariùs hac in parte illam aggrediar: iubet itaq; 5. aphor. fœminas, quibus menſes decolores ſunt, purgandas eſſe. Cuius opinionem inſequẽs Gal. in cõm. ita refert. Si verò menſes decolores ſint, multò magis purgatio ſanabit ita ſe habentes mulieres. Verùm fœminas ſic affectas triplici remediorum genere curare oportet. Primo præmiſſa humorum cuiuſlibet naturæ ſint, præparatione, ea nimirum quæ extenuatione perficitur: ſecundo purgatione per vtranque aluum pharmaco conuenienti facta: tertio medicamentis quæ vires habeant conterendi ac diſcutiendi, quod ex humoribus poſt purgationem ſupereſt.

De humorum extenuatione. Extenuationi igitur humorũ tantùm innititur Gal. cõm. citato, vt tenues etiã humores, adhuc bilioſos, extenuari iubeat, cùm illud primo acceſſu non videatur admodùm neceſſariũ, ſiquidem ipſi citra maiorẽ extenuationem per vterũ fluere aſſueſcũt. Sed quòd pituita craſſa, ac melancholia attenuatione indigeãt, priùs quàm poſsint alacriter educi, omnes fatentur. Idem etiam eſt de flaua bile iudiciũ, etiam ſi ſanguine tenuior, fluxibiliorq; exiſtat. Quippe non eâdem facilitate bilis per anguſtas hepatis vias à medicamẽto educetur, qua à natura per manifeſta vteri, aut hæmorrhoydum ora expurgatur. Quamobrem antequã illuc deuehatur, attenuatione maiore indigebit, quàm dum per vterũ ſolùm expurgare nitimur, ſiquidem flaua bilis præcociter ſanguinem menſtruũ per vterum ſeducit ſine extenuantis adminiculo. At dum aliò purgare ipſum humorẽ eſt in animo, vlteriùs extenuare oportet. Idem eſt de melancholia. Cũ hoc tamen pituitæ aliquando ſola concoctio ſufficit, quòd concocta in bonum ſanguinem ſæpe trãſmigret, ſaltẽ attenuata ſanguinem menſtruum non impedit, & cum eo decedit. Verùm cautè hic obſeruare oportet, ne pro extenuantibus, vehementer menſtrua prouocantibus vtamur: nã ſubinde & hic & alibi plus obſunt, quàm proſint: vel quia id quod ſeroſius eſt colliquant tantũ, vel quia multa prouocatione multitudinem anguſtijs vaſorum magis impingunt. Extenuantibus igitur paulatim ac ſenſim primo vteris, qualia ſunt quæ longo nobis vſu & ratione explorata exiſtũt. Quæcunque enim olfactui, guſtui, aut vtrique ſimul acria & mordacia & calida apparent: ea facul-

ea facultatem habere attenuandi, atque inſcindendi certũ eſt. Adhæc, ſi quid olfactui odorem bonum inferens, aromatis ſpeciem guſtui repræſentet: id quoq; calidum viribus eſſe oportet, attenuans, quamuis non perinde, ac ea, quæ mordicant, & rodunt, & inſigniter calida ſunt. Attenuant præterea & inſcindũt, quæ ſaporem habẽt nitroſum, aut ſalſum. Nec minùs, quæ amara ſunt. Item quæ acida, vt acetũ, & quæ ex eo cõſtant. Ex quo patet, attenuantia omnia non calida modo, ſed ſicca etiam facultate eſſe, & tanto magis attenuandi vi pollere, quanto fuerint ſicciora. Et ex ijs ſimiliter, quæ ſicca non ſunt, maturiora alijs minùs maturis, & quæ ſiccis locis proueniunt, & montibus, ijs, quæ in paludibus, & campis creſcunt. Sunt tamen primi inter attenuantia ordinis, allium, cepa, naſturtium, & porrum: quæ proximè accedunt ijs, quæ menſes valenter mouẽt. Poſt illa autem ſmyrnium, pyrethrũ, origanum, calamintha, ſiſymbrium, pulegium, ſatureia, thymus. Quibus ordine proxima ſunt capparis, terebinthi fructus, eruca, ſium, apium, petroſelinum, origanum, raphanus, braſsica, & beta. Quibus (præſertim eis, quæ calida ſunt) decoctis, aut forma ſyruporum confectis vti in extenuandis huius affectus humoribus poteris. Quippe calidiora corpore exiſtente cacochimo, febres, fluxiones, & alios grauiores affectus fœminis accerſire mihi non eſt dubium. Acida verò in eis viranda quoque eſſe conſulit vteri conditio. Qualia autem ſint quæ menſtrua valenter euocent, cap. de prouocatione mẽſium dicta ſunt. Ac ſi eorum aliqua hic repereris: ſcito, mitioribus eſſe admiſcenda, compeſcendaue.

Facta ſufficienter humorum extenuatione, maiore nimirùm, aut minore, prout humoris conditio expoſcere videatur: bilioſis nimirum, mitioribus, temperatioribuſque pharmacis adhibitis, pituitoſis verò, & melancholicis, paulò acrioribus: adminiſtratis etiam potibus & alimentis prædicto vſui idoneis, commodè eo tempore purgationem inſtitues. Cuius initium ſumes à pleniori aliqua purgatione, quæ fiat pituitoſo humore redundante ex agarici infuſo in aqua graminis, cum ſyrupo ex infuſionibus roſarum perſicarum. Item ex infuſione turpeti, in qua diſſoluantur electuarij Indi, vel diapheniconis. ʒ. iij. vel iiij. aut diacatholiconis. ʒ. j. Ex bolis etiam ex agarico cum prædicto diacatholicone, aut ex pilulis maſtichinis, de agarico, alephanginis, aggregatiuis & de hiera, purgationem quoq; inſtitues. Quòd ſi humores bilioſi prævaluerint, eoſdem purgabis infuſo rhabarbari, aut mirobalanorum, aut vtriuſque: ſyrupo etiam ex infuſionibus, manna, caſia fiſtula, & ſimilibus quibus vel rhabarbari, vel myrobalanorũ aliquid admiſcere poteris, vt plenior fiat purgatio. Quam in robuſtioribus fœminis pleniorẽ efficies electuario roſarum Meſues diluto in aqua lactis, vel cichorij, aut pilulis aggregatiuis, vel de rhabarbaro in modica quantitate cum aloë. At ſi melancholicũ ſuecum redundare cognoueris: robuſtas fœminas cõfectione Hamech purgabis, ſed in maiori doſi, ex ea nimirũ quæ ſimpliciſsima cõficitur ſine ſcamonio & colocynthide. Nã reliqua vſu venire ſolet rarò. Purgabis etiã caſia, vel decocto ſenæ, aut ſacharo violarum, vel violis ipſis ſaccharo conditis. Cæterum facta hac purgatione, curabis deinceps paulatim ac ſenſim corpus à vitioſis humoribus expurgare, ita vt ſimul & humores extenues & per epicraſim expurges. Nullam enim præſtantiorem curandi rationem adinuenies in corporibus multo vitioſo ſucco abundantibus, quàm paulatim facta vitioſorũ expurgatione, & ex laudabili nutrimento noua facta refectione. Quibus autem paulatim purgationem moliri poſsis præcedentibus capitibus abundè dictum eſt. Inter vnam tamen & aliam purgationem neceſſe erit extenuãtibus vti, & modico exercitio, atq; clyſteribus, quæ & corpus

De purgatione.

& vterum ipſum purgare poſsint. Quòd ſi ventriculum cauſam eſſe redundantis pituitæ cognoueris, proficuum fore auxilium cenſeo, fœminam bis, ſemelue ad vomitum cogere, vt quod indies ibidem præter naturæ inſtitutum aggregatur, ſtatutis diebus, ante quàm venas irruat, expurgari poſsit. Quod de biliosis etiã ſuccis ſubaudiri non diſplicebit.

De abſumẽdis humorũ reliquijs.

Verùm ſi præmiſsis pleniore & paulatinis vacuationibus, reſidui aliquid adhuc ſupererit, prouidendum eſt omni arte antequàm in maiorẽ molem ſuccreſcat, radicitus extirpare. Cæterùm quia id vel in vtero, vel corpore reliquo, aut in vtriſque vagari compertum eſt: neceſſe quidem erit auxilijs per vtranque partem pugnare. Sic ea, quæ in vniuerſo corpore ſuperſunt, optimè extirpant ſudores vel naturales, vel arte excitati ex decocto pentaphylli, ſpartæ parellæ, radicis chinæ, aut cuiuſuis alterius rei, quæ citra maximam totius corporis turbationem, aut humorum efferueſcentiam id efficere habeant. Verùm quia flaua bilis ægrè tolerat vim auxiliorum ſudores mouentium, balneis aquæ dulcis temperatè calidæ rem agere oportet. Quod ſanè auxilium melancholicis etiam humoribus proficuum eſſe nemo negabit. Omnibus tamẽ vtiliſsima eſt totius corporis mollis, ſed largiuſcula frictio. Vtere etiam adhibebis peſſaria, & ſuffumigia, quæ præcedenti cap. diximus. Verùm vtriſque theriaca mythridatum, aut angelicæ decoctum, præſertim frigidis ſuccis præualentibus opitulabitur. Quòd ſi neque his omnibus affectionem quieſcere compertum fuerit, nihilo tutiùs aut citiùs huic malo opitulaberis, quàm aperta in altero aut ambobus cruribus fontanella. Nam dum membri alicuius, aut totius corporis facto intemperamẽto, hi humores in corpore propagantur, vt expurgantium pharmacorum frequentia & vſu plus læditur: ita hoc ſalubertimo præſidio magis, quod indies aggregatur, ſuſceptat beneficium. Nec diſplicebit membrum primò affectum corroborare ac inungere iuxta diſtemperiei modum.

De albis vteri purgamentis. Cap. XV.

INter pleraſque affectiones, quas fœminæ ratione ſexus miſerè perpetiũtur, ea profectò potiſsima eſt, quæ in vteri purgamentis (ſiue alba ſint, ſiue alterius coloris) ſita, mille accidentibus adiuncta fœminas ipſas creberrimè torquet. Quippe cùm cognouiſſet natura, vterum non ſolùm fuiſſe huic ſexui conceſſum propagandæ prolis gratia, ſed veluti ſentina, vt toti etiam corpori inſeruiret, non modò ſecundùm naturam in menſtruis purgationibus, verum renum more, dum aliquid modum naturæ exuperat, illius quoque vacuationi ſubſeruit. Nam dum vterus aut corpus vniuerſum prauè afficiuntur, & affectui non ſatis eſt menſtrua purgatio, aſſueta per illam partem natura ſe ſe ab humorum iniurijs tuetur. Quod etiam mali perſentiſcit eſſe cauſam, præcauens maius malum, per vterũ quoque excernere nititur: licet ab huiuſmodi excretione affectio hæc non minoris momenti ſuboriatur. Cuius ſanè mali Galen. meminit lib. 3. de ſympthom. cau. cap. 4. Quod proculdubiò, vteri purgamentum appellare libuit, licet vulgus (nec immeritò quidem) albos flores appellet, ſicut alij albas matricis ſuperfluitates, & plerique etiam fluxum muliebrem nũcupent. Eſt quidẽ diuturna, & nõnullis cõtinua, alijs per

per interualla ſuperueniens per vterum diſtillatio ferè indolens, vlcerato iã vtero, dolorificè. Vt ex Gal. colligitur lib. 3. de cau. ſympthom. & 6. de lo. aff. Profluunt autẽ ab vtero purgamenta hac lege à menſtruali purgatione diuerſa, quòd in hac ſanguis ferè ſincerus iuſta menſura, & debito tẽpore prorumpat. At in muliebri fluxu, quod excernitur nunc rubrum, quod non ſanguis, ſed ipſius ſanies exiſtit, vt multi autumant. Vt Hipp. teſtimonium eſt lib. 2. de morb. muli. quo hæc verba refert Ruber fluxus fluit talis, qualis ſanguis victimæ recèns mactatæ, & grumi pellucentes. Cuius ſententiam inſequens Areteus lib. 2. de ſignis & cauſis diuturnorũ cap. 11. inquit: Fluor ſanè ruber, aut albus eſt, ruber quidem ſi ſanguis flauus emanet, & huius ſpecies, vel liuidus, vel niger, vel tenuis, vel craſſus & cõcretus, & grumi. Albus (inquit) vt aqua, aut flauus cũ pallido mixtus, vt bilis craſſus verò, aut ſub tenuis, aut tenuis liquor, & malè olens: albus itẽ vt pus, ſed exquiſitè albus, vt albũ ſerum. Quin etiam gutta cruenta nonnunquam cum pure ſimul effluit. Et ſubdit. Mille aliæ ſunt ſecundùm rationẽ maioris, aut minoris iſtorum mẽt ſpecies. Sed ad penſum rediens cenſeo rubrum fluxum aliquando ſanguinẽ poſſe eſſe, aliquãdo ſanioſum ſanguinem: quorum nullus menſtruam purgationem cõplet, ſed vteri aut corporis eſt purgamentum, citra naturæ ordinem & rationem profluens. Aliquando verò id quod ex vtero profluit, album eſt ac tenue, lactis ſero, aut ptiſanæ cremori perſimile, à pituitoſo ſanguine proueniens, quo corpus abundat, & ſine dolore erumpit, vt ex adducta Aretei ſententia euidenter conſtat. Nũc etiam luteum, aut pallidum eſt, liquidum quoque & aquoſum, à ſeroſo excremento proueniens: ſæpe verò ſubuiride, quo fuliginis colorem imitans, adeoq; acre & erodens, vt quãcunq; partem attigerit, adurat, ac leuiter exulceret, bilis quidẽ amaræ & æruginoſæ ſoboles. Atq; id rurſus tetri, grauiſq; odoris, aliàs nullius eſt. Præter quas omnes fluxus differentias, retulit etiam Hipp. lib. de morb. mul. aliã, nimirũ, cum effluit mulieribus humor quidam albus ſimilis vrinæ aſini, quem fluorem ſequũtur omnia accidentia quæ in malo corporis habitu reperiri aſſolent. Quas ſanè fluxus differentias multis modis Barbari medici depinxerunt, & numeroſa ſobole multiplicarunt, iuxta Eraſiſtrati ſentẽtiam, qui terdecim humorũ differentias enumerauit. Quas ego potiùs ad diuerſos putredinis aut eruptionis modos reducerem, quàm ad humorum prædictam varietatẽ. Eſt tamen potiſsima omniũ differentia, nimirum quoſdam fluere tenues, craſſos alios, plures citra mordacitatem, & qui nullum inferunt læſionis ſenſum, alios verò mordaces & acres ita, vt ſæpe vteri collum erodant. Vnde purum ſanguinẽ fluere contingit: quem à mẽſtrua purgatione ex præcedenti dolore, eroſione, ſanie, ac inordinato fluendi modo ſeiungere neceſſum eſt. Vt Gal. 6. de lo. aff. docere videtur. Cæterùm ſi quis Hippo. lib. 2. de morb. mulie. attento animo legat, reperiet proculdubiò tot eſſe huius fluxus differentias, quot ſunt humorum ſortes ac ideæ, qui fluere poſſunt. Et ſic ex pituitæ craſsitie differentias duas annumerat, ex ſanguine duas alias, ex bile tres. Quas quidẽ ſignis peculiaribus diſtinctas paulò inferiùs reperies. Præter quas fluxus vteri ſpecies alia inſuper viſitur virorũ gonorrheæ perſimilis quæ ex ſeminis vitio aut vbertate profilit: cuius tractationẽ (quod ſimilis ſit virorum gonorrheæ) reperies lib. noſtro de internorum morb. curat. cap. de gonorrhea.

Qualis affectio.

Vtcunque tamen ſit, pertinere hanc affectionẽ ad id genus ſympthomatis certò ſcio, quod ea continet, quæ immodicè excernuntur, vitioſa & præter naturã facta. At qui licet vitium excretionis vtero reduci poſsit: dum verò id contingit ipſo nequaquam affecto, toti corpori affecto communis exiſtit, etiam ſi aliquando

alicui ſingulari particulæ morbus referri poſsit,vt iecori, ſpleni, capiti, aut ventriculo.Morbus tamẽ,à quo proficiſcitur,nullus alius haberi poteſt, quàm aut totius corporis diſtemperies,quæ vitiato temperamento,id in excrementi,aut corrupti humoris naturam cõmutat:aut alicuius mẽbri particularis,cui cõficiendi alimenta munus incumbit,quòd idem vitium humoribus præſtet. A quibus excrementis ſeu vitiatis humoribus laceſsita natura huiuſmodi molitur ſympthoma, vt ſe à maiori malo tueatur,ipſa in vterum tanquam in emunctorium tranſmittente, & ipſo ſeſe ab eis exonerante.Sicut frequentiùs vtero malè affecto cõtingit, quia nequeunte probè conficere proprium alimentum,quod redundat,pellit:vel corrumpente ſibi commiſſum,in multigenam naturam excernit.Quorum ſanè fluxuum,albi ſenioribus fœminis magis proprij ſunt,vt apertè Hippo. refert lib.2.de mor.mul.in initio dicens: Fluxus albus in ſenioribus mulieribus magis fit quàm in iunioribus,fluxus fuluus in vtriſque: fluxus ruber in iunioribus. Licet aliquando quarundam fœminarum ſors contrarium non ſine euidenti damno commonſtret. Quippe iuuenculæ alba diſtillatione ſæpe laborant,quæ ſi virgines ſint, vel contabeſcunt, & ingratè ac morboſè degunt,ſi verò nuptæ,ſteriles fiunt, & viris inſuaues,& ingratæ. Cæterùm ruber aliquando ſenioribus accidere conſpicitur non ſine euidenti damno. Nam facilè in malum corporis habitum, aut aliam ex frigore affectionem prolabuntur:vt in præſagio docebo. Verùm vt rem concludam,cauſas prædictorum fluxuum nuper citato loco videtur Hippocrat.comprehendiſſe dicens:Et ruber quidem fluxus fit in febre, magis autem ex abortu fit,& ex menſium interceptione,cùm concluſi de repente eruperint, fit etiam & ex partu & febribus.Sed has cauſas paulò ſpecialiùs expẽdere oportet,ſi priùs dixero meminiſſe quoque Hippocrat.rubræ cuiuſdam bilis, quam aliquando fluxiſſe comperimus:inquit enim lib.5.pop.referens huius bilis ſpeciem.Bilem multam abunde coloratam vomuit ad tres dies ac noctes,valdeque rubram. Quam ego cenſeo eſſe, quam luteam ex eiuſdem mente inferiùs referam, per vterũ aliquando fluere.

Cauſæ. Cùm à triplici fonte in fœminis hos fluxus oriri,nobis compertum ſit,ab vtero nimirum,ab vniuerſo corpore,& à mẽbro aliquo ex præcipuis: neceſſum ſanè eſt omnium cauſas diligenter ſcrutari.Eſt igitur cauſa,vtcunq; & à quauis parte oriatur,vitioſorum humorum copia,aut malitia,facultatem citra conſuetas leges, modum & inſtitutum ad expulſionem laceſſens,vt ipſa continere eos,complectique renuat,vel præ impotẽtia nequeat.Ex quo procedit nonnunquã continuo fluore fœminas affici,aliquando verò per interualla,nimirum aggregata humoris copia, quæ moleſtare vtcunq; potentiam nata ſit,ac donec aggregatum exiſtat, fluere deſinunt purgamenta,poſtea verò copioſiùs. Quod profectò non ita fit acri profluente materia. Nam etiam ſi puſilla ſit quantitas,ſemper irritat,& ſemper fluit. Quo fit,vt quibuſdam quotidiè,alijs poſt menſium purgationem,nonnullis inter duas purgationes tantùm eueniat.Præcedit autem prædictam cauſam alia nõ minoris momenti,nimirum prædictorum humorum generatio. Quam eſſe in tripli ci differentia comperimus,quippe vterus dum ſolus cauſam huic malo præſtat, id profectò efficit,vel quia proprium alimentum cõmutare non poteſt,vel quia prauè conficit.Ob id quidem tenuia,cruda,vel ſeroſa recrementa excernit,aut pallida,putrida,fæculenta, vel alio deterrimo colore,odoreue affecta.Primũ ſanè vitiũ ex frigido diſtemperamento principium nanciſcitur, atque non vtcunque, ſed veluti connaturali iam ipſi vtero facto,quo inconfectum relinquit alimentum.

Quam

Quam ſanè cauſam Areteum retuliſſe conſtat,qui lib.2.de ſignis & cauſis diuturnorum morborum cap.11.inquit.Eſt autem vuluæ refrigeratio, quamobrem humorum tenax eſſe non poteſt,quin etiam ſanguinem in albidum colorẽ tranſmutat. Vim enim ignis rubificam non habet.Ex quo euidenter conſtat, vterum nõ poſſe ali.Atqui cùm vterus non alatur,trahere nunquam deſinit,ac per conſequẽs,neque expellere.Et ob id duo ſequi vitia neceſſum profectò eſt,vnum aſsiduam hanc expurgationem,alterum,totius corporis extenuationem. Secundum porrò vteri vitium proficiſcitur ex calida vel putredinoſa eiuſdem diſtẽperie, quæ loco optimæ coctionis purgamenta illa fæda prauoq; colore affecta gignit, & expellit.Solet quoque & non minori efficacia vterus huic malo cauſam præſtare,nimirum dum imbecillus factus eſt ob vteri geſtationem,partium contuſionẽ, vel caſuum exteriorum vim:ob contractam etiam eroſionem,vlcuſue ex inflammatione,vel abceſſu relictum,vel ab erodenti humore aliunde tranſmiſſo,ibidem factum.Aut quòd promptè totius corporis vitium alliciat dolore,calore, mordicatione,& morboſa ſenſibilitate perpetua.Quibus etiam cauſis accedit frequentiſsimus coitus.Contingit quoq; non rarò ſingulis menſibus eaſdem humiditates excerni ex menſtruis purgationibus,præter modum in vtero ſemimutatis, vel quòd citiùs euocetur ſanguis ad vterum,vel quòd facilùs quoq; poſt debitum tempus excernatur.Quo fit,vt in pleriſq; fœminis earum,quibus menſtrua debitum tempus non adſeruant,hæc purgamenta prodeant pauco & tenuiori ſanguine admixta,modò ante ſanguinis excretionem irritata natura,modò paulò poſt, quia ante debitum coctioni tempus menſes mouet,& ſic quòd reliquum eſt,crudum tranſmittit.At prædictorum generatio & redundãtia frequentiùs à toto corpore profluit(cauſa alioqui huius mali ſecunda)quòd vel ex alimẽto apto,ob deprauatũ & habituale vitium eos conficiat, vel ab eiſdem aliunde generatis ſeſe per vterum exoneret.Contingit ſanè id vitium corpore prauo temperamẽto affecto,prauiſue cibarijs dedito:quippe his duabus de cauſis ſcatere prauis humoribus corpus contingit,à quibus natura totius irritata,vel fortaſſe impotens ad retinendum facta, eoſdem aut expellit,aut diffluere per vterum permittit, tanquam per commune corporis emunctorium.Nam qua ratione id,quod ex optimo ſanguine abundat, fœmina exiſtente ſana,per eam partem ex naturæ inſtituto expellit:eadem prorſus quod vitioſum perſentiſcit,per eandem partem ex conſuetudine & loci commoditate excernere conatur.Quod ſanè fieri vel vitio expellentis facultatis irritatæ,vel retinentis languidæ nulli eſſe dubium arbitror. Proficiſcuntur autem hæc omnia vitia,vel ex vitioſo temperamento ob calorem,vel ex frigida & humida diſtemperie,quæ retinentem facultatem laxet,ac emolliat. Sic quoque hos humores redundare in vtero,vel in toto corpore cognoſcimus,iecoris,ſplenis,ventriculi,veſicæ,aut capitis vitio(in quibus tertiam huius mali cauſam ſitam eſſe arbitror) Quæ ſanè membra dum hoc modo affecta exiſtunt,cùm de munere habeant humores toti corpori conficere,aut purgare:facilè ſi præter naturam exiſtant, vitioſos gignunt:quos aut toti corpori,aut vtero mãdant.Itaque ſi quis ſedulà diligentia intueatur quæ mox diximus,reperiet humorum vitioſorũ redundantiam eſſe huius affectus immediatã cauſam,horũ quidẽ vel ab vniuerſo corpore, vel vtero vel mẽbro aliquo peculiare.At membra hæc eſſe affecta,vt hos humores gignant connaturales, efficere,habituales ferè & factas diſtemperies,nulli eſſe dubitatum reor,calidam quidem,quæ bilioſa excrementa,frigidam,quæ pituitoſa,tenuia aut fluida efficiãt,vel aliter deprauata putredinoſaue,quæ nitroſos,ſalſos,acres,& quo

modolibet vitiatos humores gignere habeat,siue calida,siue frigida exiſtat. Quibus in corpore redundantibus,rationi conſonum videtur naturam gliſcere ad expulſionem, aut omnino retentionem renuere. Quo fit,vt per conſuetum emunctorium tranſmittat concitetque huiuſmodi fluxionem. Areteus tamen loco citato,eum fluxum ex prædictis,fœminis eſſe deteriorem cenſet,qui liuidus eſt,cruentus,aut fœtidus,quàm pallidus,albus,& purulentus.

De dignoſcendis affectu, cauſa & parte.

Multa profectò ſunt in hac in affectione, quæ maiori ac perſpicaciori diſtinctione,quàm vulgus exiſtimet,opus habent. Quippe affectus natura,pars, quæ affectus præſtat principium,ea item,quæ affectui in vtero conſentit:nam & vterus,& eius collum ſeorſum affici ſolent:& morbus,à quo vitium principium ſortitur, ac vltimò humoris profluentis conditio: diuerſam inter ſe notitiæ rationẽ & præſtãt & requirunt. Affectus quidẽ ad verã medendi rationẽ, à principio inſtituendã ſui notitiã exigit:pars affecta ad auxilij modũ,menſurã,& adhibendi rationẽ: morbus porrò ad curationem, vt qui vicem cauſæ (ſine cuius ablatione ſympthoma auferri nequit)in ſympthomatum curatione gerat,ſi mitigandi ars nõ ſufficit. Humoris verò cõditio veram medicamentorum materiam,& auxiliorum ideam perſcribit. Quamobrem horum omnium prouidẽtiam à principio ediſcere cõuenit. Docet quidem Hippo.lib.de natu.mulie.huius affectionis conditionem per hæc verba. Cùm fluxus albus obortus fuerit, velut vrina aſinina apparet,& dolor imum ventrem habet,& lumbos & lateris mollitudinem,& tumores ſunt crurum ac manuum,& caua eleuantur,& oculi humidi ſunt,& color arquatus & albus fit,& cùm iter facit,anhelat. Item Areteus lib.2. de ſignis & cauſis diutur. cap. 11. huiuſmodi fluxum à menſtruali diſtinguit, & noſſe docet ex lege, ac modo periodicationis, commoſtrans periodicationem habere triplicem, alteram, quæ ſtatuto tempore reuertitur,cæterùm diu durat:ſecundam,quæ certum diem reditus etiam ſi intermittat,non ſeruat,ſed bis terue in menſe regreditur: tertiam verò,quæ indeſinẽs eſt,licèt paulatim fiat defluxus. Sed antequàm vltra pergam ex quibus affectus cõſtet,monſtrabo.

Primùm itaque,eum dignoſces ex ipſis purgamentis,quæ longè diuerſa ſunt ab ipſa menſium purgatione,colore,ſubſtantia, odore, & profluendi tempore, ac ordine,quæ ita his conditionibus à menſtruo diſident, vt nullus id ignorare poſsit. Quippe in menſtrua purgatione ſincerus ſanguis prodit, in hac verò fluxus corruptus apparet,diuerſorum tamen colorum pro humoris redundantis idea. Præter quàm quòd huiuſmodi purgamenta imbecillitatem haud leuem fœminis ſic affectis inferre ſolent,decolorationem item,inappetẽtiam,maciem,implacatum mœrorem,pedum tumorem, difficilem reſpirationem, vel leuiſsimo facto exercitio, & reliqua etiam,quæ ex Hipp:mox retulimus. Aperit item hæc affectio os vteri, & laxat ita, vt frequenter ipſum excidere contingat. Redduntur quoque huiuſmodi fœminæ hoc malo ſibi & viris ingratæ, & implacidæ: quibus accedit vterum exulcerari, vel admixta flaua bile, vel ſeroſo excremento & alijs, quibus purgamenta acrimoniã acquirunt,ita vt dolorem & moleſtiam,non paruam inferant. Quapropter quibuſdam purgamenta hæc cum vteri vlcere accidunt, alijs verò citra ipſum quod diſtingues ex conſiſtentia excrementorum. Nam dum vlcus præeſt,pus excernitur craſsius,fœtidius,& magis album. A ſanie etiam ac dolore:quibus accedit, quòd fœminæ, quæ vlcus in vtero habent, maximè ſi in collo ſit, viri congreſſum non patiuntur, aut ſaltem ab eodem irritentur maximè, ac dolitent,quod etiam licet ex quantitate excrementorum colligere. Maior etenim copia ſeroſæ ſubſtantiæ

tiæ emittitur,quàm puris, præter quàm quòd quæ vlcus non habent,licet viri congreſſu non delectentur,minimè tamen offenduntur. Hæc proculdubio ſunt,quibus affectus in genere cuiuis facilè innoteſcet,ſi rem diligentiùs penſitet.

Verùm dum ex totius corporis vitio eum proficiſci contingit,vel ex eo cognoſces,quòd mox vniuerſum corpus grauari perſenties:præſertim ſi abundantia cauſam præſtiterit:quo tempore citra aliquem laborem fœminam grauatiua laſsitudine premi,& veluti confrangi videbis:à qua leuatur copia recrementorũ excreta: & rurſus iterum grauari incipit,donec denuò aliquid expellat. Quod etiam dignoſces ex venarum plenitudine,& tenſione,ac ex pedum torpore,manuũ,ac crurũ. Prætereà fœminæ, quibus ob humoris vitium & acrimoniam malum ſuccreſcit, vlceroſam perſentiſcunt laſsitudinem, ac pruritum & mordacitatem non leuem in vniuerſo corpore: à quibus ſimiliter per aliquod tempus leuamen ſuſceptant, excretis nimirum per vterum purgamentis. Apparet etiam in toto corpore calor, & accidentia quoque in eodem ſubſequuntur, qualia hæc humoris natura producere ſolet. Quippe melancholica cacochimia, mœſtitiam, terrores, taciturnitatẽ,& alia id genus inferre habet:bilis iraſci pronam,amarulentam,anxiam, ſitibundam, & inquietam mille modis reddit fœminam: ſicut ſomnolentam & pigram, pituita. Quorum excrementorum excretione, ſubſidebunt quodammodo prædicta accidentia,& coloratior,alacriorque euadet fœmina.

Quòd ſi ex iecore,ventriculo,vel quouis alio viſcere,affectio ſuboriatur,peculiaria cuiuſuis membri ſympthomata,id facilè monſtrabunt, & excrementa cuique propria:etenim iecoris dolor,calor, & tumor cum excrementis bilioſis, maximè percepta in excretione & parum ante ipſam moleſtia, facilè iecur eſſe affectum monſtrabunt. Pituitoſa item recrementa, in appetentia, aut aliquando ingens fames,frequens ciborum in ventre corruptio,acida præſertim,& ructus crebri, certiſsima ſunt ventriculi affecti indicia. Verùm ſi hæc omnia defuerint, & lumborum,ac partium circa veſicam moleſtiam,& leuem quẽdam doloris modum, ſeu confractionem fœmina perſenſerit,& neque citra ipſam quicquam leuata fuerit, ſignum proculdubio eſt,conſenſum ex veſica,& vicinis vtero partibus demandari,præſertim ſi his ſignis acceſſerit vrina alba,aut craſſa,vel mucorib⁹ plena. Quòd ſi caput grauari,dorſum dolere,& totum corpus confractum eſſe contingat, præſertim cum ſuppreſsione eorum,quæ per os & nares excernũtur, certò conijcies, caput eſſe affectum,eo magis ſi his omnibus excrementis,quæ per vterum excernuntur,acceſſerit ſpuma.

Vterum porrò eſſe affectum euidenter monſtrabit prædictorum ſignorum defectus,& eorum omnium quæ præceſſerunt,notitia,ac rurſus peculiaria vteri ſympthomata:item fœmina plerunq; boni apparet coloris, ac nihil aliud, præter leuẽ quandam imbecillitatem perſentit. Præceſsit etiam difficilis partus,ictus,caſus ſupra vterum,aut dorſum vel partes vicinas,vlcus,aut tumor præter naturam in ipſo vtero, medicamentum aliquod graue ex vterinis intus aut extra adhibitum. Adeſt quoque ſenſus manifeſtus intemperamenti calidioris,aut frigidioris,& rurſus immodica ſuppreſsio,vel nimia menſtruorũ profuſio,aut alia vterina accidentia,quæ ipſum eſſe affectum euidenter monſtrant.

Qualem verò humorem natura ab vtero,aut toto corpore,vel quouis eius peculiari membro expurget; facilè diſces, ſi exactè penſitaueris ea quæ excernuntur frequentiùs ſeroſa eſſe,quandoq; bilis ſerum & icorem referre, aliquando pituitam,& ſæpiſsimè ſanguinis naturam æmulari,rarò quidem melancholiam. Fului etiam

etiam cuiuſdam fluxus Hippoc. meminiſſe conſtat lib. 2. de morb. mulie. per hæc verba: Fluxus fuluus fluit, velut ex ouo vitioſo, multus & graueolens. Quem ſanè aliquando ad rubrum accedere comperimus: cuius ſigna adducens Hippocra. eadem parte, inquit. Vteri inflammantur, & dolor ex lumbis & inguinibus emergit, & prodeuntia multa ſunt. Et paulò inferiùs ait. Riget enim, & veluti à carnibus aſſatis humor defluit, & cùm his ſimul febres fortes, ac rigores fiunt. Ex huiuſmodi verò fluxibus multæ pereunt, & paucæ effugiũt. Cuius ſanè naturæ differentiam aliam annumerat quoque idem Hippocrat. loco nuper citato, dicens: Purgatur velut ex ouo crudo luteum, ſubalbidum, & vlcerat pudendum, & tument pedes ac tibiæ, & cauæ oculorum partes obtumeſcũt, & oculi humidi, ac lacrymoſi ſunt, & ſi iter faciat, anhelatio ipſam corripit, & debilitas oboritur. Qua proculdubiò ſententia conſtat, huiuſmodi fluxum originem trahere ex ea vitellinæ bilis ſpecie, quam Barbari fieri per bilis & pituitæ admixtionem referunt: quod verè exprimunt ſequentia authoris verba. Si verò euaſerit, morbus pituitoſus fuerit, & ſi non purgata fuerit, febricitat, bile vehementer commota: & ſubdit. Cùm ſic habuerit, ſiquidem vehementer intumuerit, pharmacum deorſum purgans bibendum dato, quod bilem & pituitam purgat. Quibus verbis, & ijs, quæ in contextus ſerie ſequuntur, euidenter conſtare arbitror, hac in parte Hippocrat. meminiſſe eius bilis ſpeciei, quam nuper diximus. Quod euidentiùs adhuc conſtat: nam bilis vitellinæ per aſſationem genitæ apertè reminiſcitur paulò inferiùs dicens: Fluit ſubluteum, velut ex ouo, & viſcoſum, & venter imus intumeſcit; ac durus fit: & ſi contingas, dolet, & dentibus ſtrider, & febris occupat, & dolor ad pubem, & ad pudenda, & ad imum ventrem, & ad lumbos irruit, & animi deliquium, & anxietas, & perfrigerationes, & ſudor multus, & pulſus ad manũ accelerantes, debiles, deficientes, & ſtatim pereunt. Quæ ſanè omnia ſi quis attento animo conſideret, conijciet facilè hæc accidentia eſſe ex bile vitellina: cuius nuper meminimus. Refert præterea eâdem parte, aliam bilioſi fluxus ſpeciem, dicens: Purgatur à carnibus aſſatis humor, & pudendum exulcerat, & ad quancunque corporis partem diſtillarit, rigor & febris acuta, magna, & ſimul horror occupat. Dolores autem quales in omnibus fluxibus. Hæc tota intumeſcit, & circa vmbilicum, color fit morbi arquati: talis autem fluxus ex hoc fit. Poſtquam ſanguis exhauſtus ſubbilioſus factus erit, & non fuerit purgatus. Ex quibus conſtat, quales ſint fluxuum bilioſorum differentiæ, & quibus ſignis liceat eos diſtinguere, vt iuxta cuiuſq; naturam auxiliorum materiam adhibere poſsimus. Quippe facilè noſces, cuius naturæ fluxus ſit ex colore excrementi, ex corporis conditione, & vita præcedenti: nam omnibus ex bile color flauus & pallidus ineſt, in quibus perſentitur acrimonia, & alia accidentia ſubſunt, quæ nuper ex Hippo. mente retulimus. Quòd ſi à pituita affectio ſuboriatur, color effloreſcit in corpore albus, & magna quantitas per vterum defluit, ſed quæ fluunt, minùs acria exiſtũt. Fœminæ etiã otioſæ ſunt, pingues, & deſides. Albæ quoq; fluxionis meminit Hippo. lib. 2. de morb. mul. dicens: Fluxus albus fluit, veluti alba aſini vrina, & in facie ſunt tumores albi, & partes albæ ſub oculis tument, & hydropiformes, ac non valde bona ſpecie prædiți ſunt oculi, & ſplendor abeſt, & lacrymoſi ſunt oculi, ac hebetes, & color corporis exalbidus, ac puſtuloſus, & venter imus tumidus, & in maxillis puſtulæ paulatim rubentes, paruæ aquoſæ, ac malignæ. Et in cruribus tumores laxi, & ſi preſſeris digito, notæ imprimuntur, veluti in fermento. Et os ſaliua impletur, ſtomachi morſus percipiunt cùm ieiunæ fuerint, aut etiam vo-

vomuerint velut acidam aquam, & ſi ad accliuẽm locum procedunt, anhelatio totius corripit, & ſtrangulatio, & crurũ perfrigeratio, & genuũ impotentia, & in ore vlcera feruida ac ſuperficiaria: & vterus præter rationem aperitur, & oſculum procedit graue velut plumbum. Tandem alia multa recenſet, quibus & prædictis faciè eius cognitionem ac præſagium quis ediſcere poterit. Alterius quoque albi fluxus ſpeciei meminit eâdem parte, dicens: Defluit multum velut vrina ouila: & ſubdens ſigna, inquit. Color eſt albus, & tota intumeſcit, & in tibijs eminẽtiæ laxæ, & rubicundæ emergunt. Quibus conſtat, duplicem conſtituiſſe albarum fluxionum differentiam. Cuius vnamquãque ſpeciem eâdem parte curare diſtincta methodo apertè docet. Sanguine etiam in fœminis redundante, ipſi perſimiles profluũt purgationes: aliquãdo quidem fœminis vtero gerentibus per vteri ceruicis venas inſtillans: nonnunquam verò menſibus ſuppreſsis: tunc etenim frequenter natura loco menſium, ſeroſum excremẽtum reddit, quod planè rubeſcit & tale eſt, qualis eſſet aqua pauco ſanguini admixta. Cui conſimilem fluxum adduxit Hippocr. lib. 2. de morb. mulie. & alios etiam plures dicens: Ruber fluxus fluit talis, qualis ſanguis victimæ recèns mactatæ, & grumi pellucentes: aliquando etiam rubrum fluxum emittit: ac ſubdens eius ſigna, & vt à menſtrua purgatione diſtinguat, inquit. Et venter imus attollitur, & attenuatur, & impotens fit, & indureſcit, & ad contactum dolet velut vlcere præſente, & febris habet, & dentium fremitus, & dolor, ad ipſa pudenda, & pubem, & lateris mollitudinem, & lumbos, & tendinẽ, & ventrẽ, & pectus, & ſcapulas irruit: refertque id malũ proficiſci ex laborioſo partu. Et paulò inferiùs rubri fluxus meminit longè diuerſis verbis à præcedentibus. Præter quas omnes fluxus differentias, alias quoque aperta oratione Ætius monſtrare videtur lib. 4. ſerm. 4. cap. 63. quo loco inquit. Si obſcurum colorem habeant huiuſmodi excrementa, cauſam ita ſcrutari oportet. Linteum coinquinatum arefactum ſimplici aqua eluemus, & inde à maculæ colore redundantis humoris notionem capiemus. Quod cenſeo ab Hipp. accepiſſe lib. de natu. mulie. & lib. 1. de morb. mulie. qui hac probatione certiores poſſe fieri ex humore pecãte apertiſsimè profert.

Seſe offert in vltima parte notitia ſignorum ſeminis profuſi, quæ affinis eſt pituitoſo fluxui: quam proculdubio fœminas non rarò ſicut & viros exercere ſcimus, vt paulò inferiùs probabo. Eſt tamen fœminarum ſemẽ crudius, quod à vaſis ſeminarijs, non ab vteri ſinu in eius ceruicem, citra vllam veneris voluptatem, profluit: non tamen aſsiduè, neque quotidiè, vt in vteri fluore, ſed per quædam interualla, citra vllum etiam fœtorem, aut virulentiam. Cui porrò fluxionis ſorti accedit virulentum quoddam ſeminis profluuium, quod contagioſa, impuraq; venus progignit. In quo quidem ſemen craſsius, interim album, interdum flauum, aut viride, odore fœtidum, acre, & erodens excernitur: non autem aſsiduè, vt in vteri fluore, idque rarò citra pudendarum partium vlcus infeſtare deprehenditur. Diſtinguitur maximè hæc ſeminis profuſio à muliebri profluuio, quòd ipſa non ab vtero, vt hoc, ſed à ſeminarijs vaſis prodeat: at hæc diminantibus adhuc menſibus non deſinit, ſed ſimul cum eis, & poſteà perſeuerat: muliebre autem profluuium ceſſat, quando mẽſtrua feruntur, & breui interuallo poſt illa: præterquã quòd prædicta ſeminis profuſio ſemper ſibi habet coniuncta morbi Gallici ſigna, niſi in virginibus, ſi quando is fluxus accidat.

His habitis, quæ cognitioni affectus proficua ſunt, memoriæ te quoque tenere oportet, grauem eſſe & periculo plenũ huiuſmodi affectum. Quippe qui ingratas viris

Præſagiũ.

viris efficit fœminas tædiosas,steriles,& vterum etiam exulcerat,procidereque cogit,corpus contabefacit,iecur & membra nutrimentalia deijcit, adeò vt sæpe in hydropem degeneret:& tandem miserrimis accidentibus, melancholia, mœstitia,& animi deliquio premat,ac mortem non rarò afferat.Consideratione quoq; dignum est, hanc affectionem omnibus fœminarum ætatibus accidere posse:virgines etenim corripit,sicut & eas quæ virum iam gustarunt:licet Montanus contrarium videatur asserere,innitens Hipp.decreto lib.de morb.mul.qui ex professo refert,eas quæ peperierunt esse huic affectioni promptiores,& mox eas quæ corruptæ sunt:cum hoc tamen non negat idem author virginibus posse accidere,sed rariùs id esse propter venarum ineptitudinem,quæ in reliquis fœminis veluti concausa huic fluxioni existit: qua quidem aptitudine incorruptæ carere videntur. Præter quam quòd omnibus fœminis ex semine potest hic fluxus cõcitari,vt cap. de gonorrhea reperies.Quapropter hac in parte supersedeo,solùm in memoriam reuocans,fœminas salaces huic morbo promptiores existere,sicut eas, quibus præ humiditate vasa spermatica laxa fiunt,ac semen aquosius.Quibus vltimis citra salacem conditionem accidere optimè potest:quinimò hæ neque viris gaudent,neque viri concubitum desiderant,neq; vllam persentiunt semine excreto delectationem.Præterea expendendum est hac in parte id,quod Aretæus lib.2. de signis & causis morb.cap.12.refert,existimans eum fluxum ex prædictis deteriorẽ esse fœminis,qui liuidus est,& cruẽtus,aut fœtidus,quã qui pallidus stetetit, albꝰ, aut purulentus:inquit enim.Quin etiã ex ipsis minus noxij sunt vsitati,sed re vera,senioribus infestiores sunt rubri fluxus,minimè autẽ puellis, quibus magis albi nocent:albi enim si malè oleant,pessimi sunt.Nec prætereundum est hac in parte,nõ paucas esse fœminas senio iam confectas,quibus sanguis per vterum instillat: quæ sanè existimant sibi adhuc menstrua durare(vt ætatem simulent) quas velim intelligere rubra hæc purgamenta potiùs esse ex vteri,vel totius corporis vitio vel iecoris nimium sanguifici,quàm ex naturali & consueta sanguinis copia.In summa vereri oportet ex diuturno fluxu marcorem,malum corporis habitum, pessima & diuturna vteri vlcera, mœstitiam, & pleraque alia mala quæ ex diuturnis fluxibus subsequi solent, & non rarò sterilitatem,licet Hippocrat.lib.4.popu. text. 51. referat, ex albo fluxu fœmellam, & ex rubro filium fœminas peperisse: inquit enim.Alia albis fœmellam peperit, alia rubris vt parerat. Quamobrem diffidendum non est sic affectas concipere posse, etiam si quod dictum est, frequentiùs accidat.

Curandi ratio.

Omnium sanè fluxionum hæc est peculiaris conditio,vt periculosam habeant vtramq; immoderantiam,siue in ea plurimũ,siue nihil effundatur.Si enim semen exire immoretur,non quosuis morbos oriri conspicies, sed difficillimos quidem & periculosissimos:quia ex separato excremento, quod natura ad fluxus locum destinarat,talia concitari solent:mixta etenim cum sanguine excrementa, mitiores & securiores pariunt effectus.Sic dum assuetudo fluxus acquiritur, habitũ efficit morbis summè obnoxium.Est tamen hoc discrimen inter hæc duo affectionum genera,quòd ex vacuatione immodica, frequentiùs morbos frigidi ac sicci intemperamenti oriri est necessum:vacuato namque spiritu,quem necesse subinde est cum fluxu abire,refrigescit corpus & contabescit naturali humido & calore deficientibus, etiamsi aliquando tumeat,& humectetur ex accidenti,frustrata nimirum coctione.Ex retentione verò,compositionis affectus,vt tumores,obstructiones,& vlcera fieri proculdubio oportet.Præterquã quòd ex vacuatione morbi prodeun-

prodeuntes,corpus perdunt: ex retentione quidem vterum primariò infestant: quod Hippocra.optimè.5.apho.docuerat,dicens.Ex retentione, morbi vtero contingunt.Quapropter summa diligentia curandum est,ne aut fluere nimis, aut nõ fluere permittamus,plus minusue,quàm fœminæ ex vsu sit.Præmittenda igitur in omni fluxu debita viuendi institutio est,quæ vt Hippocra.refert.lib.de natu.mul. cibis constet quasi siccissimis,& tenuis,astringentisque substantiæ. Bibat aquam ferratam per se,vel eam,in qua aurum sæpiùs ignitum extinguatur, aut cum syrupo citoniorum,granatorumue,& si vires imbecilles steterint,paucum vinum porriges,crassum & austerum.Edat item pyra austera,pruna,& cætera fluxui menstruo imperata.Qua etiam in re vitare oportet vinum tenue,& præcalidum, nisi virium gratia modicum aqua pluuiali nimis dilutum porrigere necessum fuerit. Qua victus institutione præmissa,triplex erit in hoc affectu curandi ratio: prima quidem, à toto corpore, vel à membro aliquo peculiari indicatione sumpta,si ab his malum originem traxerit.Secunda, ab humoris seu recrementi fluentis natura . Tertia vero & vltima,ab vtero ipso, modò per primogeneam affectionem laboret,modò affectui alterius partis consentiat.Docet autem vniuersam medendi rationem huic affectui proficuam Hipp.lib.2.de morb.mul.in principio:quam sanè plurimùm esse expendendam arbitror:& ob id ad eius pensum hanc nostram conati sumus instituere.

Si fluxui totum corpus consentiat.

Corpori itaque vniuerso huic affectioni consentienti (vt latissimè etiam lib. nostro de auxiliorum indicatione diximus) prouidendum proculdubio est tribus modis . Vno quidem, euacuato humore, qui exuperat: alio, distracto longè à parte, per quam assuescit fluere:tertio verò per ea auxilia , quæ residuum humoris conterant , & corpus roborent, ne amplius eos humores gignat,ac vterum quoque, ne eosdem deinceps recipiat . Quapropter in memoriam reuocare oportet quæ lib. nuper citato diximus, & huc transferre: quippe prima indicatio docet humorem , quo corpus supra modum abundat, imminuere : ne nobis accidat quod vxori Boëti Galen. libro de præcognitione ad Posthumum accidisse refert: cui adhibitis topicis auxilijs nulla habita corporis prouidentia, viscerum tumorem succreuisse profert,ac ob id nihil profecisse auxilia. Quamobrem initio sumpto ab humorum redundantium vacuatione (ne exteriùs adhibita auxilia intro ad viscera vitiosos succos pellant, & maioris fluxus, aut maioris mali causam præstent) primò expendes toto animo qualis sit humoris redundantis natura , vt antequam aliud moliaris opus , maiorem humorum partem educas , vena quidem scissa, si sanguinem redundare cognoueris. Quippe in rubro fluxu, vel si ex mensium suppressione accidat affectio , à sanguinis missione principium curationis auspicari oportet: idque ex venis brachiorum medijs,quantum fœminam tolerare posse cognoueris: vel si mauis,internam cubiti venam seca.Quòd si Ætio credere velimus,secta frontis aut narium, vel scapulis scarificatis maximum fit præsidium,vt longe à parte per quam fluxus fit,sanguis distrahatur, quod si vsu venerit,per partitas vices & interualla id fieri tutiùs censeo.Dimitto consultò hac in parte eam.Hippo.curationem,quam lib.de mor.mu. his fluxibus ascribit:nam suspecta mihi quodammodo videtur,& diuersa quidem ab ea,quam in principio lib.2.adduxisse diximus.Tandem sanguine misso,ea medicamenta adhibebis,quæ â serosis recremẽtis sanguinẽ expurgare nata sint,quippe hoc sanguinis vitium censemus,non mediocrem esse fluxionis causam.Quẽ sanè vsum præstat hiera Gal.& casia cũ pulueribus myrobalanorum citrinorum, vel

rhabarbari:item ſerum lactis cũ modico rhabarbaro:cõfectio Hamech ſine ſcammonio & colocynthide cũ eodem rhabarbaro:ſyrupus etiam de roſis Hiſpanis ex nouem infuſionibus confectus,additis in vltima infuſione pro quaque eius libra ʒ.iiij.rhabarbari.Cui conſimilem vſum præſtabit ſyrupus cichorij compoſitus cũ ſero lactis.Confert etiam modicum conſeruæ roſarum cum rhabarbaro exhibitũ, vel ſi profuſio fuerit maxima,eandem conſeruam cum granis tribus aut quatuor maſtichis porriges.

Quòd ſi alterius ſortis fluxus ſit,inſequens Hipp. præceptum,bilioſis quæ bilem, pituitoſis quæ pituitam expurgent præbeto.Verum quia(vt ſuperiùs dictum eſt) bilioſi fluxus non vnica eſt ſpecies,ſed multiplex:conſideratione dignum eſſe exiſtimo,medicamenta eſſe aut miſcenda,aut temperanda,aut aliter miteſcẽda,iuxta humoris fluentis ideam.Nam ſic Hippoc.loco ſæpiùs citato de morb.mul.ad vitellinam bilem ex pituitæ permixtione pharmaca admixta ex ijs, quæ pituitã & bilem purgant,porrigit. Sic quò bilioſior fuerit fluxus,eò magis oportet humorẽ attemperare,ac diligenter prouidere, ne fluat,& ſi fluxerit, ne vterum mordeat, exulceretue,ac per conſequens magis humores ad ſe alliciat: aliquando per vteri nos clyſteres ex mucillaginibus ac lenientibus pharmacis confectos,id præcauendo:adhibitis etiam alimentis, ſyrupis & potionibus,quorũ abundè meminimus cap. de menſtruo fluore.Tandem facta cuiuſuis humoris purgatione,vt vires permittere viſum fuerit,paulatinis purgationibus humorum reliquias cõterere opus erit: nam dum corpus vniuerſum alicui affectioni conſenſerit, difficile quidem erit tantam ſimul efficere purgationem,quæ cauſæ magnitudini reſpondeat, nequit enim id citra noxam humanum corpus perferre: ob id ſenſim & paulatim quod à purgatione ſupereſt, conſumere tutius eſt. Sic flauæ bilis reliquias conteres frequenter exhibito rhabarbari infuſo, aut decocto largiori corticum myrobalanorum citrinorum: ſyrupo violarum ex infuſionibus cum decocto foliorum ſenæ. Huic etiam vſui pilulas conficies,quas plurimum profuturas cenſeo, quæ recipiunt quidem rhabarbari electi frequentiſsimè irrorati ſucco roſarum. ʒ. ij. myrobalanorum citrinorum, chebulorum, & Indorum infuſorum in ſucco roſarum.ana. ʒ.j. maſtichis. ℈.j.ſpicæ. ℈.ß. cum ſyrupo ex infuſionibus fiant pilulæ: quibus aliquando addi poſſunt myrrha & crocus. Interim tamen dũ hæc exhibes,& antequam purgationem moliaris, in interuallo nimirum, humores frænare oportet, ac apozematis eorum acrimoniam retundere. Verùm ſi neq; his, neque optima victus inſtitutione affectus adhuc quieuerit: ſtudendum eſt omni arte affectum per defluxum humoris ad aliam partem curare, quod promiſerat ſecunda intentio: natura nempe à fluxu diſſuета, ac humoribus ipſis aliò euocatis. Qui etenim humores cùm vitioſi ſint, verendum eſt, ne quocunque ierint,niſi excernantur,malum efficiant. Quapropter non ſolũ eis diuerſionum generibus, quæ tantùm humores aliò transferant,eris contẽtus:ſed in eo opere diuerſionem cum euacuatione coniunges,vt ſimul & reliquias conteras, & fluxum aliò trãsferas.Ob id facto diuerſionis principio,à mollibus totius corporis frictionibus,exercitio,vinculis,cucurbitulis paruis & frequentioribus,ſummopere confert naturalium balneorum vſus,præſertim ſulphureorum. Quem quoque vſum præſtat ſudoris puocatio,ſi humor bilioſus & acris fuerit,aqua tepida,ſin aliter ex ligni guayaci,aut ſpartæ parellæ decocto,vel radicis chinæ,quod vtilius eſſe arbitror.Verùm ſi fœmina ſudare renuerit,incredibili efficacia proderit ex prædictis decoctis ſyrupus confectus,noctu ante ſomnum exhibitus.Priùs tamen quàm

id

id moliaris in rubro & bilioſo fluxu & in alijs,qui mordaces exiſtunt, potionibus vtendum eſt quæ humores retundant. Sunt proculdubio huic vſui proficua,lac, ptiſana,aqua hordei, aut portulacæ,& ſeminum frigidorum expreſsiones: ſed lac maioris eſt commodi, præſertim cùm eius meminerit in gratiam huius affectus Hippocrat.lib.2.de morb.mul.iubens lac calidum de vacca ſic affectis exhiberi. Præſtat item eundem vſum lac aſinæ,& ſerum. In quo etiam affectu lactis vſum commendat Hippocrat.lib.de natu.mul.dicens: Poſtquam autem infra purgata fuerit,bubulum lac bibat ad dies quadraginta ſi poterit meracum, ſubdiu per noctem expoſitum, quarta aquæ parte admixta,veſperi verò,vbi ebibat, alicam forbeat: vbi autem decem dies fuerint tranſacti,lactis & aquæ decimã partem extra hito. Quantum autem detraxeris,tantum tepidi recentis mulcti portionem additam bibat. Qua ſententia conſtat, qua lege proſit noſtro vſui lac, vt Ætium quoque conſuluiſſe legimus. Præterea ad vrinas etiam humorem euocare Galen.præcipit,ac per eaſdem expurgare. Cui vſui propinat aquam,in qua aſſarum & apium ſint decocta.Verùm cùm multa aquoſitas frequenter his purgamentis admiſceatur,iure optimo vſus eſt Galen.ijs quæ aquam ducunt, qualia ſunt decoctum cartami cum polipodio, & calamentho: decoctum item ſambuci, aut ſoldanelæ in parua copia cum modico turpeto, aut agarico. Atque licet alia ſint his validiora,hæc mihi in fœminis ſufficere videntur: à quibus iterum ad ea, quæ paulatim per ventrem & vrinas euocant,deuenies. Quippe bile redundante maximi eſſe momenti cenſeo ſummo manè ſumere. ʒ. iiij.eius decocti, quod recipit cichorij, ſcariolæ,lupulorum,fumariæ,borraginis,ana.m.j.paſſularum, & prunorum.ana.ʒ.j.&.ß.foliorum ſenæ,& medullæ cartami.ana.ʒ.j.&.ß. florum cordialium.p.j.aniſi.ʒ.j.quatuor ſeminum frigidorum maiorum.ana.ʒ.j.&.ß.fiat decoctio in ſero caprino,vel in aqua pluuiali:cui facta colatura adde ſucci roſarum lib.ß. ſucci intibi.ʒ.iiij.ſacchari quod ſufficiat,vt fiat apozema: cui iterũ adde ſanthalorum rubrorum.ʒ.j.quod ſi malueris coquere ad formam ſerapij, additis rhabarbari.ʒ.iiij.maximi momenti medicamentum efficies.Monitum tamen hac in parte lectorem velim, ne intrepidè his quæ vrinam mouent, vti audeat, niſi & præmiſsis purgationibus & rariùs,quòd omnia menſes mouere nata ſint,& ob id videantur huic fluxioni quodammodo eſſe aduerſa.Cum hoc tamen,vt ex Galeconſtat,ea quæ propriè vrinas ducunt,mouere menſes nequeunt: quinimo cohibent,quia ſanguinem ſiccant,& craſſant.Quòd ſi eis ad ducendos mẽſes aliquando vtamur,hoc eſt,quia ex accidenti proſunt,quatenus obſtructiones, quæ menſes remorantur,tollunt.Nec valet,ſi quis arguat,vrinas ducentia aquoſum à ſanguine ſeparare, vt Galen.mens eſt,ob idque fiet, vt ad vterum quoque promptè illabatur,ſicut ad renes. Cui dicimus humorem illum aquoſum non delabi ad renes ſua ſponte, ita vt periculum ſit ad vterum quoque poſſe peruenire, ſed potiùs vi maxima & efficacia renum trahitur, & eò magis, quò liquidior ſit: ad vterum verò neque ſponte it, neque vi trahitur, & ob id facilè diureticis medicamentis ad vrinæ inſtrumenta euocari poterit.Quamobrem ſi quis vſum horum medicamentorum exactè diſcat,vt nos lib.de indicationibus docuimus: facilè citra periculum eis vti poterit: cum hoc tamen ſi velimus a Galen. diſſentire non deerit ratio, ſiquidem in hac affectione opus non eſt his quæ ſanguinem craſſent & ſerum ſeparent, quia vt mea mens eſt,diuretica non craſſant vt coagulum,velut Galen.placuit,quia tunc tolerabilior foret eius opinio:ſiſterent tunc quidẽ fluxũ ſeparata & per renes purgata parte tenuiori: ſed ſeparant vretica

propriè dicta craſſum à tenui, quo in hac affectione non ſemper opus habemus niſi cùm generis venoſi & maſſæ ſanguinariæ affectio fit, quod rarò cõtingit: cùm verò membri alicuius affectu oritur, mihi non placuit huiuſmodi auxilium. Interim tamen dum prædicta auxilia exhibemus, ijs, quæ roborent & aſtringant, per interualla vtendum eſt. Cui vſui multis probatum reperio hoc præſidium, quod conſtat ex nucleis granatorum acidorum ſiccatis, & in puluerem redactis, ac obſonijs reſperſis, vel in coctis. Sic & nucleorum inglandis combuſtorum cinis ex vino ſubter inditus, mirè purgationes has ſiſtit. Reliqua verò paulò inferiùs reperies.

Pituita. Quòd ſi pituitoſum humorem, aquoſumue redundare compereris, audacter prædictis & calidioribus auxilijs vti poteris, initio tamen facto à ſufficienti purgatione, & præmiſſis, quæ pituitam ipſam præparent, qualia ſunt mel roſaceum, ſyrupus ſthœcadis, de artemiſia cum oxymellite, & aquis betonicæ, abſynthij, hyſſopi aut decocto aliquo ex prædictis aut conſimilibus herbis: quorum abundè meminimus. cap. de menſium ſuppreſsione. Purgabis tamen pituitam ex decocto largiori turpeti, agarici, cartami, aut frequentibus pilulis ex hiera & agarico, vel maſtichinis, aut alephanginis, vel Mechoacano radice nuper ad nos ex India aſportata. Proderit etiam decoctum ligni guayaci, vel radicis chinæ, vel in quo parum turpeti aut agarici leuiter ferbuerit. Cui item vſui ſerapium ex ligno guayaco conficies cum hermodactilis, roſis Hiſpanis, & cartamo, ac folijs ſenæ. Proſunt quoque ad purgationem electuarium Indum, vel pilulæ aggregatiuæ, aut de ſagapeno. In quem vſum optimè facies, ſi paraueris pilulas hac forma confectas. Excipe pilularum de hiera. ʒ. ij. agarici trochiſcati ʒ. j. &. ſ. cum melle roſaceo fiant pilulæ: quarum ſummo manè tertio quoque die laborans ſex vel ſeptem ſumat, poſteà verò earum tres tantum quinto aut ſexto die. Quòd ſi purgationem fœmina renuerit adeò crebram: neceſſe profectò erit tempus aliquod excretioni alienorum per vterum concedere, & interim victu vti tenui & exiccanti. Item paulatinis vacuationibus vtendum eſt, quæ minus moleſtæ & ingratæ ſunt, ex agarico nimirum infuſo, aut feruefacto, ex cartamo, ex pilulis ab eiſdem factis, & ex alijs huius cenſus. Verùm ſi ne hæc quidem prodeſſe videantur, vomitibus ante cibum, aut ab ipſo vtendum eſt: quo ſanè auxilio perplures hoc malo leuatas vidimus, facta in contrarium auerſione, & pituitoſorum, quæ redundabant, excretione: ne tantum in veterum humorum, & crudorum maximè, defluat. Quo facto, reliquijs pituitoſorum recrementorum prouidendum eſt, concitata ſudatione, frictionibus frequentioribus ac durioribus, quàm in bilioſa cacochimia, & exercitio, ac balneis aquæ ſalſuginoſæ, & aluminoſæ, ſulphureæ, aut bituminoſæ: decoctionibus item ſpartæ parellæ, ligni Indici, ac præcipuè decocto radicis chinæ, quod huic vſui maximè eſſe proficuum arbitror, cuius ſimplex aqua quotidiano potui exhibita, vtiliſsima cenſetur. Per ſuffitus etiam aromatum, & per euaporationes ex decocto (in aqua pluuiali, aut ferrata facto) herbarum calentium, & aromaticarum, iniectis in balneo lapillis ignitis. Corpus quoque iniunges à balneo, aut ſudore oleo, in quo incoxeris ænulæ, piperis, aut pyrethri parum, vel ſquinantum, camemalum, thymum, radicem angelicæ, aut eiuſdem ſemen.

Vtatur etiã fœmina diebus aliquot cornu cerui vſti, aut acacia, & diatragacantho ex vino: præſtant loti ramẽta, ſi Gal. credimus, & eiuſdem corticis decoctum: ſic

ſic corallum & ſemen vuæ pondere. ʒ. vnius cum vino nigro: hædi etiam, aut leporis coagulum ad erui magnitudinem in poſca dilutum. In hac quoque pituitoſa cauſa corpore ſatis purgato maximi eſſe momenti cenſeo diuretica adhibere medicamenta ea lege, quam paulò ſuperiùs diximus: à quibus ſanguis præter extenuationem, quam ſuſcipit, ſeparationem quoque craſſarum partium nanciſcitur: ex quo ſeroſo recremento renibus tracto ſanguis purus euadit citra periculum prouocationis menſium. Huic etiam vſui & ad reliquias humoris conterendas theriacæ mediæ ætatis, vel mythridrati. ʒ. vnam conferre ſcimus. Idem pari lege facit conditum, quod recipit conſeruæ anthos, ſthœcados ana. ʒ. ij. conſeruæ acori vulgaris ʒ. j. pulueris diarrhodonis, aromatici roſati. ʒ. j. &. ſ. cornu cerui vſti, coralli rubei ana. ʒ. ij. &. ſ. conchularum marinarum vſtarum & lotarum in vino. ʒ. v. cum ſerapio de corticibus citri fiat opiata. Huic etiam vſui ſcio proficuum fore, ſummo mane. ʒ. j. pulueris radicis mori cum vino nigro ſumere, quod tanquam peculiare beneficium obſeruabis. Cui conſimilem præſtat vſum puluis, qui recipit ſpongiæ priùs diligentiſsimè lotæ & poſt vſtionem ſimiliter lotæ aqua plantaginis, aut ferrata, vel roſarum. ʒ. ij. raſuræ eboris, & cornu cerui ana. ʒ. j. &. ſ. roſarum rubearum, corticum citri puluerizati ana. ʒ. j. galitrici, cyperi, ſacchari roſati in tabellas cõfecti. ʒ. ij. miſce, & fiat puluis, qui & bilioſis fluxibus ex vſu quoquè erit.

Cautè tamen id facies, quia licet authores conſulãt, nuſquã mihi arriſit diureticorũ vſus: nitroſam enim & & mordacem reddit materiã, et copioſius euocat.

Verùm ſi melancholici ſucci aliquid redundare compereris (quod rarò accidere ſolet) præmiſſa purgatione, ſi affectio recens fuerit, medicamentis leuiſsimis, ex ijs tamen, quæ melancholiam purgant, velut eſt confectio Hamech ſine ſcammonio, & colocynthide vtendum eſt. Infuſum foliorum ſenæ, epithymi, & polipodij, aut ſerapium ex eiſdem & fumaria cum ſucco borraginis, & infuſo roſarum ſiccarum compoſitum, idem quoque beneficium præſtare poterit: ſicut aqua lactis, in qua per noctem contabuerint ſenæ. ʒ. vj. Verùm ſi affectio inueterata fuerit, purgandum quoque eſt, eo tamen medicamento, quod modicum ingeſtum plurimum educat, qualis eſt confectio Hamech, aut ſunt pilulæ de lapide lazuli, aut ſerapium nuper adductum, ſi ei addideris lapidis lazuli ligati momentũ. Quòd ſi malũ his cedere nequeat, non erit ab re. g. iij. ſtibij optimi præparati cum ſaccharo roſaceo præbere.

Melãcholia.

His quidem factis, quæ humoris peccantis naturam reſpiciunt, expendendum quoq; eſt, vt primam & ſecundam indicationem in curatione huius affectus propoſitas abſoluamus, an corpori aſtringentia ſint adhibenda, & qua nã ratione, corpus ipſum deinceps roborare poſsimus. Quippe veretur tantũ Gal. libro de præſagatione ad Poſthumum, indebitum aſtringentium vſum, quòd eum ſolùm exiſtimauerit cauſam præſtitiſſe tumori ventris, quem vxori Boëti accidiſſe eadem parte refert. Quamobrem præmiſsis omnibus, quæ hucuſque retulimus, commodum fore exiſtimat Galen. prædictis aſtringentibus vti. Cuius ſententiam cõfirmat quoque Ætius lib. 4. Ser. 4. cap. 66. loquens de rubris fluxibus aſtringendis, dicens: Mulieri rubro fluxu vexatæ primum ſanguinem euacuabimus per venæ ſectionem: hæc enim non ſolùm materiam ad vterum confluentem diuertit, ſed detentionem etiam, ac conſtrictionem tutam efficit. Multa enim ſequerentur incõmoda, ſi ſanguinis, vel cuiuſq; fluxus lationẽ localib⁹ auxilijs reprimeremus: nã aliquæ in hydropẽ, aliquæ in neruorum affectiones, aut oris ventris, aut capitis vexationes collapſæ ſunt. Quã ſententia profectò conſtat, quantum ſit aſtringentiũ vſus formidandus: ex quo infero minimè eſſe toti corpori adhibenda, nã cùm

pleraq; repellẽdi quoq; vires obrineant,intro pellent ad canales, per quos effluere aſſueſcunt excrementa.Quamobrẽ tantùm ex vſu erunt vtero & vicinis partibus adhibita.

Dictum etiã eſt à principio huius cap.neceſſum eſſe totũ corpus roborare,ne aut ampliùs eadem excrementa generet,aut per inconſuetos canales expurget. Sunt autem auxilia quæ id poſſunt ea,quæ præter id munus,partes quoque firmare; ac denſare humores queunt,tã per alimenta,quæ optimæ ſint ſubſtantiæ(verùm non tenuioris,ſed aut mediocris,aut craſsioris)quàm per medicamenta,veluti eſt aqua ex chalybe ſæpius extincto,aut fruſtris alabaſtri ſuccenſis & eodem modo extinctis,vel poſca ex decocto polygoni,ſymphiti,plantaginis,& hordei:vinum etiã nigrum,& auſterum,vel potus,in quo diſſoluantur trochiſci ex lemnia, ſpodio, aut ſuccino.Roborant quoque partes miro modo leues & frequẽtes frictiones, quòd vegetiorem calorem ad eas reuocẽt:dum primò linteis mollibus, & molliter fiãt, ſecundo verò aſperis & duriter:nam primis alimentum reuocatur ab internis partibus ad extimas,duris verò per cutim reſoluitur quod inutile eſt,donec natura deſinat ad intimas partes pellere.Ex quo proculdubio partes roborari eſt neceſſum: nam euocato ad eas natiuo calore & propulſo excremento,rationi conſonũ eſt firmiores fieri.

Si vitio alicui⁹ mẽbri fluxio fiat.

Quòd ſi membri alicuius vitio affectio ſuboriatur,coniectandũ quidem eſt,id fieri ex facta aliqua intẽperie,quæ loco alimenti proprij,aut humorum (ſi eorum fuerit officina)excrementa,& vitioſos ſuccos gignit,quos tanquã inutiles(fortaſſe vt minùs noceant)expellit,ac in vterum tranſmittit. Cui affectioni cum aliquod membrum aſſueſcit,diuturnius efficitur affectus:curandi tamen ratio habita illius membri maxima prouidentia,in eo conſiſtit,quòd excrementitiũ illud deinceps generari interdicat,& genitum per diſtantes ab vtero partes euacuet.Sic ventriculo prouidendum eſt,dum prædicta imbecillitate laborat,præmiſſa leui purgatione,& ordinatiſsimo victus moderamine,per vomitus tertio quoque die prouocatos,ac per eam purgationem quæ per epicraſim fit,pilulis de maſtiche, de rhabarbaro,& alijs,quæ ex maſtiche,aloë,agarico & rhabarbaro conficiuntur. Verùm ſi vomitus profuerint,præſertim ſi leui irritamento fiant,innitendum eſt plurimùm eiſdem:nã excrementa euacuãt,& ob id natura à cõſueto fluxu diſſueſcit. Quòd ſi hæc non prodeſſe videantur,potui frequẽter porriges decoctum radicis chinæ, vel ex eo ſerapium conficies,cui munus proculdubio incumbet exiccãdi humiditates,ſi quæ ſunt,& viſceris roborãdi. A quibus vetriculo prouidebis, vt reliquias conteras,& eius ſubſtantiam robores:intus quidem per calidiſsimos aquæ potus, per vini etiam hauſtum cum modico aromatico roſaceo,vel diarrhodone,aut theriaca, vel cum modico rhabarbaro maſticato,tertio quoque die ſumpto, vel ſerapio de mentha,de abſynthio,de corticibus citri,& ſimilibus : exteriùs verò inunctionibus ex oleo abſynthite, nardino, de mẽtha, de cinnamomo,de ſemine aut radice vel foliis angelicæ:aut appoſito ſacello ex galanga,corallo,caryophyllis,nardo,cinnamomo,roſis,abſynthio,& mentha. Item affixo emplaſtro aliquo ex ijs, quæ pro ventriculo paſsim ſolent parari,& nos quoque adducemus cap.de vitijs ventriculi ex vtero: aut inuncto etiam ventriculo ex balſamo nuper ex India ad nos aſportato,aut oleo de abiete,vel naphæ.Item facto ex eiſdem emplaſtro,additis caraña vel rechamacha, gummi alioqui ex India quoque adducto, & vtilitatis non contemnendæ. Sed animaduertiſſe in his omnibus auxilijs oportet, vnumquodque eſſe adhibendum iuxta ideam humoris peccantis, aut naturam

ram intemperamenti,cuius occaſione ventriculus imbecillitate laborat.

Iecoris quoque vitio vterus affici ſolet,tranſmiſsis ad eum alienis humoribus, quorum prouidentiam abundè monſtrauimus hoc eodem cap: docentes humores à natura alienos vel minuere, vel aliò transferre. Cui ſanæ curationi addere tantùm expedit ea, quæ huic viſceri robur præſtare nata ſint, tam intus ſumpta, quàm exteriùs adhibita: quorum ſubinde maximam copiam reperies.lib.noſtro ſecundo de auxiliorum indicatione cap. de præſidijs roborantibus.

Solet non rarò fluxione à capite concitata vterus fluere: cui ſanè obſiſtes adhibita capiti eadem diligentia.Nam inſtituta optima viuendi ratione ex victu ac potu moderatis,caput primò purgare oportet iuxta naturam humoris ex eius intemperamento geniti:ſic pilulis cochijs,aggregatiuis,arabicis,de agarico,fœtidis, aureis,& ſine quibus:prout magis viſum fuerit,in parua tamen quantitate(ne inopinatò fiat vi medicamẽti maior ad vterum fluxio)neceſſum eſt vti. Poſt modùm capiti appones quæ reducendi ipſum ad antiquum temperamentũ vires habeant, & alia etiam,quæ ſi quid intus manet,quod poſteà læſurum ſit,digerant,& conſumant.Cuius cenſus ſunt pulueres & ſaccelli confecti ex camemalo, coriandro præparato,ſthœcade,maiorana,roſis,thure,& alijs huius conditionis,ſi frigidã diſtemperiem cauſam huic malo præſtare compertum ſit. Cui etiam vſui cõmodiſsimũ eſt per epicraſim caput purgare aliqua ex prædictis pilulis in parua quantitate, vel alijs ex agarico, aloë,& rhabarbaro cum modico turpeto confectis. Prodeſt eodẽ modo puluis ſpartæ parellæ noctu pondere.ʒ.j.ſumptus cum aqua maioranæ, aut in ouo ſorbili.Verùm ſi calidum ſterterit cerebri intemperamentum,rariùs purgationibus vteris,frequentiùſq; ipſum attemperare ſtudebis balneis aquæ dulcis, lactis,decoctionis hordei,roſarum,& papaueris,vel extremitatum animalium, cui poſteà inſperges pulueres roſarum, myrtilorũ, coriandri præparati,& coralli; aut cucuſam ex eis parabis addito bolo armeno.Vſui tamen proficuus eſt puluis cornu cerui,roſarum, & myrtilorum cum ouo ſorbili ſumptus, dum fœmina dormitura eſt. Prodeſt etiam & multis probatiſsimum præſidium repertũ eſt, quod cõſtat cremore ſeminis lactucæ priùs macerato in aqua extinctionis chalybis, addito puluere eboris in tenuiſsimum pollinem redacto:quod fœmina ſummo mane tertio quoque die ingerat.Nec diſplicet in hac cauſa aliqua ex prædictis ſudationibus vti. Quòd ſi ne hæc quidem ſufficere videantur,ad aliud auxilium longe vtilius & tutius confugiendum eſt: cuius naturæ fontanella altero brachiorum aperta eſſe creditur.In qua ſanè firam eſſe maiorem huius curationis partem experimento fidiſsimo compertum mihi habeo:nam hæc à capite,quod redundat, expurgat,& vterum ab antiqua & miſerrima illa fluxione vindicat.

Supereſt his omnibus adhuc conſideratis,animo euolucdũ,quantum negotiũ faceſſat in hac affectione vteri ipſius prouidentia. Quam proculdubio eſſe duplicem cenſemus:alteram,quæ vtero primariò affecto debetur: reliquam verò, quæ ipſi per conſenſum à nuper dictis partibus læſo proficua exiſtit. Primam quidem diuides in tot partes,quot ſunt cauſæ quæ vterum excitare ad expulſionem natæ ſunt:quippe vel diſtemperies eſt,vel vitium in figura ex laborioſo partu, ictu, aut percuſsione contractum.Diſtemperiem quidem(quæ aut conficere proprium alimentum nequit,aut complecti,continereq; non valet) corriges ijs, quæ omnino contraria ſint intemperamento: quorum non leuem copiam reperies lib. huius operis.2.cap.de vteri diſtemperie.At cõplectendi retinendiq́ue munus modò ex

distemperie, modò ex figuræ vitio, vel per assuetudinem recipiendi ab alijs partibus sumpto consensu, aut vtcunque fiat, haud difficulter perficies (præmissa vniuersali prouidentia) per ea auxilia quæ densandi fluentia excrementa, comprimendi partes vtero vicinas, & corroborandi vterum ipsum vires obtineant. Cui accedit secunda indicatio, quæ impedit quominus excrementa hæc in vterum confluãt, aut ad ipsum transmittãtur. Quæ quidem opera efficies per epota, aut per os sumpta, per infusa in vterum, aut aluum, & per exteriùs adhibita. Sic alijs non proficiẽtibus, inter plurima alia quæ cap. de mensium fluore diximus, portulacã commanducatam, & eius succum potui datum prodesse plurimùm compertum est. Itẽ benefacit decoctum, aut puluis balaustij, fructus rubi: equisetum etiam cum aqua chalybeata, aut vino rubro sumptum: hypocistidis, aut lentisci fructus cum vino: sammius aster, terra lemnia, coagulum leporis, hædi, aut capreoli: item vua immatura, sicca, & in puluerem redacta, vino aut aqua chalybeata excepta, aut piceæ cortex & myrti, quæ idem beneficium præstare fertur. Sic peoniæ grana quindecim, vel coralli. ʒ. j. cum vino nigro, vel vinacea trita cum aqua capitum rosarum, aut plantaginis. Nec minoris momenti esse creditur prædictum leporis coagulum (vt Galen. refert. 10. simpli.) aceto exceptum. Quòd si defluxus calidus fuerit, vteruſq; exulceratus steterit, lac asinæ mirè prodesse comperimus: sicut succum stercoris eiusdem asinæ optimis herbis nutritæ: aut succum alicæ, ptisanæ, vel rosarum, quæ sanè omnia prædicto lacte admixta, plurimùm iuuare scimus. Item lac caprillum ignito chalybe, aut lapide vstulatũ, deinde coctũ cum farina tritici, hordei, fabarũ & orizæ ex vsu esse fertur. Præstat quoq; lens excorticata cũ aceto bis cocta, mica panis posca madefacta, panis hordeaceus, oriza cũ posca, pyra, cidonia, mespila, sorba, oxalis, & cymæ rubi iure incoctæ huiusmodi quoq; vsum præstãt, sicut & fluẽtis humoris densationẽ, & partium, ad quas & per quas fluxio fertur, corroborationem. Tandem fluxum compescit confectio, quæ recipit coriandrorum præparatorum, seminis acetosæ, seminis plãtaginis ana. ʒ. ij. terræ sigillatæ, boli armeni, ana. ʒ. ß. specierum aromatici rosati, diatragacanthi. ana. ʒ. j. & ß. ex quibus subtiliter in puluerem redactis & dissolutis in aqua plantaginis quantum sit satis, cum saccharo fiat confectio, cuius. ʒ. j. & ß. cum hausto vini nigri diluti, aut aquæ chalybeatæ manè loborans sumat ventriculo ieiuno, & desuper dormiat abstineatque à pastu quatuor horarum spatio.

Consimile huic beneficium impartitur id medicamentum, quòd recipit gummi arabici, tragacãthi. ʒ. ij. mastichis. ʒ. j. quibus cõsimiliter puluerizatis ac cõmixtis saccharo dissoluto in succo citoniorum fiat confectio in rotulis: cuius fœmina quoque sumat. ʒ. ij. prædicta lege. Maioris adhuc efficaciæ esse creditur id, quod recipit ouorum recentium albumina numero duo, thuris masculi, boli armeni, terræ sigillatæ, ana. ʒ. ß. quibus mixtis fiat ad modum electuarij. Ex vsu quoque est, & experimento comprobatum singulis diebus ʒ. j. radicis philipendulæ virentis, cum vino nigro potandam, vel in ouo sorbili deuorandam præbere. Sed longe vtilius fore arbitror, ex succo eiusdem radicis serapium conficere, eiusque mane. ʒ. j. cum aqua ferrata porrigere. Benefacit quoque aliud, quod recipit vini nigri chalybeati. ʒ. iiij. gummi arabici, tragacãthi, boli armeni, coralli rubei, pulueris myrtilorum & coriandri præparati. ana. ϑ. j. quibus mixtis fiat ad modum loch. Item confert summo manè fœminis hoc malo vexatis præbere. ʒ. ß. huius puluveris, qui recipit lapidis hæmatitis torrefacti, cornu cerui vsti, corallorum rubeorum, ana. ʒ. j. & ß. irrorentur omnia aqua rosacea, aut chalybeata, & sole iterũ siccentur. Consimilẽ huic vsui

vsui præstat puluis, qui recipit osium dactylorum subtiliter puluerizatorum. ʒ. ß. sanguinis draconis. ʒ. j. amyli. ϑ. ij. Paratur etiam alter ex granis granatorũ torrefactis pondere. ʒ. j. ex thure. ʒ. ij. cum modica miua citoniorum. Scito etiam basim omniũ medicamentorum esse cõseruam aut syrupum de acetositate citri, quibus pulueres & reliqua quæ huic vsui fore proficua diximus, admiscere oportebit. Inter omnia etiã auxilia experimẽto vtile compertum est esse id quod recipit decoctionis foliorum quercus. ʒ vij. coaguli leporis. ʒ. j. quo vtendum est octo vel decẽ diebus manè ventriculo ieiuno.

In vterum etiam, si hæc non profuerint; infundes eorum, quæ cap. de menstruo fluore diximus, aliquid: quale est quod humores putredine, vel mixta bile acres, aut etiam frigiditate insigni vnitatem diuellentes, mulceat, tergat, & abluat: velut est lac quoduis, etiam amylo incrassatum, hydromeli, cremor alicæ & orizæ, fœnugræci succus: additis quoque quæ parum astringunt, vt thure, manna thuris, aloë lota vel absynthio pontico: ac in nimis pituitosa, myrrha, præsertim si pruritus affectioni adiungatur. Quibus addere poteris ex ijs, quæ valentiùs astringunt, modicum, vt est acacia, hypocistis, galla, balaustium, & malicorium: vbi admodùm diluta fuerint: quibus admiscebis oleum rosarum ænanthinum, vel de mastiche. Cum hoc tamen rarò his vti datur, nisi vtero immodica fluxione vexato, & ob id exulcerato nimis: idque cautiùs, ne menses quoque sisti contingat: ob idque longè à mẽstruationis tempore ea esse adhibenda censeo.

Securiùs tamen extrinsecus omnia pharmaca vtero adhibebimus, qualia sunt encathismata, suffumigia, & longè magis inunctiones. Sed primitus fertur apud viros non contemnendæ authoritatis, oxalidem vtero appositam commodissimè fluxum muliebrem sistere, & quod magis mirandum est, menses non compescere. Parantur quidem encathismata varia pro humoris fluentis varietate: vt abundè dictum est cap. de mensium fluore. Verum ne aliquid eorum, quæ huic vsui idonea esse possunt, deesse videatur, nosse oportet valere plurimum in hac re decoctum consolidæ maioris, & in pituitoso fluxu lexiuium cum modico alumine, vel decoctum herbarum, florum, radicum & seminum exiccantium, vt lexiuij parati ex cineribus ilicis, quercus, ficus, aut cannarum, quantũ sufficiat ad encathismata conficienda, sumas, in quo radicis bistortæ incoques, & lapati acuti, ana. lib. ß. corticis mali granati, gallarum. ana. ʒ. iiij. rosarũ rubearum. p. ij fiat decoctio: cui adde aluminis. ʒ. vj. & facito encathisma. Quòd si sola aqua prædictis rebus feruefacta sine cineribus id efficere velis, securiùs facies. Aliud etiam parabis, quod recipit florum clematis. p. j. hederæ. m. ß. fabarum integrarum numero. xx. hordei leuiter torrefacti. p. j. rosarum rubearum. p. ij. fiat decoctio in aqua artemisiæ, vino rubro & aqua pluuiali ad lib. ij. cuius fiat fotus, insessio, aut iniectio in vterũ. Seruabis tamẽ modum efficiendi iuxta humoris peccantis conditionem, additis nimirũ quæ aut attemperent, aut calfaciant. Ex vsu quoque sunt suffumigia: quorum primum recipit galliæ muscatæ, & aliptæ muscatæ, ana. ʒ. j. ladani, hypocistidos, ana. ʒ. ß. styracis, belzoini, ligni aloës, santhalorũ omnium. ana. ϑ. j. nucis muscatæ, macis, caryophyllorũ. ana. ϑ. ß. mucaginis gũmi quantũ sit satis, vt formẽtur trochisci: quibus vtendũ est frigidiori & tenui existente pituita: nam acrioribus purgamentis encathismata, & suffumigia quæ mitiora sint, adhibenda esse consulit rei ratio. Vtero verò adhibenda sunt, quæ temperamentum & robur præstent: primo compressionis gratia vtere emplastro, quod recipit radicũ bistortæ, musci quercus, ana. ʒ. iij

fiat

fiat emplaſtrum pro matrice: à quo ferunt tanquam ſecretum ſaluiæ ſuffitu mẽſes immoderatè fluentes,& omne muliebre profluuium ſiſti mirum in modum. Confert & poſca tepida admixta decocto poligoni, ſymphiti, plantaginis,& hordei cũ oleo roſaceo, mellino, ſeu myrtino, pauco vino nigro admixto. Cataplaſmata etiã cõficies ex hordei farina, fabarũ cũ eadẽ poſca, aut decocto ex radice ſymphiti, poligoni, plantaginis, alumine, palmulis,& balauſtio. Fouere itẽ partes oportet eodẽ decocto, addito vino nigro, aut oleo myrtino cũ pulueribus ſanthalorũ, terræ lemniæ, trochiſcorum de ſuccino. Regionem quoq; vteri inunges vnguento, quod recipit vini nigri ſtiptici lib. ij. ſcoriæ ferri lib. j. bulliant ſimul vſque ad conſumptionẽ medietatis,& poſt colaturam, vino adde olei roſarum, myrtilorum,& mellini. ana. ℥. j.&. ß. pulueris balauſtiarum, roſarum,& radicis ſymphiti, ana. ℥. j. bulliant iterũ ad conſumptionem vini,& adde ladani depurati & ceræ quantum ſit ſatis, vt fiat vnguentum: cui conſimilem vſum præſtabit emplaſtrum diaphœnicon appellatũ. Sic calida exiſtente cauſa prodeſt illud vnguentum, quod recipit ſucci ſolani, ſucci ſemperuiuiæ,& plantaginis. ana. ℥. j. pulueris coralli rubei, roſarum rubearum. ana. ʒ. ß. boli armeni, terræ ſigillatæ, pilorum leporis combuſtorum. ana. ℥. ij. ceræ quod ſufficiat, vt fiat vnguentum, addito modico oleo roſaceo,& abſynthij.

Atqui licet hæc dicta ſint in vteri gratiã, dum ſua ſponte huic malo cauſam præſtat, non ob id omnino contẽnenda eſt totius corporis prouidentia, ne aut aliquid quoq; in vterũ tranſmittat, vel ab eodem vtero, ſi male affectũ ſit, vi comprimentium recipiat. Qua in re eam prouidentiam, quam ſuperiùs diximus obſeruabis, cauens omnino ventriculi, aut alterius viſceris cruditatem.

Hæc ſunt candide lector, quæ ex multis alijs, quæ & legi, & probaui, ſeligere potui: quæ ſi non profuerint (crede mihi) nil aliud magis prodeſſe poterit, quàm aut ſudare, aut balneis vti, aut fontanellam altero brachiorum, aut crurum aperire, iuxta fluxus principium & originem. Quod proculdubio tutiſsimum, profícuum,& ſummoperè neceſſarium eſſe experimento,& ratione didicimus.

De menſtruorum cum morbis implexu & prouidentia. Cap. XVI.

NIhil profectò in fœminarum morbis peritos medicos deterrere magis, anxioſque ac ſolicitos reddere aſſolet, quàm menſtruorum cum morbis implexus: rurſus imperitos nil citiùs in præcipitium defert, ac laborantes fœminas ocyùs perdit: quippe ſiue ſanguinem demas, ſiue non demas, expurgatiue pharmaco vtaris, aut ſecus, vel quoduis aliud præſidium inſtituas, certum eſt (niſi menſtruorum complicationi aliquid tribuas, aut illi ex toto prouideas) te potiùs læſurum, quàm quòd beneficium aliquod præſtare poſsis. Nam id proculdubiò eſt quod peritos medicos remoratur, nimis confidentes turpiter decipit, argutos & diligentes deludit, pigros tranſacta occaſione arguit, denique cordatos omnes diligentiores cautioreſque reddit. Quo quidem factum eſt, vt non paucæ inter fœminas hac ſola occaſione potiùs perierint, quàm ex vi & efficacia morborum: quorum ſæuitiam proculdubio (vel leuiſsimis auxilijs) fugerent, niſi menſtrua purgatio morbis

morbis ipſis ſuccreſceret, quæ vel proficua remoraretur auxilia, aut anteuerteret, aut eorum naturã mutaret, vel quantitatem imminueret, ac deniq; formã & modum immutaret. Quamobrem hac in parte huic rei integrum caput dicare decreui, vt deinceps tyronibus conſtet, quid agendum ſit, menſtruis morbo alicui ſuperuenientibus.

Conſtat igitur menſtrua lempurgationẽ aliquid poſſe peculiarius diſtinctiuſque in morborũ curationibus indicare: quod profectò efficit vno è tribus modis. Primo quidem, cùm menſtruis imminentibus, fluentibus, remoratis, ſuppreſsis,& ante tempus debitum inſtillantibus affectio aliqua, quæ curationem expoſtulet ſuperueniat. Altero verò, cùm morbo aliquo præexiſtente, menſes vel imminent: vel quia menſtruationis & morbi tempora complicantur, aut cùm debitum tempus remorantur,& fortaſſe ob id cauſam morbo præſtant, vel ipſum augent, aut ali quod graue ſympthoma ipſi accerſunt, quo exacerbatur, excandeſcitq; magis: vltimo verò cùm conſuetum & naturale menſtruationis tempus anteuertit,& in aliquo ex prædictis temporibus inopinato irruit: atq; id quidem vel copioſè, vt morbo ſufficere poſsit, vel diminutè ac parcè, vt ne ſufficere quidem valeat, impedire tamen proficua auxilia ſemper ſtudeat. Quibus exactè penſatis, qualis futura ſit cuiuſq; prouidentia, iam audies.

Quòd ſi menſium ſuppreſsio, vel remoratio (vtcunq; fiat) morbũ præcedat, conſiderandum primò eſt, an remoretur natura menſes nunc denuò, vel ſuppreſsi diu ſint: tùm quidem vlteriùs ſiſcitãdum eſt, an ex prædicta ſuppreſsione morbus qui ſuccreſcit, ſuboriatur, nec ne. Quòd ſi ita ſit, proculdubiò à ſanguinis detractione ex talo curationem auſpicari oportet: neque antè purgandum, ſudandum, aut vomendum eſt, quàm ſanguis mittatur, idque ex talo, vt dictum eſt. Quo facto, ſi affectionem vrgere comperiamus, ſanguine iam miſſo ex talo pro menſtruationis conſuetæ copia, ad venarum aliarum partium ſciſsionem (ſi affectio detractionẽ ſanguinis poſtulauerit) deueniendum eſſe conſulit rei ratio, etiam ſi menſes alijs præſidijs adhuc exhibitis non profluxerint. Verùm de alijs auxilijs adminiſtrãdis ſciendũ eſt, ſi recentes fuerint ſuppreſsiones,& morbus non plurimũ vrſerit, expectandam eſſe menſtruorum fluxionem antequam manus adhibeamus, ad ipſam prouocandam. Non etenim æquè tutũ eſt menſtruo ſuppreſſo pũrgare, vomere, aut ſudare, ſicut ſanguinem mittere: nam hoc in quouis affectu fieri licet, illa verò opera non niſi in vrgente, aut præmiſſa ſanguinis detractione, præſertim ex talo. Cæterũ ſi ſuppreſsio fuerit diuturna, vel affectio grauis, cunctandũ non eſt quin mittendus ſanguis protinus ſit, ſi id affectio poſtulauerit: verùm ſi alia auxilia poſcerit, ea confeſtim adhibebis (leui facta menſtruorũ prouidẽtia) pro morbi vſu & indigentia, citra vlteriorem menſtruorũ conſiderationem, quæ prædicta auxilia remorari poſsit. At dũ menſes moram trahũt, & morbus ſuccreſcit ex alia cauſa à ſanguine menſtruo diuerſa, cenſeo quidem curationem auſpicandam eſſe ab eo auxilio, quod cauſam & morbũ expoſcere compertũ ſit, citra reſpectum ad venas tali, licet vtrũque reſpicere ſatius, meo & multorum iudicio, foret. Qua in re conſiderandũ eſt, an morbus ſit ex ijs qui plurimũ vrgent, velut pleuritis, angina, vel id genus, quo tempore ab ipſo ſolũ (niſi ex menſium ſuppreſsione morbus oriatur: nam tunc ex talo ſciſsiones vtiliores exiſtunt) indicationem ſumere ad auxiliorum adhibitionem oportet: vel an eorum ſit qui inducias præbent expectandi: quod ſi ita accidat, nonnihil menſtruis tribuendum conſulo, facta primitus ex talo ſanguinis detractione, frictionibus, lauacris, ac ſurarum ligaturis, &

cucur-

cucurbitis: post verò morbo ipsi prouidendum est, vt vsus postulauerit.

Quòd si mensium profusio iam iam immineat,& eo tempore morbus suboriatur,sicut de remorantibus diximus subaudiendum est,quatenus ad sanguinis detractionem attinet: quatenus verò ad purgationem,& alia artis præsidia, quæ alicuius momenti sunt,minimè.Quippe differre ea oportet,donec menses profluãt, aut consuetum tempus menstruationis præterierit, & alijs præsidijs tentatum sit eos mouere,aut minuere sanguĩne leuiter ex talo missо:quòd si ad morbum auferendum non prosit,proderit tamen,vt purgare,sudarèue laborãtes(quod morbus expostulat)tutiùs possis.

Cæterùm si ex mensibus debitum tempus anteuertentibus morbus accidat,credendum quidem est ex causa,quæ materiam menstruorum ad citatiorem excretionem irritauit,morbum quoque ipsum principium traxisse.In qua sanè re, siue plenitudo, siue cacochimia sit in morborum principijs,sanguis mittendus est ex talo:ac si multum vrgere affectionem comperiamus,ex brachio,præsertim si totius corporis plenitudo malo & mensibus principium præstiterit.Verùm si in vtero fuerit redundantia,innitendum magis est sanguinis missionibus ex talo, donec vteri plenitudinem depositam esse constet:nec verendum est, nimis vrgente adhuc ardentissima febre,ex talo sanguinem mittere,licet affectione inter inguina & alas existente ex brachio exposcere id videatur.Nam scisso talo,eodem malo paulò minùs subuenimus,& præcauemus humorum ad caput ascensionẽ, quod frequentissimè in his febribus accidere conspicimus. At si cacochimia vtrunque vitium præstiterit, coniectandum est, an menstrua purgatio consuetam quantitatem adæquet, quo tempore sanguinis missione vlteriori opus non est, sin aliter, sanguine ex talo missо defectum naturæ adimplebis. Quo facto, verendum non est, adhuc instillantibus (diminutè tamen) mensibus , ijs pharmacis vti ad purgationem, quæ humores naturam lacessentes ad citatam menstruationem,& morbo materiam præstantes auferant. Atque hæc de prima parte dixisse sit satis.

At si tempore ad menstruam purgationem statuto menses fluxerint , & cum aliquo ex morbi temporibus coierint(quod grauius,& difficilius est) considerandum primò, principium ne sit,& qualis affectus natura & conditio existat.In qua sanè re(dum vsu venit)consuetum apud plerosque medicos reperio , apparentibus mensibus (etiam si à principio morbi id accidat)mox à sanguinis detractione subsistere, quãtumuis necessaria sit,& morbus vrgentissimus:differentes quidem per duos,aut tres dies,ac existimantes hac existente,non esse opus alia vacuatione,donec natura à mẽstruis subsistat,vel parum antè. Quos mille modis deceptos fuisse,& morbos subinde immedicabiliter creuisse non semel comperimus.Ob id quidem vrgente affectu, si non copiosè fluant,si euidenter non conferant, etiam si debito tempore proueniant, mihi non est dubium,quin expectato primo naturæ impetu,quem in vacuationibus(adhuc præter naturam factis) expectare iubet Hippocr.opus sit,transactis ad minus duodecim horis sanguinem vlteriùs mittere.Verum id quidem ex talo,tantum inquam , quantum sat sit ad complendam naturalem & consuetam illius fœminæ menstrualem quantitatem.Quippe in leuioribus affectionibus,& quæ non plurimùm vrgent , menstruationi prouidendum est semper,sanguine nimirum missо ex ea vena,quæ ipsum ab vtero extra,& ad vterum euocet:alioqui periculũ est,ne menstruo non probè purgato, affectio, quæ sua sponte leuis est,grauior subinde fiat. Ob id quidem ad vterum sanguinẽ in

leuioribus affectibus euocabis lattacris,ligaturis,& frictionibus:nã satis est prædictis affectionibus,quæ sanguinis detractioni cessuræ sunt, ipsum per commodã regionem vtcunque educere potiùs,quàm menstruis(quæ iam iam fluere cœperunt,quorum in vtero non leuis copia exiſtit)ad superna euocatis,aut ob contrariam reuocationem, maioris vel alterius mali causam existere, sanguine ex brachio missо.Verùm si purgationem leuis hæc affectio postulauerit, ipsam quidem remorari opus erit,ne motu illo ad contraria facto,aliundèue turbato, aut euocato vteri sanguine,quæ diximus mala,& longè grauiora succrescant.Quamobrem clysteribus,aut suppositorijs,quæ partes vtero vicinas irritent,rem omnem potiùs agere oportebit.Cæterùm si affectio ex grandioribus fuerit,& ijs, quæ maximum ac breue periculum minantur,mihi non est dubium, quin aliquando (veluti in angina , phrenitide, pleuritide graui,& similibus) ex vsu sit ocyssimè ex brachio sanguinem mittere. Ego tamẽ securitatis gratia,in grauioribus affectionibus,primo ex talo sanguinem mitterem,incipiente(vt dictum est)affectu, reuulsionis & menstruationis causa,mox tamen eadem die,præsertim si purgatio menstrua nõ creuerit,vel si diminutè processerit,ex brachio citra cũctationem sanguinem demerem:quippe grauioris & vrgentioris mali cõditio dignitate & occasione agendi superat reliquam indicationem : modò ea lege, quam nuper adduximus , id opus fiat. Quam sanè curandi rationẽ adseruare oportet in reliquis morbi temporibus,quatenus ad sanguinis detractionem attinet:verùm in purgatione,vomitibus & sudore non ita: nam menstrualis purgatio semper horum auxiliorũ indicationes superat, nisi vltra tempus statutum durauerint sanguinolenta quædam vteri purgamenta,quæ non plenitudinem, neque naturæ actionem, sed vitium & irritamentum facultatis attestantur. Quibus etenim sic exiſtentibus,ego nõ dubitarem vrgente purgandi occasione, pharmacum porrigere:quin potiùs arbitror necessarium eo tempore esse,ad vindicandam naturam ab iniurijs humorũ mordentium & irritantium ipsam intra venas & vterum:cuius rei ratione credendum est purgamenta illa diu instillare.Cum hoc tamẽ si aliqua occasione intueri oportet diligenter menstrualem naturæ motum,& abstinere ab omni medico opere,ea potissimùm est,vbi menses in morbis stata periodo profluunt,nisi(vt dictum est)iam iam desinentibus,aut instillantibus purgamentis illis,alioqui tutum non est, imò periculo plenum,& ab omni ratione absonum exiſtit, naturam à consueto & vtili fluxu debito tempore commoto, vllo vacuationis genere diuertere.Nam qua ratione quæ iudicantur & iudicata sunt,Hippoc. mouere, aut nouare medicamentis vel aliter irritando omnino interdicit,eâdẽ profectò menstruam purgationem tueri,iuuare,aut finire oportet.Verùm cùm artis præcepta vrgente necessitate euertere vtile & necessarium sæpe sit:ob id quidem,quæ hucusque diximus,diligenti animo rimari oportet & exequi,vbi tempus occasionẽ præstiterit,ne occasione oscitanter aut negligenter prætermissa,in turpius erratũ medicus & laborantes decidant.

Quòd si menses incipiente morbo,procedentèue immineant,coniectandũ eo tempore est,an affectus qui viget,ex ijs sit,qui ex vtero prodeunt: an ex alijs , qui vel toti corpori communes sunt,vel alicui ex præcipuis mẽbris peculiares exiſtũt. Nam si primum,mihi non est dubium,quin longè vtilius sit citra vllam morã, ex talo sanguinẽ mittere,quàm ex brachijs:quippe coniectabile est ex vteri plenitudine,quæ exitum iam iam minatur,morbum originem traxisse:ob idque certũ erit tutiores & vtiliores esse ex talo sanguinis detractiones, quæ per commodiorẽ re-

gionem euocent,& euacuent vteri redundantiam,& mali simul causam elidant. Verùm si ex corpore vniuerso, vel ab aliquo ex præcipuis membris morbus oriatur,properandum ocyssimè est ad sanguinis detractionem ex brachijs, ea nimirũ vena scissa,quæ toti corpori,vel membro primò affecto communior existat. Studendum igitur est copiam demere ante quidem,quàm menses profluant, ne posteà cogamur necessarium auxilium differre menstruis incipientibus, vel ex distantiori parte,quàm affectus postulet id efficere,minori laborantis commodo,ac fortasse morbo facto grauiori. Verùm in alijs auxilijs,purgatione nimirum,vomitu, aut sudore,non ita: quippe instante menstruo verendum est aliquid horum tentare, ne vel distrahatur, vel ab antiquo & necessarissimo munere præpediatur natura: quo nihil ipsi grauius esse solet.Nam sæpe motus ille(vel motui paratus sanguis)præter modum detentus,aut aliò euocatus in aliquod membrũ princeps inopinatò irruit,vel ibidem detentus putrescit, & causam malo præexistenti adauget,aut aliud grauius denuò progignit.Quamobrem differre oportet huiusmodi vacuationes, donec menstruatio prætereat, nisi in ijs fœminis , quibus procrastinari frequenter menses contingit:in quibus vrgente necessitate purgare saltem oportet(licet vomere propter vehementiam motus ad superiora, vel sudare,præsertim sudoribus arte excitatis, eo tempore tutum non sit)cõpleto menstruationis tempore, quia id permittere videtur consueta procrastinatio. Cucurbitis verò semper locus conceditur:præsertim vniuersali vacuatione præmissa, ac à femoribus & suris facto operis principio. Verùm si debitum & statutum menstruationis tempus menses prætergrediantur, animo eo tempore expendendum est,an id,fœmina quæ laborat,de more habeat ,vel diu suppressos habuerit, & vltimò,an ex noua suppresione morbus principium, aut incrementum, exacerbatio nemue nanciscatur.In qua sanè re pensitandum quoque est,menses(sicut reliquas vacuationes)vna ex quatuor causis, pluribus, aut simul omnibus posse detineri, nimirum ex materia,facultate,instrumento,& causa sine qua non.Nunc verò sat est nosse,materiam posse esse crassiorem,vel copiosiorem, vt id malum efficiat:facultatem deiectam,instrumentum impeditum,& vltimò sensum partis iusto hebetiorem. Vtcunque tamen proueniat,si sanguis propter affectus indigentiam mittendus est,& fœmina id procrastinationis vitium de more habeat, cunctandum non est,sanguinem ex ea parte mittendum fore, cuius scisionem è directo affectioni & affectæ parti prodesse magis comperiamus,nulla,vel leui de mẽstruo facta consideratione.Idem quoq; agendum arbitror,vbi diu fœmina menses suppressos habuerit:quippe eo tempore citiùs & copiosiùs sanguinem mittere oportebit ex prædictis venis citra vllum venarum tali respectũ.Quod equidem in alijs auxilijs,sudore nimirum & purgatione,ita exequendũ fore non censeo:nam prouocare priùs menses oportebit,nisi morbus ex vrgentioribus fuerit,aut suppresio diuturna.Verùm menstruis in morbo venturis,cæterùm deficientibus,ita vt coniectabile sit ob defectum morbo causam & fomentũ præstari,nulli esse dubium arbitror,quin sanguis mittendus ex talo sit,donec vel ipsi menses prorumpant, vel vteri plenitudini satisfactum esse conijciamus:idq; non solùm in sanguinis detractionibus,verùm & in omnibus alijs auxilijs exequendis obseruandũ etiam est.Primò namque in hac curatione hos menses prouocare,vel expectare, aut supplere sanguine misso opus erit,posteà, ad alia auxilia confugere: nisi vehementissima, vrgentissimaq; fuerit expurgandi necessitas,quod facies sub conditione, nimirũ, cùm mensium remoratio malo causam non præstat,vel auget: quòd si aliquando

necessi-

erit,id quidem cautè & prudenter facies,blandis tamen & leniſsimis medicamentis,quæ naturæ imminentem motum non euertant,& vtilem affectui moliãtur vacuationem.

At si debitum tempus menses anteuertant,quod plerunque in morbis contingere scimus, considerandum primò est, quid boni vel mali ea res portendere possit: secundò, à quibus causis proficiscatur: tertiò verò & vltimò, quid agendum velnon agendum sit . Nihil profectò in curandis fœminarum morbis difficilius, grauius, molestius & periculosius reperies,quàm menses inopinatò morbis quibusque succrescere:præsertim ipsis incipientibus,& antequam medicus auxiliares manus omnino præstiterit:nam reliquis temporibus,vbi agendum nihil est, leue quidem & tolerabile existit damnum:huius profectò mali meminerat Hippocra. lib.2.popu.par.3.tex.5.dicens de his qui febricitant & menstrua ipsis succrescunt. Quibus in febribus anxiosis horridis rubescunt facies,laborioſe degunt. Dolores oculorum,capitis grauitates,paraplexiæ,& muliebria si apparuerint, maximè autem quibus primum, sed virginibus & mulieribus quibus ex multo tempore,sed & quibus,non quo consuetum est tempore aut oportet apparent,deinde pallidæ fiũt:qua sententia visus est comprehendisse maiorem huius rei quæ ad menstruorũ implexũ pertinet partem.Difficultatis quidem & molestiæ causa multis procul dubio fit rationibus:prima,quòd auxilia alioqui proficua & necessaria menses fluẽtes renuant,vel remorentur saltẽ,adeò vt morbus tantũ crescat,quòd deinceps beneficiũ suscipere aliquod vtiliter non possit.Præterquam quòd cũ menstruorũ anticipatio ex genere sit sympthomaticæ vacuationis,dubiũ non est , quin maximũ arguat periculum , maius quidem in morborum principijs,quàm in quouis alio, ob adductas à me rationes.Cui accedit, vacuationes nullas in principijs morborũ vtiles vsquam naturam mouere posse.Verũ cum hoc contingit aliquando vtilem esse huiusmodi mẽstruorũ anticipationem,nimirum,cùm in morbi statu prorumpit copioſe& cum tolerantia. Quod(licèt tempus anteuertat)iuuat profectò magis commoditate temporis morbi & copia, quàm irritamento obsit: velut etiã de declinatione subaudiendum est : dummodo non cohæreat cum alia naturæ vacuatione. Quippe eo tempore grauius malum protendit:arguit enim naturam maximè irritatam ,& ob distractionem nullam vacuationem perfecturam. Causas verò habet menstruorum anticipatio , iudicio nostro, numero quatuor: nimirum,materiam plus iusto copiosam, acrem, mordacem,tenuiorem,aut omnino à natura alienam:facultatem,expultricem quidem irritatam , aut retentricem nimis deiectam:instrumentum præter naturæ modum laxum , apertum, aut diruptum:ac vltimò fit propter causam sine qua non, exquisitiorem videlicet & acutum sensum,qui à rebus etiam secundũ naturam existentibus exacerbatur. Atque hæc de causis dixisse sit satis , vt quisq; intelligat præsagij rationẽ iuxta causæ naturã,& curãdi etiã methodũ.Quippe aliquãdo opus est minuere quæ abundãt,nõnunquã quæ virtutẽ exacerbãt retũdere,aut sensum stupefacere, vel vijs & meatibus patulis prouidere.Verùm mẽstruis(vtcunque sit)debitum tempus antecedentibus,morbo incipiente,magnam fas est diligentiam adhibere in sanguine pro ratione morbi vlteriùs mittendo:præsertim si anticipationem ex copia proficisci comperiamus:quo casu nullo interposito tẽpore,ex talo primò quantũ sat sit ad impetum naturæ iuuandum sanguinem mittemus.Quòd si necessitas vlteriùs pergat,& vteri plenitudo deposita sit,audacter ex brachio,vel ea parte, quam affectus postulauerit , sanguinẽ mittere licebit:Si quidẽ sympthomaticæ vacuationes

id permittere videntur,quinimò expoſcere ſæpiſsimè. Quapropter in anticipatione menſium differre non licet vlteriorem ſanguinis detractionem, ſi affectionem poſtulare comperiamus, ſicut in alijs menſtruorum cum morbo implexibus,ſed protinus ipſum mittere,ſi ex vteri plenitudine prodeat,ex talo,non ſemel ſed bis & pluries:ſin aliter, ſemel ex talo quantum ſat fuerit & affectus poſtulauerit, nimirum quod ſufficiat conſuetæ purgationis quantitati reſpondere,idq; maximè ſi affectio ex his ſit quæ caput irruere aſſolent, vt in ardentiſsimis febribus conſpicimus, deinceps verò ex brachio. Secus quidem res ſe habet in reliquis vacuationum generibus, in quibus plus temporis expectare oportet, ac differre, donec natura vel quieuerit, vel ſaltem remiſsiùs egerit. Quo tempore apparentibus tantùm ſtilla ſanguinis,aut vteri ſanguinolentis purgamentis, vrgente affectu,pharmaco purgare tutum ac ſæpe neceſſarium exiſtit:præſertim ſi procedente iam morbo,ac eunte ad iudicationem, anticipatio fiat. Quibus proculdubio temporibus coniectandum erit vitioſos humores, acres,& mordaces id efficere: ob idque properandum eſt ad purgationem,ne eorum vitium intus perperam cohibitum in grauius malum commigret. Verùm ſi in morborum principijs ex humorum corruptela potiùs,quàm copia menſtruum anteuerterit ſtatutum tempus, magis ob id innitendum eſt ſanguinis detractionibus, quàm purgationi,licet parciùs quàm in primo caſu:quod in ſtatu & declinatione fieri minimè licet, ſed vberiùs purgãdum,quia ea tempora ex artis ratione purgationi potiùs, quàm ſanguinis detractioni idonea ſunt:niſi etiam eiſdem tẽporibus ſanguinem abundare cognitum ſit, quod vtile foret à principio affectus impedire: nam periculo plenum eſt ſanguinem in ſtatu,aut prope ipſum abũdare. Quòd ſi ob medici,aut laborantis negligentiam factum non ſit,& menſes ea cauſa in ſtatu inſtillauerint, ſanguis quidem eo tempore mittendus eſt,cautiùs tamen quàm in principio: ſicut in principio cautiùs purgandum quàm in declinatione, idque ſi neceſsitas vrgeat, menſibus adhuc ex toto non finitis. Itaque debitum tempus menſtruis anteuertentibus in morborum principijs,mittendus ſanguis ocyſsimè ex talo eſt,& ſi neceſsitas vrget,ex brachio ipſis nondum finitis: præſertim ſi ex totius plenitudine anticipatio fiat:ſin aliter, id fieri quoque poteſt, ſed parciùs:purgandum tamen ſi id plurimum affectionem expoſcere conſpiciamus, ipſis tamen iam iam deſinentibus, idque maxima cum affectus vrgentia, ac pronunciato priùs damno ab aſſumpto pharmaco,& maximo periculo ex dilatione. In alijs verò vacuationibus,vt ſuperiùs dictum eſt,fieri poteſt. At ſi in ſtatu aut declinatione anticipatio accidat,& morbus præſtiterit expectandi inducias, differre purgationem tutius eſt: ſin aliter, iam deſinente menſtruo,& nuſquam aliter: licet his temporibus audaciùs purgare liceat facta collatione ad principiũ, vt nuper diximus:præſertim vitioſis humoribus cauſam anticipationi præſtantibus. Hæc autem optimè lector animo frequenter euolues,vt ex mentis exercitatione & artis principijs peritiam aſſequaris,qua in rebus grauioribus & difficillimis,quales huiuſcemodi ſunt, rectum ad agendum poſsis proferre iudicium ac decretum.

De

De duris, & cancroſis mammarum tumoribus.

Cap. XVII.

AD menſtruam quoq; purgationem,& ad eius proculdubio vitia pertinere exiſtimamus eos tumores præter naturam, quos fœminarum mammis adnaſcentes vulgari nomine, zaratanes nuncupari conſpicimus: malum quidem maiori ex parte fœminis familiare,graue, difficile & maioris ac periculoſioris præludium. De cuius ſanè natura & eſſentia non ſatis conuenit inter authores: quamobrem hac in parte eius conditionẽ & differẽtias explicabo docens cauſas,ſigna,& veram præcauendi & curandi methodum,ſi priùs docuero, quales in mammis experimento & obſeruatione comperiamus tumorum differẽtias, prædicto tumorum generi perſimiles adnaſci.

Frequentiſsimè quidem in fœminarum mammis (in ijs præſertim quæ viro orbatæ ſunt, aut parere ante debitum tempus deſierunt, vel ſteriles exiſtunt: ſicut in virginibus, quæ iam grandiores ſunt & viro maturæ) duros conſpicimus ſuccreſcere tumores mille accidentibus præditos: quos quidem ob id rude vulgus exiſtimat cancros eſſe, aut eoſdem ſemper minari. Verùm vt rem à primis principijs aggrediamur, expendat diligens lector experimento quotidiano eſſe confirmatum, ſex tumorum durorum ſortes cancrum ſimulantes aut minantes, fœminarum mammis ſuccreſcere poſſe: has quidem præter communes tumorum differentias. Prima porrò ex craſſo ſit & caliginoſo flatu mammam vniuerſam diſtendente ducenteque eam in turgorem. Altera dum mammarum glandulæ humore aliquo fluente, aut ſenſim & paulatim ibidem concreto & infarcto tument, dolent aut citra dolorem turgent. Alia verò dum ex pituita vel quouis alio craſſo humore à capite fluente,vel alunde in mammas tranſmiſſo, aliquid imbibitur citra collectionem in ipſis factam, cuius ratione duræ apparent mammæ,dolentes quidem, ſi bilis flauæ, vel aduſti alicuius humoris aliquid acceſſerit,indolentes verò, ſi citra ipſos fluat. Quo proculdubio malò affecta mamma in maiorem molem augetur citra tumorem aliquem parti alicui eius peculiarem. Quod ob id fieri ſcimus,quia humor imbibitus potiùs exiſtit,quam alicubi collectus:res ſanè ad tumorum præter naturam confectionem apprimè neceſſaria. Quarta quidem duritiei ſpecies fit,cùm ſcrophula mammis adnaſcitur:quod frequentiſsimum eſt: vel glandula ipſa in ſcirrhum cõuerſa,duritiem in mammis repræſentat non leuem. Quinta ſanè fit, dum ex cauſis huic rei proficuis ſcirrhoſus tumor in mamma paulatim congeritur. Sexta porrò & vltima,cùm ſcirrhoſus tumor,vel quiuis alius ex prædictis in cancrum migrare nititur,aut iam iam in eũ mutatus exiſtit,idque cum vlcere, aut citra ipſum. Verùm vt quiſq; hæc omnia diſtinguere ſciat ac præcauere,& pro vſu & indigentia curare diſcat: placuit hac in parte cuiuſq; ſeorſum meminiſſe,& ſigna,cauſas ac medendi rationem docere, ne nobis vſquam accidat,quod multis euenisſe ſcimus,nimirũ,ex negligentia propter mali ignorationem,aut ex nimia diligentia propter ruſticũ futuri mali timorem,in grauiora pericula fœminas deferre,curatione potiùs, quàm ſua ſponte vi morbi excitata.

De flatuoſo mammarum tumore.

Fœminis quidem ijs,quibus & menſes & ſemen ex ſuppreſsione,aut improſpera purgatione corrumpuntur, & in vtero & vicinis partibus exiſtentes, ibique corrupti & vtcunque vitiati, à ſe craſſos halitus fundunt, ſuccreſcit facilè ob ſympathiam his partibus propriam, vt commoto ex aliqua euidenti vel abdita cauſa flatu,illucque delato,cor dolitet,& mammæ(ſiniſtra præſertim)turgeant,ac in tumorem eleuentur dolore non leui,ſimul cum brachij & totius lateris conſenſu & cruciatibus.Quam ſanè tumidam doloroſamque mammarum affectionem multi dolore & tumore decepti iudicant tumorem eſſe cancroſum, vel cancrum minantem.

Cauſa.

Verùm ſi quis rem hanc diligentiùs penſitet, comperiet cauſas habere prædictã affectionem cognitu quidem faciles,præcautione verò difficillimas & ſua natura graues. Prima ſanè omnium eſt obſtructio,quæ vel menſium purgationem cohibet,minuit aut remoratur,vel vteri neceſſaria ac vtilia purgamenta ſupprimit. Secunda quidem excretionis priuatio eſſe cenſetur,ſiue inconſueta fuerit,ſiue conſueta. Ex quibus iam tertia prodit, nimirum, excrementorum aut humorum, quos nuper diximus, corruptio:ex quibus vel adaucta fuliginum copia, vel plus iuſto cohibita,aliquid ad reliquas corporis partes tranſmitti neceſſum eſt: ad eas præſertim,quibus maiori conſortio cohæret & gaudet vterus ipſe.Quo fit, vt ſuccreſcat quarta & vltima cauſa ac immediatior,videlicet,ob flatum in mammis receptum tenſio,quæ tumoris naturam æmulatur. Verùm quia huic parti propriè ſunt partes quædam,quæ dolere poſſunt,& rurſus halitus maiori ex parte vitioſus, corruptus,acris & mordax exiſtit,fit ſubinde facilè, vt dolorem haud mediocrem edant:quinimò doloribus cancrorum perſimilem,grauem quidem & acutum,ob halitus illuc aſcendentis naturam & conditionem: extenſum etiam & pluribus partibus communem ob colligantiam & conſortium mãmarum cum brachijs, ſcapulis, coſtis,& his proximis partibus.Quibus ſanè & cauſas & cauſarum differentiam haud difficulter diſtingues,vt huic malo prouidens præcauere facilè poſſis,quominus ad maiora & grauiora fiat commeatus: quippe non difficulter in affectione hac aſcendente aliquo ex reſiduis humoribus vel excrementis,ſcirrhoſa, & poſtmodùm cancroſa efficitur durities : quod frequenter accidiſſe comperimus.

Signa.

Reperiet diligens medicus,ſi rem hanc attento animo conſideraverit,affectum hunc mammarum flatuoſum eſſe tumorem,quem(licet mammæ cauitatem inſignem non habeant)in eiſdem fieri facillimum eſt ob ſpongioſam, raram & laxam naturam quam ſortiuntur: quo fit vt non difficulter recipiant flatum, & aliquo temporis ſpatio pertinaciter contineant. Quem ſanè tumorem noſces,& ab alijs eiuſdem partis tumoribus diſtingues, quia in eo,ſi quis mammam manibus comprimat,reperiet vniuerſam eſſe in tumorem elatam,tenſam,dolentem, & nõ vnicam eius partem, neque quid peculiare in ipſa tumidum aut dolens exiſtens, ſed rigida tota eſt. Glandulas etiam eius citra dolorem continget attrectabitque:quòd ſi quando dolitent,potiùs ex tenſione,quàm ex duritie fieri comperiet. Sed diſtingues eam affectionem à reliquis duris,quia in ea,vera durities non reperitur,ſed tenſio & turgor,res quidẽ longè diuerſa à duritie. Præterea id cognoſces, quòd in reliquis mammarum tumoribus ſemper aliquid durum remanet, doloroſum vel dolore carens,diuque perſeuerans:at in turgentia ſeu inflatione per interualla quod tenſum eſt reperies, idque vel menſtruationis tempore, vel per lunares circuitus,aut ex aliqua occaſione vel citra ipſam. Fœmina item mœſta eſt, aut

aut animo deficit,vel vteri aut hypochõdriorum ac cordis dolore premitur. Sed quod frequentius ipſis accidit,ſaltus quidem cordis eſt & palpitatio: denique dum aliquid eorum,quæ in vtero præter naturam retentum cõputreſcit,mouetur, magis ac magis prædicta affectio exacerbatur. Quibus ſanè occaſionibus ceſſantibus vel ſponte vel præſidio quouis mox ſubſident mammæ & dolore leuantur, & accidentia omnia quæ mammarum tumorem comitabantur, ceſſare videntur.Habet etiam id peculiare hoc tumorum genus, vt difficilis ſit iudicij, quod plerunq; vel alijs tumoribus adiungatur, vel durante affectu mox alter ſuccreſcat.

Curandi ratio.

Magni quidẽ eſt momenti in hoc malo prouidentia:quippe ipſo præpedito,aut extirpato maiora proculdubiò præcauemus:ob id,qui veram deſiderat noſſe curandi rationem,legat cap.de viduarum & virginum melancholia lib.2.huius operis,antè quidem,quàm curatrices adhibeat manus. Interim tamen ſciat primum curandi principium pendere ex ea vacuatione,quæ ſanguinem in vtero abundantem minuat,ſciſſa vena,quæ vtero correſpondeat,qualis eſt,quæ in malleolis reperitur,ea porrò quantitate,quæ plenitudini, habitui, ac menſtruorum priuationi æqualis exiſtat.Quo ſanè præſidio triplex præſtamus beneficium : ſanguinem nimirum,ne putreſcat,vacuatione facta efficimus:menſes euocamus,& vltimo eorum adminus defectum ſupplemus:præterea prouidemus,ne affectus ex flatuoſo in ſcirrhoſum,aut verum cancrum commigret.Quam etiam ſanguinis detractionem tutiùs & commodiùs per interualla facies,ſaltem quarto quoq; menſe, menſtruationis tempore.Interim tamen alijs præſidijs mẽſes euocare opus erit,ijs quidem quæ(vt dictum eſt proprio cap.)id efficere nata ſint,vel exhibito chalybe præparato,crurum lauacris,inſeſsionibus in calida aqua,vel pedibus ibidẽ diu immorantibus,ligaturis,cucurbitulis,& modico exercitio.Verùm quia vires non permittunt rem omnem ſanguinis miſsionibus iuſto frequentioribus fieri,& quia conſectabile etiam eſt,corpus vniuerſum,mæſereon,vteri venas,iecoris aut ſplenis ſcatere crudis,melancholicisuè,aut vtcunque aliter vitiatis excrementis,ex vſu erit his medicamentis per vices & interualla corpus purgare,quæ diximus.cap. nuper citato.Huius ſanè cenſus ſunt cõfectio Hamech ſine ſcammonio & colocynthide, agaricus,folia ſenæ infuſa,decocta,vel pruna damaſcena ſaccharo & prædicta decoctione condita:valet & ſyrupus ex prædictis folijs confectus cum paſſulis & succo borraginis,addita pro libra decoctionis. ʒ.j. lapidis lazuli linteo molli ligata,& per diem integrum macerata & expreſſa:cuius. ʒ.iiij. porrigere poteris. Præterea facta purgatione,cordi prouidendum eſt ijs quæ flatum diſcutiant, qualia abundè reperies.cap.de cordis affectionibus.Deinceps tamen mammis apponere oportet linteolum crudum aqua vitæ ſæpius madefactum & vmbroſo loco exiccatũ, vel eundem ſaponis ſpuma imbutum,aut oleo liliorum,de ſambuco, vel ex ſemine, aut radice angelicæ confecto.Præſtat & confectum ceratum ex eiſdem cum modica cera,balſamo,vel oleo abietis,ac pulueribus plumbi vſti & non loti, aniſi, aut ſeminis rutæ.Cui etiam vſui non parum proderunt pleraque ex ijs, quæ inferiùs hoc cap.ſum dicturus,præſertim ea quæ diſcuſſoriam & anodynam obtinuerint efficaciam,velut eſt oleum de napha ſolum,vel cum modica cera,vel aliud ex nuper dictis.In qua ſanè curatione eam victus rationem inſtitues, quæ parca ſit, & optimi nutrimenti,cum potus parſimonia,ne vel crudum ex alimento quid ſuperſit,& obſtructionibus obſit,vel malum in aliud degeneret, nimirũ, in ventris, aut in vteri inflationem.

De mãmis durs & turgentibus humore.

Solet non rarò in fœminis (quibus aut menſtrua deficiunt, aut improſperè profluunt) caput fluxionibus doloribuſque grauiſsimis tentari: quibus ſanè occaſionibus aliquid eius, quod influit in mammas, vel ex vtero illuc commigrat, ipſas in tumorem eleuat vniuerſas cum dolore vel citra ipſum. Quæ porrò affectio non leuibus, aut vtcunque adhibitis præſidijs ſubſidebit miteſcetque: quin potiùs minari grauius aliquod malum videtur, præſertim cum in ea affectione tota mamma intumeſcat, velut in præcedenti dictum eſt: cæterum diſsident, quòd in illa flatuoſa ſubſtantia, in hac verò humor magnitudinem & turgentiam efficit. Quamobrem etiamſi cauſæ ratione differant, morbum tamẽ in magnitudine vtraque conſtituit.

Cauſæ.

Cauſas habet hæc tumorem ſpecies non contemnendas: vnam quidem menſtruorum ſuppreſsionem, cuius ratione facto recurſu ad mammas, eaſdem præ copia in tumorem eleuat, doloremque ſubinde concitat, dum nimis tenduntur, aut dum id quod influit, acrius, mordaciuſque extiterit. Quod etiam ſecundò contigiſſe cernimus confluente à capite tenui pituita flatibus admixta, præſertim ſi dolor ſimul acceſſerit. Ex quibus cauſis ſcimus fœminas non rarò graui dolore premi, idque non in mammis ſolùm, ſed in humeris etiam, brachijs, ac ſub alis, ita vt plures exiſtimarint, cancri eſſe principium: nec omnino ſanè falluntur, præſertim ſi quis eam affectionem negligenter tractet: nam ſæpe eius, quod influit, aliquid in duritiem ita grauem commigrat, vt difficile non ſit credere, in cancrum quoque poſſe degenerare: & ob id curandum eſt eam affectionem rectè diſtinguere, præcauere & curare, ne quid præter inſtitutum nobis inopinatò accidat.

Signa.

Cognoſces autem hãc affectionem, diſtinguesque à cæteris ſibi ſimilibus, quòd in hac tota mamma intumeſcat, doleatque etiam æqualiter tota: item quòd nulla ſit in ea pars, quæ magis quàm altera induruerit: licet cùm morbus diu durat, id quoque reperiatur. Præterea id cognoſces, quòd per interualla ac certis quibuſdam temporibus tumores doloreſque exacerbari magis cõtingat: quod ſanè ad penſum fluxionum vel prope tempus menſtruationis euidentius fiet, ac ſubſidebit protinus vel ceſſante fluxu vel menſibus prætereuntibus, & eò quidem citiùs, quò magis ſanguine mẽſtruo purgata fuerit mulier, licet nonnihil in mammis ſemper doloroſum ſuperſit, quod in inflatione non accidit, quia penitus quod flatuoſum eſt reſoluitur.

Curandi ratio.

In hac quidem affectione ei cauſæ prouidebis primò, quã cognoueris malo principium præſtare. Sic etenim capite affecto, & inſtillante in mammas, primitus exiccantem victus modum inſtitues, ex paſſulis nimirum, amygdalis toſtis, amylo, melle roſaceo ante omnẽ victum aſſumpto: ingeſtis poſtmodũ auium aſſatis carnibus cum potu ex aqua aniſi, vel radicis chinæ, aut ſpartæ parellæ. Quo quidem facto ad medicinalia te conferes præſidia, purgato priùs corpore: caput etiã pilulis parua & frequenti purgatione euacuabis. Quem ſanè vſum præſtant pilulæ ſine quibus, aureæ, arabicæ, ex hiera, ex agarico, ex hiera & agarico ſimul: ac ſi ventrem affectioni cõſentire cõperias, ex maſtichinis quãtum ſat ſit porriges, vel ex mechoacano, indica nimirum radice. Exhibebis quoque noctu coriandrum præparatum vel aniſum toſtum, aut puluerem ſpartæ parellæ cum ouis forbilibus, aut pilulas ex agarico & ſpartæ parellæ decocto confectas. Verùm ſi hæc (præſertim adhibitis crurum frictionibus, lauacris & imperato modico exercitio) prodeſſe non videantur, confugiendum proculdubio eſt ad ſudandi munera, quæ in hac affectione magni

magni eſſe momenti creditur. Quod præſidium parabis decocto ſpartæ, aut radicis chinæ, vel ſerapiũ ex prædictis confices, quod ſanè non minoris momenti eſſe ſcio. Cæterũ ſi ne hæc quidem ſufficere conſtet, fontanellam altero brachiorum aperire poficuum & ſummoperè neceſſarium exiſtet. His quidem factis mammas ijs medicamentis tractabis, quæ reſoluendi & modicè laxandi vires habent, quale creditur eſſe vnguentum, vel cerotum ex oleo amygdalarum dulcium, de ſemine lini, liliorum, aſungia gallinæ & anſeris cum modico diaquilone loco ceræ: facto vnguento vel ceroto prout magis placuerit. Prodeſt & emplaſtrum filij Zachariæ cum diaquilone, & pulueribus ireos. Item ſi mamma nimio dolore, aut calore crucietur, ex vſu eſt vnguentum roſaceum cum modico plumbi vſti & cera alba: aut idem vnguentum ſæpiùs in mortario plumbeo agitatum, vel oleum omphancinũ cum pinguedine gallinæ, & oleo amygdalarum dulcium: quæ etiam in eodẽ mortario ſæpiùs agitentur, & proderunt magis, ſi ex eiſdem ceratum cum modico diaquilone, vel cera confeceris. Cui etiam affectioni conſimilem curationem adhibebis, ſi ex ſuppreſsis aut improſperè fluentibus menſibus mammas indurari comperias: præterquàm quòd vniuerſalis prouidentia, non quidem in purgatione, ſed in menſium prouocatione, & ſanguinis miſsione ex talo præmittenda eſt: cui quidem curationi innitendum erit ante particularem auxiliorum adminiſtrationẽ.

De duris mãmarum glandulis ac de earũ ſcrophulis.

Inter eas mammarum affectiones, quæ cancrum ſimulant, aut minantur, vna profectò eſt glandularum, quæ in mammis ſecundùm naturam exiſtunt, durities, aut noua glanduloſi tumoris generatio, ſiue dolens, ſiue dolore carẽs exiſtat. Solet quidem non raro (quemadmodùm amydalis, & columellæ in ore euenire cõſpicimus) in mammis quoque fluxio eius conditionis delabi, quæ ſola citra inflammationem, durum tumorẽ concitare nata eſt. Quem ſanè affectũ, ſi dolorem ſibi comitem habeat, non pauci inter medicos tumorẽ eſſe cancrum minantẽ iudicant: verùm, vt mea mens eſt, longè ab eius natura diſsidet. Quod equidem conſtabit, ſi quis conſideret, hanc affectionẽ dupliciter poſſe mammis ſuccreſcere: vno quidẽ glandula ipſa grãdiori ac duriori facta: altero verò, dũ in mamma glanduloſus quidam tumor progignitur, qui ei generi tumorum incumbit, quod ſcrophulas obtinere ſcimus: quem ſanè multis rationibus ſcrophulam eſſe arbitramur: & ad ſcirrhoſam naturam Gal. lib. de tumoribus præter naturam, &. 13. metho. reduxit dicẽs. Scrophulas eſſe glandulas in ſcirrhum conuerſas. Quorũ ſanè tumorum vnumquemq; mammis euenire non rarò cõſpicimus: quippe aliquãdo glandulas indurari ſcimus: nonnunquàm verò alias ipſis perſimiles mammis præter naturã accreſcere. Quamobrem conſiderandum eſt, glandulas duobus modis indurari, aut (vt rectiùs loquar) apparere induratas: vno quidẽ affluente humore pituitoſo & fluxili, qui in eiſdem glandulis turgorem creat ſine dolore, vel fluxioni ad mixto acri & bilioſo humore, quo cruciatus non leues in mãmis & vicinis partibus inferuntur: altero etenim cũ in ipſa mamma, haud ſecus ac in alijs eius naturæ partibus ſcrophula gignitur, inquit enim Celſus, lib. 5. cap. de ſtrumis. Naſcuntur maximæ ſtrumæ in ceruice, ſed etiam in alis & inguinibus, & in lateribus, in mãmis quoque fœminarum ſe reperiſſe, chirurgus Mages author eſt. Quam ſanè huius viri opinionem veriſsimam in pleriſque fœminis comperimus: in quarum mammis ſtrumoſus tumor ſuccreſcit ex concreto pure vel ſanguine formam glandulæ adipiſcente: quam etiam ſententiam Tagaultium tueri euidenter conſtat. Cuius proculdubio naturæ arbitramur eſſe non paucos ex tumoribus, qui cum dolore fœminarum mammas extorquent, quos ſubinde medici exiſtimant cancros eſſe, aut

aut minari,cùm meo & multorum experimento conſtet,nullam aliam acquirere (nec diuturno adhuc tempore)conditionem,ſed eo ſtatu pluribus annis perſtare, non ſine magna quorundam admiratione.

Cauſa. Cauſas quidem habent hi glanduloſi tumores longè diuerſas, ſicut & naturam diuerſam ſortiuntur (vt dictum eſt)per paulatinam congeſtionem alter: alter verò per defluxum. Quippe glandulas fieri turgentes contingit vel menſtruis deficientibus recurrentibuſque ad mammas, vel defluente tenui aliquo humore pituitoſo ſolo, vel ſeroſo ſibi admixto. Vt his fœminis accidere conſpicimus,quæ cantu vel quouis alio ſuperiorum partium exercitio nimis vtuntur, mẽſibus quidem fluentibus aut imminentibus fluere. Ex quo iam cõſtabit glanduloſis mammarum partibus humorem hunc ſuſceptantibus dolorem & magnitudinem accedere, ita vt glandulas, quas anteà percipere erat difficile, iam vel leuiſsimo tactu comperiamus duras vel dolentes, aut vtroque damno affectas. Strumam verò ex purulento & ſanguineo humore fieri refert Celſus, quam equidem cauſam fœminarum mammas hoc malo perdere,maiori ex parte arbitror ob menſium defectum & putredinem: licet ſtrumas plerunq; ex craſsis & viſcidis humoribus notiſsimum ſit prodire, quod etiam in fœminarum mammis accidere non rarò comperimus.

Signa. Facilè quidem noſcimus hos tumores tactu, cæterùm difficulter diſtinguimus vnum ab altero: nam vterque duritiem obtinet non leuem,dolent ambo,ſed magis phygetlon,quàm ſcrophula. Habet tamen hoc peculiare excreſcens glandula, quam ad phygetlon non ſine ratione reduximus,quòd non ſemper, ſed affluente humore,doloribus & cruciatibus exacerbetur,idq; iuxta fluentis humoris naturã & conditionem: ſubſident quidem,& ſedantur dolores quouis præſidio,aut ſponte reſoluto humore. Prætereà glandula facilè hinc inde mouetur, ſcrophula verò immobilis ſcirrhi inſtar exiſtit ſine dolore,& maiori duritie prædita,ita vt non immeritò quis ſcirrhum dixerit. Verùm à ſcirrho peritus diſtinguet,quia indurata plerunque dolet,ſcirrhus aut ſcropula minimè,aut perquàm rarò. Item glandula detumeſcit ocyſsimè quouis præſidio adhibito,ſcropula verò nõ,niſi diu præſidia adhibueris. Tandem licet glandula indurata brachia quoque & & clauiculam plerunque dolendo attingat, neque ita moleſtus dolor eſt, neque perſtans, vt reliquorum tumorum, qui cancrum minantur, niſi iam glandula in ſcirrhum commigret, quod potiùs ex incuria medicorum, quàm ex affectionis natura proficiſci arbitror. Vltimò tamen ſcrophula vnum locum obſidet, vnamue duritiem repræſentat: at glandula plerunque in paruulos ſecatur tumores, ſeu extuberantias intra mammas diuagantes,quas vix vna ex parte comprehendere poteris,etiam ſi bis aut ter mammam attingas,ſed ſemper nouum obſidere locum repræſentant.

Curandi ratio. Huic affectioni curãdi ratio exiſtit duplex, altera quidem,quæ duritiem emolliat: altera verò,quæ & cancrum inhibeat, & ſi quid eius factum eſt,augmentũ præcaueat. Hæc autem vna eſt,& in glandulis induratis & in ſcrophulis: nam primò expendiſſe neceſſum erit ante omne opus, traxerit ne principium duricies ex improba viuendi ſorte, an ex menſtrua purgatione perperam fluente. Quòd ſi primum, eam viuendi legem inſtitues, quæ ex totò ſit præcedenti aduerſa. Verùm cùm plerunque ex craſsis, viſcidis ac pituitoſis humoribus affectio originem ſortiatur,victum porriges extenuantem,ſiccum & modicè calidum, fugereq́ue præcipies ægrotantem à craſsis, viſcidis & coctu difficillimis alimentis, ac

ac tenuem ipſi concedes arietum,vitulorum,auium montanarum ac domeſticarũ carnes cum paſſulis & amygdalis toſtis,ficubus,& alijs, quæ prædictis ſimilia exiſtant. Potus ſit ex aqua cinnamomi,aniſi,vel(quod magis probo)ex radice chinæ, vel ſpartæ parellæ decoctus. Cœnam verò quàm tenuem imperabis ex ouis, aut pyris aſsis,vel fructu aliquo ſaccharo condito. Exercitium ſit moderato maius,ante cibũ & ſummo mane factũ. Verùm in medicinalibus præceptis hoc primũ dignũ obſeruatione exiſtimo, nimirũ frequẽtiores debere eſſe purgationes,minutas tamen,& facta priùs per extenuãtia & inſcindẽtia pharmaca præparatione. Quod ſanè probè facies ſyrupis de viſantijs,de radicibus,hydromellite,rhodomelle & ſimilibus. Poſtmodum verò eam purgationem inſtitues,qua craſſos humores educas,velut eſt ea,quæ ex agarico paratur turpeto,cartamo,folijs ſenæ,pilulis ex hiera,maſtichinis,alephanginis,& alijs,quæ conſimiles habeant vires. Quòd ſi hæc prodeſſe non videantur, ad artificiales ſudationes veniendum eſſe conſulit rei difficultas: quas ſanè moliri oportet decocto radicis chinæ aut ſpartæ parellæ: ac probarem maximè in hac re ſerapium aliquo ex prædictis decoctis confectum, eo modo,quem docuimus.lib.1.de præſid.indica. His quidem factis,& vt par eſt,pro viribus ægrotantis & morbi indigentia repetitis,ad topica auxilia cõfugiendum eſt, qualia mox referam,ſi priùs dixerò,quid agendum ſit menſtruis deficientibus,vel improbè fluentibus, ſi eos huic malo præſtare principium cõſtet. Quippe in hoc caſu initium curationis auſpicandum arbitror à ſanguinis detractione: ſi plenitudo adfuerit non leuis,ex brachiorum baſilica, quindecim nimirum diebus, plus minuſue paululum ante menſtruationis tempus: ſin aliter,vel ſi iam menſes inſtauerint,vel nuper præterierint,diminutèq; proceſſerint,ex talo. Quo facto,pro plenitudinis copia ad menſium prouocationem properandũ eſt ijs,quæ proprio cap. diximus: Interim tamen non eſt ab re bis terue in anno ſanguinem ex brachio è regione mammæ affectæ minuere. Poſtmodum glandulis ex acri vel nimis tenui fluxione induratis inunctionem parabis ex oleo roſaceo,pinguedine gallinæ,anatis,& butyro ac modica cera alba. Item ex vnguento roſaceo & cera,ex oleo roſaceo, ex oleo amygdalarum dulcium,ſeſamino,violarum,& aſungia anatis ſæpiùs in plumbeo mortario agitatis: vel ex emplaſtro filij Zacharię cum modico plumbi vſti ſæpiſsimè loti. Quibus,ceſſante iam fluxione,ac ſi reſoluendi mẽs fuerit, dolore omnino remiſſo,addes olei camemali vel liliorum quantum ſat ſit vt citra nouam attractionem,aut caloris cõcitationem reſoluas id,quod emollitum vi emollientium pharmacorum iam ſteterit,diu etenim in his perſiſtes,aut telam cõficies his vnguentis imbutam,quæ fixiùs mammis adhæreat,donec vel dolorem ceſſaſſe,vel duritiẽ mitiorem eſſe comperias, nouatis ad tempus his prædijs. Quòd ſi huiuſmodi tumorẽ,vel quẽuis alium ex fluxione à capite foueri comperiamus, aut ex menſium ſuppreſsione vel hæmorrhoydibus ſuppreſsis augeri, in maioremq; molem excreſcere aut doloribus exacerbari, proculdubio malum frænabit ac forſan ex toto minuet,fontanella brachijs affixa ſi caput cauſam præſtiterit, aut cruribus,ſi ex vteri aut hæmorrhoydum ſuppreſsione ſuboriatur.

Verùm ſi duritiem in ſcrophulam,aut ſcirrhi effigiem migraſſe comperias,præmiſſa vniuerſali prouidentia,quam diximus,expurgatione paulò efficacioribus facta vteris: velut fieri ſolet radice indica mechoacam appellata,& diaturbit à Raſio ſcripto lib.9.ad Almanſorem cap.de colica,& alijs id genus. Et rurſus facta conſideratione eorum excrementorũ,quæ ex malo viuendi genere prodeunt, necnon & ex menſtruis ſuppreſsis,aut improbè fluentibus,ea omniũ habita prouidentia, quam

quam ſuperiùs diximus. Quo facto, ad topica peculiariùs veniendum eſſe conſulit rei natura & conditio, quæ prædictis cedere nequit, niſi grauiora adhibeas. Quamobrem cognitis mammarum ſcrophulis duplex erit curandi ratio(nam licet hoc tumorum genus in cancrum ob humoris ſortem nõ ita facilè degeneret, ſed diu in eadem ſpecie perſtet, cum hoc tamen haud leuem prærequirit in artifice diligentiam) vna quidem, quæ ſenſim & paulatim emollientibus & diſcuſſorijs auxilijs paulò efficacioribus tumorem diſsipet: altera verò quæ radicitus manus opera tumorem euellat. Primò hanc emollitionem & diſcuſsionem tentabis, donec ex toto durities euaneſcat: huius miniſterij ſunt emplaſtrum nigrum Galen. adſcriptum lib. 6. phar. ge. quod recipit olei veteris. ℥. iij. viridi æris. ʒ. iij. picis. ℥. j. ℈. ladani. ʒ. vj. lythargirij. ℥. iij. fiat emplaſtrum. Cui conſimile efficies, ſi addideris diaquil. mi. puluerem radicis ireos, & his iunctis emplaſtrum confeceris. Valet & diaquilon Meſue. Sed pretioſius his omnibus eſt oleum de bufone, aut vnguẽtum ex eodem oleo, pice, & plumbo vſto vel lythargirio confectum: item idem oleum cũ diaquilone ad cerati formam redactum. Confert & emplaſtrum melilotum cum modico ammoniaco, & oleo liliorum, ac puluere radicis ireos. Prodeſt incredibili quadam efficacia emplaſtrum illud Hippocrat. quod conficitur ex ſemine lini cũ vino albo in mortario plumbeo agitato & in puluerem redacto. Quod ſanè tantæ efficaciæ eſſe experimento didicimus, quòd & ſcirrhoſis etiam tumoribus prodeſſe frequentiſsimè compertum ſit. Quòd ſi ad maiorem duritiem affectio perueniat, conficies emplaſtrum ex radicibus altheæ coctis & extractis per ſetam cũ modico oleo ex bufone, pinguedine gallinæ & anſeris, & puluere plumbi vſti, ac radicis ireos: quod profectò magnæ eſſe frugis arbitror, præſertim ſi nigritiem duritiem contraxerit: ſic & alia adhibebis, quæ paulò inferiùs recenſebo in ſcirrhi curatione. Sed non eſt minoris momenti apud chimicos medicos, id quod recipit nucum cupreſsi paria quinq;, ficuum paria tria, radicis arundinis. ℥. ℈. coquantur in oximellite, poſt ſalis communis, cineris ſpongiæ, chalcitis. ana. ʒ. iij. iuri expreſſo addantur, mixtaque in vnguenti formam redigantur.

Verùm ſi eò ſcrophulæ duritiem peruenisſe videas, quòd (præterquàm quòd emollitionem, aut ſuppurationẽ non cõſequaris) ſimul radices in venas & arterias inſerere videatur, aut (vt rectiùs loquar) ad maiorem molem ſeſe extendat, tunc ſanè ad manus opera peruenire neceſſum erit: inſciſſa nimirum mãma, priùs ſcrophula vtrinque digitis compreſſa, quam tamen acu perforabis, & filo per foramẽ traiecto, manuq; ſiniſtra comprehenſo, hinc inde leniter à mammarum carne ſcalpello ſeparabis, ita vt ſimul totam ſcrophulam cum pellicula extrahas: cauens ne pelliculæ quicquam intus ſuperſit, quod temporis tractu regenerationi ſcrophularum principium præſtet. Qua facta curatione vlcus per vnionem ſimplicem curabis, facta nimirum futura, quæ diſciſſas partes vniat: quem ſanè curationis modum non parum profuiſſe conſtat. Verum ſi intus quicquam ex pellicula vel ſcrophula ipſa remanere comperiamus, vlcus ve nimis dilaceratum eſſe, curare oportet ijs, quæ ipſum digerant, ac ſuperfluum exedant, velut eſt vnguentũ Ægyptiacum cum pulueribus aluminis & albumine oui ſuperpoſitis quæ dolorem leniãt. At dum varias inſerere in mammas radices certum ſit, aliter quidem ipſam ſcrophulam tractare oportebit, nimirum factis iuxta prædictas radices in circuitu ſcrophulæ paruis inſciſionibus ſcalpello, vel ignito ferramento, ac immiſſo arſenico inſtar grani tritici minutiſsimi: hoc quidẽ in robuſtis fœminis, in alijs verò ſat eſt Vigonis puluerem immittere, ac deſuper vnguentum populeonis apponere, aut oxicrati

oxicrati pannum: quod facies donec radices exeſas eſſe comperias. Quo facto, ſecedet facilè ſtruma & vlcus (vt par eſt) ſuppurantibus, donec ad abſtergentia deueniendum ſit, curabis: Poteſt etiam ſtruma curari affixo in medio eius cãdenti ferro, vel facta cum ſcalpello ſciſſura: in quam ex cauſticis medicamentis aliquid immittere par erit, donec tota ſtrumæ caro exedatur. Cauſticum huic vſui paratur ex fermenti partibus tribus, & vna arſenici: ex quibus facta maſſa in furnello deſiccabis, cuius inſtar nuclei pini modicum immittes. Abſcindes etiã ſcrophulam ſi fili modicũ ſumpſeris, & in aquam arſenici ter quaterue immergas, donec vim cauſtici ſumpſiſſe comperias, quo ſanè filo radicem ſcrophulæ ligabis, ſinguliſq; diebus comprimes, donec arefacta radice præ tabitudine & alimenti defectu ſcrophula exareſcat, & procidat, aut faciliùs abſcindi poſsit. Quo facto reliquã curationem, vt vlcus expoſtulauerit, miniſtrabis, cauens ne iterum malum reuertatur purgationibus & victu moderato, & ſuperpoſito aliquo ex ijs emplaſtris, quæ mammam roborent, & ſi quid adhuc ſupereſt, diſcutiant.

De mãmarũ ſcirrho.

Seſe iam offert illud mammarum vitium, quod cancro finitimum exiſtit, quinimò ipſius præludium eſſe plerunque ſolet. Scirrhoſa quidem durities, non rarò in fœminarum mammis, ita pertinacis naturæ & malitiæ excreſcit, vt vel difficulter emolliatur, vel facilè in cancrum migret. Quamobrem & generationis modũ & naturam & cauſas ac ſigna ante curationem docere erit opus.

Generatur quippe in mammis ſcirrhoſa durities vno è tribus modis, quantũ ex varijs Gal. locis colligere potui. Primo quidẽ, ex atri humoris affluxu, id etiam aſſerente eodem Gal. lib. de tumo. præ. na. per hæc verba. Quatuor enim hi ſunt, qui frequenter fiunt affectus propter influxum humorũ, eriſypelas & œdema, inflammatioq; & ſcirrhus. Quam equidem generationis rationem ijs fœminis accidiſſe comperimus, quibus obſtructo ſplene, nequeunteq; ſanguinẽ à melancholiæ ſpurcitia purgare, ipſum per vniuerſum corporis ambitum redundare cogit: in quarũ mammas haud difficulter illius humoris non parua portio influit, quæ ſanè ſcirrhoſam duritiem tractu temporis cõtrahens, huiuſmodi affectum progignit. Proficiſcitur ſecundò eadẽ affectio ex vbertate melancholici & craſsi ſanguinis, mẽſtruis non fluentibus, ſed paulatim illuc non ſubitò (vt in primo generationis modo dictum eſt) recurrentibus. Ex quo proculdubiò in eiſdem venis & carne cõdenſato inæqualis in mãmis durities ſuccreſcit, prædicto humore ad mãmas velut alimento eunte. Qua etenim ratione fit facilè, vt per diuerſas mãmarum partes diuerſi tumores duritie non leui polleant. Vltimo tamẽ ſcirrhoſa hæc affectio per paulatinã (vt medici ferunt) congeſtionem plerunque ſuccreſcit, humore nimirum melancholico indies magis ac magis congeſto, adhæreſcenteq;, donec in immedicabilem duritiem & magnitudinem ſuccreſcat. Differt tamẽ hæc generationis ratio à ſecunda, quia in hac ſolùm in mammarũ carne concreſcit & induratur humor, in illa verò in venis & carne.

Cauſæ.

Verùm quouis ex his tribus modis fiat, fieri etiam tenetur vna è duabus cauſis, exiccatione videlicet in humore à calore facta, aut cõcretione ex frigido ingruẽte. Quippe humores, quos ſemel in aliquo mammarum loco contineri contingit, calor ita, reſoluta tenui eorum parte, incraſſat induratque, vt in ſcirrhoſam hanc duritiem migrare perquã facilè cõſpicias. Quod profectò vel ex frigiditate propria vel externa, aut defectu proprij caloris adeò denſari cõtingit & coërceri, vt in grauiſsimam & immedicabilem denſitatem promptè migraſſe conſtet: modò id ex primæua generatione fiat: modò ex alio tumore perperam curato, à refrigerata

nimirum iusto nimis inflammatione, vel vehementer aut ante tempus resolutionem perpessa. Est igitur scirrhosa durities tumor durus, doloris expers, quem (licet variam sortiatur generationis rationem) duplicis tantùm differentiæ & naturæ existere scimus: quippe alter exquisitus est, dolore carens, alter verò nõ exquisitus, leuem doloris speciem referens. Exquisitum eum censent authores qui ex melancholico fit sanguine, aut crassa pituita nimisq; condensata. Eum verò, qui sensu leui gaudet, ex alterius humoris miscella fieri constat, aut ex assato sanguine, humoreq; atro, quem bilem atram appellant. Ex quibus constare arbitror causam huic malo materiam præstantem, nullam aliam esse, quam humorem melãcholicum, sanguinemque crassum, aut nimis crassam pituitam, ni affectio (vt dictum est) illegitima fuerit. Neque obstet quominus hæc vera sint, Gal. lib. 5. simpl. cap. 9. scirrhũ fieri ex bile atra dixisse: nam eo loco & sæpe alibi, arbitror per verbum atram bilem subintellexisse melancholiam, quemadmodum facilè colliges ex eiusdem authoris verbis, qui loquens de medicamentis huic affectioni proficuis, illi necessaria esse emollientia auxilia profitetur: quæ sanè morbis ex atra bile ortis conuenire minimè possunt. Sed habet præter has causas generales, omnibusque communes fœmineum corpus vnam aliam peculiarem, nimirum, mensium suppressionem & improsperam purgandi fœculentum sanguinẽ rationem. Quippe cùm purgario illa crasso, melancholicoque sanguini expurgando idonea sit, si quando supprimi, aut vitiari contingat, vitiatos in corpore supereſſe humores nulli fore dubium arbitror: quos sanè in graue aliquod malum prorumpere certum est, præsertim circa eam partem, cum qua maiorem habet vterus communionem & colligantiam: quo fit, vt fœminarum mammæ subinde facilè in hæc vitia prolabãtur: præter quàm quòd receptioni excrementorum ob laxitatem mammarũ, substantia prona sit.

Signa. Huius affectionis signa haud facilè inuenies, ac licet inuenias nõ ob id vtcunq; cancrum minari percipies, aut secus: quòd in hac curatione maioris est momenti. Sed dignosces scirrhosam esse duritiem ex tumore sine dolore duro, ex inæquali corpulentia, ex colore fusco, aut subnigro: sicut, dum ex pituita prodit, ex subalbo colore, & corpulentia æquabiliori, vt ex Galen. constare videtur libro de tumoribus præter naturam, cap. 10. & 14. metho. cap. 9. Non exquisitũ verò eo dignosces, quòd dolorem ad tactum præ se ferat, alioqui minimum, aut per quàm paruum: qua etiam ratione distinguetur ab imminente cancro, siquidem citra contactum dolet, & à quauis causa excandescit, exacerbaturq; magis, quod scirrho non exquisito conuenire minimè potest. Præterea generationem habet non exquisitus ab exquisito diuersam: nam plerunque per defluxum fieri constat, aut per intempestiuum discutientium pharmacorum vsum, vel ex aliqua causa externa, quæ dolorem in mammis excitauit, cuius occasione in eisdem aliquid induruit, vel ex corporis vbertate ibidem confluxit: præter quàm quòd ex alijs tumorum præter naturã generibus proficisci solet, velut ex erisypelate, aut phlegmone.

Curandi ratio. Cùm duplicem hæc affectionis conditio terminum sortiatur, resolutionem nimirum, emollitione præmissa, vel cãcri principium, in quæ duo scirrhosa durities migrare plerũque solet. Ob id quidem in hac curatione (præsertim in mãmis, quæ ob propriam laxitatẽ plus recipiunt, & faciliùs indurantur) grandi diligentia emollitioni & discussioni innitendum est, ne ad cancrum commigret. Erit igitur in indurata hac affectione curandi via duplex, altera, quæ mollitionẽ efficere studeat: altera

altera verò, quæ extrahere doceat id, quod in mammis durum superſit, ineptũ alio qui emollitioni, aut resolutioni: nam suppurari hæc mala nunquam cõtingit, vt optimè Hipp. docuisse cõstat lib. 2. de morb. mul. per hæc verba. In mammis tubercula fiunt dura, partim maiora, partim minora, hæc autẽ non fiunt suppurata, sed semper duriora. Quinimo si quis suppurationem tentare audeat, dubium non est, affectionem citiùs in cancrum, aut exulcerationem degeneraturam.

Antè tamen, quàm ad emollitionem venias, curandum proculdubio est, corpus ab excrementis & crasis humoribus immune reddere, vel mensibus euocatis si fortè defecerint, ablatis obstructionibus, corpore purgato, vel sanguine misso, aut ad inferas sedes euocato, iuxta corporis affecti indigentiam: quippe nonnullis prosunt euocatæ hæmorrhoydes, vel sanguis ab eis missus, alijs sectiones ex talo, vel ex siniſtra saluatella. Sed quod vtilius esse arbitror, est ter quaterue in anno corpus à melancholico succo purgare, quod facies his medicamentis quæ superiùs diximus melancholiam posse purgare, velut est illud Mathioli appellatum elleborismum, vel aliud quod hac lege conficies: excipe elleb. nigri. ℈. ij. rhabarbari. ʒ. iij. zingiberis, cinnamomi, caryophyllorum, nucis muscatæ ana. ʒ. ß. mastichis, croci, epithymi. an. ℈. ß. radicis dulcis rasæ. ʒ. iiij. macerentur in musto aut vino dulci ad consumptionem medietatis, & colaturæ sume cum aqua lupulorum. ʒ. iij. Sed in vacuandis his humoribus, qui & difficiles sunt & rarò communibus medicamentis cedunt, arbitror sumopere esse proficuum, per interualla præbere stibij præparati modicum, nimirum. g. 4. aut. 5. nam id censeo esse quod in his humoribus consuluerat Hippocra. videlicet ea medicamenta esse adhibenda, quorum parum ingestum plurimum educat, ac licèt primo accessu validum & formidandum videatur medicamentum, vsus tamen & prudentia facilè monstrabunt proficuum fore. Verùm si his vti formidaueris, aliud ex elleboro parare poteris quod vtiliſsimum fore arbitror, recipit quidem corticum mirobalanorum omnium. ʒ. ß. polipodij. ʒ. j. foliorum senæ. ʒ. iiij. agrimoniæ, florum violarum, borraginis & bugloſæ. ana. p. j. bulliant simul omnia in seri lactis, libr. iiij. ad consumptionem medietatis, & in fine adde epithymi. ʒ. j. ellebori nigri. ʒ. j. misceantur, & coletur ac fiat apozema, cuius ʒ. ij. aut iij. porrigere poteris. Quibus exhibitis, aliquod ex cordialibus pharmacis vesperè porrigere poteris, quale est electuarium trium santhalorum, degemmis, confectio alchermes & alia eius naturæ. Quòd si mitioribus purgantibus vti velis, ea reperies facilè lib. 2. ca. de virgi. & vidu. melancholia. Huic etiam corpori eam victus rationem institues, quæ crassis humoribus extenuandis & conterendis idonea sit: sic & exercitium & reliquum vitæ studium pari pensu, donec humores mitiores & humectiores reddas. Postmodum verò ad rectam emolliendi rationem exequendam, considerabis, an tumor duritiem contraxerit ex nimia humorum viscidorum copia, quod haud difficulter cognoscès ex tactu: quippe sic indurati tumores minùs tactui resistunt, & quodammodo crassam duritiem præ se ferunt. In quo sanè affectu modicè calidis, siccioribus inscindentibusque pharmacis præmissis, duritiem frænare opus est: huius naturæ sunt quæ ex aceto conficiuntur pharmaca, velut œdematosis cõuenire dictum Gal. est, iuxta ipsius decretum lib. 8. de compo. phar. lo. cap. 8. inquit enim. Quæ verò ob frigidos & viscosos humores in solidis corporibus imbutos indurantur, ex necessitate frigidã habẽt affectionẽ, quare & calfacientibus simulque tenuiũ partiũ pharmacis opus habẽt: hæc enim sufficiẽtia sunt, & ad viscositatẽ humorũ induratis partibus infarctorũ extergẽdã, & ad secãdã crassitiẽ, & discutiẽdos

humores ita extenuatos. Cuius etiam fuit ſententiæ lib. 2. ad Glau. &. 14. metho. cap. 5. Verùm ex recta medẽdi ratione (vt nos lib. noſtro de indica. ca. de emollientibus docuimus) conſtat, induratis mammis nec liberaliter nec protinus acetum eſſe porrigendum, niſi dum inueterata admodum eſt durities, idq; aliorum medicamentorum admixtione, ne vel mãmæ ocyſimè aceti viribus contabeſcant, vel ſcirrhoſus tumor preſsiùs indureſcat. Quamobrem principiũ curationis auſpicari oportet ab inunctionibus, quæ conficiuntur ex pinguedinibus & oleo ſabino, vel oleo, in quo incoxeris radicem lilij, cucumeris amari, anethum, aut fœnugræcum. Præmittere etiã cõuenit fomentum ex radicibus altheæ, maluarũ, & ex fœnugræco, additis ℥.ij. radicis cucumeris amari, ac folijs etiã maluarũ, & brãchæ vrſinæ cũ ſemine lini. Quibus per dies aliquot factis, deueniendũ eſt ad pharmaca quæ acetũ recipiant, cum moderatione tamen, quale eſt, quod hac lege conficitur. Excipe aceti mulſi, in quo percoxeris hyſſopum, thymum, pulegium, anethum, radicem altheæ & fœnugræcum. ℥.ij. pinguedinis anatis, anſeris & cerui, ac olei rycini. ana ℥.ij. bulliant ſimul ad conſumptionem aceti, & vtere, partem bis die inungendo. Quòd ſi efficaciùs efficere velis, adde ammoniaci. ℥.ij. vel diaquilonis gummati quantum ſit ſatis, vt fiat cerotum, ſi ſolidior forma magis placuerit. Præſtat & diaquilon maius, præſertim ſi in eius cõfectione aceti modicum addideris, vel pinguedinis anatis & vituli momentum cum oleo rycino, aut de radicibus lilij. Idem quoque beneficium præſtat oxicroceum, ſed longè præſtantiùs arbitror vnguentum agrippa in communi forma adhibitum, vel ad ſolidiorem redactum, cui admiſcebis aliquod ex pharmacis, quæ vel corporis temperiem æmulentur, vel tumoris peculiarem aliquam conditionem reſpiciant: ego quidẽ cenſeo maioris adhuc momenti eſſe, ſi diu in mortario plũbeo id agitaueris. Quibus cognitis, facilè erit maiorem pharmacorum copiam iuxta vſus varietatem effingere.

Verùm ſi duritiem tumor contraxerit, factam per intempeſtiuam reſolutionem, ſiccitate in humoribus ibidem contentis inducta: curationem proculdubiò aliter inſtitues, præſertim cùm conſtet prædictam duritiei cauſam fuiſſe, aut Solem feruidum, vel validum exercitium, ardentiſsimam febrem, aut medicamentum nimis calidum importunè parti adhibitum. Quippe humor omnis eò ad terræ naturam propriùs accedit, quò magis aquoſæ aëreæque ſubſtantiæ fuerit expers, quibus facilè priuatur vi calfacientium & exſiccantium cauſarum. Qua quidem ratione humida pharmaca his profutura eſſe mihi & omnibus eſt compertum: primò, quia humidum ſeparat id, quod viſcidum eſt, à parte, cui adhæret, & craſſum mixtione attenuat. Sic enim corpus vniuerſum alimentis copioſoris & humectioris ſubſtãtiæ reficere & humectare priùs oportet, nullo exercitio, longiori ſomno, & omni animi tranquillitate imperatis. Deinceps tamen duritiem emollies pinguibus & ijs quæ humectiora ſint: ob id linimentis maximè vtendum eſt, eo præſertim, quod conficitur ex mucillaginibus extractis oleo amygdalarum dulcium, aut decocto ſeminis maluarum, vel cremore ſeminũ melonum, ac vltimò decocto fœnugræci, altheæ & ſimilium: ex quibus addita pinguedine aliqua lento igne ad conſumptionem decocti linimentum cõficies, quo vteris, ſi priùs partem mucillaginibus & nuper dictis decoctis emollieris. Confert etiam vnguentum ex radicibus altheæ coctis, piſtatis, & extractis per ſetam, cum modico vnguento roſaceo, vel reſumptiuo confectum. Prodeſt & cerotum refrigerans Gal. cum oleo amygdalarũ dulcium: item oleum de ſeminibus melonis & cucurbitæ, cum pinguedine anatis & modico vnguento roſaceo facto linimento,

vel

vel cerato cũ modica cera alba. Eundẽ quoq; vſum præſtant mucagines pſyllij, ſeminis citoniorum & fœnugræci, cum oleo roſaceo omphãcino, ſi diu in mortario plumbeo agitentur: aut ipſum roſaceum & omphancinũ cũ eâdẽ plũbi mixtione.

Quòd ſi per concretionem ex frigiditate partis, aut humoris, vel ex frigore cuiuſuis rei extrinſecus occurſantis, duritiem mammas contraxiſſe certum ſit (vt plerunq; melancholicis aut viſcidis humoribus in eas partes fluentibus accreſcentibuſue contingere ſolet) longè aliter emollitionem inſtituere oportebit. Primò quidem victum inſtitues moderatiſsimum, mediumque inter omnem exceſſum: vitam nec ſedẽtariam, nec nimis laborioſam, ac pari omnino pẽſu in cæteris rebus. Sed in animi paſsionibus omni arte curandum eſt, tranquillitatem aut hilaritatẽ adſeruare. Ad medicinalia igitur deuenientes, innitendum eſt bis terue in anno corpus vacuum immuneq; ab excrementis & craſſo ſanguine reddere: mittentes ſanguinem ex ſiniſtra baſilica, aut ſaluatela eiuſdem lateris, vel ſi menſtrua probè non proceſſerint, ex talo. Quo facto pro habitu & viribus fœminæ, coniectandũ eſt, an hæmorrhoydum fluorem fœmina perpeſſa fuerit, vel ipſas dolentes aut nimis tumidas habuerit, nunc verò ſuppreſſas habeat. Qua in re eaſdem iterũ euocare neceſſum erit, vel hirudinibus affixis ſanguinem ab eiſdẽ elicere. Sic etenim corporis cacochimiã (per purgantia pharmaca tutiùs ac faciliùs detrahes bis terue vt dictum eſt) in anno, corpore purgato confectione Hamech ſimplici, caſia fiſtula, manna, vel ſerapio ex infuſionibus roſarum aut violarum, vel prunis decocto ſenæ & ſaccharo conditis, aut ipſo ſenæ decocto cum ſaccharo & paſſulis. Poſteà vero reliquias conteres eiſdem decoctis & prunis frequentiùs & in minori doſi exhibitis, & tandem ijs, quæ ſuperiùs diximus humorem melancholicum purgare poſſe, maximè adhibitis gran. 4. ſtibij præparati, quod huic malo proficuum arbitror fore præſidium. Verùm circa particularium auxiliorum adminiſtrationem primò expendendum eſſe conſulo ea, quæ congelatione induruerunt vel ex propria humorum frigiditate concreuerũt, emollitionẽ poſſe nanciſci ijs medicamẽtis, quæ verè emollientia dicuntur, qualia eſſe dixit Gal. lib. 5. ſimpl. cap. 6. calidæ & ſiccæ naturæ exiſtentia: inquit enim eodem loco. Oritur autẽ induratorũ affectio ex fluxione viſcoſa & craſſa, paruis particulæ poris ſiue meatibus impacta, digeſto verò per halitũ, quod tenue eſt eius ac ſubtile: ac deinde quod reliquũ eſt, refrigerato ac veluti congelato, ſcirrhoſa ſequitur diſpoſitio, ac proinde frigidum pathos aiunt. Porrò quoniam cum frigiditate humor redundat ſuperfluus, idcircò etiam compoſitam eſſe eius medelam oportet: ob refrigerationẽ ſcilicet, excalfacientia poſcente affectu, ob alienam verò humiditatem, quæ mediocriter ſiccant. Hinc etenim euenit, quòd quæ congelata ſoluunt, non tantùm calida ſint, ſed etiam ſicca. Quamobrem non ſolùm in mammarum affectionibus, verùm & in multis alijs (vt latiùs lib. 2. de indica. diximus) mineralia pharmaca admiſcere pinguoſis, & ijs quæ inter emollientia Galen. annumerat, proficuum eſſe ſemper duxi: vt calore, quod concretum eſt, eliquaretur, & quod calore liquatur, mineralium ſiccitate ebiberetur conſumereturq;. Sic profectò plumbum ſeroſam materiam exulcerationem minantem, conterit & exſiccat. Cuius etiam naturæ creditur eſſe bdelium, ſtyrax, galbanum, ammoniacũ & medulla omnis. Sed prodeſt primo accceſſu parti adhibere linimentum, quod conficitur ex emplaſtro filij Zachariæ & pulueribus marchaſitarum, vel plumbi vſti, ſicut idem emplaſtrũ diu in mortario plumbeo traiectum, præſertim ſi gũmoſum aliquid addideris: confert & idem emplaſtrũ ad ſolidiorem formam redactum cum eiſdem pulueribus

& modico diaquilone.Erit etiam proficuum diaquilon maius cum plumbo vſto & marchaſitis præparatis,ac pinguedine anatis. Item ceroneum Nicolai vel diaquilon gummatum aut illud,quod conficitur ex bdelio,galbano,ſtyrace, ammoniaco,medulla ceruina,vituli,ac adipibus anſeris & anatis cum modico oleo cõmuni.Conferunt inſuper reliqua omnia,quæ glanduloſis tumoribus & ſcrophulis prodeſſe ſuperiùs diximus,& multa quidem alia, quæ ipſe effingere poteris, ſi præceptum Gale.2.ad Glau.tenueris,quo loco ſcirrhoſam duritiem curare docẽs inquit.Non igitur curandæ ſunt partes induratæ medicamento immodicè ſiccanti,ſed cum eo,quod calorem habeat tepidum,humiditatem verò neque multam, neque omnino minimam:quod enim ſuperfluum humorẽ habet, nihil omnino diſſoluit,quod verò minimum,plus quàm oportet exſiccat.

Verùm ſi prædictis pharmacis duritiem emolliri non contingat, antè quidem, quàm in cancrũ degeneret,proficuũ erit conſilium chirurgica operatione ſcirrhoſam duritiem radicitus amputare.Quinimo(vt verum fatear)nullã aliam ex duris mammarum affectionibus audaciùs licebit ferro extrahere,neque tutiùs, quàm ſcirrhoſam,idq; non leuibus rationibus.Prima quidem,quòd nullum habeat morecancrorum ſanguinem in venis prope duritiem congeſtũ:cuius occaſione non rarò(etiam ſi exactè fluat carne ſciſſa)ſcirrhoſam duritiem iterum (& malignioré quidem)concreſcere ſcimus. Secunda,quia fluxu ſanguinis plerunq; periclitari contingit laborantes cancroſis tumoribus ſciſsis, vt apertiſsimis verbis ex Ætio conſtat ſerm.4.cap.44.dicente:Cancros in pectore obortos omnino deploratos eſſe ſcito,quemadmodum & eos,qui in capite,collo,humeris, ſub alis & inguinibus generantur:ſunt enim & hi incurabiles:nam præter quàm quòd perfectè tolli nõ poſſunt,ſanguinis eruptionis timor incumbit, vt ex ea æger inter manus pereat: quod equidem in ſcirrhi abſciſsione continget nunquã.Tertia ſanè ratio eſt, quia cancrorum vlcera etiã ſi arte fiant,& probè curentur,periclitantur frequenter ob vitium ſanguinis vel cancri malignitatem,inſanabilia fieri:& aliquando vniuerſa mamma(adhuc cancro exempto)cancroſa efficitur & maligna exulceratione perit.Quibus rationibus adſtipulatur Ætij authoritas,qui ſerm.4.cap. 50. ex Leonidis decreto hæc refert verba.In alijs quidem corporis partibus priùs oſtendimus induratum tumorem ſine dolore eſſe,at in mammis nõ ex affectionis natura, ſed detractæ papillæ grauitate dolorem inducit.Si itaque tota mamma indurata fuerit,atque ita ſcirrhi tumor induratus thoraci annexus, vt citra periculum à ſanis partibus amputari non poſsit,chirurgiam nequaquam attentabimus:ſi verò ſummitas mammæ ſolùm indurata fuerit,aut vltra dimidium affectio non occupauerit,ſummitas amputanda eſt citra inuſtionẽ:neque enim in ſcirrhi tumore indurato,velut in cancro ſanguinis eruptionem vereri oportet.Qua ſententia euidenter conſtare arbitror,quantò ſit grauius & periculoſius cancrũ ex mammis euellere,quàm ſcirrhum, præſertim ſi in papillis non ſit,vt paulò inferiùs docebo. Itaque in ſcirrhoſa mammarum duritie primò innitendũ eſt,ipſam medicamentis emollientibus lenire.Quòd ſi id non profuerit,conſiderandum tunc vlteriùs eſt, an tota mamma induruerit,vel ſcirrhoſus tumor thoraci annexus fuerit,ita vt ſine periculo à ſanis partibus ſeparari nequeat:quo ſanè tempore chirurgiam tentare nefas eſſe arbitratur Ætius.Verùm ſi ſummitas mãmæ ſolùm indurata fuerit,ſecuriſima erit duri abſciſsio,ſecurior quidem,quàm ea,quæ in cancro fit,etiam ſi in papilla ſteterit,vt cap.44.dixerat.Quippe ſubdit rationem cap.5.dicens:Si verò ſummitas mãmæ ſolùm indurata fuerit,aut vltra dimidium affectio non occupauerit, ſummitas

ſummitas amputanda eſt citra inuſtionem,neque enim in ſcirrhoſo tumore indurato,velut in cancro,ſanguinis eruptionem vereri oportet.Ex quo dogmate duplex inſurgit poſt ſcirrhi abſciſsionẽ curandi ratio:vna porrò quam Ætius ſcribit eo loco dicens:Poſt amputationem verò linimenta indemus,&reliquam vlcerũ curationem adhibebimus:altera quidem, & quæ non minoris momenti viſa eſt (ſi citra ſanguinis fluorem immodicum,aut partium dilacerationẽ chirurgia præceſsit,aut nihil alienum intus relictum eſt)ea quidem erit,quæ per primam à chirurgis appellatam intentionem fit:nimirum,per ſimplicem partium coalitum ſutura aut ligatura factum:in ima tamen ſciſſuræ parte(vt tutiùs res fiat)relicto foramine,per quod ſi quid occultè reliquum eſt vel cruentum aut dilaceratum,in puris forma expiret. Quam ſanè curandi rationẽ multi ex peritis chirurgis, reliquis omnibus feliciorem & tutiorem experiuntur:quòd ſi alia via incedendum ſit, ad Ætij curationem confugiendum eſſe conſulit vel fluxus ſanguinis,aut carnis dilaceratæ ſuppuratio.

De duris mammarũ tumoribus, quos vulgo Xaratanes appellat.

Eæ mammarum durities,quas vulgus,zaratanes,nuncupat,ſeſe iam offerunt: ignotum ſanè morbi genus,& quod ex viri alicuius probi & antiqui decreto non ſatis quale ſit,conſtat,aut quam ſortiatur peculiarem naturam. Ob id neceſſum mihi erit hac in parte eius conditionem & ſubſtantiam docere,ſigna etiam, cauſas,& veram medendi rationem,ac primò qualis ſit præcauendi ratio & modus,ne in immedicabilem cancrum prolabatur,ac ſi fortè inciderit,qualis etiam ſit via (ſi non curationis,ſaltem ne in mortem ocyſimè degeneret)leniendi ac differẽdi id malum ne miſerè fœminas torqueri permittamus.

Vt igitur ex virorum doctiſimorũ vſu & diuturna obſeruatione colligere potui,prædictam mammarum duritiem,quã nomine Hiſpano,zaratan,appellamus, ipſi quidem nomine cancri cõprehendunt, idq; non ſolùm in fœminarũ mãmis, ſed in quauis etiam alia corporis ſit parte.Verùm quàm ſit à ratione alienum, diſces facilè,ſi exactè conſideraueris eam curandi rationem,quam authores hi prædictis tumoribus adſcribunt.Quippe emollientia pharmaca liberaliter admiſcent ijs, quæ cancro proficua ſunt,cùm ex omnium authorum decreto euidenter conſtet exacerbari plurimùm cancroſos tumores emollientium adhæſu. Præterea, ſi exactè conſideres cancrorum naturam longè à prædictis tumoribus differre comperies,ſiquidem cancer tumor eſt durus & inæqualis,licèt rotundus, venas habẽs in circuitu turgidas,liueſcens,colore,magis quàm inflammatione nigricans, calidus,ſubitò accreſcens,ægros maximè fatigans,& perpetuo ferè dolore affligẽs. At tumor,de quo nunc ſermo habetur,nec maximum dolorem,nec pũctionem, aut inflammationem,nec ſemper,ſed ex aliqua occaſione, aut imminentibus menſibus ſortiri comperimus,ſed immunes ab his accidentibus per interualla viuere fœminas ſcimus.Item cancrum etiam ſi vras aut feces,vel reuerti protinus vel in grauius malum mutari conſpicies,vt ex Celſi decreto conſtat euidenter,qui hæc refert verba.Quidam exciderunt,quidam aduſſerũt, neque vlli vnquam medicina profuit, ſed aduſta protinus concitata ſunt,& reuertunt,exciſſa verò, poſt inductam cicatricem,reuertunt,& cauſam mortis attulerunt. Sed prædicti mammarũ tumores haud difficulter exciduntur,nec redeunt ampliùs, ſi rectè cures, neque mali quicquam ſubinde ſequitur.Quibus rationibus perſuaſus cenſeo hos tumores,veros cancros non eſſe,licèt Galen.eos nomine cancri cõprehenderit, inquit enim ſecundo ad Glau.Reliquum eſt,vt de carcinoſis tumoribus diſſeramus, qui in omnibus quidem partibus corporis fieri conſueuerunt,ſed in mãmis præſertim

mulierum,quæ à natura purgationem non habent. Quod ſanè dictum ita intelligo,cancroſos tumores promptiùs in mãmis ſuccreſcere ob earum ad recipiendũ promptitudinem, quàm in reliquis partibus:verùm non ſubinde ſequitur,tumores,quos zaratanes appellamus,hac Galen.doctrina comprehendi: ſiquidem multis rationibus(vt dictum eſt)à vero cancro differre conſtat. Neque rurſus nomine ſcirrhi eos comprehendere æquum eſt, cùm ſcirrhoſus tumor exquiſitus omnino dolore careat,& qui non exquiſitus eſt leuem ſortiatur,idque ſolùm in ea parte qua tumor viget,quod ea lege prædictis tumoribus accidere non conſtat:ſiquidẽ acrioribus quandoque cruciatibus, per interualla & vicinas etiam partes affligit, quibus conſtat longè inter ſe differre. Erit igitur(ne longiùs abeam)hæc tumorũ ſpecies media quædam durities inter ſcirrhum & cancrum:vel (vt rectiùs loquar) durities quædam (ſiue ſcirrhoſa ſiue alterius ſpeciei, ex ijs quas diximus mammis peculiariter poſſe accidere)quæ in cancrum migrare tentat. Itaque cùm durities aliqua cancri naturam iam iam adipiſcitur,antequàm ex toto in ipſum commigret, hæc quidem verè nomen ſortitur eorum tumorum,quos zaratanes appellamus, ita vt mediam cancrorum & reliquorum,qui duri ſunt tumores,naturã adipiſcantur. Quod (vt dictum eſt) intelligi volo de omnibus qui mammis ſuccreſcunt tumoribus, dummodo duri ſint, maximèſi in ipſos confluit aliquid acre aut aduſtum.

Cuius doctrinæ gratia expendiſſe oportet cancros fieri vno è duobus modis: quoſdam enim incipiendo ex atro aduſtoque humore, ex quo proculdubio fieri omnes huius ſortis tumores Gale.fatetur:Quos equidem (quantumuis parui ſint) ſcimus à principio dolere, & non leuia accidentia, ac pleraque alia mala inferre: quinimo aliquando venenĩ inſtar,intolerabilia.Quoſdam etiam conſtat fieri nõ incipiendo quidem,ſed per tranſmutationem ex ſcirrho, aut quauis alia duritie in cancrũ:præſertim ſi præexiſtens durities ex melancholia non naturali proficiſcatur, vel aliquid humoris aduſti accedat. De quorum ſanè numero eſt ſcirrhus cancroſus nominatus, quem exiſtimamus comprehendi ſub nomine, zaratan:ſicut re vera reliquos omnes (licèt non ſint de genere ſcirrhi) dum cancrum minantur, aut in ipſum commigrant, hoc nomine comprehendere licet. Huius porrò tumoris meminiſſe Auicen.conſtat per hæc verba. Et quandoque canceratur ſephyros,& propinquitas ſephyros ad cancrum,& elongatio ab eo eſt ſecundũ multitudinem inflammationis & paucitatem eius, & apparentiam pulſationis in eo, & occultationem eius. Eiuſdem quoque ſententiæ Raſium fuiſſe conſtat, nam inquit. Quotieſcunque cum apoſtemate ſchlyrotico inueniuntur accidentia apoſtematis calidi, ſicut dolor,pulſatio,inflammatio,& omnia alia ſigna eis attinẽtia, tunc illud apoſtema de genere cancrorum eſt. Pari quoque lege Ioannes de Vigo(vir in re chirurgica maximi pretij) eadẽ verba refert dicens.Repetitur ſephiros non purum & cancroſum,cuius ſigna ſunt dolor pungitiuus,pulſatiuus & inflãmatiuus.Atque licèt ex his locis conſtet, hos viros de ſola mutatione ſcirrhi in cancrum loqui,cum hoc tamen aſſerimus,tumores omnes duros, quibus in cancrum mutari contingit, tunc iure optimo nomine zaratanes,eſſe cõprehẽdendos:ac tenemus quoque differre à vero cãcro & ſcirrho,ac reliquis duris tumoribus. Horũ equidem tumorum iuxta hanc,quam diximus,deſcriptionem Hippocra.primum omnium meminiſſe conſtat lib.2. de morb. mul. per hæc verba.Et in mammis tubercula fiunt dura,partim maiora,partim minora,hæc autem non fiunt ſuppurata, ſed ſemper duriora, deinde ex ipſis naſcuntur cancri occulti.Quum autem cancri futuri

futuri ſunt,priùs ora amareſcunt,& quidquid ederint,omnia amara eſſe videtur, & ſi quis plura dederit,accipere renuunt & cõpeſcenda faciunt. In qua ſententia ſi quis attento animo mentem hominis expendat, reperiet proculdubiò hos tumores,quos zaratanes appellamus,non fieri ſolùm(vt multi autumant)ex ſcirrho cancrum minante,ſed plerunq; ex alijs duris mammarum tuberculis proficiſci, vt Hippo. verba monſtrare videntur.

Habet hæc ſæuiſſima affectus natura cauſas non paucas, quarum quædam occaſionem huic malo præſtant,quædam materiam ſuppeditant,aliæ verò exulcerationem moliuntur.Conſtat igitur ex Hippoc.ſortiri principium huiuſmodi duritiem plerunque ex improbo menſium fluore,ſiue omnino ſupprimatur, ſiue diminutè(dummodo quod tenue eſt erumpat, ſolùm manente intus obſtructionis cauſa,craſsiore ſanguine)ſiue inordinatè profluat,quòd humorum cum ſanguine mixtorum etereogeneitatem commonſtrat. Quibus etiam cauſis accedit praua & pauca menſium purgatio,vt libro de locis,aqua & aëre Hippoc.refert,quæ ſterilitatem infert,ac ſubinde plerunq; ſterilitas huic malo principium præſtat:purgatur enim in partu mulier,& in lactatione prauis & melancholicis recremẽtis,quæ ob continuam in pueris lactandis vacuationem, aut confertã & copioſam in partu aggregari minimè poſſunt.Ob id virginibus,viduis,aut nuptis,quæ vel nõ pepererunt,vel parere immaturè deſierunt, plerunq; hæc mãmarum vitia accidiſſe comperimus. Huic etiam cauſarum generi reducitur improba viuendi ratio ex craſsis,viſcidis aut quouis alio modo vitiatis edulijs facta,vel nimis ſedentaria,aut curis & vigilijs plurimum turbata & plena. Quæ proculdubiò omnia vel craſſos in corpore congerũt humores,vel probos plus iuſto exſiccãt,& in aſſatos ac ſubinde craſſos commutant.Præſtat item huic affectioni materiam ſolùm ea melancholiæ ſpecies,quæ per aduſtionẽ fit.Verùm hac ſola ratione à ſcirrho & cãcro differre cognoſcimus,ſub hoc genere cauſæ,quòd ſcirrhus,ſi exquiſitus ſit,nõ ab hac, ſed à naturali aut craſſo alio humore proficiſcitur:cancer ab atra quidem bile. At is tumor hoc habet peculiare & proprium,quòd principium ſuæ generationis à craſsis humoribus nanciſcatur,ſiue melancholici,ſiue pituitoſi ſint:poſteà tamẽ vel aduſto illo,qui præexiſtebat humore,vel alio denuo in partẽ confluente, qui aduſtus ſit,exulcerationem ſortitur.Hanc equidem generationis viam & materiam curaturus exactè expendat,alioqui profectò perdifficile erit, frugis aliquid huic malo præſtare:Præſertim ni exactè expenderit imminẽtem exulcerationem, quã paulò inferiùs noſſe monſtrabo.

Verùm noſcendi hos tumores,ac diſtinguẽdi eos ab alijs eiuſdem ſortis ratio & modus haud obſcurè conſtabit,ſi quis quæ ex Hippoc.Auic.& Raſio attulimus,diligenti animo expendat:inquit enim Hippoc.loco paulò antè citato de his tumoribus verba faciens.Cùm autem cancri futuri ſunt,priùs ora amareſcunt,& quidquid ederint omnia amara eſſe videntur,& ſi quis plura dederit,compeſcenda faciunt,& accipere renuũt.Mente verò percelluntur,& oculi duri fiunt, & nõ acutè vident,& ex mammis dolores ad iugulum tranſiliunt & ſub ſcapulas,& ſitis tenet & mammæ graciles, & ipſæ per totum corpus attenuatæ ſunt, & nares obſtructæ ſunt,& non leuantur.Quibus proculdubio verbis complexus eſt pleraque ex ſignis,quæ frequenter in fœminis ſic affectis cõſpicimus. Quæ ſanè magis eluceſcẽt, ſi in medium adduxero quæ Auic. profert verba: inquit enim. Et propinquitas ſephyros ad cancrum & elongatio ab eo eſt ſecundũ multitudinem inflãmationis & paucitatem eius,& apparentiam pulſationis in eo,& occultationem eius. Sed

clariùs

Cauſa.

Signa.

clariùs id quoque monstrat Rasius dicens: Quotiescunque cum apostemate schlyrotico accidentia inueniuntur apostematis calidi, sicut dolor, pulsatio, inflammatio & omnia alia signa eis attinentia. Verùm præter hæc omnia nosse etiã oportet, tumorem quemuis durum eo tempore in cancrum migrare, cùm dolores acuti per interualla vel minima occasione repetunt: qui equidem ad brachia, humeros & costas non rarò extenditur, præsertim si prædictæ partes moueãtur. Quibus etiam accedit, si tumor in conspicuo sit, ipsius magnitudo, quæ cancro incipiente maior existit, color cinericius, ac subobscurus, & tãdem durities: venæ etiam ipsi in circuitu adnascuntur liuescentes & tumidæ, varicum instar. Quæ omnia, si ad extimam partem vergat tumor, facilè percipies: sin aliter, ea quærere frustra est, quòd nimia carnis molle & loco abdito delitescant occultenturq;, quo rẽpore ex dolore & doloris modo sat est exquirere. Quippe expectandum non est omnia signa simul in quouis tumore reperiri posse: omnia enim qui perfectus iam est & consummatus habere tenetur: incipientibus verò sat est quædã adesse: adultioribus alia: & omnia denique in perfectis.

Curandi ratio.

Qui hos tumores curaturus est, prædicta causarũ tria genera diligenti animo expendere priùs curet. Primùm quidem omni arte studeat, eam in mensiũ purgatione moderationẽ ponere, quæ nec parca, neque ita quouis alio vitio defecta sit, quòd in prædictum huius mali apparatum degeneret nunquã. Secundùm talem victus conditionem eligat, quæ omnino prædicto humori contraria existat: aut rursus, talem purgandi formam talia etiam pharmaca, quæ illum humorem, & non alium, purgando eligat. Tertium verò & vltimum omni diligentia caueat, quominùs acre aliquid ac mordax in corpore subsit: ac si fuerit, quominùs in eam partem aliqua occasione confluat. Quo sanè facto, ad affectus curationem tutiùs deinceps venire cuiuis concedetur. Curandum quidem primò est, menses suppressos vel diminutos euocare, aut quæuis alia vteri purgamenta, si quæ fuere suppressa, ea sanè arte, quam sæpius præcedentibus cap. docuimus: præsertim si obstructio aliqua insignis in viscere aliquo aut vtero ipsi præfuerit, eam demoliri primitus curabis chalybe præparato exhibito, vel quouis alio modo. At si id commodè fieri non detur, vel fœmina sterilis quoquo modo fuerit, fontanellam altero crurum adaperies, qua quòd in corpore crassum, defectu natiuæ purgationis supereſt, facilè expurgari possit. Deinceps tamen mediocrem in omni quantitatis & qualitatis excessu victum imperabis, qui potiùs ad humidiorem non nihil accedere tenetur, cauens omni studio exercitij excessum, sed in eo & reliquis moderationem imperans: præsertim abstinentiam eorum alimentorum, quæ crassos, viscidos, vel nimis tenues & acres humores ad augere nata sint. Quos si in corpore redundare compereris (non subita purgatione, quæ nimium humores exurat) protinus per epicrasim purgabis ijs, quæ superioribus cap. hos humores purgare posse diximus: velut est serum lactis cum rhabarbaro, confectio Hamech sine scammonio & colocynthide, decoctum senæ aqua lupulorũ vel prædicto sero factum, aut prunæ damascenæ eodem decocto & saccharo conditæ, vel syrupus ex his confectus, addita in ligatura. ʒ.j. lapidis lazuli præparati pro libra ipsius syrupi, aut porriges. g.iiij. præparati stibij. Quibus frequẽter vti poteris saltem bis aut semel in mẽse hiberno, ac præcauere vel mali augmentũ, vel malignã exulcerationem. Quòd si à sanguinis missione curationem auspicari velis, ex vsu facies, præsertim ex brachio, nisi mensium gratia ex talo id efficere placuerit.

Erit

Erit igitur (ad tumoris curationem deueniendo) duplex medendi via & ratio: vna quæ duritiem emollire doceat: altera verò quæ ipsam manu extrahere. Illa quidem, indicatione sumpta à materia & conditione huius tumoris, quæ peculiarem sibi prærequirit diligentiam, longè diuersam à tumoribus, quorũ subinde naturam sortitur, scirrho nimirum, cancro, tuberculo ve, aut quouis alio ex prædictis. Quippe scirrhosa substantia emollitionẽ exoptat malacticis medicamentis factam: at caneri natura omnino hæc eadem renuit, quinimò exacerbari eisdẽ Galen. apertè docet. Quamobrem medicamentis à principio rem ages longè diuersis ab ijs, quæ in augmento proficua esse docebo. Verùm in genere omnia huic operi pharmaca mixtæ debent esse naturæ ex malacticis & siccis cõstructæ, & alijs etiam quæ paulò inferiùs monstrabo cancris fore necessaria. Sic etenim primo huius mali accessu, dum mammarum tumor citra manifestam causam dolere incipit mitigare dolorem oportebit vel his quæ repellendi vires habeant, vel his quæ verè sunt anodyna, aut vtrisque: sic etenim (habita priùs per necessariam vacuationem totius corporis prouidentia) rosaceo vtendum est, vel omphancino oleo, aut rosaceo omphancino: quibus aliquando ex vsu erit, dum timoris iam iam aliquid emicat, nonnihil succi plantaginis vel solatri addere. Qui etiam succi (si feruoris aliquid in tumore insit) in mortario plumbeo agitati plurimum probantur. Eandem quoque intentionem complet ceratũ ex eisdem sic agitatis, & oleo omphancino ad succorum consumptionem feruefacto, cum modica cera & anatis pingue dine. Præstat & idem beneficium vnguentum ex tuthia communiter factum. Sed mirabili quadam efficacia creditur repellere, & acrem calorem compescere lamina plumbea crebris foraminibus excauata, quam Galen. 9. simpl. summoperè commendatam esse legimus. Refert idem author ex Apollonio lib. 1. de composi. phar. lo. hisce tumoribus incredibili quadam commoditate prodesse vnguẽtum, quod recipit olei rosacei omphancini. ʒ. viij. agitetur in mortario plumbeo, & pistillo plumbeo ad spissitudinem & mutationem coloris, pulueris ceruſæ & litharg irij. ana. lib. j. quibus in eodem mortario mixtis vtilissimum fit linimentum. Verum dum mitigare dolorem tantum in animo est, ex solo prædicto oleo cum pinguedine anatis, aut citra ipsam mirabile fit præsidium. At si id quoque opus efficere placuerit, & cum hoc modicum resoluere, fomentis vti est opus ex decocto foliorum fraxini confectis: quem etiam vsum ferunt prẽstare folia eadem aqua decocta & pistata, ac super dolentem mammam calentia imposita. Verùm si dolor vltra pergat, præsentaneum fit remedium hoc vti linimento, quod recipit olei rosacei. ʒ. iij. seminis papaueris albi. ʒ. j. opij. ℈. j. gummi arabici. ʒ. iij. ceræ quãtum sufficiat, vt fiat linimentum. Fiunt etiam vnguenta, aut linimenta non parui momenti ex mucillaginibus seminis citoniorum, & psyllij, extractis succo solani aut plantaginis cum ceruſa & tuthia vel modico lythargirio, præsertim si in mortario plumbeo diu agitaueris: sic & sola ipsa mucillago ibidem ad mutationem coloris agitata, nõ minoris est momenti. Cæterùm cùm in animo est exulcerationem impedire, eisdem prorsus remedijs vtemur, quæ & mordacium, calidorum & acrium succorũ defluxum auertant, vel eorum acrimoniam retundant. At dum studemus quod in parte induratum est emollire & resoluere, inter pleraque alia quæ passim reperiuntur, singularis efficaciæ est hyssopi cerotum descriptione Filagrij, præsertim si diaquilonis minoris momentum ei addideris: item diaquilon gummatum cum pinguedine anatis & anseris. Eiusdem etiam vtilitatis esse dicitur emplastrum filij Zachariæ cum pulueribus plumbi vsti & loti, aut marchasitarum vel lythargirij.

Con-

Confert item & cerotum ex pinguedine anatis & anſeris cum pulueribus plũbi vſti,ac modica cera. Præſtat & aliud,quod recipit olei roſarum & camemali.ana. ℥.j.pinguedinis porcinæ.℥.ß.pinguedinis gallinæ,anatis,& caponis,ana.℥.ij. ceræ quantum ſit ſatis,vt fiat ſpadrapum. Vſu etiam probatum habeo aliud, quod recipit olei roſati.℥.iiij.ceruſæ.℥.ß.plumbi vſti,tuthiæ præparatæ,& lythargirij ſubtiliter in pulueren redacti.anà.℥.j.ſepi caprini,pinguedinis gallinæ, anatis & caponis.ana.℥.ß.ceræ quantum ſit ſatis,vt fiat ad formam vnguenti albi. Obſeruatione quoque prodeſſe aliud comperimus, quod recipit emplaſtri diaquilonis Raſis ℥.j.pulueris marchaſitarum præparatarum & plumbi vſti.ana.℥.ß. malaxentur ſimul & extendantur ſuper pannum ſericum. Aliud quoque probatũ reperio,quod recipit olei amygdalarum dulcium.℥.j.ß.pinguedinis gallinæ & caponum ana.℥.ij.pinguedinis porci.℥.ß.plumbi vſti.℥.iiij.ceræ quãtum ſit ſatis, vt fiat ad modum telæ ceratæ. Quibus proculdubiò,& alijs quæ ſumpta ab his indicatione facilè effingere poteris,dolorem mitigabis,fluxum reprimes, duritiem emollies, & tandem quod liquatum emollitumque fuerit,reſolues,præter quæ omnia oleum vel vnguentum ex bufone adhibere poteris,vel vt Falopius aduertit oleum etiam ex viperis:quod ego in his quæ dolore ex venenoſitate materiæ cruciantur proficuũ eſſe arbitror.

Quòd ſi & his omnibus affectum ſubſidere & minui non comperias,cõiectandum proculdubio eſt,ac verendum,ne in verum cancrum aut malignam exulcerationem commigret:ob id quidem antequam ad chirurgi manus deueniendum ſit,iterum tentare oportet,ipſam duritiem conterere ijs quæ id efficere nata ſint. Sic dum ex humore craſſo & viſcido prodit affectio,ferunt,ſuccum naſturtij, coriandri,& intibi cum aceto & lentibus decorticatis ſuperpoſitum parti affectæ plurimùm prodeſſe:item gallitricum comeſtum:centum granam herbam, tormentillam tritam & ſuperimpoſitam,vel agrimoniam cum nuce vetuſta & rancida piſtatam. Confert & ranarum pinguedo, quam maximi eſſe in hac re pretij multi & non contemnendi authores ſcribunt:item & vnguentum ranarum, quod mirabilis eſſe efficaciæ creditur,& hac lege conficitur. Excipe viginti ranas,quas extinctas aut viuas butyro recenti aut pinguedine anatis inuolues quãtum ſit ſatis,eaſque ſic in ollam vitriatam multis foraminibus in fundo excauatam proijcies,quã ſanè in alteram capaciorem immittes,& per partem eius ſupernam ignem, facto priùs ex luto cooperimento,appones, donec butyrum & ranas ſatis ſuperque in maius vas eliquari comperias. Poſteà verò ſeparata pinguedine ranas cõburi permittes,donec in puluerem commutari facilè poſsint. Quo facto,ex ranarum butyro ſolo vel cum cera,vel in mortario plumbeo agitato linimentum mirabile parabis:ac ex pulueribus ſimul & ex cancrorum & limaciarum pulueribus cum prædicta pinguedine vel alia ei ſimili, vnguentum non minoris momenti conficies. Vſui quoque eſt emplaſtrum de carnibus ranarum,ſed de limaciarũ carnibus præcipuũ eſſe arbitror,vt Galen.deſcriptio lib.11.ſimpl.apertè monſtrat: cæterũ huic vſui pretioſius eſt præſidiũ,quod ex limaciarũ carnibus & teſtis ſimul paratur:Prodeſt & prædicta caro cũ lixiuio piſtata:& parti duræ affixa. Sed cũ dolor nimis vrget,confert ſummoperè fomentũ,quod recipit ſucci plantaginis,lanceolæ,vermicularis,conſolidæ maioris,& radicis ireos.℥.iiij.ouorum albumina duo,olei roſarũ & aquæ roſatæ.ana.℥.j.aceti albi.℥.j.calfiant, & pannum eiſdem imbutum parti appone. Sed reperiuntur inſtillationes duæ, quas huic vſui maximè eſſe proficuas arbitror:prima quidẽ recipit terebinthinæ partes.ij.maſtichis,ſarcocolæ. ana. ℥.j. &.ß.

&.ß.ligni aloës,ireos,carpobalſami.an.℥.iij.incindatur lignum aloës in fruſta minuta,& ireos radix & carpobalſamum terantur:deinde in mortario plũbeo,& plũbeo pyſtillo vehemẽter ducantur,poſtmodũ in alembico igni lento apponantur, donec ſublimentur,ac ſi alẽbicum fuerit capitello plũbeo coopertũ, proderit magis,tandẽ quod inſtillauerit,in plumbeo vaſe reconde:cuius deinde excipe partes duas,& parti vni optimi balſami admiſce,ac addito oleo de vitellis ouorum,partẽ inunge. Præterea ſecundam inſtillationem efficere poteris,ſi prædictis rebus addideris ranarũ & limaciarum carnes,& tria gallinarum oua cum teſtis conquaſſata, quæ omnia inſtillari permittes quantum ſit ſatis. Ex vſu quoque eſt emplaſtrum ex ciceribus coctis aqua pluuiali & cinere confectum.

Verùm ſi ne hæc quidem prodeſſe videantur,ſed eo durities perueniat, quod immedicabilis exiſtat: tunc quidem coniectandum eſt,an ſciſionem admittat. Quippe Ætius ſerm.4.cap.44. eos cancros ſciſioni eſſe idoneos arbitratur, qui in ſummitate mammarum conſiſtunt: nam reliquos, qui aut mediam mammam occupant,vel prope coſtas degunt, chirurgi manibus non licet euellere: inquit enim. Cancros in pectore obortos omnino deploratos eſſe ſcito, quemadmodum & eos, qui in capite, collo, humeris, ſub alis & inguinibus generantur, ſunt enim & hi incurabiles. Nam præterid, quod perfectè tolli non poſſunt, ſanguinis eruptionis timor exiſtit, ne ex ea æger inter manus pereat:eos verò qui papillæ ſummitatem occupant, affectæ partis amputatione facilè curabis. Itaque conſtat eos tumores ſcalpello eſſe ſolùm extrahendos, qui in partis affectæ ſummitate & extima regione cõſiſtunt. In extractione verò ſummoperè curandum eſt eos radicitus euellere: quippe ſi ex toto non abſcideris, nil aliud facies, quam ex non vlcerato cancro vlceratum efficere. Qua profectò ratione conſuluit Raſius.13.conti. liberaliùs vlceratos cancros manibus & chirurgia euellere, dum radicitus id efficere ſtudeamus: ſin aliter, tentandum id minimè eſt, & minus adhuc in non vlceratis, ne vlceratos facias. Quamobrem cautè id opus tentare oportet, paruo nimirum exiſtente cancro, & conſpicuo, & corpore etiam victu & medicamentis ſatis præmunito. Conſtat tamen ex Galen. quatenus ad operationis modum attinet lib.14.metho. duritiem manibus eſſe comprehendendam per partem eius poſticam, vt extra ad papillam promineat: tunc mammam ſcalpello ſcindere longitudinaliter oportet,& vtraque parte carnem à duritie ſeparare. Quo facto, vel inſtrumento aliquo vel filo acu per duritiem traiecto, ipſam comprehendes, vt facilè à partibus mammæ ſcalpello duritiem ſeparare poſsis. Ac ne interim dum id opus fit, ſanguinis fluxus infeſtet, non erit ab re mammam ligatura prope radicem eius comprimere: duritie verò extracta exprimendæ parum partes ſunt ſanguiſque craſſus extrahendus, ne iterum fomentum nouo affectui præſtet ibidem manens. Poſteà velut vlcus ſimplex ſciſionem curabis, vt ipſum permittere viſum fuerit: ſed arbitror per ſimplicem vnionem curari rarò poſſe. Præterea, has partes vrere,licet aliquibus vtile & neceſſarium viſum fuerit,mihi tamen arriſit nunquam,niſi ſanguinis fluxione nimis vrgente: quo tempore cauſticis pharmacis primo eſſe vtendum conſulit rei ratio,ac vltimo(ſi prodeſſe non videantur)ad ignitum ferramentum veniendum eſt. Poſteà verò ea vitæ ratio inſtituenda,quæ vlteriorem illius humoris vel tumoris generationem,aut grauioris mali omnino impediat. Reliqua verò huic curationi proficua ex Ætio colliges, qui latiùs huic inſtituto innititur, ac conſulit quid agere oporteat mamma iam aperta,& duritie ab eadem abſciſſa.

Expendendum tamen est etiam si apertio ex voto succedat, necessum esse, fontanellam aliqua in parte aperire, qua humor qui ad mammas fluere assueuerat promptè expiret & expurgetur, ne forsan in principalius membrum irruat aut iterum ad antiquam partem redeat, maiusque deinceps efficiat malum: aut nouum tumorem denuo progignat.

De vero & vlcerato mammarũ cancro.

Qualis nam sit cancrorum natura cõstare iam euidenter arbitror, si quæ nuper dicta sunt, exactè expenderis. Quibus, vt clarior euadat doctrina, addes, cancri nomine non esse intelligendũ quod Celsus astruit lib. 7. nimirũ partis corruptionẽ, sed intelligendum solùm esse, quod ipse lib. 5. cap. 28. carcinoma appellat, etiam si carcinoma, & cancer de vlcere quoque dici possint. Cuius sanè vlceris aut cancri tres adinuenit Celsus species, vnam quæ cacoethicum cõprehendit vlcus eũ duritie & tumore: alteram sine vlcere: & tertiam, quam thymiũ appellat. Est igitur cancer tumor tactui renitens, inæqualis, instar feræ sæuus, penitissimè pertinaciter insertus, radices longè latèque extendens, & venis circunsitus, velut alligatus, quas circumcirca varicosas habet, colore cineritius, ad rubrum vergens, & aliquando subliuidus, & videntibus quidem mollis apparet, tangentibus autem durissimus est, ac dolorem inducit pungentem, qui latè se extendit, vt sæpe per consensum glandularum malignas inflammationes sub alis excitet, dolore extenso per scapulas ad clauiculam. Qua proculdubiò diffinitione euidenter constant signa omnia, quibus facilè venamur huius mali naturam: ob id quidem breuitati studens hæc ad cognitionem sat esse arbitror, si quis intelligat cancri iam confirmati ea esse propria, non quidem incipientis, vt paulò ante docuimus. Est tamen huius mali duplex conditio: quippe ex cancris quidam sunt vlcerati, quidam verò non vlcerati. In qua sanè re, qua potero breuitate exponam vtrum horum appellet Hipp. cancrum occultum, vt euidenter constet an curare occultos cancros liceat: dixerim reconditos, aut externos vlceratos: & an possibile sit hos radicitus extirpare, ac licet possibile id sit, an liceat, & vltimò qua medendi ratione vtrosque tractare oporteat.

De cancrorum materia non satis constat apud authores: quippe Galen. libro de tumoribus præt. nat. &. 2. de fa. natu. &. 2. ad Glau. ex non feruida atra bile generari, videtur fateri, cùm alijs in locis constet ex adustis humoribus progigni. Sed ne longiùs abeam authorem ipsum intelligo de eo humore loqui, qui adhuc feruidus non existit, hoc est, qui actu non sit in feruore, fieri tamen ex humore qui iam ferbuit, qui si iterum ferbuerit, in exulcerationem duritiem deducit. Atqui cùm ex adusto fiat humore, fit sanè, vt tam sæua inducere possit accidentia: licet aliquando ex melancholico humore fieri Galen. fateatur, quod intelligendum arbitror, si calorem & vstionem nactus sit, & non ante. De cancri occulti natura varia authores proferre comperio: nam ex antiquioribus non pauci, vt Ætius sentit, vlceratos, occultos appellarunt, quos Hippocrat. refert, tutius esse non curare: cuius proculdubio sententiam multi ex authoribus probarunt, astruentes vlceratos non esse curandos: quamobrem constat vlceratos Hippocrat. intellexisse, dum refert, curandos non esse occultos. Alij quidem per occultos intelligunt eos, qui abditas corporis sedes inhabitant, & eos etiam, qui extimas, vbi vlcerati sint: qui authores arbitrantur quoq; vlceratos radicitus posse euelli. Mihi autem arrisit magis sententia eorum qui tenent per occultos, Hippocrat. intellexisse vlceratos, vbicunque sint, & non vlceratos, si in recondita corporis sede immorentur: illud quidem, quoniam ea operatio quæ vlceratos exagitat,

exagitat, multùm excruciat, & debilitat ægrotantem, nec finit morbum, cuius origo iecur est: hoc verò propter loci commoditatem ineptam operationi manuũ, & fluxum sanguinis, quem compescere in abditis corporis sedibus perdifficile est. Cum hoc tamen, vt omni dubio respondeam, mihi alienum à ratione semper visum fuit, chirurga operatione carcinoma quoduis extrahere: tum quia, etiam si ex toto eradices, non subinde corpus sanabis, reuertitur enim non multò post, vt ex Celsi decreto diximus: tũ verò, quia periculum est, aut corpus deinceps in grauius aliquod malum prorumpere, aut in affecta parte vlcus cacoethe & insanabile supereſſe. Quamobrem censeo, id opus maxima cum cautione aggrediendum esse Galen. 14. meth. dixisse: inquit enim. Cæterùm si quando carcinoma per chirurgiam curare audebis (quasi opus graue & periculo plenum) cœpisse quidem abeuacuando per purgationem melancholico humore oportebit: vbi verò totum quod vitiatum est, prorsus excideris, sic vt nulla supersit radix, sines effluere sanguinem, nec properè eum inhibebis, imò premendo potiùs quæ circum sunt venas, exprimes ex his crassiorem sanguinem. Quamobrem semper suspecta mihi fuit huiusmodi curatio, nisi vel incipiens fuerit durus tumor, & alijs auxilijs non cesserit, vel ex alio tumore prodeat: nam cancrum, qui à principio talis fit, curare radicitus perdifficile tibi erit. Quod si fortè per mammam aliquid effluxerit, ne curare tentes, sed sine, tutius id quidem est, vt Hipp. refert lib. 5. popu. in historia mulieris, quę in Abderis, circa pectus carcinoma habebat. Præter quã quod vrere iuxta partem adeò principem vt periculosissimum reiecit semper Gal.

At in his curandi ratio consimilis est nuper dictæ curationi, præterquàm quòd nulla admittit malactica medicamenta, sed gaudet in principio repellentibus ac discussorijs: verùm non his quæ astringentia sint, sed quæ frigidæ tantum naturæ existant, vt humoris acrimoniam simul repellendo retundant, & maiorem fluxionem inhibeant, ac si quid fluxum est, discutiant. Cæterùm quia Ætius vlceratorum & non vlceratorum copiosè curationem scribit, & nos paulò superiùs vtilissima adduximus pharmaca: ob id quidem pauca referam, & primò quæ vlcerationem quodammodo impedire nata esse existimo. Ferunt proculdubiò huic vsui non parum prodesse, desuper in cancrosa duritie apponere pimpinellam, arnoglossam, & agrimoniam simul contritas: eundem præstat vsum puluis capitis gruis exsiccati, vel mustellæ combustæ. Sed præcautioni & curationi simul prodesse certum est succum semperuiuiæ cum ceruſa, aut succum lactucæ cum bolo armeno, vel terram sigillatam cum mucilagine psyllij, præsertim si omnia diu in mortario plumbeo agitaueris. Præstat & emplastrum de cancris fluuiatilibus: idem beneficium confert succus solani aut semperuiuiæ in mortario plumbeo sæpiùs agitatus. Sed vlcere iam conspicuo curandum est ea apponere medicamenta quæ sine mordacitate ficcent, vt Celsus consulit lib. 5. cap. 28. Nam satis sunt eo tempore medicamenta quæ quasi blandiuntur, (vt Celsi verbis vtar) apponere: quàm sanè curandi rationem fucatam medici appellant. Sed experitissimis chirurgis didici, diuturna obseruatione sibi esse confirmatum, maximi esse momenti vnguentum illud quod recipit lithargirij. ℥. j. ducatur cum pistillo plumbeo in marmorea pilla, & adde donec incorporentur aquæ rosatæ, olei rosati, & aceti ana. ℥. iij. quod facies donec acquirat linimenti formam. Aliud etiam experimento proficuum comperio quod recipit olei rosati cum succo solani, vt paratur, ad conficiendum vnguentum pompholygos. ℥. iiij. pulueris lithargirij. ℥. ij. pulueris

Ioānis de Vigo.ℨ.ʃʃ.pulueris ceruſæ lotæ,& plumbi vſti ac loti ana.ʒ.iij.ceræ albæ. ʒ.vj.miſce,& fiat vnguentum liquidum pro linimētis ponendis intra vlcus. Aliud prætereà refert Galen.lib.1.de com.phar.ge.cap.2.quod recipit olei roſacei.ℨ.x.ducatur in mortario plumbeo ſub ſole donec craſſeſcat & nigreſcat,& poſtea adde plumbi vſti & loti.ℨ.j.ceruſæ & lithargirij puluerizatorum.ana.ℨ.xij.ducantur ſimul cum.ℨ.j.ceræ albæ,donec mediocrem acquirant conſiſtentiam. Quòd ſi hæc prodeſſe non videātur,ad chimica auxilia veniendum eſſe conſulit rei magnitudo & malignitas:inter quæ primas tenet oleum de ſtibio & de fæce vini aut aceti, vel de ſalibus aut ferro vel ex plumbo,quorum extractionem latè docet Andernacus tomo eius operis.2.fo.722.Haud ſecus grandioris pretij eſt illud vnguentum, quod recipit tuthiæ lotæ & ceruſæ.ana.partes æquales,terātur cum oleo roſarū,& ſucco portulacæ,aut ſolatri,aut cucurbitæ,vel mucagine pſyllij, & poſteà fiat frequenter linimentum.Prodeſt & frequens vſus aquæ ſolatri:item ex vſu eſt,ſi amylum,ceruſa,thus,aloēs,& terra lemnia cum aqua ſolatri diſſoluantur,& linimentū fiat, quod nuſquam exſiccari permittes.Dimitto hac in parte ſicca medicamenta,& alia non pauca,quæ paſsim à medicis ſcribuntur,vt quæ vel parui momenti ſint, vel vulgaria exiſtant.

FINIS.

DE VIRGINVM ET VIDVARVM affectionibus,

ET DE VTERI MORBIS,

LIBER SECVNDVS.

STudui hoc ſecundo libro,optime lector, ea complecti vitiorū genera, quæ & vtero ipſi primariò pertinent,& alia, quæ ab ipſo proficiſcentia reliquis corporis particulis communia fiunt. Principio tamen ſumpto ab ijs, quæ ex vtero prodeuntia multis modis fœminas torquere habent, virgines præſertim ac viduas.Secundo tamen loco eorum recordabor,quæ vtero ipſi ineſſe aſſolent, velut vlcera & reliqua huius cenſus mala.

De vteri natura ac de morbis,quibus affici poteſt.

Caput. I.

INTER pleraque eximia membra,quibus natura toti corpori miniſtrat, quoddam, idque præcipuum in fœminis fabrefecit tantæ proculdubio dignitatis & præſtantiæ, vt à Platone tanquam animal quoddam in corpore peculiariter viuens, fuerit exiſtimatum. Eſt quidem vterus tantæ efficaciæ in fœminarum corporibus, vt in eo tota ferè ſanitatis ratio ex medicorum omnium decreto, ſita fœminis exiſtat: ob id profectò hac in parte decreui, eius naturam & conditionem ſcribere, vt facilè deinceps cuiuis innoteſcat affectionum omnium ipſi pertinentium cauſa & modus.

Vt verò mulierum vterus, ex quo tam miranda humani generis machina faberrimè ortum traxit, in maximam omnium admirationem innoteſcat: principio pars illa, quam pudibundam appellant, ſeſe nobis tractanda offert. Porrò muliebrem naturam, os genitale, genitale muliebre, partem hanc pudendam nuncupari vidimus: cui carnis tuberculum hiulcum bifidumque puberibus maturitatis indicio, pube intectum honeſtatumque prominet, vluam intus tutantes ac cuſtodientes. Quibus ſanè in partibus veneream appetentiam ſitam eſſe multi exiſtimant. Cæterùm nymphæam etiam, vtrinque admotam, naturam eò progenuiſſe, quo primo hoc munimento, aërea ac cætera quæque extra officere valentia, arceantur, credi par eſt. Sed occurrit poſt hæc ceruicis os aliquanto præſtantius, intra cletorem muliebri genitali annexum:

ſubinde ceruix ipſa ceu pars finitima,quæ vuluæ canalis,& ab Ariſtot. etiã matrix dicitur.Ab intimo,quà vterus deſinit ore,prolifico maris ſemini acceſſum præbẽs, aduſq; muliebrem naturam recto tramite protenſa ceruicula hæc inchoat efferturque.Verùm ob ſui conſtrictionem in nonnullis mulieribus ad dextrum,in alijs ad læuum magis collabitur.Huic quidẽ veſicæ foramini directo per eius meatus neruoſus cartilagineuſque parte ſupera annectitur:quę lotij à renibus ad veſicam delati,fiſtula intra muliebrem naturam ſita,nympha tatiſcente viſitur. Sic enim veſicæ fiſtulæ foramen humidis recrementis:menſibus verò vteri ceruix illi contermina in mulieribus egreſſum ſuppeditat.Eſt autem huius partis lõgitudo,quatuor ſexue ad ſummum digitorum:amplitudo verò,quæ colem capiat,carnoſa ad modum,cartilaginea,vt partus tempore fatiſcat,dilatetur plurimùm atq; contrahatur:modicè obdura,ne tranſmutationibus his paſſioni cuipiã obnoxia euadat, proindeq; vt concubitus tempore,genituram excipiẽs tantiſper opportunè attollatur.Quandoquidem immodica mollitie partibus quibuſdam eleuatis, alteris concidentibus,anfractus ſimuloſque prolifici ſeminis vſum ad vuluæ grandiorem ſinum tranſitum prohibentes,molitum iri cognitũ ſit.Quòd ſi non celerrimè per meauerit,longiorem moram in ceruice trahens,ſpiritu genitiuo ocyſsimè exhalante,genituráque tempore ſuo prorſus priuata,haud quaquã cõcipi poſſet.Huicetiã ſphœrica rugoſáque cauitas ineſt,vt penis ſubingreſſu tentigine oblectamenti cauſa afficiatur:in cuius ſanè confinio neruoſa exilitas colligationibus venuliſque tenuibus ex adiacentibus particulis exortis diſperſa contextaue minutiſsimis maculis interſtincta,inuenitur,quæ integræ virginitatis teſtimoniũ affert: hãc eugion vel hymena vocant,ex qua coitu primo exciſa, cruorem emanare apertiſsimè conſtat.Præter hanc ſtat protinus vteri os,quod eatenus(intelligo internũ illud oſtium,quà loci deſinunt,& ceruix inchoatur)neruoſum exiſtit,quo excellentiore ſenſu,coitus tempore ſummè oblectetur,modica duritie affectũ,vt vuluæ os ob immodicam duritiem haud quaquam cõniueat:vt enim vterus ſimul ſeminis iaculationem intra ſe ſuſceperit,vniuerſum alueum contrahere,atque os ipſum ſigillare opus eſt:ob id decuit modica duritie conſtare. Glandulоſum inſuper eſt, inſtar glandis penis mucronatum,foras in ceruicem inæquabile ſua facie, ad modum oris catuli recens editi prominens.Deinceps verò vterus ſubſequitur, quem nominibus alijs vtriculum,vuluam mulierumue locos,ac matricem meliorũ conſenſu appellare liceat:ſed de nomine ſit ſatis.

Ad rem igitur accedendo,locũ vteri ac domiciliũ rimari priùs oportet: porrò ima ſpina,quam caudam appellant,in eoxarum oſſe deſinit,quod trãſuerſum longèque valentiſsimum,vuluam,veſicam ſub rectum inteſtinum tuetur:ab exteriore parte gibbum,ad ſpinam verò reſupinatum à lateribus adeſt,in ipſis coxis ſinus orbis latos obtinet,à quibus os pectinis ſuboritur, quod ſuper inteſtina ſub pube tranſuerſum ventrem confirmat: in viris rectiùs, in fœminis in exteriora magis,vt partui cõmodius ſit, recuruatũ conſpicitur. Vteri itaque poſitura inter imã ſpinã,& vltra veſicã infra mediã aluum habetur:ab vmbilico enim paululumue ſuprà ad ſuæ ceruicis initiũ vſque extenditur,quare infra aluum ſitus. Tunc à parte priore veſica eidem iuncta præſertim verſus ceruicem,quandoquidem vuluæ amplitudo veſicã ſuperueniat,qua parte ab eadẽ minimè tegitur,lateraliter coxarũ oſſib⁹ recuruatis,poſticè,ima ſpina ſub recto intercedẽte inteſtino circuitur,quod ne facilè homine iã inchoato,cũ increuerit,duriori matrici enixus oblæderetur.Quã illi regionẽ cõdiderat natura,vt cõmodiùs arterijs,cordi,iecori,venis,cerebro dorſaliq;

ſaliq; medullæ,neruis,præcordijs,item mammis,renibus,vẽtri,coxendicibus, pubi, cunctis his vnà committeretur.

Vteri igitur quantitas in virgine admodùm exigua viſitur, in euirginatis autẽ, niſi dum vtero gerunt,non multò maior,quã manu comprehendi queat: ita vt in vetulis iam ſit ſimilis ſummitati aſperæ arteriæ,vt rectè ab Herophilo comparatũ eſt.Verùm quantitas hæc ambigua indiſcretaq; ætate,temperatura,venereorũ vſu, muliebri profluuio,fœtura,& adhuc fœtuum vnà conceptorum numero, corporis proceritate conuariantibus cenſetur. Eſt inſuper neruacea materia perſimili pelliculoſa: quippe quæ ad puerperij vnius vel pluriũ magnitudinem extendi poſſet,verrucoſa cauitate pollicari craſsitudine conſtat.

Extat etiã tunicis duabus obductus,interna vna,& altera externa.Tunicæ huic villi per longum porrecti(quos rectos appellant)inſunt,qui admodũ pauci exiſtũt, eoq; illis viri dẽtaxat genituram facillimum quidem trahere erat. Sunt & villi per tranſuerſa ducti(tranſuerſi appellati)quos ſanè in vtero redundare operæpretium fuit,quandoquidẽ ijs ipſis etiã rapta genitura detentum itura foret,ſimul & fœtus toto temporis tractu à conceptione ad partum vſque.Quin etiam & illi in latum diductos (qui latitudinales nominantur)ineſſe liquet,quibus partus fœtura abſoluenda eſt:& ob eam rem ſi vterus duas eas partes complexus in vniuerſum ſpectetur,quadrangularem orbiculatam figuram præ ſe ferat,amplitudo cuius ad ceruicem coanguſtatur,qua ſui parte ima canalis effertur:& ob id cucurbitæ vtrinq; paululùm compreſſæ ſpeciem repræſentat.At extima membrana ſeparata, internam tunicam diligentiùs rimari oportet: cui ſinus gemini,alter dextra,læua parte alter leuiter diſcreti ſunt,ad vnam ceruicem coëuntes. Quos planities quædã intus,ſemitæ per quàm ſimilis,ſeparat: cui etiam ex rugoſitatibus comparent eminentiæ plures,quæ priſcos deceperunt,vt crederent,varios eſſe ſinus,quod leuiter credendum eſt.

Venas etiam habet vterus non paucas(ſed à caua diſſeminatas, nullam)à vena aorta deductas.Cæterùm extrinſecus,canalis parte ſuperna,qua vulua præfinitur, & ceruix innaſcitur,vtrinque teſtis conſpicuæ magnitudinis cohæreſcit,vnus dextro,alter læuo lateri ſorte creditus,non minores multo ijs,qui virorum ſunt; duriores tamẽ,qui intus matricis ceruici adhærent,quos peritonæum deducẽs in ipſos vaſa ſeminalia obuoluit,ſimul cum propria ipſorum tunica epididymiade nuncupata:carẽt tamẽ erythroyde,& ſcroto & darto,à quibus vaſa ſemen in cornua deferunt,quæ propè vteri fundum laxiora exiſtunt.Habent tamen diſtincta involucra,quæ ſolertiſsima natura eò procreauit,vt ſalitalem quendam ſuccum, qui mulieribus oblectamini eſſet,molirẽtur.Supra hos deinceps,bina cornua(ſic enim appellant)lateri dextro vnum,alterum læuo admota,perinde atq; additamenta duo tenduntur.Etenim qua parte vtero annectuntur,pleniora ſunt atq; craſsiora,tamẽ ad ilia coxendiceſq; procedentia minuũtur atq; attenuãtur. Hæc ſanè cornua appellamus duas ipſius apophyſes exiguas à lateribus ad ilia perreptantes,papillis ſeu cornibus exorientes perſimiles: iuxta quas ſemen muliebre excernitur,quæ ſanè eo tempore,vt ceruix & loci prolificæ genituræ,helluones inſigni tantiſper amplitudine,ad eandem vorandam,dehiſcendam protinus ab initio extendantur.

Poſtremò ſimilia vaſa ad hũc modum intelligere oportet:venales gemini meatus de aorta vena flexuoſis orbibus ad teſtes portendunt, alij totidem iuxta renes eodem deueniũt:ſed hi ſanguinolenti,illi,quos mittit aorta, exangues comparẽt. Qui omnes circum duos iam dictos teſtes progreſsi, ſeſe flectunt, mox cornua

ſubeunt,ſubinde paſim in tenuiſsimas fibras diuidũtur:quarum pars maior ramorum ſerie ſparſa ad vterum deuenit, ſubſtantiam penetrans: ex qua etiam ferunt cotylidones fieri,quibus partus per vmbilici radices aliqua ex parte vtero validiſsimè committitur.Ex quibus etiam genitalis quidam ſuccus citra voluptatem emiſſus,ad conceptum neceſſarius in vterum inſtillat.Ex alijs verò menſtruæ purgationis aliquid in vterum defluit,præſtaturum quidem fœtui alimẽtum:ex quibus rubentia membra apparere in genituris aſſolent. Ex qua etiam vaſorum propagine ramuſculi quidam in internum vuluæ oſtium protendunt,vnde inutilis quædam humiditas, quam ſuprà ſaliualem ſuccum vocauimus,incredibili(vt ferunt)voluptate exiliendo ac per ſaltus haud ſecus quàm virile ſemen prorumpit, tanto in pleriſque impetu,vt marium more longiùs proſiliat. Hinc ſanè orta eſt controuerſia inter Galen.& Ariſt.nam hoc vtile & ad prolem neceſſarium Galen.fatetur: inexpediens verò atque irritum Ariſt.& Auer.arbitrantur.Nec mirandum eſt, me hac in parte non meminiſſe viarum,quæ vtero & mammis conſortium præſtant, quia de hac re alibi diſputatum eſt. Hæc itaque eſt huius membri deſcriptio,quam ſummopere eſſe cognitu neceſſariam reor ei, qui vteri affectiones exactè diſtinguere cupit:nam,vt in ſingulis vteri morbis monſtrabo,eorum quilibet ſuam ſortitur differentiam & conditionem,ſumpta ratione à natura ſeu officio cuiuſuis harum partium,cui morbus ſubijcitur.

Vteri vſus & morbi. His ita conſtitutis,vt à primis principijs rei huius exordiamur,vteri vſum hac in parte expendiſſe oportebit,& morbos etiam,ad minimam vſque eorum differẽtiam.Habet igitur vterus triplex officium,vnum quidem ſibi proprium & peculiare,quod illi ineſt, quatenus pars ſimplex & ſimilaris eſt,quo profectò ſibi alimentũ allicit,& in ſui naturam commutat aliturque:non quidem, vt multi cẽſent,ex ſanguine menſtruo(nam eum non trahit,vt pars ſimplex,ſed ſuſceptat vt inſtrumẽtum alijs vſibus dicatum)ſed ex proprio & peculiari alimento per peculiares ſibi inſitas venas, diſtinctas à menſtrualibus, per vniuerſam vteri ſubſtantiam diſperſas. Quo ſanè munere vt optimè vtatur,fruitur proculdubio duplici inſtrumento,temperie nimirum,& optima partium vnione,in quibus ſitam habet alteram ſanitatis partem:quapropter ad hanc partem pertinent morbi ex diſtemperie(licèt temperamẽtum omnibus vteri actionibus cõmune & proficuum exiſtat,ità vt eo mutato alij naſcantur vtero morbi, vt inferiùs monſtrabo) & ſoluta vnitate, quæ vtriſque partibus communis exiſtit,cui vlcera & aliæ continui diuiſiones reducuntur. Secundum verò vteri officium id eſt, quo dignitate & præſtantia ab omnibus alijs membris diſsidet, non quidem ob ſui commodum,ſed pro fœminæ vtilitate & beneficio proficuum exiſtit:nam qua ratione in vtroque ſexu membra quędam ſunt totius corporis vacuationibus dicata,ita in fœminis peculiari quadam dote,membrum hoc excogitauit natura,cui propria(præter alia officia)ineſt vacuandi ratio, & qua ratione deficientibus veſica & inteſtinis à proprio munere,maximum ſubinde incommodum corporibus ſubſecuturũ ſperamus,ita quoque,& potiori quadam ratione,in fœminis hanc partem ſanam & menſtruationis officio idoneã deſideramus.Quòd ſi aliquo modo contrarium fortè acciderit,mille proculdubio illis ſuccreſcunt affectionum modi,menſtruis præter naturam vtcunque ſuppreſsis: nam quò ſubſtantia,aut ſuperfluum illud,quod per vterum excernitur,præſtantiorem obtinuerit naturam,eò,ſi præter naturæ inſtitutum ſupprimatur,grauiora ſuboriri mala neceſſum eſt. Præſtantioris quidem eſſe ſubſtantiæ ſemen & ſanguinẽ menſtruum recenſuerat Galen. lib. 6. de loc. affect. & ob id, ſi retenta putreſcant, aut

aut vtcunque aliter vitientur,longè grauiora efficiunt accidentia, & maiora mala.Tertium autem & vltimum vteri officium ſpeciei propagandæ proficuum & dicatum eſt:quod ſanè diuidere in tres potiſsimas partes mihi hoc loco placet.Quippe vitiatur cuiuſuis inſtrumẽti propria actio aut ablata ex toto operandi potentia, aut diminutè agente,vel corruptum & monſtruoſum producente effectum. Sic enim ex fœminis quædam omnino non concipiunt,quas peculiari nomine ſteriles appellat Hipp.Aliæ concipiunt quidem,ſed fœtum perferre nequeunt,aut neceſſarium & præfinitum tempus geſtare ſunt impotentes:quibus frequenter abortire contingit,quòd diminutè vteri facultas operetur. Rurſus aliæ concipiunt,& fœturam continent,cæterùm monſtroſum quid ex vtero producũt,velut eſt mola à medicis appellata,ac ſunt alij mendoſi & monſtroſi conceptus,qui mira varietate ludunt,& peritiſsimis medicis plerunq; illudunt:quos ex corrupta vteri actione vel ex vitioſo aut impotente ſemine proficiſci nulli eſſe dubium arbitror.Atq; hæ ſunt in vniuerſum omnes vteri affectiones,quarũ ſpeciatim meminiſſe quoq; oportebit,ſumpto ab hyſtericis affectibus initio.

De hyſtericis affectionibus in genere.

Cap. II.

FRequenti nomine cùm antiquiores medici,hyſteram, vterum appellauerint,iure ob id optimo ipſius affectiones hyſtericas, ſeu vterinas nuncupauimus: quas hoc vno capite complecti mihi nunc in animo eſt.Dictum namque ſuperiùs leges,vteri munia in tria potiſsimùm officia diuidi,quorum primum eſt ſibi proprium & peculiare,alimoniæ ipſius dicatum, totũ naturali potentiæ ſubditum,aliud verò communius eſt, toti ſpeciei ſubſeruiens, cuius ratio & finis eſt prolem procreare. Sic etenim Galen.6.de loc.aff.cap.5.vterũ diffinit eam partem,quam natura mulieribus ad concipiendum conceſsit. Cui ſubſeruit tertium vteri officium, licet vniuerſo fœminæ corpori ſit commune & proficuum, quod eſt menſtruum ſanguinem ſtatutis temporibus expurgare, & ſemen in venereis actibus excernere: quæ ſanè omnia pari quoque lege certis quibuſdam temporibus contineri oportebat:hoc quidem,vt fœtui ſubſit materia & locus:illud verò,vt fœmina excrementis purgata vegetior,ſana & conceptui aptior exiſtat. Verùm ſicut vtroque modo ſeruata naturæ lege,inculpata ſanitate fœmina viuit:ita quoque prorſus dũ vtrunque aut alterum modum excedit(vt libro de virginum morbis Hippoc. recenſet) mille affectionibus ferè incomprehenſibilibus,premitur miſerrima fœmina. Sic profectò fluentibus debito largiùs menſibus,fœminæ fiũt ſteriles,imbecilliores,pigræ,ineptæ ad actiones obeundas,decolores,tædioſæ & triſtes, ac plerunq; degenerat affectio in malum corporis habitum. Sic ſemine aut quauis alia ſubſtantia defluente,eadem & longè grauiora ſubſunt accidentia:tãdem corpus in maciem & tabitudinem quandam ocyſimè degenerat. Verùm tolerabilia profectò quis exiſtimabit huiuſmodi mala,ſi ea conſideret, quæ ex inſolita & præternaturali feminis aut ſanguinis menſtrui retentione & vbertate ſuboriri aſſolent. Quæ proculdubio omnia facilè colliges,ſi Hippocrã.legeris loco paulò ante citato:quippe inquit.

inquit. Nam cùm virgines iam maturæ viro ſteterint, natura duce ſanguis menſtruus ad matricis locellos & venas, ab hepate defluit, qui cùm ob illarum angusta oſcula quæ nondum patuerunt, aut in fœminis quæ viro orbatæ ſunt, viſcoſis & crudis humoribus obſtructa, & denique ob ſanguinis craſsitiem erumpere nõ poſſit: tum rurſus per venæ cauæ maioriſq; arteriæ propagines ad cor, hepar, diaphragma, & præcordiorum venas regurgitat. Capiti quoque non minor pars communis fit, & tandem circa viſcera omnia accidentia grauia parit, difficiles reſpirationes, tremulum cordis pulſum, hepatis inflammationem & mille alias eius diſtemperies, ventriculi ſubuerſiones, cibi faſtidium, vomitum, ingentem famem, varium malorum appetitum, cardialgiam, epilepſiã & delirium. Sanè, iudicio noſtro, optimè huc afferri poteſt illud Galen. dictum libro de differ. reſpir. nimirum, quæ præter naturam ſunt, varia & multiplicia eſſe, inquit enim. Vnũ enim eſt, quod ſecundum naturam ſe habet in animantis corpore, varium autem & diſsimile & multiplici errore inuolutum, id quod præter naturam habet, adeò, vt neceſſariò ſequatur eſſe incomprehenſibile. At ſi qua in re, dum præter naturam efficitur varia, multa, cognitu difficilia ſubſequuntur accidentia, maximè profectò in ſemine & ſanguine menſtruo retentis coniectabile efficitur: à quibus tot oriuntur vitiorum genera, quot neque ſcripta reperiri poſſunt, neque facilè memoria teneri, vt eorum poſsit lex & ratio difficulter haberi aliqua. Quò quidem factum eſt, vt medicorum non pauci cõſilio deſtituti ab horum affectuum curatione deſiſtant, vetulis & mulierculis id munus relinquentes.

Proficiſcitur itaque huius miræ varietatis ratio, vna potiſsimùm è tribus rationibus: nan dum hæc duo excrementa præter naturæ legem exuperant & cohibentur, aut putreſcunt aut alterantur, aut quantitate ſolum & copia abundant & peccant. Quippe hac ratione virginum morbos fieri Hippoc. retulit lib. de virg. morb. dicens. Cum enim hę partes repletæ fuerint, & horror cum febre ingruit, erroneas febres appellant: his habentibus præ acuta quidem inflãmatione inſanit, præ putredine verò clamat, præ caloginoſitate autem timet ac formidat, præ cõpreſsione verò circa cor ſtrangulationes parat, præ ſanguinis autem malitia animus mœrens ac anxius malum trahit. Qua ſententia euidenter conſtare videtur, quanta varietate mutetur humor, & quæ mala efficere poſsit. Quod etiam ex ipſa rei natura & conditione haud difficulter probari poteſt: nam ſi nerui, venæ, muſculi, adde & cornua vteri, menſium affluxu aut viri coitu non humectentur, tunc exiccata prolabi ad aliquam partem & vterum ipſum lædere neceſſum eſt: pariter ſi mẽſium repletione diſtenduntur: ſic & eodem modo, ſi ſemen in vteri cauitate & vaſis coaceruatũ computruit, incredibilia quidem mala ſuboriuntur. Pari quoque penſu dum citra putredinem ſola copia abundant, malum, quod per ſe efficere nequeunt (præter plenitudinis damna) alterius mali interuentu moliuntur: nam & fluxus ſanguinis hæmorrhoydum, narium aut per vomitum & vrinam patiuntur: item hepaticam dyſenteriam, hydropem, corporis confractionem, laſsitudinem, tumores præter naturam, & alia pleraque vitia ſuccreſcere longè diuerſa ab vterinis affectibus exiſtimamus: quæ omnia, vel depoſita plenitudine, curare non eſt difficile.

Verùm cum prædicta excrementa alterantur citra aliquam putredinem ſolùm calidiora, frigidiora aut ſicciora facta, affectus vterinos efficiunt quidem, ſed neq; admodùm graues, neque ob id facilè intelligibiles. Nam primò fœminæ hoc modo affectæ æſtuationibus, ſiti, inquietudine que non leui vexantur, vbi caliditatem con-

contraxerint excrementa. Item palleſcit corpus, albidius aut decolor redditur, & ipſa fœmina pigra efficitur, mæſta, tædioſa ac mille doloribus plena: quæ quidem accidentia neque ordinem ſeruant, neque legem: quod ſi perſeuerauerint in aliquo ſtatu, frigiditatem in ea parte contractam eſſe atteſtantur. Alia etiam ex hoc vitij genere ſuboriuntur accidentia his æqualia & ſimillima, quæ profectò præludium maioris mali & grauiorum accidentium exiſtunt. Quamobrem eis citra cunctationem ſubueniendum eſt, antè quidem, quàm in epilepſiam aut aliũ grauiſsimum affectum degenerent.

Cæterùm dum fœmina eò miſeriæ deuenit, quòd huiuſmodi excrementa, ſemen videlicet & ſanguis menſtruus putreſcant: accidentia quidẽ grauiſsima ſunt, & aſpectu terribilia, & quæ ſui ſpecimen & naturam facilè monſtrant: ſed tam ſunt varia, vt neque certa lege neque vlla methodo comprehendere queas. Subit tamen in hac re mirari, cùm vnica ſit materialis cauſa, vnica formalis ſeu efficiens, putredo, vnica particula affecta, vterus, quanam ratione tam mira accidentium varietas ſuboriatur. Quod ſanè ita fieri poſſe, tria oſtendunt facilè: primum, putredo ipſa: ſecundum, putreſcentis ſubſtantiæ copia: tertium verò & vltimum, varietas & natura membrorum, quæ vtero ſic affecto conſentiunt & compatiuntur. Circa primum attẽto animo lector expendat, quòd licet ſanguis ſolùm putreſcat, aut ſemen ipſum per ſe, aut vtrunque ſimul, ea tamen eſt putredinis natura & conditio, vt omnigena varietate & mille modis fieri poſsit: iuxta quam ſanè diuerſitatem, accidentia quoque variari neceſſe eſt, velut de re quauis diximus dum præter naturam efficitur. Contingit inſuper mira hæc & multiplicis naturæ varietas in putredine multis modis: primo quidem ratione cauſæ mouentis humorem ad putredinem, quam eſſe variam inficiabitur nemo, ac ob id varias pullulare putredinis rationes & differentias: ſecundo id contingit ex loco vbi putreſcunt humores: multa enim atque varia putredini poſſe ſuccreſcere ex loco, manifeſtiſsimum eſt: vltimo, varias contingit oriri putredines ex varia putreſcentis rei natura & ſubſtantia. Ex qua quidem conditione plurima hyſtericis fœminis accidunt malorum genera, ex ſemine nimirum & ſanguine menſtruo corruptis: idque duabus rationibus: prima, ob putreſcentium perfectionem, conſtat enim ſemen ex perfectiori ſanguinis parte, & calore natiuo perfectiſsimo, ac ex copioſo ſpiritu: item ſanguis ex quatuor humoribus, & totidem humiditatibus, quæ ſingulis humoribus ſunt adiũctæ, ita vt quiuis humor ex parte tenuiori & craſsiori ac mediocri conſtitutus exiſtat. Ex qua proculdubiò varietate mirum videri non debet, ſi vnicus cùm ſit humor, ſanguis nimirum aut ſemen, tot modis vitiari poſsit, ac tot accidentium varietates efficere. Secunda huius rei ratio eſt, quia putredinẽ contingit fieri prædominantibus in ea vno, duobus, tribus, aut omnibus humoribus, vel partibus eorum, quas diximus conſtituere ac componere vtramque ſubſtantiam, ſanguinis ſcilicet aut ſeminis. Quamobrem rationi conſonum videtur, varia ob id fœminis ſubſecutura accidentia fore: & quod mirabilius eſt, vnicum & idẽ accidens in diuerſis fœminis & temporibus, & quod adhuc maiorem infert admirationem, in eadem fœmina & eodem tempore diuerſa, varia & ſæpe contraria ſuccreſcere accidentia. In qua proculdubiò re, rationem monſtroſitatis & varietatis hyſtericorum affectuum conſiſtere arbitror: nimirum, quòd prævaleat magis in putredine, cauſæ efficacia aut loci putredinis deterrima conditio, vel humoris putreſcentis malignitas: aut quòd prædominetur magis in putredine vnus humor, vel vna ſubſtantia ex nuper dictis, quàm alia.

Dubi-

Dubitare iuxta hanc rationem mihi visum est, cùm sanguis & semen temperatissimæ & perfectissimæ sint substãtiæ, quî fieri possit citiùs & deteriùs cæteris omnibus posse corrumpi, cùm bilis tantò deterior tanto tempore incorrupta duret, non solùm in vesica fellis, sed prope cutẽ in arquatis, & pituita in arthritide prope articulos, vel cum in febribus putrescunt. Verùm quia hic non est disputationis locus, breui quadam ratione respondere huic dubio mihi est in animo. Inquit Aristot. lib. de longi. & breui. vitæ. Pura omnia & impermixta, vt quæ magis à contrarietate recedant, diuturniora esse: contra citò vitiari aboleríque, quorum essentia multa oppositione constat. Sic elementa inquit, lapides & metalla, quæ vel simplicia sunt, vel eis proximè accedunt, incorruptibilia creduntur: cõtra, lac, sanguis & semen seruari diu minimè possunt, vtpote quæ manifesta compositione & varia constant. Quod euidenter monstrat sanguinis grumus vbicunq; sit, lac etiam coagulatum in puerorum ventre, & semen retentum: quæ omnia facillimè, vel aeris contactu alterantur, quia variam & perfectissimam nacta sunt elaborationẽ. Ob id profectò homo crebriùs ægrotat, quia multiplici & perfectissima constat compositione. Neque obstat quominùs hæc vera sint, sanguinem menstruum nouem mensibus citra euidens vitium in vtero gerentibus contineri: nam eò incolumis adseruatur, quòd partim repleat vasa, partim fœtui præstet alimentum, partim verò in secundina colligatur: quam natura familiarissimam ob id sanguinis substantiæ fabrefacerat, vt ibidem citra corruptionẽ contineretur toto prægnationis tempore. Cur verò præstantiora quæque, deteriora dũ corrumpuntur, euadant (quod experimento quotidiano comperimus: nam sordidiorem putredinem cæteris animantibus, hominum cadauera contrahunt, & oua putrescentia ac poma, quò præstantiora fuerint & odora, eo deteriori corripiuntur putredine) duplex ratio commonstrat: prima, quòd præstantissimam substantiam nequit deuincere ac superare nisi vehementissima ac spurcissima causa, quia cæteris faciliùs resistit: qua propter necessum est putredinem & vitium causæ naturæ respõdere: secunda, quia perfectis substantijs quoduis vitiũ deterius efficitur in perfectis. Quibus rationibus multi addunt, illud in causa esse, quòd ex pluribus & maximè diuersis perfectiores mixtiones euadant, calore natiuo veluti vinculo colligante cogenteue omnia: sic naturali calore dissoluto, dispersis omnibus prodit fœdus sapor, odor & color, quæ magnæ putredinis & horridæ sunt indicia: ita vt semine & sanguine menstruo corruptis, quasi venenum in corpore nasci lib. 3. &. 5. de lo. patien. expresè fateantur Galen. Auerr. & Auicen. Ratio quidem in promptu est, quia si ex purissimis alimentis, sanguine nimirum, semine aut lacte, moro ac melone vitiatis, facilè venefica ac deleteria excitatur qualitas, multo profectò rectiùs ex ipsorum excrementis generari poterit: quod in vtero potissimùm accidere certũ est, eò quòd sentina sit vniuersi corporis, & substantia, quæ putrescit, præstantissima. Quo fit, vt fœminæ vterinis molestatæ, veneni instar sympthomata persentiant.

Cur verò in plerisque fœminis vtero affectis hæc veneni seminaria clam occultèque diu lateant citra euidentem corporis noxam, ac ad tẽpus tantùm & per interualla reuiuiscant eluescantq; grauissima sympthomata, haud facilè est nosse: scimus tamen non solùm in his, verùm & in multis alijs qui venenum sumpserũt, diu in corpore venena latitare: nam si Hippocra. credimus, viginti annos malum occluditur oppressum aut reuersum. Causæ tamen huius rei non desunt: quippe quod sensim & paulatim fit, nullũ donec in habitũ vergat, specimen de se præbet, sed

sed dum factum est, subitò in grauissima prorumpit accidentia, ac sæpe in mortẽ. Præterea, si ignobile membrum venenum adoriatur, donec ad nobile peruadat, nil mali, aut quàm pauciss imum sentimus: cùm enim ad nobile peruadit, facilè toti corpori communis fit affectio. Ad hæc, præstantissima est membri, in quo viget assuefactio, etiam si ex deterrimo sit, quia tantum abest vt mẽbrum lædatur, quòd sæpe huiusmodi humor alimentum præstare possit. Verùm cùm ex alimento crescat vltra debitam & consuetam magnitudinem id excremẽtum, pellitur ad aliud membrum, vbi morbum facit, quia insuetum, quia multum, & quia prauum, quo tempore fieri grauissima accidẽtia mirum non est. Postremò huic malo principiũ præstat dissensio facultatum naturalium, vigentibus nimirum aliquando coctrice & retentrice, languida facta expellente: quòd non pellatur quod præter naturam effectum est, & sic accrescente, comparatur venenosa illa qualitas, quæ paulò post in morbum & sæuissima accidentia prorumpit. Quibus profectò cõstare arbitror, qualis sit huius dogmatis ratio & veritas, vt cognita causarum varietate, medentis consilium tutius & certius euadat.

Secunda ratio varietatis prædictorum accidentium, quæ secũdum tenet locũ, excrementorum quantitati reducenda venit: nã semen & sanguis menstruus cũ intra vterum putrescunt, nõ solùm hæc mala pariũt ex diuersis putredinis modis, sed ex copia etiã sanguinis & seminis putrefacti: quippe maxima quantitas vtriusque vel alterius in sæuissimos & varios prorumpit affectus: parua verò eosdem minatur, sed non perficit. Sic etenim facile reperimus apud pleraſq; fœminas querimoniam & sensus plurium ac diuersorum affectuum, qui vix cõprehendi & distingui possunt, præludium quidem maiorũ: quos sanè leuissimis auxilijs, aut sola animi distractione vel delectatione curabis, adhibitis etiam leuibus frictionibus, exercitio ac deambulationibus, & huius cẽsus alijs. Itaque venenosi & corrupti humoris natura eadem mala minatur, & aliquando efficit, sed propter paruam humorũ corruptorum copiam, aut non perficit, aut mox subsistit. Habent tamẽ ex diminuta prædictorum humorum quantitate hystericæ fœminæ hoc proprium & peculiare, vt mox ab accessione, & quam primùm quiescit malum, ad pristinam & antiquam sanitatem redeant, veluti si nihil perpessæ fuissent: quod alijs, quæ ex nimia humorum copia laborant, non datur, supersunt quidem illis per aliquod tempus non leuia præteriti mali vestigia. Quibus etiam fœminis accidit, varijs accidentibus vnico & eodem tempore corripi, ac mox subitò leuari: ratio quidem est, quia paruam humoris aut halitus copiam contemnit, à se reijcit vel deuincit particula illa, ad quam ex vtero aliquid transmittitur, cuius ratione accidentia suboriũtur: quod alijs fœminis, quæ plurima abundant huius venenosi humoris quantitate, nunquam conceditur. Succrescunt præterea his fœminis varia accidentia, & in diuersis partibus, quia halitus pauci elati ex pauca materia peruenientes ad particulam aliquam malum ibidem efficere conantes, ad alias protinus transmittuntur, & pari modo ex his ad reliquas, in quibus omnibus proculdubio aliquid mali persentiri necessum est, quod varium esse contingit ob membrorum varietatem.

Tertia sanè & vltima ratio diuersitatis hystericorum accidentiũ est membrorũ consensus, quibus vterus communicat suum vitium. Ex qua quidem causa, prædicta accidentia tribus potissimum rationibus suboriuntur: prima, ex consensu mutuato præstitoq; alicui membro ex affectione vteri, secunda, ex mutua reactione, quam membrum læsum iterum præstat & refert ipsi vtero: quod profectò multorum accidentium solet esse causa. Nam cum membrum aliquod primò ab vtero

afficitur,rationi consonum videtur, excrementa, quæ ex vitio contracto generat, maiori ex parte transmittenda fore in vterum ipsum,tanquã in membrũ imbecille primò affectum & corporis quodammodo sentinam: quod dignosces, quia accidentia quæ sic affectis superueniunt, redolent quadamtenus naturam excrementi in vterum transmissi. Tertia porrò & vltima ratio est,quando licèt accidentia ex vtero prodeant, non tamen sequuntur naturam seminis & sanguinis menstrui corrupti, sed naturam excrementorum à membro aliquo affecto in vterũ transmissorum, aut eorum,quæ in vtero generantur,præter semen & sanguinem menstruum.

Prima porrò diuisio,quæ ex consensu proficiscitur quadruplici cõstat membro: dimitto hac in parte cõsultò tres cõsensus differentias quarum Gal.meminit.lib.1. de locis affect.cap.6.quia huic vsui non ita sunt proficuæ,licèt earum aliqua ex vsu sit:nam consensus ab vtero præstatur primò per partium quæ coafficiuntur similitudinem: compassiones enim & consensus faciliùs & promptiùs fiunt inter similia: & ob id vtero affecto neruosum genus omne facillimè compatitur:non quidem, vt multi falso censent, quòd plures & magnas neruorum propagines vterus sortiatur, sed quòd membranosa constet substantia & neruea natura intexta: qua ratione etiam vesica & colis neruea dicuntur. Secundò idem consensus præstatur per viciniam:quo fit, vt plerisque fœminis vrina supprimatur,& varijs modis vitietur, rectũ intestinum tenasmone afficiatur:sic & mesereon,ventriculus, intestina,& venæ meseraicæ varijs accidentibus premũtur:præterquam quòd neruea sunt hæc omnia,& ob id etiam compati possunt. Tertiò verò consensus fit maximus per colligantiam: scatet enim vterus venis,ijsque grandioribus, vt ex Galen. constat, qui lib. 6. popu. par. 1. inquit. Vterus inter omnes corporis partes plurimas grandissimasque venas habet: per quas proculdubio iecur compati perfacile est,sicut iterum vtero referre supplicium accepti mali: nam illi ob id præstat fæculentum & impurum sanguinem, quo (vt nuper dictum est) vterus nouiter afficitur. Arterias quoque hoc viscus non paucas neque paruas suscipit à corde,per quas varia & grauissima ac periculosissima cor susceptat mala,quamobrem rationi consonum videtur,cum vterum & intra ipsum contenta plerumque ex putredine refrigerari contingat,citra frigidorum humorum abundãtiã (adhuc in biliosissimis corporibus)grauissima fœminarũ non paucas perpeti accidẽtia frigidã naturam falso æmulãtia.Ex quo etiã sequitur non posse cor deinceps tantũ caloris vtero trãsmittere(arterijs ab vtero ad ipsum vergentibus, prauis frigidisque halitibus plenis) quantum vtero calfaciendo sit satis.Pari quoque ratione vterus diuersis nostri corporis partib⁹ mille modis alligatur:quas simul cõpati necessum est,subindeq; varia efficere accidentia.Quartò verò & vltimò omnes partes vero demandato ab vtero consensu compatiuntur,susceptа nimirum substantia aliqua ex ijs quæ in vtero præsunt,nam etiam si vterus nullam haberet similitudinem cum alijs partibus,colligantiam aut viciniam,cum totũ corpus confluxile & transpirabile sit,facilè quæuis eius pars alterius damnum susceptat,transmissa ad eam aliqua substantia ex ea, quæ laborat.Ex quo etiam varia & grauissima subsequi accidentia conspicimus,tũ ex substantiæ,tum verò ex partium diuersitate.

Hæ igitur sunt varietatis hystericorum affectuum causæ, quorum sanè naturam bellissimè expressisse visus est Galen.lib.6.de lo.patien.cap.5.docens, quòd licèt affectus nomen sit vnum, nimirum hysterica passio, nihilominus tamen sub se comprehendit innumera & varia accidentia, iuxta diuersitatem trium causarũ, quas

quas nuper adduximus.Quas sanè omnes si quis sedula diligentia intueatur,perdiscet facilè,cur fœminæ aliquando refrigerentur,& mox simul incalescãt: item cur marcidæ appareant,aliquando verò nimio mãdore ac pinguedine abundent. Ex eisdem quoq; causis proficiscitur,caput vniuersum vel aliquam aut plures eius partes fixo & stabili dolore apprehendi,nonnunquam mutabili,sæpe diuturno,sæpissimè à quibusuis externis causis exacerbato,ita vt solam dolorum capitis varietatem comprehendere difficulter queas. Quis præterea narrare poterit dorsi, thoracis,lumborum,coxendicum,ventris vtriusque & crurum dolores? quos nulla quidem alia ratione certiùs ex vtero proficiscentes cognosces,quàm eò quòd nullam seruent legem, nullamque vniformem naturam habeant: sed varietate maxima præditi nullis limitibus aut cõditionibus coërceri possunt.Monstrosa nanq; varietas hæc aliunde quàm ex vtero proficisci non potest: præsertim cùm dolor neque distemperiem neque tumorem præter naturam eius partis,quę dolet,comitem habeat.Ex eisdem quoq; causis prodit quasdam fœminas famescere citra vllam rationem,alias verò (idque frequentiùs)cibos fastidire & abominari:plures tamen optimos & vsuales odio habere,spurcissimosq; & inusitatos prosequi. Inter quas multæ quidem vomunt & nauseabundæ existunt citra manifestam causam: quarum ventrem si purges,magis lædes,quòd ex halitu ab vtero illuc irruẽte affectio suboriatur. Sic plurimæ ventris inferioris murmurio, doloribus & cruciatu maximo premuntur,flatibus vterum & intestina distendentibus:quæ potiùs leuantur vterinis auxilijs,quàm quouis alio præsidio.Cordis item morsu & dolore premi plures,omnibus compertum est,ore scilicet ventriculi compatiente, aut corde ipso. Quibusdam arteria iuxtà dorsum, & quæ mesereum ambit vehementiùs pulsat: vnde eas mœstas esse,inquietas,anxiosas,animo linquentes aut syncopticas quotidiana experientia conspicimus.Quòd si septum transuersum malum apprehenderit,hinc difficiles respirationes,suffocationes seu strangulationes, sicut ex laqueo periculum impendere,manifestum fit:atque in hoc etiam varia existit difficilis respirationis mutatio & grande periculum. Verùm si iecur degustauerit vteri vitiũ ob deprauati sanguinis generationem, fœminæ protinus obstructionibus innumeris corripiuntur,decolores fiunt,pedibus tument, totum etiam corpus redditur cacoëthæ,tumidum & iam iam in malum habitum commigrans.Sed quis numerare poterit accidentia,quæ animalis potentia,dum lædítur,perfert,quippe aliquando motiua facultas ita peruertitur,vt aliqua pars corporis aut plures vel totũ corpus tremore afficiantur: conuulsiones etiam præsertim pedum ac manuum eadem læsa efficit:item resolutionem,iuxta naturã habitus, qui aut neruosas partes,aut neruorum capita,aut neruos ipsos pertingit.Aliquando ex motus defectu voce priuantur,& mutæ per aliquod tẽpus supersunt:ex quo etiam emanat respiratione priuari non rarò,& periclitari suffocatione mille modis.: partim obstructis vijs,partim musculis respirationi seruientibus plurimum læsis,ita vt verè videantur omnino respiratione priuati.

Tanta itaque in prædictis accidentibus reperitur varietas,vt rarò in eadem fœmina idem accidens(licet ab eadem causa)eodem modo proficiscatur.Pari quoq; lege diuersissima sunt symptomata,quæ sensibus exterioribus vteri vitio succrescunt.Nam ex fœminis quædam ita toto corpore aut aliquo membro torpent, vt paralysim pati videantur: aliæ varijs & inordinatis doloribus adeò afficiuntur, vt neque alicui causarum reducere, neque aliquo genere complecti facilè possis: plures gustu & olfactu priuantur,plurimæ verò prauè gustant, aut olfaciunt citra

gustabilium,& olfactilium vitium. Aliæ sanè sunt,quæ aut surdescunt,aut tinnitu aurium perpetuò cruciantur,licet non pauca vitia in visu quoq; persentiscant. Habet autem auditus hoc peculiare in hystericis affectibus,quòd etiam si fœminæ in accessione omnibus alijs sensibus priuentur,auditu tamen nunquam aut rarò priuantur. Ex eodem fonte manat sensus internos varia etiam pati vitia: nam quædã delirant,maniacæ ac furibundæ redduntur: aliæ vultu existente secundùm naturam amentes fiunt & veluti congelatæ supersunt,nihil percipientes neque respondentes quicquam. Dignum profectò animaduersione hac in parte esse existimaui,diligenter expendere,si ex vitiato semine tot tam sæuaque accidentia fœminis succrescunt,an ea quoque castis & pudicis viris pariter possint accidere? Cui dicimus,quòd licet aliquid hystericis persimile in viris etiam videatur,id tamẽ neque ita frequenter neque pari vehementia ac in fœminis,quia improportionale vitiũ est viris,qui & calore abundant & vegetiores sunt,& vitium ipsum frequẽtissimè frigidum: quòd si in mare aliquando id accidat,melancholica vitia afferre potiùs quàm alia conspicimus. Succrescunt tamen ea mala fœminis,quòd vterus sit corporis sentina,& excrementorum putridorum conceptaculum,adeò vt nihil mirũ sit,si deleteria frequentissimè in eis suboriatur qualitas,propter caloris imbecillitatem,qui causis putredinis minus resistit: quibus accedit mẽsium ac seminis in vterum profusio & improba expurgatio. Atque hæc accidentia retulisse sat sit,quæ veluti summa capita existant eorum,quæ frequentissimo euentu experientia commostrat. Verùm quia non sat esse grauissima hæc accidentia sic in genere nosse,ad rectam medendi rationem, ni quis exactè cuiusque naturam adipiscatur,ideò per capita ea distribuere in animo est,initio sumpto ab vteri strangulatione,tanquam à communissimo in hoc genere affectu.

De vteri Strangulatione. Cap. III.

INTER maximos & grauissimos affectus, quos ex vteri consensu fœminarum sexus perfert,vnus profectò est vteri strangulatus, qui eò maximè nomen generis (hoc est, vterinus affectus) obtinet, quod magna,grauissima & cæteris periculosiora inferat accidentia. Quem quidem affectum non genus hystericarum affectionũ, licet generis nomen sortiatur,sed vnam potissimamque prædicti generis speciem esse censemus, vt Hippocrat. refert lib. de virg. mor. qui inter cætera accidentia hysterica,quæ recensuit,strangulationem tanquam speciem annumerat. Quod sanè malum tunc est,cùm sanguis menstruus redundans aut vitiosus vel quæuis alia ex vtero causa septum transuersum comprimit & opprimit, vt ex Areteo Galen. Ætio ac Paulo euidenter constat. Qui proculdubiò authores strangulatus nomẽ vsurparũt pro sympthomate quodam,in quo fœminæ veluti strangulari ac suffocari videntur,respiratione omnino suppressa ex vteri vitio. Verùm quia potissimum huius morbi accidens respirationis cohibitio est,ob id iure optimo, communi omnium consensu,suffocatio nuncupatur. Cum hoc tamen Stephanus Atheniensis vir maximæ eruditionis & authoritatis cõmento lib. 1. ad Glau. inter vteri strangulationẽ & aphnæam seu respirationis priuationẽ, non minimã adinuenit ac profert differentiam, nec omnino quidem vanam: nam refert aphnæam proficisci ficisci ex superfluitate seminis in vtero putrescentis,quæ in cor frigidos quosdam halitus transmittit, quibus aut cor ipsum obstruentibus aut refrigerantibus respiratio intercipitur: strangulatum verò fieri refert vtero retracto protrusoq; versus partem superiorem,quo & intestina & vterus & septum transuersum comprimuntur ita, vt respirationi nullus aut quàm minimus subsit locus. Ego tamen in hac re censeo, hanc esse differentiam operationis causarum, non differentiam affectus. Erit igitur matricis præfocatio nil aliud quàm vteri (ob siccitatem, vel ex retento menstruo,aut humorum affluxu, seu ex acerbata putridi spermatis virulenta exhalatione) versus diaphragma aut ad alterum latus conuulsio: cui non rarò ex retento menstruo venarum obstructio coincidit. Quippe si nerui, venæ musculi,adde & cornua matricis mensium affluxu, aut viri coitu non humectentur,tunc exsiccata,facilè versus diaphragma,& ad neruorum principium recurrit: pariterque si mensium repletione prædictæ partes distendantur,ad septum transuersum irruit. Sic prorsus dũ sperma in vteri cauitate & vasis coaceruatum computruit,incredibile est quanto neruorum musculorumque nixu vterus conuellitur, vt eius virulentiam exprimere expellereque possit, quæ sanè exhalatio si ad cerebrum ierit, exhorresco dicere, quàm sæua accidentia ac varia deliramenta prorriget. Cùm igitur diaphragma,præcipuum respirationis organum, & præcordia, vteri ad superna conuulsione,coarctata fuerint, nil mirum, mulieres sic affectas, quas Græci hystericas dicunt,suppresso arteriarum pulsu & anhelitu,velut exanimes in terram concidere. Consistit itaque,vt ex Galen. 6. de lo. affect. cap. 6. & lib. 3. de artic. constat, vniuersa huius affectus ratio in difficili quadam respiratione & vocis priuatione, quæ penè ad aphnæam omnimodam accedit: sic enim inquit Galen. Veluti in eo affectu, quem nonnulli vteri suffocationem, alij spirationis ob vterum ablationem vocant. Quæ sanè accidentia optimè Hippocrat. complecti visus est lib. 4. de rat. vict. (vel vt ego magis credo ex Athænei sententia. 2. dipnosoph. Polibus) his verbis. Si quis (ait) repentè obmutuerit,is venarum obstructione molestatur, id si sano absque euidenti occasione acciderit, venam brachij dextri internam secare oportet, & sanguinem pro corporis habitu,ac ætate detrahere: & subdit, vt integram affectus notitiam præstet. His sic affectis accidit faciei rubor,defixus oculorum intuitus, digitorum in manibus tremor,dentium stridor,maxillarum vellicatio,extremitatum refrigeratio, spirituum in venis & arterijs conclusio: & iterum subdit. Si verò ab atræ bilis effluxu internæ corporis partes corroduntur,aut venæ aridiores factæ distenduntur,tunc inflammatæ ad se humoris affluxum alliciunt: vnde corrupto sanguine & ita ob eius consistentiam concreto, vt spiritus per naturales meatus exire non possint,corpus & viscera infrigidari necesse est. Hinc morbos comitiales, vertiginem,capitis grauedinem, loquelæ priuationem,spasmos,& syderationem euenire oportet,præsertim si talis sanguis & opilatio iam vel ad cor,hepar & cauam eius venam peruenerit. Hæc quidem & multa alia refert,quæ licet Galen. ad hystericum affectum non retulerit, ego tamen fœminis vterinis affectionibus molestatis adaptare semper studui. Quibus proculdubiò constat optimè dictum esse Galen. Auicen. & Constantino ad morbos frigidos huiusmodi affectum esse referendum.

Huius autem affectionis triplex cognoscitur species: prima, vehementissima in qua laborantes pulsu & respiratione priuantur,præterquàm in medio pectoris, in quo minimum quid supereſt: in qua specie corpus vniuersum refrigeratur. Secũda

quidem est, cùm ægrè laborantes spirant, licet sensu omnino non priuentur, cum hoc tamen pulsum habent paruum. Altera verò est in qua præter dicta, brachia & crura etiam contrahuntur: cuius meminit Galen. 3. prorrhe. commentario. 27. dicens. Conuulsiones in hystericis sine febre faciles sunt, vt Dorcadi: quibus equidē accedit quædā anginæ species, quæ exsiccato gutture fit ab halitibus illuc ascendentibus ab vtero, cui etiā medeberis per vteri prouidētiā sanguine misso, cauēs ne ad ipsum ex supernis extrahas, nisi vrgentia affectus grauis admodū sit, sed sem per vtero prouidendum est. Quas proculdubiò differentias iuxta causæ vehementiam, ac membri, cui affectus ab vtero præstatur, suboriri necessum est. Ex quibus constat morbum hunc aliquando ad vteri intemperamentum simplex, aliquādo ad idem cum humorum accessu pertinere: præter quàm quòd ad vteri situm & figuram plerumque reducitur, vt inferiùs patebit.

Verùm quia consimiles huic affectioni plures aliæ reperiuntur, velut est syncopis, apoplexia & epilepsia, ob id profectò necessum est, in quo disideant, aut conueniant considerare, ne quis in curatione aut cognitione facilè decipiatur. Conueniunt quidem prædicti affectus cum vteri suffocatione, quòd repente in omnibus laborantes obmutescant, & se continere minimè possint: cæterum disident à syncope ex pulsu, quia in syncope pulsus aboletur, in suffocatione verò plerūque manet, licet exiguus aut languidus aut rarus. Item in syncope sudor frigidus, & color plumbeus erumpit: at in suffocatione aut color non mutatur, aut nonnihil pallidus efficitur. Differunt quoque, quia syncopim leuat gratus odor, & idem suffocationē euocat: sic etenim Auic. arbitratus est & affirmat. 21. 3. tract. 4. cap. 17. hystericam passionem syncopi esse grauiorem, quòd ipsam syncopis frequenter antecedat. Differt etiam à catalepsi suffocatio, quòd nō habeat partes rigidas, & oculos apertos, ac in eodem statu permanentes. Disidet non minus ab epilepsia conuulsione, qua carent quæ verè suffocantur citra alterius sympthomatis complexū: aut saltem conuulsio si quæ adest, perpetuò affligit, non vt motus conuulsiuus: itē suffocatę non omnino sensu priuantur vt epilepticæ: quippe recordantur plerunque eorum quæ audierunt, dum suffocarentur.

Verùm disidet ab attonito morbo, quòd maneat plerunq; sensus in hysterica affectione, & non adest stertor, neque semper refrigeratur corpus. Præterea in hystericis spuma signum est salutis, in alijs præfocationibus lethale, vt constat ex Hippo. 2. apho. 43. A lethargo etiā distinguitur febre. Cæterùm à venenis frigidis, tribus maximè distinguitur: primo quòd non sudent, neque habeant liuorem vnguium & extremitatum, & syncopis ac deliquium animi sunt longiora: nam & hæc si adsint in venenatis moriuntur: sunt etiam in venenatis aut dolor, aut icterus, aut vomitus. Verùm quia solent hæc signa aliorum affectuum, etiam suffocationi grauiori accidere, ob id accidentia intueri oportet, ne aliquando turpiter decipiamur.

Causæ. Causam huius affectionis potissimam & immediatam esse vitium instrumentorum respirationi seruientium, eamque ab vtero mutuatam non dubito. Quin proculdubiò mille modis ipsa instrumenta lædi certum est, nimirum proprio vteri temperamento vitiato, vel humore ibidem contento exuperāte aut corrupto, item, & quod frequentiùs accidit, dum à prædictis semine & sanguine menstruo vitiatis aut copiosis halitus adeò prauæ conditionis & vehementis efficaciæ eleuentur, quòd quancunq; partem ierint, lædant & mille modis perdant, sed instrumenta respirationis præcipuè in hystericis affectionibus: item contingit ipsius vteri

vteri mutato situ, aut figura vtcunque euersa, vt non rarò veneris cupidus solet efficere, sicut viduis & nuptis quæ diu virum nō gustarunt. Ex quibus omnibus septū transuersum per sympathiam afficitur, ac huiusmodi accidentia concitat, vtero non quidem conuulso, sed veluti in septum transuersum irruente, aut in aliam partem prolapso, hoc est, versus eam partem in furorē elato. Quod nullo alio modo fieri constat, quàm dum vterus siccitate, plenitudine vel morsu alicuius venenosi & putridi, versus illam partem quæ afficitur, irruens vi prædictarum causarum septum opprimit. Hippocrat. tamen lib. de natur. mulier. & de mor. mulie. solam vteri peruersionem censet, causam esse varietatis sympthomatū huius mali: quid verò Hippocr. addendum sit, iam refero. Sunt autem huius morbi in genere hæ, quas diximus causæ: verùm accidentiū varietas varias quoque sortitur causas pro cuiusque natura & sorte: referam omnia, & singulis suam causam adscribam. Deficit primò in plerisque ex toto respiratio, deficiuntque cæteri sensus, & immobiles existunt, pulsibus manētibus illæsis: quod fieri est necessum non ex vteri retractione solùm, vt aliqui autumant, sed ex prauis halitibus cerebrum ascendentibus præpedientibusque spirituum animalium liberum ad instrumenta actionum aditum. Carent aliquando huiusmodi fœminæ pulsu, idque corde refrigerato ab eisdem venenosis halitibus, qui plerunque frigidam naturam repræsentant aut suffocato, spiritibus retrocedentibus ad cor ipsum, caloremque veluti extinguentibus: quo fit vt sæpe extrema frigeāt & frigidus erumpat de fronte sudor, quod plerunque accidere comperimus ex seminis retenti (sed expurgari soliti) vitio aut copia, nam id est potius quam menstruorum vitium, quod prædictam frigiditatē inferre assolet. Accidit quoque eisdem adeò difficilis respiratio, vt quasi suffocari videantur: quod quidem fieri arbitror septo transuerso & cæteris instrumentis respirationi seruientibus ex vtero per viciniam compressis, aut aliter malè affectis, cùm ob menstruorum copiam aut flatuosæ substantiæ raritatem in tumorem illuc attingentem attollitur. Aliæ loqui minimè valent, sentiunt tamen leuiter, & optimè audiunt: quod vna è duabus causis fieri posse constat, nimirum, quia halitus ille frigidus ad cor ascendens, respirationem interdicens, defectu aēris loquelam & pulsum interdicit, indicium quidem cordis affecti: vel accidit instrumentis respirationis immotis manentibus: quapropter aērem locutionis materiam trahere minimè possunt. Fieri autem hac occasione constat, quòd septo transuerso compresso difficulter respirant, & loqui conantur, licet non possint. Vterus igitur hæc omnia vitia præstat, vel mutata propria figura, quæ situm mutari cogat, vel temperamento eius plurimùm ad frigidum subuerso: vel halitibus ab eo transmissis in partem secundariò affectam, vt cor est, cerebrum vel quæuis alia ex respirationi seruientibus. Cuius halitus ratione in huiusmodi affectu conspicimus, vterum ita in tumorem eleuari, dum flatibus ibidem genitis, vel aliunde transmissis distenditur, vt mutata magnitudine, partes sibi proximas comprimat, & illæ vicinas, donec per continuitatem septum transuersum comprimatur, & suffocari laborantes videantur. Quod etiam ad latus, & ad varias partes procumbere posse dictum Hippocrat. est, & frequenter conspicimus, vt inferiùs constabit. capit. de vario vteri situ. Fit etiam id malum dum vteri vasa adeò humore implentur, vt mutata quoque vteri figura, idem ob eandem septi transuersi compressionem, subsequatur accidens: licet ob aliam rationem sympthoma hoc proficisci ex hac causa quoque possit: nimirum, eisdem vasis non solùm humore, sed flatu etiam repletis distentisq;, ac ob id contractis. Quo fit, vt vena caua hac

ratione plena ad iecur retrahatur,& ea parte maius malum laborans perſentiſcat, & ſic arteria & reliquæ partes, quarum vaſa implentur: nam vaſa & cætera omnia mollia, dum in latum extenduntur, breuiora fieri habent. Quod eleganti ſententia Hippo. dixiſſe conſtat lib. 5. popu. dicens. Polemarchi vxori in morbo articulari coxæ dolor quidam vehemens, cauſa erat, quòd menſes non prodirent: vox interci piebatur per totam noctem vſque ad meridiem, audiebat autem & ſapiebat, & per manum ſignificabat, quòd circa coxam eſſet dolor. Qua ſententia euidenter conſtare arbitror, ex vteri immodica plenitudine huiuſmodi peruerſionem fieri, & accidere quoque in vterinis paſſionibus aliquando auditum & mentem ſuperſtites eſſe, reliquis potentijs, vel voce interceptis. Igitur in vaſis cumulatus ſanguis, aut turgens ſpiritus ea omnia extendit, vaſa autem per tenſionem & repletionem breuiora facta, vterum ad ſe retrahunt: idque vel æqualiter, & tũc vterus rectà ſurſum ventriculum & diaphragma verſus aſcendere videtur: vel inæqualiter, tunc autem vel in dextrum aut in ſiniſtrum, ad partem ſcilicet vehementiùs trahentem inclinat vterus, facturus quidem prædictam reſpirationem.

Itaque vtero grandiori facto ac in tumorem elato, & retractis vaſis ad ſua principia ſuffocationem fieri certum eſt. Non enim veriſimile exiſtimo vterum mutari, neque vt animal (vt multi cenſent) licèt gratis odoribus delectetur, & fœtidis horreat: nam id ex natiua quadam ſympathia habet, ſicut cætera membra delectari & gaudere alimentis ſibi familiaribus habent ex naturali principio ipſis inſito, ac reſpuere ingrata. Neque vt membrum, quod moueri libere poſſit, id efficit: ſed eò quod venis, arterijs & filamentis alligetur varijs corporis particulis: ob idq; repletis illis, nil mirum eſt, ſi verſus illam partem retrahatur. Quod ſanè vitium Hippo. appellaſſe vteri prolapſionem ad partem cenſeo: nam is eſt modus loquendi huius authoris frequẽtiſsimus, quem reperies libris de mor. mul. Secunda porrò cauſa ex ijs, quas retulimus, eſt frigidum vteri intemperamẽtum ex frigido ſemine per corruptionẽ ſic facto, & cor & vniuerſum corpus refrigerans: quo ſanè ad reſpirationẽ & ad alia munia inepta redduntur membra & cuiuſque potentia: quo fit, vt ventilatione ac refrigerio non egeant, ſed ſola ſufficiat vniuerſi corporis tranſpiratio, quod haud difficulter internoſcimus ex pulſus exiguitate & languore, quæ cordis aut alterius viſceris frigiditatem, atteſtantur. Tertia verò & vltima cauſa, quæ alias non paucas complectitur, eſt putridus & corruptus ſeu venenoſus halitus à putrida aliqua ſubſtantia ex vtero proficiſcens intercludenſque vias reſpirationi dicatas, compreſsis nimirum inſtrumentis vel obturatis meatibus. Qua profectò cauſa prævalente magnas & inæquales fieri reſpirationes contingit, ſicut fœminas maxima anguſtia premi, donec excreto vbicunque flatu, aut humidum, putridum ue aliquod vteri purgamẽtum natura pellat, affectio ſubſideat. Ex qua item cauſa, ſicut ex plurimis alijs, deterrima figura vtero comparatur & vitiatus ſubinde ſitus acquiritur, quibus mille accidentia ex ijs, quæ vterina cenſentur, fœminis ſuccreſcunt. Recenſet quidem ea Hipp. lib. 2. de mor. mul. per hæc verba. Porrò omnis occaſio vteros propellere poteſt, ſi quid malè habeãt: nam & à frigore pedum ac lumborum ſaltatione & terrore & lignorum ſectione.

Ætius tamen & alij alias recenſent cauſas aut externas aut manifeſtas, quas ego conſultò prætereo. At Hipp. referens eodem loco differentias huius prolapſionis paulò ſuperiùs inquit. Dico autem cum vteri ex loco moti fuerint aliò aliàs allabũtur: ad quemcunque vero locum allapſi fuerint, dolores ingentes incumbunt (& ubdit partes recenſens) & ſi qui veſicam contingat, dolorem exhibent & vrinam non

non ſuſcipiunt. Et refert. Si verò ad ſedem conuertantur vteri, feceſſus excrementa impediuntur, & dolores occupant lumbos & inteſtinum rectum ac imũ ventrem & podicem: ac pergit dicens. Si vteri ad ſiniſtram partem ac coxam declinauerint, dolor acutus ac vehemens habet lumbos, & laterum mollitudinem ac ipſum crus, & claudicat. Et multo inferiùs prope finem libri inquit. Si cor ſtrangulatur ab vtero, reprimitur, & ſpiritus habet & anhelatio: & refert iterum. Si verò ſub ſepto tranſuerſo ac præcordijs vteri ſedere videantur, repentè voce deſtituuntur, & præcordia dura fiunt & ſtrangulatur, & dentes conſerit, & vocata non audit. Dixerat quoque eadem Hippocr. ipſe lib. de natu. mul. fidem præſtans prædictæ ſententiæ. Cùm verò ad præcordia vteri allapſi fuerint, ſuffocant, & vbi frequenter acida euomunt, ad modicum tempus meliùs habet. Sic vteri obliquitatem, inflationem, & extorſionem ea quoque parte refert, & ipſius etiam motum ad caput, ad cor, ad coxam, ad pedes, ad manus, & multa alia in ſitu vitia recenſet. Prætereà inquit. 5. aphoriſm. 47. Quòd ſi qua parte vterus ad coxam inclinauerit & ſuppurauerit, neceſſe eſt mulierem emotam fieri, &. 2. de morb. mu. addit fœminas ab eo affectu perire, niſi quid ſecetur aut vratur. Sed quid per verbum, emotam, fieri intelligat, non ſatis conſtat ex Galen. credendum tamen erit, ſignificare vlcus adeò cauum fieri quod medicamentis indigeat per linamentum inductis in penitiora loca. Quæ quidem vel ex prædictis cauſis externis, vbi vteri malè habuerint, cenſeo poſſe proficiſci, vel ex ſemine & ſanguine menſtruo corruptis, aut quouis alio vitiato excremento vterum infeſtante. Nec minoris eſt momenti expendere, quanam ratione dixerit Hippocrat. lib. 2. de morb. mulie. hæc verba. At poſteà quàm vterus ad hepar appulit, ſtrangulationem parit, repentè intercipiens tranſpirationem, quæ fieri ſolita erat circa partes alui. Cuius loci occaſione ex illius lib. commentatoribus nonnulli arbitrati ſunt, vterum à ſua ſede, velut quid appendens & nullibi alligatum, dimoueri. Qua in re ne longius abeam, ſtatuendum eſt, vterum ſurſum deorſumq; alligatum eſſe, nec non & iuxta dorſum, alioqui procideret vniuerſus cum fœtu ſuprà inguina: quo fit, vt vel reſicatus ex propria humiditate, vel defectu ſeminis recipere aſſueti, aut præ vetuſtate humido deficienti, è venis nitens trahere ad hepar accedere videtur, & re vera accedit, nõ dimot⁹, ſed veluti incũbẽs, vt ab eo reficiatur: ex cuius cõprehẽſione leui ſuffocatione incepta (forſan quia cõpreſſum iecur ſeptũ cõprimit) ſine cerebri læſione ſenſim magis ſuffocatur mulier, donec præ anxietate pituita à capite delabente humectatur vterus, & ſenſim in antiquũ ſtatũ redit. Multa in hac Hipp. dictione cõſideratione digna prętermitto cõſultò, quæ potiùs ad trãſlationẽ ſententiæ, quàm ad veritatis rei indagationem proficua eſſe arbitror.

Sed conſideratione hac in parte dignum iudico expẽdiſſe, an ſeminis & ſanguinis menſtrui corruptio (quam tantorum malorum cauſam eſſe diximus) intra vteri cauitatem fieri debeat, vt hæc mala moliri poſsit, an potiùs intra eiuſdem vteri vaſa. Cui dubio dicimus, certum eſſe in vtraq; parte has ſubſtantias poſſe corrumpi, & ea mala efficere. Cenſeo quidẽ in hac re vteri motus & peruerſiones plerunq; ex vaſorũ plenitudine à ſanguine mẽſtruo & ſemine facta contingere: & ex hac etiam cauſa vteri ſtrangulationes proficiſci: licet ex flatu corpus vteri diſtendente non rarò ſuccreſcant. Verùm ea mala quæ ex corruptione harum ſubſtantiarum prodire cõſpicimus, frequentiùs extra vaſa corruptis ſemine & ſanguine mẽſtruo delapſis prope teſtes, & in vteri cauitatẽ, ac nõ purgatis fiũt: etiãſi, vt mea fert ſententia, non rarò intra vaſa ipſa putre fieri contingat, efficereq; febres & alia acci-

accidentia quæ diutiùs durant, quàm vteri ſtrangulatio, & pleraq; ex ijs accidentibus, quæ ſubitò ceſſant. Quippe coniectabile eſt, mala quæ diu durant, & diuturnas virginum febres, potiùs ex cauſa concluſa & intra vaſa latitante fieri, quàm ex ea, quæ in vterum prolapſa haud difficulter purgari poteſt. Ex quo quidem arbitror, hyſtericas virginum affectiones maiori ex parte ex ſemine & ſanguine menſtruo intra vaſa vitiatis fieri (licet ex eiſdem in vterum prolapſis aliquando rariùs tamen id ſuccreſcere contingat: præſertim in grandioribus, & ijs quæ ſalaces ſunt vitamque degunt ſedentariam, ac virorũ loquelis & contactu vtuntur & gaudẽt) eas verò affectiones, quæ viduis accidunt, plerumq; ex eiſdem ſubſtantijs in vterũ prolapſis in eoque putridis proficiſci credendum eſt, vt euidenter conſtat ex vteri purgamentis, quæ plerunque habent, quæ ſuppreſſa facilè hyſtericum affectũ accerſunt. At in ſterilibus & virginibus, ac ſolidæ contexturæ fœminis intra vaſa huiuſmodi putredines fieri vt plurimùm, arbitramur. Cùm hoc tamen aliquando (vt nuper diximus) accidere ſcimus, quod vteri defectu prædictarum humiditatũ reſi centur, cæterùm hæc non verè meretur nomen hyſtericæ affectionis, donec vterum aliò transferat (modo dicto) & aliquod ex præcipuis membris oblædat.

Sed dicet fortaſſe quiſpiam quî fieri poſsit, hanc ſubſtantiã corrumpi intra propria & naturalia loca, cùm id accidat frequentiùs his ſubſtantijs dilabẽtibus in loca non naturalia: præter quàm quòd ſi intra vaſa putrefieri aliquo modo poſſunt, multò rectiùs id fieret in omnibus fœminis parum ante menſtruationem, cõcluſo ibidem ſanguine futuro menſtruo. Cui dicimus, nõ minus id fieri poſſe, quàm dũ ſanguis in febrium generatione intra vaſa putreſcit, prohibita naturali caloris ventilatione: ſic virgines & ſolidioris contexturæ viduæ, præſertim iuuẽculæ, cùm ob naturalem meatuũ conſtrictionẽ improbè purgẽtur, plerũque ea mala perpetiuntur ſemine & ſanguine menſtruo intra vaſa putreſcentibus. Quo fieri arbitror, vt virgines frequenter febricitent, & febris non ſit admodum intenſa ac periculoſa, quòd minera putredinis longè diſsita ſit à corde: at viduæ & quæ viro vtuntur maiori ex parte refrigerentur, vtpote ſemine & ſanguine extra vaſa prolapſis & putredine vel corruptione alia refrigeratis. Contingunt quoq; hæc eadem mala ex læuigato & nimis vacuo vtero: ſic etenim ad loca humida ſeſe conuertit, & è capite ac reliquo corpore (immodico etiã labore) ſiccatus trahit: quod grauidis accidere quoq; poteſt inopia alimenti, aut cõcalfacto labore vtero. Quamobrẽ ab Hipp. dictum eſſe cenſeo lib. 1. de morb. mul. inediam eſſe vtero affectis pernicioſam: inquit enim. Si ſuffocatio repentè acceſſerit: fit autem maximè his quæ cum viris non coeunt, & ſenioribus magis quàm iuuenibus. Leuiores enim vteri ipſarum ſunt, fit autem potiſsimùm tũc, vbi mulieri vaſa euacuata fuerint, aut plus ſolito laborarit reſiccati à labore vteri conuertuntur, vt qui vacui ſint ac leues: qua ſententia arbitror conſtare, ex ſiccitate & inanitione proficiſci non rarò vteri conuerſionem vel ad coxam, vel ad hepar, vel ad alias partes, vt Hipp. mens eſt loco nuper citato: licet Galen. 6. de lo. aff. cap. 5. quodammodo huic ſententiæ videatur refragari, docens vterũ nullum ſitũ mutare. Sed velim ego hac in re monitũ lectorẽ, ne intelligat Hipp. id intellexiſſe, vt verba ſonare videntur, nimirũ, vterum hanc aut illam partem peruadere, ſed quòd vteri vaſa vel ligamenta ex ea parte diſtẽſione, ſiccitate aut inanitione conuellantur, damnumq; circa eandem partẽ inferant, haud ſecus quàm ſi vterus eiſdem partibus incumberet: nam hoc eſt, vterum ad humiditatem concurrere, vt Hippoc. refert. Quo ſanè in ſenſu volo intelligi loca illa Hippoc. quibus docet huc & illuc vterum vagari.

Con-

Contingit vltimò vterum affici, & prædictam ſuffocationem efficere, ex defluxione à capite vel quauis alia parte facta, aut ex ſuſceptione aëris: cuius ratione inflari cõniuente collo contingit. Dimitto etiam conſultò hac in parte vteri inflammationes & alios affectus, qui ſolent huic malo cauſam præſtare, quorum ſuo loco latiùs meminero. Neque eſt ab re toto animo expendere cauſas quoq; procaturcticas, vtpote quæ non rarò id malum efficere aſſueſcãt: vt frigiditas intropellens ſuperfluam humiditatem: exercitium plurimum diſſoluens: quies, quæ plurimos generet ſuccos, eoſq; crudos ac vitioſos: ſomnus multus: veneris intermiſsio: praui ſucci alimenta, & grauiora animi pathemata, crudi & frequentes aborſus vt Moſchio addidit, item odores gratinaribus adhibiti ob conſortium vteri & cerebri: quæ proculdubio omnia vel per ſe, vel internis cauſis commotis, affectum hũc excitare nata eſſe comperimus.

Inſtantem huius affectus acceſsionem planè oſtendunt ea ferè ſigna, quæ præſentem, licet non æquè intẽſa: nam dum imminet, torpor mentis accedit, pigritia, crurum imbecillitas, pallor faciei, & iam approximante affectu, ſopor grauis, deſipientia, ſenſuum interceptio, vocis priuatio, crurum contractio, quibuſdam riſus, alijs lacrymæ, alijs vtrunque; pleriſque oris ventriculi morſus, cibi faſtidium, nauſea, & omnium rerum veluti obliuio quædam: item pulſus debilis, cordis palpitatio, dolor capitis plerunq; cum rubore labiorum, faciei, & oculorum, qui etiam interdum ſic clauduntur, vt aperiri facilè nequeant: interdum triſtantur, aliquando vertigine corripiuntur, aut ſtupent, vel licet intelligant & audiant, reſpondere tamen non poſſunt, vt de vxore Pollemarchi retulit. 5. popul. Hippo. Adeſt etiam quibuſdam murmur in hypochondrijs: alijs venter tumet & dolet ita, vt ſe erigere non poſsint: ſiti plures cruciantur putredinoſo halitu ſurſum aſcendẽte: crura quoque imbecilliora cæteris partibus exiſtunt: corpus etiam fit pigrum ad omnes motus voluntarios. Quæ omnia proculdubio augentur muliere iam ſuffocatione apprehenſa, & contractis antrorſum cruribus, quæ in ſpinã veluti mortua cadit. Quibuſdam cùm ſic afficiuntur, ab vtero inſtillat ſeroſum quid, aut ſpermati ſimile, aliquando inſenſibiliter, aliquando verò cum delectatione excretum, præſertim plus iuſto tractatis pudendis partibus: alijs effluit flatulenta pituita, alijs profectò bilis, quibuſdam ſaliua excernitur per os, ſed non ea excreta liberantur, vt quæ epileſia correptæ ſunt, quia in illis purgatur humor noxius: in his verò mouetur ex difficili reſpiratione è glandulis natiua humiditas & ſaliua. Quorum ſignorum Hippocra. meminiſſe conſtat lib. 2. de morb. mulier. per hæc verba. Cùm vterus ſtrangularit, ſpiritus autem aceruatim ſurſum cõmotus fuerit, & grauitas incubuerit, & mens percuſſa fuerit, & loqui non potuerit, & perfrigeratio adeſt, & ſpiritus offendens, & oculi obſcurantur. Qua parte multa alia recenſet prædictis ſimillima, quæ breuitati conſulens prætermitto, refrigerationem tamen non ad intemperamentum ex ſemine corrupto ortum vt nonnulli cenſuerunt, reducendam exiſtimo, ſed ad venenoſam ſubſtantiam in quam ſemen migrauit: refrigeratur enim corpus veneno aſſumpto ob ſpiritus ad cor retroceſſum.

Signa cauſarum & effectus.

Cùm ad rectam medendi rationem proficuum ſit, noſſe affectus ipſius, cauſam & occaſionem, ob id nobis in animo eſt hac in parte huius affectionis cauſas exquirere. Primò quidem vteri intemperamentum ei malo principiũ præſtare venabimur ex ſequentibus cap. quæ docent intẽperantias vteri curare. Sanguinẽ tamẽ menſtruum huic malo occaſionem porrigere, oſtendunt multa: primum menſes per conſuetudinem & tempus ſuppreſsi, vel ob improbam vitæ inſtitutionem,

quæ

quæ crassum generat sanguinem, vel quia ora vasorum, per quæ labitur in vteri cauitatem, clausa sunt: quod ex priuatione signorum aliarum causarum facilè discès: item mammæ turgent lacte, totum corpus graue efficitur, & partes colli & oculorum dolent, sic & partes iuxta renes & femora: rubent item supremæ partes ex calfacto retento sanguine, aut vitiato alijs humoribus simul redũdantibus. Quod noscemus, quia si causa noxæ frigida est, vniuersum corpus adeò refrigescit, vt vix sensu pulsum deprehendat: si acris materia extiterit, conuulsionem excitat: si melancholica, mœrorem: animi verò deliquia ob accessionum vehementiam & maximas refrigerationes ac oris ventriculi vitia prouenire comperies. At semen esse vitiatum & abundans ostendit vidua iuuencula & boni habitus: item accidentiũ aliarum accessionum vel præsentis grauitas & sæuitia, & subitus casus: quia semen tenuius est & acutius sanguine ipso. Sic enim his, quæ ex hac causa laborãt, pulsus & respirationis priuationes, conuulsiones, & animi defectiones magis insunt, quæ vt Galen. refert. 3. de lo. pat. ab excreto multo & tenui semine, aut pauco & crasso protinus liberãtur. Constat quoque hanc esse causam, quia menstruæ purgationes optimè prodeunt, cum hoc tamen laborans nullum, aut tenue persentit leuamen. Verùm an sit accessionis causa ascensus vteri, vt ferunt, vel recursus ad superiora aut (vt rectiùs loquar) vasorum illius partis conuulsio, cognosces quia sympthomata sunt suffocationi proxima, adest suspirium, vertigo, capitis dolor, cibi fastidium, nausea, ructus, & intestinorum crepitus: sentitur quoq; grauitas & compressio tanquam à rotundo aliquo corpore circa vmbilicũ. Quòd si vterus peruertatur versus partem anticam, posticam, læuam aut dextrã, fœminæ grauantur, dolent, tument ilia, vel pecten, vel vesica, aut rectum intestinum iuxta partem cui vterus incũbit: quod etiam manifestum fit, quia si fœminæ eo tempore viro vtantur, adeò os vteri peruersum apparet, vt semen protinus dilabatur.

Signa verò, quæ fœminas hoc modo affectas viuere, aut posse viuere vel morte periclitari ostendunt, sunt (præter lanæ floccum naribus appositum, aut vas aqua plenum super ventrem situm; aut speculum, quod halitum respirationis suscipiat) quæ ab sternutatorijs pharmacis desumimus: nã facilè cognosces fœminam viuere, si apposito aliquo sternutatorio cerebrum quodãmodo moueri videatur: quod solet etiam mirum in modum monstrare pilorum auulsio è pudendis partibus facta: quòd si his non reducatur, periculum est ne mortua sit fœmina, vel morti proxima. Periculosas item eas accessiones iudicamus, quæ præter id quòd frequentes sint, diu protrahũtur, & in quibus spiritus summe difficilis est, pulsus creber, & ordinis expers, aut ex toto abolitus, summũ corpus in his frigido sudore madescit, mox que syncopis sequitur, & aliquando mors. Minus profectò graue vitium est, in quo hæc quæ proposuimus omnia reperiuntur, solo illæso spiritu: & rursus minus graue, in quo sensus & motio integritatem habent. Præterea, morbus is quibusdam quasi circuitibus, vt comitialis, mouetur: inciditque magis hyeme & autumno, maximè calidis atque humidis puellis, & viduis etiam quæ præter morem viro diu caruere: item his quibus sterilitatem medicamenta conciliarunt. Grauidis autem licet diu menses supprimantur, sympthomata hæc rarò accidunt, quòd humorũ parte puriore fœtus in vtero alatur, reliquum crasius in vasis ad vterum pertinentibus, in secunda ad partus expulsionem seruatur integrum, aut non ita corruptũ, nisi aliunde vt ex febre magna, aut prauo vitæ instituto, vel antiquo vteri intemperamento vitium accesserit: cuius sortis nonnullas fœminas cognouimus, quæ & menstruantes, & vtero gerẽtes hoc affectu haud leuiter premebantur. Accidit nõ minùs

minùs id malum à pituita putri quàm plurimis fœminis, ijsq; natu grandioribus, & mensium ac seminis annos egressis, vt sexagenarijs & septuagenarijs. Quod etiã vitium ex hac causa commune est iuuenculis, quæ victu vtũtur parco, & potu largo, atque intempestiuo aquæ aut vini.

Curandi ratio.

Cùm dictum superiùs sit, causas huius affectionis in genere triplices esse, triplicem quoq; medendi rationem fore, subinde necessum esse arbitror: idq; non solũ in vera curandi ratione à causa ipsa principio sumpto, verùm & in ea, quæ accessioni debetur. Non enim vtcunq; fas est, fœminas sic affectas ab accessione reuocare: sed aliter eas quæ ex vteri retractu, aliter quæ ex semine corrũpto aut sanguine menstruo: & vltimò, aliter eas quæ ex flatu iacent: quod pari prorsus ratione subintelligendum est de singulis causis.

Accessionis prouidentia.

Dictum quidem est, contingere omnem vteri strangulatum aut subuersa ipsius figura, aut mutato temperamento proprio vel humorũ, vel ab halitibus ipsum distendentibus, aut principem aliquã corporis particulam irruentibus consortio venarum aut arteriarum, vel quouis alio modo. Sic dum figura vitiata strangulatum infert (præter quàm quòd, vt Paulo placet, cibo potuue eo tempore vtendum non est) corpus eo situ locare oportet, quo citiùs ad pristinam figuram & situm vterus reducatur. Sic accliuibus scapulis, femora ac inguina in decliuem locum prona locentur, quo tempore omni ingenio curãdum est vterum reducere; frictionibus ventris deorsum factis, crurum vinculis, cucurbitis etiam suris, femoribus ac inguinibus affixis: quod si prodesse non videatur, vmbilico eas apponere oportet, quo citius ad proprium locum euoluatur vterus. Præstat etiã, sicut in omni alia causa, pilos digitorum pedum violenter euellere: sed fœminas sic affectas citius ab accessione reuocat pilorũ è partibus pudendis violenta euulsio. Cæterùm quia naturali quadam sympathia vterus prauos odores auersatur, amplectiturq; ac sequitur grauos: ob id naribus quæ fœtida sunt, admouere oportet, qualia sunt galbanum, assa fœtida, opopanax, castoreum, bitumen, oleũ ex gagate, & sulphuris, vel pilorũ, aut papiri combustio, & alia huius census, quibus etiam digerendi quod in vtero est, facultas inest: à quibus abstinendũ esse cõsulo, si fœmina epileptica fuerit. Prodest etiam odor lucernarũ extinctarũ, aut fumus ex vstis plumis potissimùm perdicis: fumus item ex corio, & è fæce: capilli quoq; hominis, cornu cerui vel alterius animalis, aut vngula: lana item cõbusta vel pannus, quorũ proculdubio vapor seu fumus sua fœditate vterum tristatũ descendere coget, ac spiritum animalem & vitalem quasi sopitos spergefaciet, & vaporem infestissimum, à quo vterus deturbatur, resoluet conteretq;. Possunt item ex prædictis varia vsui parari medicamenta, exceptis pice liquida, galbano & similibus. Sic vtile paratur medicamentũ ex galbano, aceto dissoluto & ex castoreo. ana. ℥. ß. è sulphure viuo. ʒ. ij. aut in eodẽ aut conizã, & iuniperi baccas incoquere. Itẽ vinũ in quo ferbuerint camedrys macerata, & betonicæ folia trita. ʒ. j. mulsa exhibita. Sed Gale. 9. de compo. phar. lo. refert ʒ. j. agarici potui datam mirificè conferre. Item sternutamentũ mouere plurimũ confert puluere tenuissimo piperis, nasturtij, & sinapis, quo plures pristino statui restitutas conspeximus. Verùm quia plerunq; caput ab accessione malè habet, ipsum & spinam inungere conuenit oleo de spica calido, vel alio consimili. Vtero admouẽda interim sunt, quæ grati & boni sint odoris: tum quia prauos halitus ad se alliciũt, quæ talia existunt, natura gratum insequente: tũ verò quia & ipsos discutiunt & partes pudendas aperiunt ac laxãt, vt aliquid facilius expurgari possit: præterquàm quòd vterum ipsum sympathia quadã ad se reuocãt, & ob id ad naturalẽ

ſitum reducunt. Neque credendum ex hac cauſa eſt, vterum animal eſſe ſenſus & motus particeps, ſed quia rebus à natura productis omnibus ineſſe animam appetitiuam conſtat, vnde & plantas animalia ob id eſſe, ac appetitu cognito ad ſibi conferentia moueri cenſendum, quo appetitu allectus vterus inſequitur bonum odorem, & ob id fit, prauos halitus diſsipare, & qualitate odoratorũ tueri propriam naturam, non quod odorem percipiat, ſed quia odorata omnia habeant certam quãdam naturam ipſi ſummopere gratam & amicam. Eadem quoque ratione hepar dulcia affectare, heliotropum ad Solis acceſſum, magnetem Septẽtrionem verſus ſe inclinare videmus: qua etiam vterum odorata conſectari, grauiter olentia abhorrere experimur: quod in membris noſtri corporis vtile amplexantibus trahentibuſque, & contrarium reijcientibus, verum quoque exiſtit. Sunt autem ea, quæ id munus præſtant veluti zibetum, bombax muſcatus, vel goſsipium moſcho cõſperſum, oleum moſcho perfuſum, galia muſcata, alypta muſcata, & caryophyllum, atq; alia huius cenſus, velut oleum iaſmini, naphæ, ſtyracis, & cinnamomum: item cinnamomum ipſum, coſtus, caſia lignum aloës, diambra & diamoſchum. Sed immittere oportet in ſinum pudoris & vteri ceruicem quæ ex his compoſita prodeſſe comperimus, quale illud eſt, quod recipit alyptæ muſcatæ. ℈.ij. ligni aloës, caryophyllorum ana. ℈.j. muſci, ambræ ana. g.v. excipiantur oleo de ſpica, additis ſtyrace, balſamo, aqua muſcata, vel alia odora, cum ladano fieri poſſunt peſsi, qui in vteri collũ immiſsi plurimum proſunt: præterquam in virginibus, quarum pudendum ſat eſt inungere.

Sed antequam alias huius affectus cauſas aggrediar, recenſere hac in parte mihi viſum eſt, qua curationis lege Hippocra. ab acceſsione reuocabat fœminas, quibus vterũ à ſua ſede dimoueri contingebat. Quã ſanè ſi quis attento animo intueatur: reperiet facilè conſimilem eſſe in omnibus fere huius authoris ſcriptis. Nã li. de natu. mul. poſtquam vteri varium ſitum recenſuit, inquit. Poſtquam igitur allapſi fuerint, tepefactoria adhibeto, & graueolentia ſuffito, infra autem odorata, & caſtoreum bibendum dato & conizam: vbi verò deorſum proceſſerint, infrà graueolentia ſuffito, ſub nares autem odorata, ſedatis autem doloribus pharmacum bibendũ dato. Qua ſententia videtur, vniuerſam curationem complexum fuiſſe, ſicut lib. 1. & 2. de morb. mul. qua parte inſtituit curationem ex fomentis, lana, ſpongia, aut veſica oleis imbuta & vteris adhibita: ex ijs etiam, quæ modicè flatus diſcutiant, & vteros ad inferiora euocent. Sed potiſsimam curãdi rationem, adducit idẽ author lib. 2. per hæc verba. Caput quam citiſsimè radito, & per faſciam ſupra vmbilicum, ſi opus fuerit, deligatum detrudito: dato autem caſtoreum & conizam & rutæ aquam; cuminum æthiopicum, raphani ſemẽ, ſulphur, myrrham: ad nares graueolentia, ad vterum bene olentia adhibeto. Cuius cenſus millies repetitam eadem parte reperies curationem: cenſeo quidem mixtam confuſamque Hipp. ex curatione & reuocatione ab acceſsionibus afferre non rarò curandi rationem. In qua re Hippo. laudo conſilium, qui femora & inguina inungit, quod virginitatis præcauendæ gratia virginibus proficuum fore cenſuit: etiam ſi alia ratione id fecerit author, nimirum, ne calidioribus phatmacis excandeſcant plurimùm: inquit. n. lib. de natu. mul. virginem autem vt viro cohabitet, perſuadeto, ad vterum verò nihil adhibeto. Atque hæc ſunt inter alia pleraque, quæ conſultò prætermitto, ea, quæ ab Hippoc. ad vteros è ſede dimotos afferri conſtat: mihi tamen arridet magis eam curationem inſtituere, & eidem, in reuocandis ab acceſsione fœminis, inniti, quæ ſemini, flatui & ſanguini menſtruo corruptis proficua eſſe conſtet.

Fœmi-

Fœminæ, quæ ex ſanguinis menſtrui abundantia ob retentionem, hoc affectu premuntur, non vtcunque leuari ab acceſsione deſiderant: rarò enim eis prodeſſe conſpicimus fœtida, neque odorata, rariùs adhuc cucurbitas, quinimò obeſſe plerunq; aſſolent. Quamobrem eas reuocare oportebit, ſi periculum ſuffocationis imineat, ſanguine miſſo ex talo: nam licet in alijs cauſis id auxilium tentare nefas eſſet, ſanguine tamen aut ſemine ſuppreſſo, præſertim in fœminis quibus ſanguinem abundare cognoſcimus (nam in alijs quibus ſolùm ſemen eſt corruptum, alienũ eſt à ratione, quia cauſa, accidente, morbo & auxilio corpus refrigeraretur, quod periculo nõ vacat) tutiſsimum & vtiliſsimum exiſtit præſidium: nullo enim alio vires onere preſſas, vias nimia redundantia obcæcatas, & ſuffocationis periculum leuare citiùs poteris. Prætereà clyſteria immittere frequẽter præſidio eſt, præſertim ſi ea receperint medicamenta quæ vterum reſpiciunt, qualia diximus lib. noſtro de præſid. indica. Cui quoque vſui glandes per ſedem inijcere oportet ex cumino, ruta, hiera ſimplici & carycis. Idem beneficium præſtare cognoſcimus cucurbitas ſuris, femoribus & propè inguina cum ſcarificatione aut citra ipſam affixas: quo quidem caſu eas vmbilico apponere citra delectum, vt vulgus omnino imperitum efficit, periculoſum & graue plerunque eſt, ob plenitudinem viarum vteri. Inungere quoque ventrem inferiorem & totam vteri regionem, pectinem & lumbos ijs quæ humorem & flatus attenuent & vias dilatent, neceſſarium & vtile experimur, vt per vteri meatũ aliquid erũpat, quo faciliùs acceſsio quieſcat. Eſt autem huic vſui aptum medicamentum oleum irinum, de croco, de anetho, de lilijs albis, de ruta ac de nardo. Admiſcere etiam oportet, quæ modicè ventrem & vterum ipſum laxent, veluti oleum amygdalarum dulcium, vel ſeſaminum, ne ſi humores tenuari contingat, maiores efficiant dolores ob maiorem prædictarũ partiũ tenſionem. Vteri etiam oſculo, quæ trahendi & expurgandi ab eodem vires obtineant, adhibenda ſunt: virginibus facta iuxta inguina inunctione: corruptis verò immiſsis intra vteri oſculum peſſarijs, quæ ex nuper dictis medicamentis facilè parabis, quorum copiam hoc cap. paulò inferiùs abundè reperies. Vinculis item & ligaturis fortiſsimis vtendũ erit, præſertim prope digitos pedum, & ſuras ac femora: quo facto ſæpe humores ad inferas ſedes euocantur, & halitus retrahũtur, quibus ocyſsimè acceſsiones ceſſare ſolent.

Si ex ſanguine fiat acceſsio.

nota de ſang mis

chiſteres ſunt cu ſer. cucurbitule femoribꝫ. & etiã inbef.

Quod ſi ex retento ſemine acceſsionis vehementia ſuboriatur, citra vllam vacuationem rem omnem agere oportebit ob rationem nuper adductam: præterquam clyſteribus iniectis, vel ſuppoſitorijs, quæ irritata aluo aliquid ab vtero, vel circumuicinis partibus extrahere ſint nata. Conficiuntur quidem ex hiera, mercurialis ſucco & oleo liliorum: à quo auxilio ligaturis partium extremarum, frictionibus, pilorum auulſionibus, & vellicatis quoque naribus & auribus, & vociferationibus, tandem motibus vehementibus excitare laborantem oportebit. Cucurbitas etiam affigendas eſſe prædictis partibus conſulit rei ratio. Sed cauere hac in re oportet à titillationibus, quas multi conſulunt in partibus pudendis fieri, etiam ſi fœminas ob id leuari excreto ſemine conſpiciamus: nam ſcimus nõ licere medico Chriſtiano. Eſt autem vtile peſſarijs & inunctionibus prædictis vti, donec vi medicamenti aliquid ſpumoſæ aut aquoſæ ſubſtantiæ in quam ſolet corruptum ſemen degenerare, excernatur. Conficiuntur huic vſui pharmaca hac lege: excipe alyptæ muſcatæ. ℈.ij. ligni aloës, caryophyllorum. ana. ℈.ſ. muſci ambræ. ana. g. iij. excipiantur oleo de ſpica, & cum cera fiat peſſarium. Cui conſimile efficies, ſi exceperis galliæ muſcatæ. ʒ. j. cinnamomi & caryophyllorum.

Si ex ſemine fiat acceſsio.

fiat irrumatio ꝛ prediſti oleri.

ni è medici chriſti uti titillationi G

ana.℈.j.ambræ,moſchi ana.g.iij.ladani,ſtyracis ana quod ſit ſatis,vt fiat ſuppoſitoriũ. Inungere quoque pudendum oportet,& vteri externam regionem oleo coſtino,de lilio,de ſpica,laurino,vel ex angelica herba confecto, additis puluiſculis nuper dictis. Item vmbilico emplaſtrum aliquod pro matrice appones,vel gummi aliquod ex ijs,quæ nuper ex India aſportantur,vt carannam,techamacham,vel balſamum, aut ſtyracem liquidam,vel oleum de ſtyrace,& alia non pauca, quæ caliditate pollentia huic vſui non parum conferunt:atqui ſalacibus fœminis,calidis,aut virginibus admiſcenda eſſe ijs, quæ vtero proſunt,alia quæ caliditatem cõtemperant,conſulit rei ratio,præſertim ſi eis addideris quæ ſemen minuant, aut refrigerent vel reſoluant,quippe hæc videtur ſecurior & vtilior medendi ratio,veluti agni caſti ſemen, corallum,præcipuè album,roſam albam ſiccam,ſemina plantaginis & eius naturæ alia. Verum in viduis & grandioribus fœminis,& ijs,quibus pituita & reliqui ſucci frigidi abundãt,maioris efficaciæ emplaſtrum efficere oportebit. Cuius naturæ eſt id quod recipit alyptæ muſcatæ,puluerís caryophyllorum & angelicæ.ana.℈.j.puluerís roſarum & coralli albi.ana. 3.j.terebinthinæ & ceræ quod ſit ſatis, adde ambræ.g. iij. Item aliud conficies, quod recipit galliæ muſcatæ, diambræ. ana. gr.x. puluerís ſanthalorum omnium, coralli, agni caſti, & roſarum albarum. ana.℈.j. ladani depurati quantum ſit ſatis, vt fiat emplaſtrum. Aliud etiam parabis vſui proficuum, quod recipit olei naphæ. ℥.j. theriacæ magnæ. 3.j. puluerís galliæ muſcatæ.3.ß.zibeti. ℈.j. puluerís ſeminis angelicæ,cinnamomi & caryophyllorum. ana.3.ß.galbani. 3. ij. ladani depurati quod ſufficiat. Aliud etiam maioris pretij conficies quod recipit,olei cinnamomi,de ſpica,& balſami.an.3.ij.puluerís cinnamomi,macis,caryophyllorum,& ſeminis angelicæ. an. 3.j.galliæ muſcatæ,alyptæ muſcatæ,diambræ & diamuſci.ana.g.v.ceræ & terebinthinæ quod ſit ſatis. Ex vſu quoque erit emplaſtrum ex ſola theriaca conficere, quod tanto erit efficacius,quantò venenoſior extiterit humoris natura. Quòd ſi alias velis experiri emplaſtorum formas varijs vſibus proficuas,abundè paulo inferius reperies.

Si ex flatu fiat acceſſio.

At ſi ex flatu vterum diſtendente euertenteque eiuſdem figuram,ac circunſtantia membra comprimente, in acceſsionem fœmina incidat, curandum eſt omni arte flatus diſcutere.Primò quidem clyſteribus diſcutientibus,qualia ſuperiùs dixi mus: quibus addes oleum rutaceum aut irinum,vel in quo cuminum ferbuerit, vel aniſum. Inunges quoque infernam aluum prædictis oleis,præſertim ſi eis addideris theriacam. Proſunt etiam fomenta ex decocto camemali, anethi,thymi, fœniculi,rutæ,artemiſiæ,aniſi,cumini,baccarum lauri & ſimilium. Peſſaria item adhibebis,potiſsimum quibus additum ſit aliquid flatum diſcutiens, velut eſt puluis cumini, rutæ, aniſi,caſiæ, cinnamomi,ligni aloës,& coſti. Qua ſanè cauſa exiſtente incredibili efficacia conferunt cucurbitæ citra ſcarificationem frequenter vmbilico affixæ: quinimo cenſeo ob hanc cauſam ſolùm ventri eſſe apponendas: nam licèt muliercularum vulgus in quauis ſuffocatione eis vtatur, proficuas magis hac cauſa prævalente eſſe arbitror. Quapropter cautè in alijs cauſis, aut nunquam eis vtendum erit: qua item cauſa exiſtente vmbilico emplaſtra pro matrice appoſita mirum in modum proſunt, quæ facilè parabis addito prædictis aliquo ex diſcutientibus puluiſculis, veluti eſt lignum aloës, cuminum, aniſum, cinnamomum,coſtus, camemalum, & eius naturæ alia. Ex quibus etiam ſacculum parabis & ventri calidum frequenter adhibebis,ſicut & pleraque alia,quæ flatibus diſcutiendis idonea reperiuntur,ac nos adduximus lib. noſtro de præſid indi-

dica. Conſideratione quidem dignum exiſtimaui hac in parte expendiſſe, an ſic affectis vinum porrigere tutum ſit: quippe Hippocrat. id videtur conſuluiſſe libr. 1.de mul. natu. dicens: Si vteri ad hepar acceſſerint, muta de repente fit mulier, & dentes conſerit: tum manibus ſubtus depelle, ac infra hepar & hypochondria faſcia mulierem conſtringito, ac ore aperto vinum odoriferum infunde, naribus graueolentia offer, ſubtus verò aromatis bene redolentibus ſuffito. Qua ſententia freti non deſunt qui Auicenn. erroris accuſent, quòd vinum mulieribus hyſtericis interdixerit, his verbis. Caue ne des eis in potu vinum, quoniam aqua eſt eis conuenientior, neque carnes groſſas, & ea quæ adduntin carne & ſpermate. Verùm ſi quis rei huius veritatem & vtriuſque authoris mentem æqua lance expendat,reperiet, neque ſibi inuicem contrariari,neque vllum eſſe in ſententijs diſsidium:nam in huius morbi acceſsionibus ob virtutis languorem & ſpiritus coarctationem ſyncopis crebrò coincidere ſolet:quamobrem Hippocr.accepta à virtute defecta indicatione,quæ cæteris præpollet indicationibus,pro reficiendo virtutis robore,aperto ægrotantis ore vinum odoriferum inſtillari iubet:Auicen.verò,cum ex ſanguinis redundantis & coaceruati in vtero ſpermatis copia præfocatio oborta fuerit,tũc ea quæ ſanguinẽ & ſperma in viduis & virginibus ac reliquis adaugẽt,rectè vetat,qualia ſunt caro & vinum.Verùm ſi vteri præfocatio ex obſtructione venarum eius à ſanguine craſſo facta prouenerit,tunc ego aquæ potum penitus diſſuaderem,vinumque album,tenue & dilutum magis vſui eſſe arbitrarer,præcipuè ſi in eo,vel in aqua ei admixta quæ menſes mouent,vt libanotis,ſquinantum, pulegium & grana iuniperi priùs macerata fuiſſent.

Vinum conuenit in hoc caſu

Auicenna vinum

conſiliat A. et Sil.

Potiſsima affectus curandi ratio

Licet pleriſque facilè videatur veram genuinamque huic affectioni curationem aſcribere, mihi profectò difficillimum videtur: adeò vt ſcribentium in curia, & medentium negligentia totum morborum vteri negotium, alioqui grauiſsimum, mulierculis, ex vulgi opinione potiùs, quàm medicis, nec peritiſsimis quidem, committendum ſit. Quamobrem ne in turpi hac ignoratione verſemur, paulò diligentiùs rem hanc expendiſſe oportebit. Curandi igitur ratio in vteri ſuffocatione tot complectitur partes ac methodos, quot cauſarum differentias affectus ipſe. Atqui cùm is proficiſcatur vel ex ſanguine menſtruo adaucto, putrido, & mille alijs modis vitiato: vel ex ſemine corrupto aut exuperanti: ac vltimo ex flatibus ab eiſdem aut alijs humorum ſpurcitijs proficiſcentibus: ideò profectò quid vnaquæque cauſarum prærequirat, ſeorſum penſitandum eſt. Dimitto etiam hac in parte externas & manifeſtas cauſas, inflammationes & alios peculiares vteri affectus,quia eorum latiùs meminero paulò inferiùs.

Si menſes cauſã huic malo præſtant.

Si verò menſes abundauerint,& huic malo principium præſtiterint, non quidem vt ſuppreſſos menſes eos tractare oportet: ſed conſiderandum priùs eſt,putruerit ne ſanguis, alteratuſue fuerit, vel aliud contraxerit (præter copiam) vitiũ: nam his profectò rationibus dixit Hipp.lib.de morb.mul.fœminas ex vtero ſuffocari. Inquit enim loquens de ſola menſiũ ſuppreſsione. Hæc igitur cauſa eſt,vt ipſi ſint occluſi(& ſubdit) quin ſuffocatio aliàs atque aliàs ipſam irruit. Et refert mala, quæ tertio aut quarto menſe fœminis accidere poſſunt,ſi illis menſes ſupprimantur,aut ob externã vel internã cauſam retro ierint,vt accidiſſe ſorori Liciniæ retulit Hipp.lib.7. popu. text.89.cui vomitus omnium quæ accipiebat ſuperuenerunt, & cruentæ per vomitum excretiones & ſtrangulatio ad cor procedebat. Qui

eta dus ang mitt

sanè affectus sanguine misso facilè subsidet. Verùm sanguinem mittere non vtcunque licet, sed cùm præcopia fluere menses desierint, primò ex brachijs ipsum detrahere oportebit, postmodum verò ex talo, idque tempore quo menses fluere assueuerant. Posteà in medio mensis ex altera saluatela tutissimum est sanguinem mittere, vt medicamentis menses ducentibus subsit locus: qualia hæc sint, cap. de mensium suppressione reperies. Confert item tam ijs, quibus sanguis ex obstructione abundat (quo tempore ex talo primitus sanguinem mittes) quàm alijs, quibus (vt dictum est) ex copia menses non fluunt, paucissima victus ratio, & moderatum exercitium vacuationibus præmissis, vt omni arte quod superat naturæ vires auferatur, & in his quæ crudo sanguine abundant, arbitror crurum scarificationes sufficere. Quippe id consulit Auicenn. prohibens, ne nimis albis fœminis audacter sanguinem fundamus, vel in his quæ crudis abundant: quod etiam Galen. dixisse constat, nam ex copioso sanguine extracto præter id quod qui supererst, recrudescit, maior fit in vtero obstructio confertim ad ipsum euocato sanguine. Atque fœminas sic affectas ex toto esse abstemias, id est, vino non vtentes volumus: præterquam si cruditatis aut ventriculi ratione eo opus sit. Quod si impacti hærentesque in vijs vteri menses extiterint, ibidem putrescere & suppurari profectò necessum est, id quod apertissimis verbis scripserat Hippocrat. lib. 1. de morb. mul. dicens: Quibusdam suppurati fiunt menses, vbi per duos aut tres menses moram contraxerint. Verùm suppurationem tripliciter terminari eodem etiam loco refert, sic scribens. Si melius habitura est, menses ipsi erumpunt in pudendum, & procedit pus ac sanguis, & procedit graueolens ad septem aut octo aut nouem dies (& subdit.) Si verò non contingat, vt menses ipsi in pudendum procedant, suppurati facti, ad partes supra inguen, iuxta lateris mollitudinem erumpunt citra tuberculum, vtpote pure rupto & illa parte purulentia, graueolentia procedent. Cui addit aliam suppurationis rationem, quæ in tuberculum degenerat, dicens: Quibusdam vbi bimestres, aut trimestres, aut diuturniores fuerint menses, & ad lateris mollitudinem allapsi fuerint, cùm non suppurati sint menses, velut tuberculum fit supra inguen, sine capite, magnum, rubrum, & vulgus medicorum ignarum quid hoc esset, iam sæpe secuerunt, & sic in periculum induxerunt. Iuxta quos suppurationis modos ego etiam censeo menses diu detentos vel diminutè aut corruptè prodeuntes posse aliud vitium contrahere, quod nondum suppurationem attingit: sed cùm parte aliqua ex vteri vasculis reconduntur, putorem quendam & vitium contrahunt, à quo facilè vterus excandescit & alteratur. Qua quidem ratione ex quauis interna aut externa occasione ad vterinam suffocationem facilè mouentur, ob halitus indomitos partes principes adeuntes, aut vterum distendentes alterantes ve: quod profectò damnum pleraſque fœminas pati, mihi est experimento comprobatum. Cuius affectionis signa vt Hippocrat. doceret, hæc refert. Dolores enim incidunt in pectinem, & pulsationes fortes & contactum non sustinent. Dixerat etiam superiùs. Et dolet quidem reliquum corpus, maximè vero collum, & spinam, & lumbos ac inguina.

Cui sanè affectioni curationem instituit consilium Hippocr. insequens, lib. 1. de morb. mul. qui loquens de ijs quæ probè à partu non purgantur, inquit. Si verò vteri anguſti oris ipsi fuerint, & puerperij purgationem non emiserint, inflammantur, & si non curetur breui, omnia magis ipsam affligent. Et odor malus erit, & exitus intumescit, & si non inflammati fuerint vteri, sua sponte exit malum graueolens

ueolens & liuidum, aut nigrum grumosum, & mulieri puerperij purgamenta purgantur. Qua sententia docet sanguinem menstruum ex partu aut ex alia quauis causa retentum, vel vterum inflammare, aut ipsum putrefieri ea putredine, de qua nunc sermo habetur. Cuius medelam scribit subdens. Quando verò non exit, sed mulieri mortem portendit, nisi quis breui venam secet, aut ventrē emolliat. Præstat autem clysterem adhibere: si verò ad vomitum facilis fuerit, etiam vomitum inducere, melius autem est lotium ciere, & exsudare. Quibus sanè verbis vniuersa medendi ratio corrupto sanguini proficua ab eodem Hippocrat. in totum scribitur. Namque nulli fore dubium arbitror, quin mox ab accessione sanguinem protinus mittere oporteat, non tamen ea copia, quam posse extrahere, dum citra vitiū sanguinem redundare cōperiamus: consulendū enim est lapsis corrupto sanguine viribus. Posteà verò, quia rationi consonum existit putrescentem sanguinem in prauos degenerare humores, ventrem duobus modis emollire oportet: clysteribus nimirum, qui attemperandi, purgandi & emolliendi vires habeant, vt viciniæ ratione aliquid per vterum ipsis iuuantibus ex putredinoso sanguine stillare possit: & purgantibus pharmacis, quæ biliosos, aduſtos & putridos humores purgare nata sint. Sic ex rhabarbaro, sena, & agarico purgationes mille modis instituere poterimus, vt præcedentibus cap. abundè dictum est: sed laudo paulatim vterum expurgare, per pessaria ex mercuriali, & vētrem ipsum ab assumpto mercurialis decocto. Laudat quoque vomitum Hippocrat. quo parum, rarò & cautè vti consulo. Præstat etiam vrinas mouere, si affectus recens fuerit, ac si inueteratus, sudorem euocare: etiam si in nouis affectibus leuiter ad tempus sudare tutum & vtile sit, præsertim ex decocto lupulorum, camemali, pentaphylli, capillorum veneris, florum papaueris erratici, & bugloſæ. Inungere tamen ventrem oportet oleo violarum, amygdalarum dulcium, & de seminibus cucurbitæ, & melonis. Prodest quoque in vterum immittere quæ consimilem obtineant virtutem, vt rosarum decoctum, violarum, & hordei cum saccharo.

Quòd si sanguis retentus excalfiat exaresçatque, vterus quoque exuritur, & subinde in prædictum incidit affectum. Quod optimè aduertisse Hippocrat. constat, qui loquens de retentis mensibus. lib. 2. de morb. mul. sic ait. Anxia erit, & aliàs atque aliàs se ipsam iactabit, & animo deficiet, & pituitā vomet, & sitis fortis ipsam corripiet, nimirum dum exuritur venter ab vteris sanguine plenis, & ad contactū dolebit. Et referēs huius causæ signa inquit. Et aliàs atque aliàs febriet, & vteri aliàs atque aliàs murmurabunt: dum videlicet sanguis in ipsis commouetur, ac discurrit, & venter consueto modo non secedit, neque vesica vrinam excolabit, maximè cùm vteri ad stomachum, qui neruosus est, mulieri allapsi fuerint, & ad ventrem irruerint. Dolet spina & totum dorsum & lingua ipsius refrenatur, & hanc non clara habet, & animi deliquium adest: aliquibus etiam vocis priuatio, & stomachus mordetur, & flaua bilis exit, & spiritus offendens, & anxia est, & iactat seipsam, & ardet. Postquam autem transmutati fuerint, & vesica tenuem sanguinem ab vteris trahat, tunc vrina mingitur rubra, & dolet quidem reliquum corpus, maximè verò collum, & spinam & lumbos & inguina. Quibus verbis apertè constant signa, quibus sanguinem exuri ac efferuescere intra vterū faciliter cognoscimus. Quod cū compertū nobis fuerit, ocyssimè sanguinem mittere, idq; copioſè tenemur: præcipuè quidem ex venis tali, aliquando confertim, aliquando lentè ac paulatim. Cui vsui confert plurimum præmissa vacuatione prædicta, ex altera

fiat sang̃ missio aut vtraque saluatella sanguinem mittere. Per moderatas etiam potiones ad frigidum nonnihil vergentes, & per alimenta huius census corpus ipsum & sanguinem contemperare & mitescere oportet: sic esus lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, & iura pullorum & carnes, id beneficium largiuntur: item potus aquæ hordei, buglosæ, acetosæ, borraginis, cichorij, cum succo granatorum & saccharo. Præstat quoque (corpore manna aut casia leuiter purgato) lactis vsus, vel seri cum saccharo, aut ex infusione senæ, vel florum cordialium. Item clysteria ex decocto maluarum, prunorum, hordei, ac saccharo, & oleo rosarum ac violarum prodesse plurimum scio. Inunctiones quoque proficuæ sunt ex oleo amygdalarum dulcium, vel de seminibus cucurbitæ & melonum cum vnguẽto rosaceo. Sed attento animo pensitandum est, ne nos causa decipiat suspicantes sanguinis feruorem esse: quippe si is non fuerit, non est omnino tutum frigida hæc præsidia vtero admouere: quamobrem donec ex toto certi simus de causæ natura, à temperatioribus initiandum est, & paulatim ad frigida progrediendum. Verùm in omnibus his vteri suffocationibus, quæ ex sanguine prodeunt, mirabile fit præsidiũ, si menses probè non fluant, ex hæmorrhoydibus bis aut semel in anno sanguinem extra here affixis hirudinibus.

Si semen causam huic malo præstat.

Verùm si seminis abundantia vel corruptio causam huic malo præstiterit, maiori opus est diligentia & maturiori consilio. Solet quidem virginibus, & ijs fœminis quæ nimis salaces sunt, ex sola seminis abundantia hoc malum proficisci: sicut in grandioribus & magis salacibus ac viduis & alijs, quæ viri congressum experiri assueuerunt, ex eodem corrupto aut quomodolibet vitiato. In virginibus verò, quæ aut salaces non sunt, aut vigesimum quintum annum nondum præterierunt, rarò hæc vitia ex corrupto semine oriri contingit: licet aliquando vel ex nimio hominum consortio, vel ex prauo vitæ & victus instituto illis semen corrumpi contingat, & grauissima succrescere accidentia: in alijs tamen omnibus & ex abundanti, & ex corrupto. Quibus proculdubio medela esset plerumque, (vt Hippocrat. & Auicenn. proferunt, quod ego profectò non probo, si quidem longè melius alijs præsidijs malum & præcauere poteris & curare) viri consortium & accessus: verùm quia nubere omnibus aut non libet, aut non licet, alijs præsidijs curandum est seminis copiam minuere, & eiusdem feruorem ac putredinem cohibere: quòd si id perdifficile fuerit, innitendum est corrupti illius humoris resolutioni & euacuationi, dum formã seminis amisit (quod grauitas accidentium monstrat.)

Primum igitur omnes sic affectæ fœminæ victu vtantur tenuissimo & maximè extenuante, frigido etiam, qualis lactuca est & portulaca, panis hordeaceus, pisces, & similia cum largiori aquæ potu. Ieiunent quoque ac laborent, & lasciuum consortium ac loquelam vitent. Quippe ex veneris apprehensione, impudico sermone, virorum elegantis formæ aspectu, vino generoso, carnibus, & cæteris sanguinem ac semen augentibus, facilè semen excrescit, aut mouetur, & non excretũ subinde putrescit. Ideò ex vsu erit semel aut bis in mense venã tali incindere, vnciamque solum sanguinis extrahere, quo auarior & diligentior fit natura in seruando præcauendoque à corruptione semine & sanguine: nam his vacuationibus longè minùs læditur, quàm maioribus, dum affectio vel instat, vel nu per præcessit: nã in semine corrupto nusquàm profuerunt: prosunt tamen hac lege factæ, ne corrumpatur, aut abundet. Quo circa omni arte curandum est ea adhibere, quæ semen adhuc genitum minuere nata sint. Semen quidem (inter pleraque

raque alia) genitum cohibent, & gigni prohibent diaciminum, diatrionpipereon, diacalaminthæ, semen agni casti, rutæ, menthastri, quorum puluis sumptus vel lumbis aspersus proficuus censetur. Cui præsidiorum sorti consimilem gratiam præstant ijs fœminis balnea, præsertim naturalia. Prodest quoque viticis semen torridum, ac folia & flores, similiter cannabis semen, lactucæ, & nymphææ radix cum aqua plantaginis vel chalybeata. Confert non minus laminam plumbeam lumbis affigere, præterquàm in nuptis, quæ parere amant: semen item & succus plantaginis, & puluis conchularum eidem parti appositus. Item ex prædictis herbis refrigerantibus superrenes quasdam arefactas spargere oportet, vel earum puluisculum cum folijs rutæ, viticis, calaminthæ, rosarum & similium, licet Ætius lumbis nocere referat: cum hoc tamen Galen. lib. 6. de san. tuen. cap. 14. non solùm hæc, verùm & multa alia commendata reliquit, inter quæ assiduum vsum viticis & rutæ probauit. Confert item. ʒ. ℈. castorei robustis fœminis præbere, quod cautè efficere oportet. Iuuat non minus pastillus, qui recipit seminis rutæ, agni casti, & vrticæ. ana. ℥. ℈. seminis lactucæ, portulacæ, plantaginis & papaueris albi. ana. ℥. j. seminum coriandrorum torrefactorum, & cannabis. ana. g. iiij. diacalaminthæ. ʒ. ij. cornu cerui vsti, seminis rosarum, santhalorum & corallorum, ana. g. v. seminum melonum. ʒ. iij. sacchari dissoluti in aqua rosarum quãtum sit satis vt formentur pastilli: quorum. ʒ. ℈. cum aqua plantaginis porriges. Præstat item prædictum vsum conserua, quæ recipit terebinthinæ abietis lotæ in aqua artemisię. ʒ. ℈. seminis dauci, agni casti, pulueris cinnamomi. ana. g. viij. cum modico conseruæ anthos fiat bolus. Item purgando semini idoneum est medicamẽtum, quod recipit terebinthinæ abietis. ʒ. iij. agarici trochiscati. ʒ. j. seminis dauci, cannabis, pulueris ligni aloës. ana. g. viij. cum saccharo fiat bolus. Porphyrius item citante Stobeo sermone. 98. tradit salicis fructum cum vino propinatum libidinis impetum marcore afficere. Sed ante eum Plin. lib. 24. cap. 9. scribit, folia salicis contusa & epota intemperantiam libidinis coërcere, atque in totum eius vsum auferre sæpius sumpta. Quin & eodem loco prodit, si cinis myricæ arbusculæ bouis castrati vrinæ misceatur vel in potu vel in cibo, venerem finiri. Idem lib. 26. cap. 10. tradit, nymphæam heracleam venerem in totum adimere, & radicem quoque eius genitalibus illitam inhibere venerem. Ferunt etiam lactucam idem efficere, eo quod Pythagorici ipsam eunuchion appellare consueuerint, quòd scilicet ineptos faciat ad venerea: id quod Atheneus quoque scribit. Author etiam geoponicon lib. 12. cap. 24. prodit, mentham rebus venereis ineptam esse. Quod tradiderat Marcellus, qui ponit mentham inter herbas veneri contrarias: quibus astipulatur antiquus ille prouerbialis versus ab Aristot. relatus proble. sect. 20. cap. 2. mentham in bello neque edito neque ferito: cuius rationem reddit ipse Aristo. quòd ea herba membra refrigeret, eo argumento quòd semen genitale corrumpat: frigus autem fortitudini & audaciæ, quæ bello necessaria sunt, maximè aduersatur. Cui astipulatur Gale. qui. 6. simplici. scribit, quòd conceptum vitare dicatur. Sed his omnibus non obscurè aduersatur Dioscorides lib. 3. cap. 37. scribens, eam herbam calfaciendi vim habere, atque venerẽ stimulare: cui Paulus consentiens tradit, eam in tertio ordine esse calidam. At Hermolaus Barbarus hanc controuersiam dirimẽs Corollarij cap. 363. Fieri potest, inquit, vt per se calfaciat, & per accidens refrigeret, vt in alijs plerisque frequenter conspicitur. Cuius sententiam proculdubiò censeo verisimam esse: nam præcalore consumptis humiditatibus & semine ipso, facilè qui ea vtuntur & à venere abstinent & refrigerantur. Verùm

Arist.

Ariſtot. dicendum eſt, non quòd refrigeret, nocuam eſſe militibus, ſed quòd multam ſanguinis profuſionem comeſta, ſi quis vulneretur eo die, prorritat, vt non contemnendi authores referunt: quapropter militibus pugnaturis nocuam arbitrantur.

Cæterùm quia non ſat eſt in prædictis affectionibus, alioqui grauiſsimis, ſeminis generationem prohibere, ſed genitum iam reſoluere, aut euacuare, ob id curandum omni ingenio eſt, id efficere. Quod ſanè Auicen. exequitur opus, vomitibus prouocatis: qua tamen ratione id fiat, ignoro, ac cenſeo rarò aut nunquam vel cum maxima præmeditatione faciendum, licet Hippocrat. aliquando id conſuluiſſe conſtet, vt lib. 1. de morb. mul. ſcribitur. Tamen recantat palinodiam, & id omnino interdicit lib. 2. per hæc verba. At ſupernum ventrem ne moueto, cæcutiunt enim, aut circa fauces turbationes & alia infeſtabunt. Verùm cum hoc prodeſſe aliquando poterunt, præſertim purgato corpore, ac ſi fœmina ad vomitum facilis fuerit, ſed maximè inundantibus in ventriculo humiditatibus, vt idem Hippocrat. paulò inferiùs refert. Sanguinem verò mittere ſemine exiſtente multo tutiſsimum eſt conſilium: nullum enim inter auxilia aliud reperies, quo promptiùs & ſecuriùs fœminas hoc affectu oppreſſas leuare poſsis. Verùm dũ ſemen corruptum eſt, rarò in fœminæ commodum ſanguis mittitur, ob idque cenſeo veteres authores rariſsimè id commendare: quod ſi aliquando efficiunt, credo intelligendum fore ad adauctum ſemen minuendum, non ad corruptum: licet aliquando in bene carnoſa fœmina, iuuene ac ſalaci tutum ſit.

Quatenus verò ad purgationem attinet, experimento diuturno mihi eſt compertum, in fœminis ſic affectis, purgationes parum aut nihil prodeſſe: quinimo obeſſe plerunque, quemadmodum de ſanguinis detractionibus factis dum ſemẽ iam corruptũ eſt diximus. Ratio quidem id conuincit, quia ſemen ſiue abundans, ſiue corruptum, rarò expurganti pharmaco per vterum, aut ventrem duces: ſed potiùs profectò, humore commoto, eleuatiſque vaporibus, promptiùs in grauiora mala fœminam deferes. Confert tamen per interualla & paulatim corpus purgare, ne ſi quid excrementorum ſuperſit, in vterum forſan dilabatur, ſitque maioris mali cauſa: & rurſus vt excremẽta vtero vicina expurgentur, quorum ſucceſsione fortaſſe aliquid eius, quod corruptum eſt & exciſum, ſecernet natura. Præſtant huiuſmodi vſum medicamenta quæ nuper diximus ex terebinthina confecta cũ aloë & agarico, aut agaricus ſæpe potui datus ex aqua mercurialis vel plantaginis. Item pilulæ ex maſtiche, ex agarico, & aloë cum rhabarbaro: præſtat etiã ſyrupus ex roſis Perſicis cum agarico factus. Sed laudat Hippocrat. frequentiſsimè purgationem per mercurialem factam: vtilior tamen mihi viſa eſt quæ fit per ſyrupum confectum ex ſucco & plurimis infuſionibus mercurialis: quem in vterinis affectionibus magni eſſe momenti experimento didicimus. Commendat itẽ Raſius trochiſcos ſemel aut bis in hebdomada ſumptos, qui recipiũt foliorum agni caſti, foliorum rutæ, ſeminis cicutæ, mẽthaſtri montani, ſeſeleos, ariſtolochiæ, & rubiæ tinctorum. ana. partes æquales, formentur trochiſci, & quantitas ſit ſingulis vicibus. ℈.ij.

Poſt quæ ſanè præſidia vterum ipſum purgare neceſſum eſt: quem vſum præſtat is liquor in vterum iniectus, qui recipit aquæ naphæ lib. j. aquæ ocymi. ℥. iiij. galliæ muſcatæ. ʒ.ij. galbani. ʒ.iij. muſci & ambræ. ana. g. v. ſyrupi de artemiſia. ℥.iij. croci pulueriza ti, cinnamomi & caryophyllorum. ana. ℈.j. Quod præſidium maius beneficium præſtabit, ſi vterum priùs purgaueris ſuppoſitorio ex mercuriali & agarico,

agarico, vel quouis alio ex ſupradictis. Verùm ſi ne his affectionem ſubſidere conſpiciamus, ijs quæ exteriùs appoſita ſemen digerant & vterum roborent, vtendum eſt, velut ſunt prædictæ inſeſsiones & peſsi, ac naturalia balnea ex ſulphure. Conferunt & inunctiones pectini, inguinibus, ac lumbis appoſitæ ex oleo rutaceo, irino, liliaceo, nardino, viticis ac rutæ ſeminibus cocto: quibus addere oportet ſaluię, coſti, caſiæ, calaminthæ contuſæ ſeu ſeminis cãnabis quippiam cum modica cera. Prodeſt quoque non parum inunctio ex oleo dulci, in quo ſemen agni caſti, cinnamomum, & ſeminis angelicæ modicum coxerint. Quibus factis emplaſtrum ceroneum ſupra eaſdem partes apponere oportet: non tamen illud, quod pro matrice ſcribitur: nam id plurimùm aſtringit, ſed aliud ceroneum inſcriptum, quod ex lacrymis ſit digerentem facultatem obtinens, quod cõficies ad modum ſcuti & in parte acuta ipſius apponenda ſunt grana aliquot moſchi: & eandem acutam partẽ inferiori parti appones, vt gratum odorem inſpiret intra vterũ, quod magni momenti ſolet eſſe.

Conficienda item ſunt alia emplaſtra pro matrice, quæ iuxta fœminæ indigentiam vtilia exiſtant. Verùm experimento didici, dum tetros halitus retũdere & corroborare magis in animo eſt, id ſummopere proficuum eſſe, quod recipit olei naphæ. ℥. j. theriacæ magnæ. ʒ. j. pulueris galliæ muſcatæ, zibeti, ana. ʒ. ℈. pulueris ſeminis angelicæ. ʒ. j. pulueris coralli & ſanthalorum, & ſeminis rutæ. ana. ʒ. ℈. pulueris cinnamomi & caryophyllorum. ana. ℈. j. galbani. ʒ. ij. ladani quòd ſit ſatis. Parabis item aliud, quod recipit olei cinnamomi & de ſpica ac balſami. ana. parum. pulueris cinnamomi, caryophyllorum, nucis & ſeminis angelicæ ana. ʒ. j. galliæ muſcatæ, diãbræ, diamuſci. ana. g. vj. ladani, ceræ ac terebinthinæ quod ſit ſatis. Aliud huic conſimile conficies, quod recipit ex oleo belzoini & de ſtyrace, balſamo, & ex gummi, quod ex India aſportatur, caranna appellato, additis pulueribus agni caſti, rutę, viticis, & eorũ quæ ſemẽ minuere diximus, quantũ ſit ſatis, vt fiat emplaſtrum. Sed conferre ſummoperè comperies emplaſtrum, quod ex theriaca, ſemine agni caſti & angelicæ conficitur.

Si ex flatu

Dum flatus huic malo cauſam præſtat, nullam aliam prærequirit diligentiã, quàm eam, quæ prima huius capitis parte ſcripta reperitur, proficua huius affectionis acceſsioni. Quamobrem ne videar ea ſæpiùs repetere, illuc diligens lector recurret, interim tamen ventriculum & ventrem inferiorem inungere oportebit oleo de cinnamomo, de angelica, de aniſo, de pipere, de caryophyllis, quorum etiam guttulas tres cum vino ſumere, non erit ab re.

Cæterùm quia pertinaciſsimus is affectus neque his omnibus adhuc ſubſiſtere plerunque conſtat, ob id quidem frequenti obſeruatione mihi eſt probatum, altero aut vtroque crure fontanellam aperire, per quam putores illi, & corrupti humores ex ſemine & ſanguine menſtruo prodeuntes, ratione venarum, quæ vtero & cruribus commmunes exiſtunt, citra damnum ſpirent. Quod proculdubio cenſeo eſſe vltimum efficaciſsimum & tutiſsimum præſidium: idque ſummoperè hac ratione commendo, & laudo.

De

De virginum & viduarum melancholia.

Cap. IIII.

INTER varias fœminarum affectiones, vulgatiſsimam eſſe virginibus grandioribus, viduis ac ſterilibus fœminis melancholiam, nulli eſſe abſconditum reor: quod etiam vitij genus contingere ſcimus ijs, quibus menſes, aut puerperij purgationes ex aliquo externo caſu ſupprimuntur, aut improſperè profluunt. Quippe huiuſmodi fœminas & mœſtas & cogitabundas, timidas ac anxias eſſe, citra manifeſtam cauſam comperimus. Quod quidem nulli alteri fœminarum ſorti ita frequenter accidiſſe ſcimus, ac virginibus, viduis & ſterilibus fœminis. Differt tamen hoc melancholiæ genus ab ea melãcholia, quæ communiter viris & reliquis fœminis accidit, quòd hæc ex aliqua communi cauſa proficiſcitur: viduarum verò & virginum melancholia, ex certa quadam & his ſolis peculiari. Item, quia illa citra manifeſtam intermiſsionem affligit: hæc verò non niſi per interualla, & ſuſcepto ab aliqua leui occaſione principio. Præterea, illa nullum aliud accidens ſecum affert, præter quàm metum & mœſtitiam, & ea quæ cõmuniter melancholiæ ſunt propria: hæc autem fletum & riſum, anxietatem, deſperationẽ, & (quod omnibus melancholiæ ſpeciebus denegatum eſt) dolores tum varios, tùm alicuius ſignatæ partis, præſertim ſiniſtri lateris è regione cordis, vniuerſam mammam aliquando occupantes: quibuſdam item ſpiritus deficit: alijs ſi ſpirant, dolor non leuis adeſt, & alia non pauca ſuccreſcunt peculiaria accidentia, quæ paulò inferiùs recenſebo, ſi priùs dixero, melancholiam virginum & viduarum in vniuerſum eſſe inſolẽtem & ſubitam, præter occaſionem aut cum leui, triſtitiam: tacitum & cautum deliriũ cum alicuius partis internæ dolore, anxietate & flendi vel tacendi deſiderio, cum hypochondriorum etiam è regione dorſi manifeſto pulſu, à quibus mox ſubitò ad priſtinum redeunt ſtatum. Cuius ſpeciei morbi hæc ſympthomata ſint, nullus eſt qui doceat, neque ego faciliter monſtrare potero, ſed cõſtabit proculdubiò, ſi quis ad vnguem expenderit cauſas, quas iam memorare aggrediar:

Cauſæ. Cauſam verò huius affectionis haud facilè inuenies, ni priùs in memoriã reuocaueris pulchram quandam Hipp. ſententiam, quam lib. de virgi. morb. in hũc modum ſcripſit. Eſt enim muliebris natura animi magis deiecti ac imminuti: cæterũ virgines nubiles & maturæ viro hoc magis patiuntur vnà cum menſiũ deſcenſu, anteà non valde hinc affectæ: poſteà enim ſanguis in vteros cõfluit, velut effluxurus. Cum igitur oſculum exitus non fuerit apertum, ſanguis autem ampliùs influxerit, propter cibos & corporis augmentum, tunc ſanguis non habens effluxum, præ multitudine reſilit ad cor & ad ſeptum tranſuerſum. Cum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, poſteà ex torpedine deliriũ apprehendit. Et paulò inferiùs ſubdit. Cum enim hæ partes repletæ fuerint, & horror cum febre ingruit, erroneas febres appellant: his autẽ ſic habentibus, præ acuta quidem inflammatione inſanit, præ putredine verò clamat, præ caliginoſitate autem timet ac formidat, præ cõpreſsione verò circa cor, ſtrangulationes parat, præ ſanguinis autem malitia animus mœrẽs ac anxius malum attrahit. Ex qua proculdubio ſententia euidenter conſtat, duplicem eſſe mœroris, mœſtitiæ ac prauæ imagina-

imaginationis virginum & viduarum, quæ ſic affectæ ſunt, cauſam (præter alias communes cauſas) alteram, mulieris naturam, quæ animi eſt deiecti: alteram verò, ſanguinis vitioſi prope cor concluſi tetram exhalationem, quæ & cor anxium reddit, & ſpiritus cerebri obſcurat, ac imaginationẽ peruertit: præſertim ſi his amatorius ardor acceſſerit. Idem quoque viduis accidere conſueuit, dum curis & mœrore animum conterunt: in his enim ex vehementi animi motu cerebrum adeò laborat & infirmatur, vt ſæpiſsimè in hæc mala prorumpere conſpiciamus. Præter quam quòd accedit vitæ mutatio, & ob viri defectum improba vteri expurgatio, tam à ſeminis recremento, quàm à menſtrua purgatione: in quibus & virginibus ſanguis ob prædictam cauſam vitioſus refluit ab vtero ad cor, atque ita animum corrumpit. Verùm licet in principio lib. nuper citati Hippocrat. referat, aliquando hæc vitia viris ſuccreſcere, cum hoc tamen frequẽtiùs fœminis euenire affirmat, eò quòd animum fœminæ habeant magis deiectum: quem illis ita ineſſe arbitrãdum eſt, quòd deſidem & nimis ſegnem vitam degant, vt antiquiores philoſophi exiſtimarunt: at ſegnes atque pigras ob id aſſerunt eſſe Ariſtot. Auicen. & Albert. quòd frigidiores ea cauſa ſint & cùm calore deſtituantur, ſit facile, vt animum habeant timidum & magis deiectum quauis cauſa concitante, vel nulla: animoſitas enim à calore proficiſcitur. Quibus accedit, prædictum ſanguinem vitioſum & concluſum, alterum affectionis principium præſtare: nam cùm in virginibus ac viduis oſculum exitus non fuerit apertum, ſanguis autem ampliùs influxerit, tum ſanguis (vt dictum eſt) præ multitudine reſilit ad cor: quibus accedunt viduis labores, curæ & aſsiduæ cogitationes ob conſuetæ vitæ mutationẽ. Quippe ruſticæ & communes fœminæ viduæ, quibus vitã mutari nõ cõtingit, ſed laborioſam (vt anteà) degere, rarò in huiuſmodi affectiones incidere viſæ ſunt, ſicut quæ præſtantioris ſunt ſortis, quas decet præ honeſtate alios mores profiteri. Itaq; & virginibus ex huiuſmodi ſanguine, & viduis ex eodem & ſemine improbè purgatis, facilè contingit cor & cerebrum affici, & mœſtas cogitabundaſque eſſe: nã ſanguis ille concluſus licèt nec putreſcat, nec in cor feratur, incaleſcit quidẽ plus iuſto, & reſoluta inſenſibiliter parte tenuiore, quod craſſum eſt, cùm aut agitatur aut incaleſcit ex aliqua occaſione, prædictũ vitium gignit, halitibus ab eo elatis, in cor ac cerebrũ tranſmiſsis. Quod euidenti conſtat argumento: nam cùm halitus quieſcit, aut minimè efferueſcit ſanguis, lætabunda incedit fœmina, & citra melancholiæ ſpecimen, & mox ſubito affectu mœrore corripitur, quòd cauſam habeat intra corpus, quam leuiſsima occaſio concitat. Qua profectò ratione conſtat, prædictas fœminas ſucceſsu temporis (licet dum affectus incipit & viget, totum corpus excalfieri, & faciem inflammari per interualla perſentiant) in frigidos eoſque grauiſsimos affectus delabi. Quippe ſic fieri neceſſum eſt, maiori ſanguinis parte melancholica facta ob tenuioris partis reſolutionem. Quòd verò incaleſcat ſanguis, & ob id ſubtile reſoluatur, experimento & ratione mihi eſt compertum: nam fœminas ſic affectas conſtat arteriam prope dorſum nimis vltra morem & naturam, pulſantem obtinere: etiam ſi in viris hypochondriaca melancholia affectis id quoque reperiatur ob ſanguinem venæ cauæ, aut venarum iuxta ipſam concluſum & excalfactum. Quod ſanè ſympthoma citra vllam dubitationẽ omnes fœminæ ſic affectæ perpetiuntur: quinimò cauſam potiſsimam melancholicarum affectionum in eiſdem cenſeo eſſe ſuccenſionem arteriæ illius, quæ iuxta dorſum ſita eſt. Ex quibus euidenter conſtat, morbum in hac affectione eſſe huius arteriæ inflammationem, cui conſentiunt cerebrũ & cor, quæ aduſtis & tetris fuliginibus obſcurantur, vnde

mœſtitiam,mœrorem,metum & tacitũ deliramentum prodire neceſſum eſt:quæ ſanè omnia principium & cauſam ſortiuntur ex concluſo & concalfacto in vteris ſanguine vel ſemine.

Signa. Hinc ſanè euenit omnes melancholicas fœminas prædictam pulſationem iuxta dorſum obtinere,& eandem habentes melancholica pati accidentia, quod primum & potiſsimum huius mali ſignum eſſe arbitror.Conſimilem huic affectionẽ retulerat Aretheus lib.2.de cau.& ſig.acutarum paſſ.cap.8.qua parte vitia & affectus venæ magnæ deſcendentis prope dorſum recenſet,inter quos annumerat certum quendam morbum ex ſanguinis plenitudine obortum,qui in ſuccenſionem commigrat:& ſubdit . Quibus in arteria ſecundum dorſum inflammatur, quod pulſatio in alterutris præcordijs manifeſtat: nam & ipſa venæ cauæ morborum particeps efficitur. Quam equidem affectionem cenſeo citra dubitationem fœminas perpeti, cùm ſanguis menſtruus prope vteri venas concluditur : nam cùm ibidem inflammetur(vt dictum & neceſſarium eſt) nil mirum ſi & arteria ipſa,quæ iuxta dorſum ſita eſt,particeps fiat prædictarum affectionum,& ſubinde præ calore ea parte ſuccenſo vltra modum pulſet.Quod equidem oſtendunt ſigna,quæ author eodem loco recenſet,quæ in virginibus & viduis melãcholicis facilè reperies, ſi ea attento animo exquiras,in quibuſdam tamen magis,in alijs verò minus: inquit autem. Cutis ſic affectorum ſqualida,rugoſa atque aſpera eſt,ſed in partibus prominentibus atque oſſeis,vt cubitis,genibus,digitorumque articulis magnis talis conſpicitur.Somni tumultuoſi fiunt:aluus quibuſdam nihil reddit,quibuſdã exiguum,acre,bilioſum:lotium acre,bilioſum mordaxque eſt.Mens vtique his conſtat,ſed quadam ſegnitie torpet,& corpus tabe conſumitur.Quibus conſtare arbitror,conſimilia accidentia fœminis ſuboriri,his quidem,quibus ob prædictas cauſas arteria illa pulſat: ob idque in omnibus reperimus ferè ſemper eadem mala, quæ hac in parte Aretheus recenſuit. Præter quæ etiam faſtidioſæ ſunt,languentes,ſitibundæ,tædioſæ,conſilij inopes,deſperatæ,mœſtiſsimæ,timẽtes, lacrymoſæ, & inſuper nullis delectantur rebus, neque gaudent,ſed tædio habent omnia, ſolitudinem amant,& ob id magis læduntur,donec halitus à prædicto calore leuatus euaneſcat: nam tunc ſubito ad antiquam conſuetudinem & ſtatum reuertuntur, ita vt nõ paruam admirationem inferat tam ſubita mutatio:niſi cùm malum iam diu inueteratum ſteterit,vt cap.huic affectioni dicato latiùs docebo. Habent etiã aliud peculiare,nimirum,non poſſe verbis exprimere quid ſentiant,aut quam moleſtiam perpetiantur, ſed conqueruntur,& multa dicunt ,ex quibus quid certum colligere minimè poteris: tandem fatentur ſe multa mala perſentire, cæterùm verbis ea diſtinctè exprimere non poſſe. Sed addubitabit fortaſſe quiſpiam , quanam ratione , cùm melancholia ſit propia cerebri affectio,fœminæ ſic affectæ magis de corde conquerantur . Cui dicimus,fœminas eſſe roboris,cordis ac animi magis deiecti & imbecillis: ob idque perſentire magis in corde affectum , virium & caloris damno,quàm in cerebro.Quamobrem cùm fœminarum plures frequẽtiſsimè hoc affectu premantur, teneris ex interrogatione,ex frequenti loquela,& ſedula inſpectione eorum,quæ loquuntur, deſiderant, timent aut efficiunt,ac ex hypochondriorum tactu id venari:ſemper præ oculis habens vniuerſam huius affectus rationem pendere ex vtero & propaginibus venarum ipſum circundantibus. Quibus etiam fœminis ea mala ſuccreſcere conſpicimus,quæ de ſceletirbe & ſtomachace veteres medici ſcripſerunt,referentes ea vitia magnis lienibus,quorum occaſione & ventriculus & vniuerſum corpus mille modis afficiũtur:hoc quidem grauitate & impotentia ad actiones obeundas adeò graui, vt multi eam affectionem paralyſis ſpeciem cenſuerint,item tetro colore genuum & articulorũ impotentia,& oris fœtore,illud verò anxietate & faſtidio ac adeò graui ventris moleſtia vtiure optimo ſtomacacaxia à multis appelletur,malum quidem ex humida melancholia & ſordida proficiſcens.

Sed vt ex Hippo.decreto conſtat lib. de virginum morbis,ex prædicta melancholiæ ſorte,plerunq; niſi maturo conſilio fœminæ præueniantur , in maniam & ferina deliramenta promptè decidunt:inquit enim.At ex corde & ſepto tranſuerſo tardè refluit: venæ enim obliquæ ſunt, & locus periculoſus & ad delirium & inſaniam paratus.Et paulò inferiùs ſubdit. Præ acuta quidem inflammatione inſanit: ac referens varia deliramenta, inquit. Animus mœrens ac anxius malum trahit: ſed & alium horribiliter compellat , & in puteos proſilire ac inijcere iubet,& ſtrangulari , tanquam meliora ſint hæc, & omnem vitæ vtilitatem excedentia. Aliquando verò ſine ſpectris ac phantaſmatis voluptas quædam adeſt,ex qua mortem velut bonum aliquod amat.Accidit quidem hoc vitij genus virginibus,viduis & ſterilibus,etiamſi viris cohabitent,vt Hippocrat.in fine lib. de virg. morb.adducit: ſed præcipuè puerperis & improſperè purgatis:vel quibus mẽſtrua purgatio ob ſubitam occaſionem ſubitò etiam retrocedit:ac vltimo ijs,quibus vteri purgamenta ex ſubito caſu ſubſiſtunt.Quibus omnibus fit, vt aliquid in cor & cerebrum commigret,ipſaque adeò lædat, vt non ſolùm imaginandi potentiam vitiet,verùm credere quæ cogitauerint, cogat:proferreque efficiat. Quippe hac ratione inter alias melancholici à maniacis differunt , quòd illi verentur publicè proferre quæ imaginantur,quia quodammodo ſuſpicantur vera non eſſe , & ob id taciturni , mœſti , & cogitabundi exiſtunt,ſibi ſecretum adſeruantes : hi verò ſtatim in publicum proferunt quæ mente concipiunt, idque cum erroneum ſit, tanquam à cauſa præter naturam cerebri potentias ſubuertente factum,facile deliramentum apparet. Quin adeò creſcit timor & vitium imaginatricis,vt lib . nuper citato Hippocrat.ſcribat.Ex quibus adeò fortiter pauent homines,vt delirent, & dæmones quoſdam videre ſe putent ipſis noctu quandoq; infeſtos,quandoque interdiu,aliquando verò vtroq; tempore. Denique ex leui ſanguinis coaceruati excalfactione melancholiam,& ex hac ob fortem pauorem & mœſtitiam vlteriùs reſiccatis humoribus maiore accreſcente efferueſcentia,prodire deliramenta neceſſum eſt. Quapropter mihi curaturo incumbit,& melancholiæ & maniæ,quas ex vtero fœminis accidere diximus,ſeorſum meminiſſe, & cuique propria ac peculiaria auxilia adſcribere. *Præſagium*

Primum igitur in curatione expendiſſe conuenit,non expedire in quouis melancholiæ tempore eandẽ conſcribere curandi rationem. Quippe alia prærequiritur incipiẽte affectu,feruenteq; adhuc incluſo ſanguine in vteri vaſis:alia verò feruore iã reſtincto aliqua humoris portione ac in alia nuper ſuccenſo:alia rurſus dũ quod aduritur & ſuper excalfactum eſt eam ſiccitatem & naturã adipiſcitur,quæ deliramentis & maniæ idonea ſit.Quod facilè diligẽs medicus cognoſcet ex mali principio & ex antè habito vitæ inſtituto,& quando inceperit mœſtitia fœminã apprehendere:nam ſi nuper hæc apparuerint,feruorem adhuc ſanguinem continere credendũ eſt,præſertim ſi acceſsio illa breui ceſſauerit, & ad antiquam vitæ conſuetudinẽ fœmina protinus redierit.Si enim diu durauerit affectio, ſi poſtquã ceſſauerit,veſtigium ſuperfuerit,ſi mores quodammodo mutauerit,ſi nequiuerit imaginibus melancholicis & illuſionibus ac mœſtitiæ reſiſtere, vel maxima cum *Curandi ratio.*

difficultatẽ,argumentum proculdubio fit euidens,aliquid iam craſſum & fæculẽtum ſupereſſe,cuius temperaturam & mores fœminæ conditio inſequitur. Verũ ſi ex toto ſubuerſum fuerit viuendi ſtudium,vel maiori ex parte,& fœmina neque loquatur,neque reſpõdeat,neque more ſolito lætetur adhuc cum ſibi familiaribus & amicis,credendum eſt,maximam fuiſſe humoris ſubuerſionem & maiorem humoris partem exuſtam,diuque caput & cor ſubinde infeſtari, ita vt ſubito caſu ex mœrore & mœſtitia in maniacum delirium proſilire ſperandum ſit. Quod ſanè malum puerperis ex ſuppreſſa purgatione,cùm exuſtæ & pernicioſę fæculentęque ſit ſubſtantiæ,dum ſubitò ſupprimitur,ocyſimè accidere conſpicimus: æquiualet enim humoris illius vitium diuturnitati temporis,qua in alijs fœminis paulatim & ſenſim vitiantur humores. Quòd ſi in prima vitij ſorte,fœminæ & humoris ſtatum fuiſſe cognoueris, nullum aliud auxilium prærequirere credendum eſt,quàm vitæ ſortem inſtituere parciorem,& copioſe ſanguinẽ detrahere. Inquit enim Hipp. lib. de virg. mòrbis. Cæterum curatio,vt hinc liberentur,eſt ſanguinis detractio, ſi nihil fuerit quod impediat. Denique primo acceſſu victus copiam minuere oportet,& eum qui tenuioris ſit ſubſtantiæ eligere,ac mediocris temperaméti,ne nimia copia,ſanguinis quoque copia vberior fiat, ac ex craſſa ſubſtantia melancholicus magis ſuccreſcat ſuccus: medij quidem temperamenti,ne calore vlteriùs efferueſcat ſanguis,ac frigore concreſcat,frigidiorque fiat melancholia. Corpus item exercitijs mádare opus eſt,diſtrahereque animum varijs & delectabilibus rebus. Mox tamen à principio ſanguinem detrahes ex brachiorum baſilica,ſi longè à mẽſtruationis tempore diſtauerit fœmina: ſin, aut immineant menſes,aut nuper præterierint, ex malleolis. Cæterum interim,dum fœmina viro nõ vtitur,ſi nupta ſit & ſterilis,probarem maximè bis in anno ſanguinẽ mittere ex brachio, vt ſublato redũdante minus efferueſcat quod ſupereſt: quòd ſi religioſa fuerit aut vidua,erit neceſsũ tertio aut quarto quoque mẽſe in medio eius ſanguinẽ ex brachio fundere. At ſi toto tempore,quo menſes fluunt,aut parum ante ipſum mœſta melancholicaque magis ſteterit fœmina, duobus tribusve diebus ante id tempus ſanguinem ex talo mittere,& præſenti melancholiæ & futuræ præſidium erit. Conuenire quoque vſui compertum eſt,dum aliquod viſcus etiam malum ex cõſortio contraxit, ſaluatellam ſcindere, manus nimirum dextræ aut ſiniſtæ,prout iecur aut ſplenem compati nobis compertum fuerit. Verum quãdo cor etiam patitur aut ipſæ fœminæ caloreinterno cruciantur, & hac ratione opus eſt vlterius ſanguinem mittere, tunc ſanè diſtinctione vtendum eſt.

Quippe aut vitium prouenit ex iecore calido, & eo tempore ſanguinem ex ſaluatella dextra fundes, quia propter humorum inuſtionem abundat ſplen melancholia,cuius conſenſu cor compatitur: quod ſi tunc ex ſiniſtra ſanguinem detraxeris, ob ſpirituum reſolutionem magis lædes, ſicut dum vires ob melancholiam deiectæ ſunt. Verùm ſi citra virium diſpendium ſplen inflammatur prædicto humore ſuſcepto,& cor ſimul coafficiatur, tunc ex ſiniſtra ſaluatella ſanguinem fundes. Cæterùm,quia in hac affectione meſereon quoque in conſenſum non rò trahitur, illius etiam prouidentiam habere conuenit,ſanguine nullatenus vel quàm parciſsimè miſſo,niſi ſuppreſsi menſes id poſtulauerint,aut per hæmorrhoydes id feceris.

Verùm ſi prædictis ſignis compertum fuerit,melancholici ſucci iam factum aliquid ſupereſſe,ſanguine miſſo(ſed multò parciùs) purgantiũ mendicamentorum aliquod adhibere oportet,quod craſſos & melãcholicos ſuccos educere natum ſit.

At

At cùm humor huius naturæ,vt ex Hipp. conſtat,quæ in parua quantitate exhibita multum educant,expoſtulet,ea quidem fœminarum natura & affectionis conditio citra euidens damnum ſuſtinere nequeant: ob id quidem ijs agendum eſt pharmacis, quæ lentè & paulatim parum ſed frequenter educant. Sic ex aloë,agarico, & maſtiche confectæ pilulæ ſingulis hebdomadis ſumptæ plurimum præſtant: ſicut aliæ,quæ fiũt ex aloë, & pulueribus rubiæ tinctorũ,& foliorũ ſenæ,tertio vel quarto quoque die ingeſtæ. Sed longè vtilior eſt confectio Hamech ſine ſcammonio & colocynthide facta,qua ter quaterue in anno moliri purgationem poteris. Prodeſt & purgatio ex ℥.j. pulpæ caſiæ fiſtulæ cũ ʒ.j.&.ß. pulueris foliorũ ſenæ. Itẽ ex vſu eſt ſingulis diebus vel quarto quoq; die (prout aluus egeſſerit) laboranti porrigere quatuor quinqueue prunas damaſcenas conditas ſaccharo & decocto foliorũ ſenæ. Valet etiã aqua lactis ſola,aut in qua diu maduerint folia ſenæ,& flores appellati cordiales. Præſtat quoque ſemel in hebdomada. ℥.iiij. infra ſcriptæ decoctionis ſumere cum modico ſaccharo: fit quidem ex.xij. ℥. aquæ lupulorum, borraginis,aut cichorij,&. ℥. j. &. ß. foliorum ſenæ,quæ bulliant leuiter, ac maneant in infuſione per noctem. Ego quidem in his & pleriſque fœminarum affectionibus, quibus aliquid melancholicum adiungitur,felici ſucceſſu vtor ſyrupo noſtro hac lege confecto. Recipit quidem aquarum borraginis,cichorij & lupulorum. ana. ℥. x. ſucci borraginis clarioris facti. ℥. viij. ſucci pomorum redolentium. ℥. vj. foliorum ſenæ. ℥.iij. florum cordialium. ana. ℥. ß. radicum ſcorcioneræ mundatarum minutimq; inciſarum. ℥. ij. bulliant lento igne ad conſumptionem vigeſimæ partis,& facta colatura adde rhabarbari electi & agarici trochiſcati. ana. ʒ.iiij.&.ß.& facta leuiſsima ebullitione iterum exprimantur: quibus adde pulueris lapidis lazuli præparati,ligati ac infuſi per noctẽ & expreſsi. ʒ.ij. & ſaccharo albiſsimi quantum ſis ſatis, vt fiat ſyrupus mediocris conſiſtentiæ cum modico cinnamomo: cuius ab. ℥.ij. ad.iij. porriges. Sed in hac curatione mihi ſemper tutius viſum fuit,humidioribus pharmacis potiùs vti,quàm ſiccis: exacerbatur quippe non parum ſiccis melancholicus humor: niſi poſt eius vſum præbueris ptiſanæ modicum, vel decoctum hordei, portulacæ, aut violarum. Quòd ſi hæc prodeſſe non videantur. g.iiij. ſtibij præparati præbere tutò poteris,ſi fœmina robuſta fuerit,& ad pituitæ craſſæ habitũ vergens,facto tamen initio à. g.ij. vel tribus: qua prudentia arbitror nil mali poſſe præter ſpem accidere. Verùm quia in prædicta affectione præter cerebrum,pati etiam cor & vterum cõſpicimus, vtrique prouidendum eſt: cordi quidem per inunctiones ex oleo vel vnguento naphæ,& iaſminorum cum ambra,muſco & gallia ac reliquis odoratis,quæ inferiùs recenſebo: per epithemata ex aqua naphæ, meliſſæ, & caryophyllorum cum modico vino & aqua roſacea ac ſucco pomorum,redolentium additis puluiſculis ſanthalorum, de grana,vel electuarij de gemmis cum modico muſco,vel diambra, quæ omnia filtro ſerico vel mica panis toſta,aut pomo aſſo excepta cordi adhibeãtur. Præſtat & oleum cinnamomi, caryophyllorum vel aniſi arte chimica extractum: cuius cum aqua cardiacæ herbæ ſumptis tribus guttulis mirè prodeſſe credo. Item ſaculos parare poteris ex pulueribus quatuor florum cordialium, ſanthalorum, coralli, ſeminis angelicæ, caryophyllorum, diambræ & diamuſci. Præſtat is, qui recipit florum cordialium. ana. p. ij. florum nenupharis & ſambuci. ana. p. j. florum meliſſæ, ſeminis ocymi, beem albi & rubri, ſanthalorum omnium. ana. ʒ. j. quibus adde nucis, diambræ, & diamuſci ac pulueris ſeminis angelicæ. ana. ʒ. ß. pulueris granæ. ʒ. ij. & fiat ſaculus. Vtendum quoque eſt electuarijs ex floribus &

radicibus cordialibus ſaccharo cõditis. Sed huic vſui plurimùm confert potui data aqua ex theriaca inſtillata cum pomis redolentibus contuſis, pane recens cocto imbuto ſucco cardiacæ cum pulueribus electuarij de gemmis, cùm ramentis cucurbitæ, cinnamomo & ſucco pomorum acrium. Vtero etiam prouidendum eſt emplaſtris pro matrice ex rebus temperatis & odoris grati confectis, velut ex roſis, violis, & reliquis cordialibus, diambra, diamoſcho, modico cinnamomo ad penetrationem, cum ladano & cera confectis. Præſtat miro modo emplaſtrum ceroneum, vel vnguentum confectum ex eodem cum oleo liliorum: ac ſi ſemen retentum fuiſſe comperias, quæ ipſum minuant & exſiccent, addes, velut eſt oleum ruraceum vel de mentha & attemperaméti gratia modicũ olei de nenuphare vel de ſemine lactucæ, papaueris, aut ſeminis agni casti.

Verùm ſi eò miſeriæ affectio deuenerit, quòd in deliramenta degeneret, nõ ſolùm vterò & melancholico ſanguini prouidendum tunc eſt, ſed capiti & corpori vniuerſo, ne habitualis ſiccitas ac frigiditas, quales in his plerunque reperimus, in prædictis partibus contrahantur. Qua in re ſanguinem per venam minùs extrahere oportet, vehementiùs tamẽ purgare, & caput ac vniuerſum corpus frequentiùs humectare. In qua ſanè affectione hæmorrhoydes prouocare opus erit, vt quæ per partem vtero vicinam deriuare natæ ſint, præſertim hirudinum ſuctu, quo fæculentum ſanguinem citra purioris diſpendium vtiliter euacuamus, & à capite, ſi quid illuc irruit, facilè diuertimus. Verùm ſi aut non apparuerint, aut ſanguis per eas extractus non ſuffecerit, proficuum ſummopere erit, ex venis tali ſanguinem fundere. Purgare verò corpus non leuiter, ſed eo, quod modicum ingeſtum plurimum educat, neceſſum eſt: nam hos humores ſiccos, denſos tantùmque ſolidos ne mouere quidem poterunt leuia medicamenta, quæ ſuperiùs diximus incipienti malo proficua eſſe. Quamobrem pilulis de lapide lazuli, tẽperatis tamen, vtendum eſt: vel alijs, quæ recipiunt epithymi. ʒ.vj. agarici electi. ʒ.iiij. corticis ellebori nigri. ʒ.j. ſpecierum hieræ ſimplicis. ʒ.iiij. cũ melle roſaceo fiat maſſa: cuius quantitas ſit ab. ℈.j. ad. ij. Conficiuntur item aliæ non minoris momenti hac lege, epithymi. ʒ.j. aloës. ʒ. ʃ. caryophyllorum, nucis muſcatæ, ana. ʒ. ij. corticum ellebori nigri. ʒ.j. &. ʃ. cum ſyrupo borraginis fiat maſſa. Item præbere oportet prædicti ſtibij præparati. g. iij. vel. iiij. quòd cenſeam, maximi eſſe momẽti his craſsis humoribus educendis. Sed primitus ante hæc medicamenta, purgabis & præparabis corpus ſero lactis cum folijs ſenæ, aut mercuriali, vt frequens erat. Hippocra. conſuetudo. Nec mirandum profectò eſt, hæc valida medicamenta fœminas innoxiè perferre: nam protinus viſcera & ventriculus adeò vitiãtur, vt in eis plurima ſuper ſint craſſa ac viſcida excremẽta, quæ humori melancholico admixta, id iure expoſtulent: ob idque hæc & alia frequentiùs (dum pro fœmineo ſexu attemperantur) adhiberi poſſunt: quale eſt, quod conficitur ex vigeſima parte lapidis lazuli præparati, & reliquis quindecim partibus ſenæ, & duabus agarici, ac tribus ſyrupi portulacæ addita. ʒ. ʃ. ſacchari roſati. Confert etiam in ijs, quæ affectum iam inueteratum habent, ex pulueribus ſenæ & modico lapidis lazuli quantum. g. x. cum ſaccharo roſaceo vel violaceo bolum ſemel in hebdomada porrigere. Quòd ſi neque his affectio quieuerit, ſerapium illud à Mathiolo elleboriſmum appellatum quantitate. ʒ.j. porrigere poteris: vel ſerapium ex fumaria, & ex lupulis, cum ligatura lapidis lazuli prædicta forma confectum. Cui etiam vſui aliud non minoris momenti conficies, quod recipit myrobalanorum omnium. ana. ʒ. ʃ. contundantur craſſo modo, & fricentur manibus cum oleo amygdalarum dulciũ, poſteà infundantur

dantur per diem & noctem in lib. xiiij. aquæ fumariæ, & bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, cui adde ellebori nigri. ʒ. ij. &. ʃ. liquiritiæ & polipodij. ana. ʒ. ij. ſeminis citri. ʒ. j. &. ʃ. poſteà efferueſcant donec ſolùm remaneant lib. v. quibus adde foliorum ſenæ & epithymi. ana. ʒ. j. & iterum bulliant donec tantum ſuperſint iij. lib. rurſum facta expreſsione colentur, & vſui decoctũ adſeruetur: cuius deinceps excipe. ʒ. ij. ſyrupi ex. 9. infuſionibus roſarum. ʒ. j. aquæ cichorij. ʒ. j. &. ʃ. porrige ſummo manè, ac per ſex dies idem facito tertio quoque die. Verùm quod in huiuſmodi mentis perturbatione commendatum magis reperio, eſt puluis, qui & ſolus & pilularum forma, vel cũ ſaccharo roſarum aut borraginis facilè adhiberi poteſt pondere. ij. ʒ. Recipit quidem epithymi. ʒ. iiij. lapidis lazuli præparati & agarici. ʒ. ij. &. ʃ. ſcammonij correcti. g. xij. caryophyllorũ. numero. xx. pulueris foliorũ ſenæ. ʒ. vj. ſacchari albiſsimi. ʒ. iij. cuius quantitas ſit. ℈. ʃ. Fit quoque huic vſui opiata magni momenti, quæ recipit ſummitatum thymi. ʒ. ʃ. epithymi. ʒ. j. ſeminis cuſcutæ. ʒ. iij. lapidis lazuli decies abluti in aqua roſacea, & totidem in aqua portulacæ. ʒ. ij. diagridij. ℈. ij. cinnamomi. ʒ. ʃ. pulueris ſenæ. ʒ. iiij. margaritarum. ʒ. ij. moſchi. g. v. ſyrupi de pomis compoſiti quantum ſit ſatis, vt fiat ad formã opiatæ, cuius doſis ſit ad. ʒ. j. Poſſunt quoque fieri potiones ex veratro nigro, hac forma. Recipe veratri nigri. ʒ. j. paſſularum mundatarum. ʒ. j. prunorum ſiccorum numero. x. florum nimpheæ. p. j. fiat decoctio in lib. iij. aquæ ad tertias, cuius exhibe. ʒ. ij. cum alijs duabus ſyrupi violarum, quo robuſtiores fœminæ ſemel in menſe aut bis vti poterunt. Sed inter vnam & aliam purgationem ad condita & opiata veniendum eſt: qua in re plurimum prodeſſe fertur alchermes, & triphera aut bolus, qui recipit conſeruæ radicis bugloſæ. ʒ. ij. conſeruæ enulæ. ʒ. j. conſeruæ violarum, nenuphatis, & anthos, pulueris lætitiæ Galen. ana. ʒ. ij. pulueris electuarij de gemmis ſine ſpeciebus. ʒ. j. fiat opiata. Cæterùm fiat alia pretioſior & vtilior, quæ recipit myrobalanorum emblicorum & chebulorum condi torum. ana. numero. ij. corticis citri ſaccharo conditi, & radicis bugloſæ. ana. ʒ. j. conſeruæ anthos & florum borraginis. ana. ʒ. ʃ. confectionis alchermes. ʒ. j. & ʃ. lapidis lazuli vſti & loti. ʒ. ʃ. electuarij de gẽmis & confectionis de hyacintho. ana. ʒ. j. &. ʃ. ſyrupi de portulaca quod ſufficiat, vt fiat opiata: cuius bolum quantitatis auellanæ bis in hebdomada porriges. Sed ſi blandiùs tractare velis fœminam ſic affectam, aliud parabis medicamentum, quod recipit radicis enulæ recentis, radicis bugloſæ & liquiritiæ. ana. ʒ. j. paſſularum enucleatarum. ʒ. ij. prunorum numero. x. ficuum (quanquam non prouentur ab Alexan. Trall. ſed cum reijcit ficus à medicamentis laxantibus, intelligit de recentibus, carycæ verò, quia detergunt, conueniunt). ʒ. ij. pomorum dulcium numero. ij. mercurialis, borraginis, & capillorum veneris. ana. m. j. ſeminis aniſi. ʒ. iij. ſeminis apij, petroſelini, & ocymi. ana. ʒ. ij. polipodij quercini recentis. ʒ. ij. foliorum ſenæ, medullæ ſeminis cartami. ana. ʒ. j. &. ʃ. corticis medianæ ſambuci. ʒ. ij. florum anthos, bugloſæ, borraginis, violarũ. ana. m. ij. fiat decoctio in lib. iiij. aquæ ad tertias, & facta colatura adde ſacchari quod ſufficiat, vt fiat ſyrupus: cui ſi addideris agarici modicum, maximè ex vſu facies.

A purgatione verò & inter purgandum balneis aquæ dulcis tepidæ in domo vel in fluuio frequenter vtendum eſt, item fomẽtis capiti adhibitis ex dulci aqua, ex oleo amygdalarum dulcium, violarum, & cucurbitæ, ex lacte etiam vel decocto extremitatum arietis cum lactucis, violis, capitibus papaueris albi &. ʒ. ij. ellebori nigri.

Præter hæc omnia prouocationi menſium innitendum plurimũ eſt: nam præcipua curãdi ratio in huiuſmodi affectu quadruplicem præſtat conſiderationem: quarum prima congeſtionem ſanguinis in vtero impedire docet, cuius gratia ſtudendum eſt menſtrua ſemper prouocare: ſecunda, ſi quid congeſtum melancholici ſucci eſt, expellere docet: tertia, flatus aſcendentes diſcutere: quarta verò & vltima id curæ habet, vt capiti & toti corpori prouideat. Quòd ſi neque ijs, quæ ſuperiùs diximus, nec prædictis quatuor indicationibus adſeruatis morbum ſubſiſtere comperiamus, regionem mutare oportebit iuxta Hippocrat. præceptum, qui lib. 6. popul. part. 5. inquit. In longis morbis terram mutare optimũ eſt: præſertim ſi ad loca humida & temperata ac prope mare ipſum mutatio fuerit. Quòd ſi morbus vltra pergat, ad fontanellas cruribus apertas venire conſulit rei difficultas.

Cauere tamen in hac affectione oportet acria clyſteria, vtpote irritantia maximè vterum, & ſuccos ibidem contentos commouentia: quo fit, vt non rarò ab inecto acri clyſtere fœminæ vehementiùs delirent, donec temporis tractu iterum ſubſideant humores.

Habet inſuper hoc peculiare huiuſmodi affectus, vt lentam & paulatinam deſideret curãdi rationem: nam ſicci & ſtabiles humores etiam ſi habitualem nõdum in corpore aut capite introduxerint diſtemperiem, ſenſim parari emolliríque conuenit, & eadem lege expurgari: ac pari prorſus modo intemperamentum introductum corrigere: nam qua ratione calidos humores ocyſimè excernere oportet, ita ctaſſos & lentos lentè & paulatim. Quòd ſi ne hæc quidẽ omnia prodeſſe videãtur, ſplenis aut meſerei regioni ſetonem affigere expertus ſum, miro modo profuiſſe.

De varietate epilepſiæ ex vtero.

Cap. V.

NIL profectò monſtroſius, nil grauius periculoſius ve aut difficilius & obſcurius in fœminarum affectionibus reperies, quàm eam epilepſiæ naturam & conditionem, quæ ex vteri vitio & cõſortio proficiſcitur. Quippe tam eſt varia, difficilis & abdita ac mille differentijs implicata, vt nullam ſeruare in cognitione vel curatione certam legem, methodum ac regulam, qua aliquid vnum in ea aut proferre aut efficere poſsis: nam in communi epilepſia & ea, quæ hominibus ex alia cauſa vulgariter accidit, nil aliud relucet, quàm motus deprauatus, & totius corporis cõcuſsio cum ſenſuum oblæſione: at in fœminarum epilepſia, quis narrare poterit, qualis motuum varietas, quanta motus & externorũ ſenſuum mutatio, & vltimò omnium aliarum vitæ actionum difficillima peruerſio reperiatur? Quamobrem nõ ſat eſſe epilepſiæ naturam & cauſas in genere nouiſſe cenſeo, ſed quid peculiarius hæc affectionis natura in fœminis obtineat, dum ex vtero principium ſortitur.

Primum itaque noſſe conuenit epilepſiam (vtcunque ſit) nil aliud eſſe, quàm totius corporis concuſsionẽ cũ mentis oblæſione. Eſt quidẽ ſympthoma in genere deprauatarũ actionũ motiuarum, quòd inordinatum præter voluntatis imperium efficiat

efficiat motũ, laceſsita ſolũ (differt tamẽ à motu cõuulſiuo, vt probatũ reperies lib. noſtro. 1. de morb. inter. curat. cap. 16.) motrice potentia ex cerebri immodica ſenſibilitate à re mordẽte ſeu obſtruente irritata. Quæ ſanè cerebri ſenſibilitas omnes potentias expultrices & animales ſecũ in conſenſum trahit, & lædit, vt ſe tueatur à cauſa illa præter naturã ad expulſionẽ omnes laceſſens. Quo fit, vt cerebri potentia dilatatiua & cõpreſsiua vehementiùs ſeſe dilatet cõprimatq;, vt quatiens quod ſibi adhæret, & moleſtũ exiſtit, excutiat: quemadmodũ in ſternutamentis efficere cernimus. Neq; credendũ eſt, expultricem naturalem poſſe ita vehementes ac varios motus edere, niſi motiuã etiam in conſenſum alliciat, licèt nonnihil iuuet ad vehementiã motionũ: obidq; non eſt à ratione alienũ exiſtimare, huiuſmodi motus primo fieri à virtute naturali expultrice, iuuante etiã virtute dilatante & comprimente cerebri: quibus læſis animalem motiuã cerebri mille motibus errabundam apparere (quòd neruorũ principiũ lædatur) neceſſum eſt. Teſtimonio quidẽ eſt differentia inter apoplexiam & epilepſiam: nam ob id in apoplexia malũ grauius efficitur & interimit, quia naturalis potentia, quæ valuit ex cerebro humorẽ craſſum in ſpirituũ foramen & cauitates pellere, nequiuit diſcutere eundem, & ab ea parte ſeparare: quo in caſu accedente vi dilatatiuæ virtutis, motus in partibus neruoſis, vtpote quæ magis læduntur, fit conuulſiuus, & ſubinde motus vehementia quod nocuum eſt, excernitur. Ex quibus conſtare arbitror, epilepſiam motus ſpeciem eſſe de genere conuulſionis, pertinentẽ quidem ad ſpaſmũ (vt ferunt) non proportionatum ad materiam: licèt in quibuſdam fœminis epilepſia aliquando accidat ſolùm cerebri vitio, citra vllam partium ſubiectarum concuſsionem.

Verùm, vt clarior euadat noſtri inſtituti doctrina, cui morborum generi huiuſmodi ſympthoma reducendum ſit, diſſerendum nunc eſt. Conſtat enim vnanimi medicorum omnium conſenſu, morbum eſſe in hoc affectu, obſtructionem, eam quidẽ ortam à craſsis humoribus, qualis pituita eſt, aut melancholia. In qua re duo mihi ſunt expendenda: primũ, an morbus ſit obſtructio: ſecundũ verò, an cauſa ſit craſſa & lenta, vt priſcorũ ſententia tenet. Circa primum noſſe oportet, aliud eſſe in epilepſia motus illius vehementis rationẽ exquirere: aliud verò, cauſam adinuenire oblæſionis mentis & ſenſuũ. Nam obſtructio, quam huius affectus fatentur eſſe cauſam, nequit ex propria natura deprauatum motum moliri, ſed tantùm plus miſnuſue motum imminuere, vel ex toto auferre, quemadmodum in apoplexia & paralyſi fieri cernimus. Cõſtabit igitur, aliã ſubeſſe huius ſympthomatis cauſam, nimirum (vt mea fert ſentẽtia) acrimoniã, mordacitatem, aut venenoſitatem alicuius ſubſtantiæ illuc cõfluentis: deniq; id natæ ſunt efficere omnia, quæ laceſſere & irritare naturam expellentẽ poſſunt. Ex quo prodit huiuſmodi affectionem fieri plerunq; per conſenſum, id quod apoplexiæ & paralyſi nõ contingit, quòd earum ratio in obſtructione ſita ſit. Præterea, neque ſat eſt humores eſſe acres & mordaces, vt ſenſus interiores & externos oblædere poſsint: ſed neceſsũ ſubinde fuit, aliquem peculiarem intereſſe morbũ, quem ego citra dubitationem arbitror obſtructionem eſſe: non tamen vt vulgò fertur, ſed vt mox referam. Si priùs dixero affectionem in genere fieri ex acrium humorum, vel vaporum affluxu, qui cerebrum aut diſtemperent, aut mordeãt, motibuſq; deprauatis occaſionẽ præſtent: itẽ & ex obſtructione, quæ ſenſus omnes oblædat. Quippe cùm duo ſint ſymptomata quæ in epilepſia elucent magis, ſenſuum nimirum oblæſio, & motus conuulſiuus, neceſsum profectò fuit, vnumquodq; propriam & peculiarẽ obtinuiſſe cauſam. Sic proculdubiò acrimonia & mordacitas cõuulſionem parere natæ ſunt, vt

videre

videre licet in singultu ex aliqua prædictarum causarum suborto, vbi nullum appa ret obstructionis vestigium. Pari prorsus ratione cerebri obstructio, quæ ex sub stantiæ, quæ cerebrum conscendit, corpulentia proficiscitur, mētis & sensus oblæ sionem parit, vt in alijs affectionibus, citra motum conuulsiuum conspicimus, qua les sunt soporosi affectus, & alij his persimiles. Ex quibus constat, vtrunque sym pthoma in epilepsia necessariò subesse, quia vterque morbus necessariò accedit ad integram eius speciem & naturam. Verùm addubitabit fortasse quispiam & meritò, quanam ratione in epilepsia per cōsensum fieri possit, vt solùm aura quæ dam cerebrum conscendens, potens sit obstructionem efficere, vt Galen. lib. de puero epileptico affirmat, ita vt laborans sensuū actione omnino priuetur. Cui di cimus hac ratione differre epilepsiam per primogeneam affectionem ab ea, quæ fit per consensum, quòd illa maiorem infert sensuum oblæsionem, quia à maiori prodit obstructione: hæc verò minorem, quia tantum ab halitu proficiscitur ob structio, seu (vt rectiùs loquar) obtenebratio. Quo fit, vt maiori ex parte in ea exter ni sensus non ex toto lædantur, id quod in epilepsia per consensum ab vtero fre quenti euentu experimur, vt paulò inferiùs latiùs probabo. Neque credendum adhuc est, obstructionem adesse in ea quæ fit per essentiam eo modo, quo in he miplexia aut apoplexia reperimus: sed peculiarius quid obtinere, cuius ratione longissimis distant interuallis, vt in causarum expositione iam audies. Constat igitur epilepsia ex duplici affectus genere, alio ad obstructionem pertinente, alio verò ad mordicationem aut exesionem, vel distemperiem cerebri: non quòd so lùm distemperies id efficiat, sed quatenus dolorem excitet eò quòd solutam vni tatem, vel (vt rectiùs loquar) solui paratam, velut dolor id moliri possit. Consta bit etiam subinde ex duplici sympthomatum genere, vno ad sensuum diminutā seu ablatam actionem reducto, alio verò ad motus facultatum cerebri animaliū, naturalium & ipsi peculiarium deprauationem. Quo sensu mentes omnium authorum concordes fiunt: quippe epilepsiam partim ab obstructione, partim ab humorum mordacitate fieri, certum est. Quæ omnia communia existunt om ni epilepsiæ, siue per primogeneam fiat affectionem, siue per consensum à qua uis parte.

Causæ. Causas verò ob affectus variam rationem, diuidere quoque hac in parte ne cessum est: nam quædam sunt, quæ epilepsiam efficiunt per essentiam, & rursus aliæ, quæ ipsam per consensum excitant. Præter quas non desunt qui asserant, & non citra rationē, quandoq; fieri ob angustiam meatus à postica cerebri parte ad spinam, vel imperforatam lacunam aut strictiorem ad palatum, aut nares viam. Quod Galen. de vsu partium scribit, optime comparatum esse à natura, vt per decliues cerebri meatus, tùm per palatum in os, tùm per corpus narium orificijs perspicuis ac magnis pituita, aut alia cerebri purgamenta excernantur, ne animal frequenter corripiatur epilepsia: nam videmus per eam viam expurgari materiā, quæ epilepsiam excitabat, ac spumam ex ore duci. Quæ sanè compositionis ratio, licet reperibilis sit, quàm rarissimè tamen accidit, quia natura id semper in cōpo sitionibus cauet, nisi erret. Causa verò (vt ad pensum redeā) quæ per essentiā hoc malum excitat, pituita melancholicusque humor est, vel quisquis alius crassus, vi scidus ac lentus qui in cerebro præter naturæ institutū creatus fuerit. Verū si quis rem altiùs examinet, reperiet facilè (licet Galen. quæ diximus asserat) aliter cau sas constituendas, Galenumq; intelligendum fore: nam si vt vulgus autumat ex Galen. decreto, crassos humores huius mali causam esse verum sit, haud leuia reperiet

reperiet incommoda, quibus id ita fieri per difficile esse videatur. Quippe crassos humores impossibile est hoc posse, quia sequeretur nil interesse inter epilepsiam ex altera parte, & apoplexiam ac paralysim ex altera, quod probari facilè potest: si quidē locus affectus idem est, nempe posterior cerebri vētriculus, qua parte adhæ ret spinali medullæ: causa eadem, nempe crassorum humorum copia: morbus idē, nimirum obstructio, ergo necessariò sympthoma tenetur idem esse. Quòd si quis piam dixerit, ratione maioris aut minoris obstructionis differre, intelligat velim, obstructionem maiorem aut minorem variare non posse sympthomatis genus, sed apoplexiæ aut paralysis varias tantùm species efficere, non epilepsiam aut sym pthoma aliquod ad actionem deprauatam pertinens, sed solùm ad ablatam aut diminutam. Præterea videtur perdifficile à crassis humoribus epilepsiam fieri, quia sæpissimè per consensum concitatur ab aura tenuissima, substantia alioqui obstructioni inepta. Item epilepsia subitò generatur ac soluitur, hoc nequit à cras sis fieri: quòd si aliquando id accidat, vel in aliud malum degenerat, vel non sol uitur ita subitò vt communis epilepsia: nam pituita difficulter separatur à parti bus, quibus semel adhæsit, exemplo est apoplexia, quæ nusquam subitò soluitur, sed dum sanescit, in paralysim degenerat, quæ deinceps lentè curatur. Præterea, qui hoc morbo corripiuntur, protinus spumā, aut tenui liquore per os excreto li berantur, ergo mali causa non erat viscidus & crassus humor. Vlterius ex ira & alijs animi perturbationibus, & ex immodica cerebri sensibilitate, ac sensuum perspicuitate plures hoc morbo correptos conspicimus, ergo non à crassa & visci da materia. Sunt profectò tanti momenti huiusmodi rationes apud cordatos ho mines, vt iure optimo aliam teneantur exquirere in hoc affectu causæ rationem: quam ego, saluo doctissimorum virorum iudicio, arbitror in epilepsia per primo geneam affectionem, esse hos humores crassos & viscidos, vt Galen. sententia te net (ne videar à tanto authore leui occasione discessisse) verùm alio modo dispo sitos ac præparatos, non autem sub propria forma ac natura existentes, vt in apo plexia & paralysi contingit. Itaque, vt argumentis respondeamus, ad generationē apoplexiæ & paralysis prædicti humores crassi ac viscidi concurrunt sub propria forma, qualēs natura sua existunt: cæterum ad generationem epilepsiæ spumosio res, leuiores, tenues, & rariores facti, alioqui impossibile est, causam huic malo con iunctam seu continentem posse præstare. Quemadmodum spuma per os excre ta quotidiano euentu cōfirmat, à cuius excretione protinus cessat affectio, quasi demonstrans illam esse proximam illius mali causam. Quamobrem mirum non est, si ex vna causa in eodem loco, & ex vno tantùm affectu diuersa suboriantur sympthomata, siquidem causæ dispositio nata per se est eam differentiam consti tuere. Secundò stat etiam differentia, quia in primis duobus affectibus prædicti humores facultatem deijciunt ac superant, ita vt ne ipsos quidem expellere pos sit, nec se modo aliquo mouere: at in epilepsia solùm eandem irritant & lacessunt ad motum expulsionis, quē mouent. Quo fit, vt cùm præ impotentia, aut frequen tia accessionum lassata, vel ex humorum crassitie impedita, nequit humorem mo uere, facilè ex epilepsia apoplexiā aut paralysim inuita patiatur: quo experimento certior efficitur differentia generationis inter hos affectus. Confirmat nostrā sen tentiam altera huius affectus pars, nimirum dum per consensum efficitur: nam ci tra humorum præsentiam sola aura, halitu aut flatu caput irruentibus in grauissi mas epilepsias plures deciderunt, irritata ac lacessita ad expulsionem facultate, & eò magis, quò acrior extiterit sentiendi potentia.

Sed vertet aliquis in dubium, si obstructio ad sensuum oblæsionem, sympthoma huius affectionis proprium, necessaria est, quî fieri possit, vt ex aura vel tenuissimis halitibus, aut ex sola sensus acrimonia cerebrum obstruatur, ac si nõ obstruitur, qua via sensuum oblæsiones fiunt. Cui dubitationi dicendum arbitror, sat esse ad sensuum oblæsionem nebulosam illam substantiam caput irruere, cui tanquã concausa accedit vehementissimus ille cerebri motus, quo existenti etiamsi nulla subsit obstructio (vt in ijs cõtingit, qui perspicaciori sunt sensu) impossibile est, aut perdifficile sensus posse proprias liberè edere actiones ob cerebri incommodam figuram & spirituum inordinatos motus: præter quam quòd sic affecti non omnino sensu priuantur, quemadmodum frequenter conspicimus in hystericis affectionibus & epilepsia per consensum, in quibus plures fœminæ audiunt quidẽ, respondere tamen ob deprauatum musculorum motũ nequeunt. Itaq; iam constabit duplicem esse in genere epilepsiæ causam, alteram quæ per primogeneam affectionem caput infestat, velut est humor crassus, factus tamen rarus, leuis & spumosus: alterã verò, quæ per consensum hoc malum excitat, & multiplicem habet occasionem, eamque vel à ventriculo nonnunquam ortam, vel quouis alio mẽbro aut viscere, ex causa quidem vel manifesta vel nobis occulta, vt de puero epileptico Galen. refert: modò ibidem aliquis venenatus humor generetur, cuius halitus ad tempus cerebrum irruens, epilepsiam excitet: modò ex morsu venenati alicuius animalis virus in corpus eiaculantis prodeat. Nam dum prædictum venenum venas primitus attingit, malum corporis habitum, ac tumorem præter naturam in toto corpore generat, sanguine venenoso facto, & iecoris calore corrupto. Dum verò venenum arterias irruit, vniuersi corporis calor emoritur, & maxima anxietate, inquietudine, & frigidis sudoribus ac syncope animal interficit. At cùm neruea aliquam substantiam venenum primò aggreditur, in epilepticam conuulsionem proculdubiò corpus defert. Cui sanè malo consimile vitium vterus ex semine & menstruo corruptis in caput regerit, miramque illam epilepsiæ varietatem, quam à principio proposuimus, machinatur: cuius varietatis rationem exponere iam aggredior.

Solet quidem hoc malum fœminis accidere, vel viduis, quæ non probè (vt moris erat) semine vel sanguine mẽstruo purgantur: vel virginibus, aut sterilibus, quę minùs quam abundantia iuuenilis postulat, aut consuetudo ferebat, steriles semine, & virgines menstruo sanguine expurgantur, cùm plurimo abundẽt, quòd vel copiosioribus vtantur cibis vel parcioribus exercitijs: quòd solet esse præcipua mali causa. Quibus sanè substantijs suppressis contingit facilè inter alia vitia, venenosa sordidaque corruptione fœdari: à quibus non leuia accidentia ex ijs, quæ ex epoto veneno prodire diximus, miserrimis fœminis succrescunt. Quippe ea ratione, qua in virorum digitis, crure, vel manu veneni quid persimile generatur, à quo epilepsiam proficisci dictum est, eâdem profectò omnino in fœminarum vteris accidisse plerunq; certum est. Quam porrò epilepsiam ex prædicta causa obortã, non vulgarem & vtcunque esse censemus, sed mille varietatibus implexam: nam quibusdam totum corpus cõtremiscit: alijs vna aut plures partes: rursus nonnullis vel oculus solus, aut lingua, vel caput, vel manus, aut alterum ctus: nonnunquam septum transuersum, & multis reliqua respirationis instrumenta: plerisq; horum aliquid per interualla ordinata, aut citra ordinem accidit, vel sponte vel à leui occasione sumpto principio, & (quod mirabilius est) ex voce, sonitu, aut musico concentu, vel flatu, aut quauis alia re, cuius ratiõẽ intellectus consequi nequit, quòd extra

extra naturæ ordinem & institutum videatur ad sensum præesse. Quibus præterea motus varietatibus aliquando accidit aliquod mentis vitium succrescere, vel alicuius externorum sensuum, ita vt quædam apertis oculis non videant: aliæ neque verbum audire possint: multæ loqui non valentes, mutæ & veluti fatuæ decumbunt. Plures item se videre & audire multa, quæ falsa & à ratione aliena sunt, existimant: aliæ quidem vociferantur & vehementer conqueruntur, cùm verò proferre quid sentiant, cupiunt, non valent: nonnullæ item risum non leuem proferunt, aliæ fletum: omnes tamen ferè sensu tactus priuantur. Plerisque etiam pleraque ex prædictis accidentibus simul iuncta succrescunt, varia & incomprehensibili connexione intertexta: ita vt quis fœminam sic affectam nouum & nũquam visum accidens perpeti iudicare iure optimo possit. Item ex fœminis sic affectis quædam nullum cibũ appetunt, aliæ etiam si appetant, deuorare tamen nequeũt: plurimæ si id conẽtur, statim euomunt: quod etiam in potu accidere cõperimus: qua ratione subinde vrinam non reddunt: quam quoq; varietatem in appetitu accidere vulgatissimum est. Verùm licet hæc omnia tam mira varietate ludentia epilepsiæ succrescant, vna tamen eius ratio est, vna natura. Cum hoc tamen licet varia & diuersa existant prædicta accidentia, omnia tamen prodeunt cerebro primùm ex vtero affecto: quod sanè sic affectum alicui parti deinceps vitium cõmunicat: cuius læsione accidens aliquod ex prędictis oriri necessum est. Item cerebrũ ex vtero affectum, cordi, intestinis, ventriculo, septo transuerso, sensuũ instrumentis, aut plurimis ex his partibus vitium communicat, nunc seorsum cuiq;, nũc omnibus simul aut plurimis. Præterea, fiunt eadem vitia vice versa, nimirum, vtero lædente membrorum aliquod ex prædictis, quod postmodũ suscepto semel damno cerebrũ quoque afficit & in consensum trahit: quæ sanè ratio maximi est momenti in monstrosa huius epilepsiæ varietate distinguenda.

Quamobrem rationem diuersitatis accidentium in his duobus lædendi cerebrum modis sitam proculdubio esse arbitror: nam primò consistit vna diuersitatis ratio in eo quòd cerebrum vitium ab vtero susceptũ reliquis partibus communicet: ex quo succrescent necessariò duo accidentium genera, tria vel plura, iuxta diuersitatem partiũ quæ vitium à cerebro susceptant: vnde mirum non est, si partes, quæ afficiuntur, natura variæ existunt, & cuique ineat sua accidẽtis ratio, varia quoque succrescant in corpore accidentia. Secũdò id profectò fit, quia membrum aliquod, vnum aut plura ab vtero afficiuntur, & ipsa postmodum cerebrũ lædunt, ex quibus eandem etiam accidentium varietatem suboriri necessum est. Vtcunque tamen fiat epilepsia ex vtero, halitum habet caput ferientem, vel partem, cui caput consentit: quod Hippocr. pulchrè dixisse constat lib. 7. popul. Plurimas enim (inquit) vteri affectiones flatus faciunt, signum sunt ructus & strepitus circa ventrem, & lumborum tumores, & dolores circa renes ac coxas. Quos sanè flatus mouet externa aut interna quæuis causa, quæ excitare eosdem, non tamen discutere apta sit: quos tamen flatus scimus ex semine aut sanguine menstruo, vel ex vtraq; substantia, quam mille modis anteà posse vitiari diximus, prodire. Hanc sanè corruptionis varietatem asserimus tertiam varietatis accidentium causam constituere. Ex qua varietate, quæ dissimilis admodum est & confusa, prodit, halitus quoq; ascendentes varios esse, frigidos nimirum, quales semen corruptum gignere habet, calidos, mordaces, crassos, caliginosos, fœtidos, tenuissimos, & maximè penetrantes, tenaces, diuq; alicui parti persistentes, & alijs modis innumeris variegatos diuersos ve, ita vt mirum nõ sit, si diuersorum quoque sympthomatum causa sint,

etiam ſi affectionis ratio vna ſit,quæ potiſsima cauſa eſt,cui præcipuis actionibus fœminas ſubitò priuari conſpiciamus,& ſubitò ad priſtinum ſtatum peruenire.Inter quas ſanè alias reperies , quibus diu durat affectio:plures;quæ nihil fuiſſe perpeſſas monſtrant,quatenus ad corporis ſpecimen pertinet, etiam ſi grauiſsima ſuſtinuerint accidentia:item alias alijs modis affici.Itaque varietatis ratio ſtat vel in varia corruptionis ſeminis & ſanguinis mẽſtrui ſorte,vel in membrorum,quæ aut vitium ab vtero ſuſceptant,& capiti referunt,vel eorum,quæ à capite ex vtero affecto coafficiuntur ſimul,varietate:quæ omnia proficiſci probatum eſt ab externa cauſa,quæ flatus concitet,vel ex interna,quæ ibidem foueat,vtraque tamen mouẽte,aut ſemen aut ſanguinem menſtruum prædictis modis vitiatum.

Affectionis ſignæ.

Monſtrare quidem per ſigna hunc affectum fruſtra & inutile profectò eſt,ſiquidem motus deprauati,& mentis ac ſenſuum oblæſiones id facile oſtendunt.Cæterum per conſenſum ne,an per primogeneam affectionem ſit,nõ eſt ita facile noſſe.Docuerat tamen id Hippo.nuper adducta ſententia lib.7.popul.qua hæc refert verba.Plurimas vteri affectiones flatus faciunt,ſignum ſunt ructus & ſtrepitus circa ventrem,& lumborum tumores,& dolores circa renes ac coxas. Præter quæ ſigna,etiam dum per conſenſum fit,nulla aut quàm pauciſsima ſpuma per os erumpit.Item id monſtratur ex menſium ſuppreſsione, vel diminuto præter morem fluxu,& in viduis,ac ijs quæ viris vtuntur,ex ſeminis ſuppreſsione:nam ſæpe ea vltra ętatis rationem retento,vel ſupra modum vita otioſa & luxui dedita genito,grauiùs virginibus ipſis offenduntur viduæ. Conſtat item per conſenſum & ab vtero eſſe ex alijs vterinis affectionibus,quibus haud rarò fœminæ ſic affectæ conquerũtur.Præterea ex varijs accidentibus inordinatis,& quæ nullam ſimilitudinem ſeruant:quod alienum profectò eſt à communis epileſiæ natura.Item eo quòd fœminæ ex vtero affectæ,etiam ſi reliquis ſenſibus orbentur,frequenter tamen auditum ſuperſtitem habent. Conſtat etiam ,quia epilepſia ex vtero ſemper habet ſibi comitem alterius partis affectum. Adhæc,proficiſcitur à vitio alicuius inferioris membri,quod vterus ipſe afficit:id quod ex peculiaribus partis ſympthomatis facilè inuenies: nam ſi ventriculus fuerit,id optimè dignoſces ex vomitu,nauſea,cibi faſtidio , oris ventriculi morſu,atque oris amarore , quæ ſanè omnia acceſsionem præcedunt:& vltimò eò quòd fameſcentes potiùsquàm ſaturas acceſsio apprehendit.Sic frequenter ab ſplene prodire diſtingues ex rugitu in ipſius regione,ex dolore,ex mœſtitia,taciturnitate & timore.Pari etiam ratione à corde proficiſci internoſces ex anxietate,coloris mutatione,pulſus varietate,animi languore , & totius corporis impotentia.Verùm ſi vteri conſenſus primò caput apprehenderit , ſubita fit acceſsio,præter quàm quòd aut tinnitus aurium,aut vertiginoſæ imagines præmittuntur.Semen verò corruptum eſſe eò dignoſces,quòd omnia accidentia maiori ex parte frigiditatem atteſtantur.

Affectionem hanc periculoſam eſſe,& mortis præſagam dubitauit nullus,præſertim ſi acceſsiones frequentius irruant,& cor etiam oblædatur:ſin aliter,corpore exiſtente pleno & laborante languida,nil mirum ſi in apoplexiam leuem,aut in paralyſim degeneret.Quapropter peculiari diligentia auxiliares manus adhibendæ ſunt.Verùm ſi ratiùs acceſsiones repetant, non eſt protinus verendum prædictum malum acceſſurum,etiam ſi ſæuiſsima prima facie videatur acceſsio:ob idque bona ſpe alere oportebit aſsiſtentes.

Curandi ratio.

Cùm non minus prẹgnantibus huiuſmodi epileptici affectus accidant,quam reliquis mulieribus,ac in acceſsione illẹ aborſu,hæ verò ſuffocatione,aut alio malo pe-

periclitentur:ob id primò innitendum eſt acceſsionis mitigationi,vt quæ non minimum periculum afferre ſoleat.Curandum igitur,dum fœminam acceſsio apprehenderit,quàm citiſsimè reuocare , cauentes ne vulnere percuſsionèue aut alio damno vehementiſsimis motibus afficiatur:cũ hoc tamen prohibere ex toto quo minus aliquid moueatur,vt multi magno conatu perperam efficiunt , à ratione alienum eſſe,ſemper exiſtimaui:ſiquidem dum motus ex toto cohibentur,procul dubio acceſsionem retardari haud rarò conſpicies.Cùm enim concutiunt partes, materia, quæ partem internam affligit,diſcutitur: præterquam quòd dum fœmina ab acceſsione reuocata eſt,ſupereſt deiecta ac confracta nimis. Prætereà omni arte ſtudendum eſt,vt id totum,quod cerebrum irruit,quàm citiſsimè euaneſcat diſcutiaturq; : his quidem præſidijs,quæ naribus indita innata tenuitate ad ventriculorum cauitatem permeare,ac materiam illam abſumere digerendo reſiccandoque facilè poſsint. Sunt autem ea ipſa, quæ alioqui ſua ſponte epilepſiam excitare aſſolent,vt lacrymæ fœtidæ,bitumen, caſtoreum,folia rutæ , pulegium, calamyntha & id genus alia. Neque mirum cuiquam eſſe debet,ſi hæc quæ epilepſiam concitare nata ſunt,leuamen in eadem præſtare poſsint:quippe primùm materiam commouendo diſponunt:ſecundùm verò eandem commotam digerunt diſcutiuntve.Pari etenim ratione id efficiunt, ac peonia collo ſuſpenſa attenuando,inſcindendo , diſcutiendoue quod ſibi proximum ſteterit.Qua profectò ratione cenſeo,mulierculas aſtantes ſuffumigijs ex papyro,pilis,& alijs(quæ fœtida ſunt)vſtis quàm citiſsimè ſic affectas reuocare: experimentum quidem efficaciſsimum ad dignoſcendum, an affectio per conſenſum ſit,nec ne:quòd in primogenea nihil hæc præſidia prodeſſe cõperiamus.Prodeſt etiam aqua ex deſtillatione ceraſorum epota,quàm mille laudibus non contemnendi autheres extollũt: cuius etiam naturæ creditur eſſe aqua ex diſtillatione hirudinum,quam paulò inferiùs ſcribam,menſura.ij.ℨ.quæ ori impoſita diſcutit,& propria partium tenuitate ſe in abditiſsimas partes inſinuat. Oleis quoque vtendum eſt intra aures proiectis & ſuper capitis ſuturas adhibitis:præſertim ijs,quæ valde tenuium ſunt partium,velut eſt oleum de ſpica,de ſampſuco,de cinnamomo,de nuce muſcata, vel rutaceum,aut ſycionium, addita aquæ vitæ tertia parte. Quibus citra dubium magis proſunt cucurbitæ vtero affixæ,& ea medicamenta,quæ vtero impoſita flatus diſcutere ſæpe diximus cap.de ſuffocatione. Vtero quoque odorata adhibenda ſunt, niſi mulier prægnans fuerit,cui ſatis erit ſupernas partes ſuffire . Proſunt etiam extremorum vincula & frictiones, quibus frequenter adhibitis ſufficere haud rarò ſolet:ſicut ventrem oleo rutaceo,liliorum ,& de baccis lauri , ac ſimilibus inungere. Suppoſitoria item valentiora,voces & ſtrepitus magnos conferre ſæpiſsime viſum eſt. Item in conſpectu laborantis magna luminaria ſuccendere capite & corpore ſubitò erectis & apertis oculorum palpebris. Sic & vehementiſsima pilorum pudendarum partiũ auulſio,dubio procul fœminas hoc modo affectas reuocat:ſicut virosteſtium dolor. Cauendum tamen in fœminis eſt à vehementioribus medicamentis,in quibus ſi diu duret acceſsio,eaq; ſit ex menſiũ ſuppreſsione,conſultiſsimum eſt ex talo ſanguinem mittere: quo præſidio non paucas reuocari facilè conſpeximus,præſertim alijs nihil præſtãtibus:in quibus,ſi menſtrua defecerint,cauendum eſt à cucurbitarum ſuper vmbilicum vſu, quarũ gratia laudarem potius femoribus affigi.

In vera autem curatione obſeruandũ eſt tãquam in re grauiſsima & difficillima præceptum illud Hippocrat. lib. 2.de morb. mul. in fœminarum curatione non

satis laudatum. Considerare oportet etiam (inquit) naturas mulierum, & colores, & ætates, & tempora, & locos & ventos. Aliæ enim frigidæ, aliæ humidæ, ac fluidæ aliæ: calidæ quidem sicciores ac stabiles sunt: nam quæ superalbidæ fiunt, humidiores sunt ac fluidores: nigræ verò sicciores & acerbiores ac astrictiores. Quæ verò vini colorem referunt, medium quidem inter vtrasque habent: sic autem & in ætatibus contingit, iuuenculæ enim humidiores sunt, & multo sanguine plerunque refertæ: anniculæ verò sicciores, & modicum sanguinem habẽtes: mediæ verò medium quoddam inter vtrasque habent, vt quæ nunc æquales existunt. Oportet autem eum, qui rectè hæc tractare volet, semper mulierum naturas discernere, & tẽporum occasiones, & ætates, & tempora, & locos, & ventos. Qua proculdubio sententia constat, quanti momenti sit, & quam difficilè fœminam curandam suscipere. Quod etiam anteà lib. de natu. mul. dixerat idem Hippocr. per hæc verba. Oportet eum qui hæc rectè tractare velit, primùm quidem ex Dijs ordiri, deinde mulierum naturas discernere. Quamobrem neque temerè nec inconsultò cuiusuis mulieris curationem aggredi oportet: sed primo in hoc affectu peculiares fœminarũ conditiones considerare opus est: nam indiuidualis & propria conditio plurimum euariat à communi curandi ratione. Primum etenim sat est, fœminæ vtero gerenti (nam de eis primitus sermonẽ instituere placuit) emplastrum pro matrice apponere, quod recipiat massæ emplastri pro matrice, & ceronei, ana. ℥.j. ℈. musci. g. vj. misceantur cum oleo liliorum, vel de spica, & fiant emplastra duo, quorum alterũ ventri & alterum dorso apponatur: confert vel carnis semiassæ frustrum cum modico moschu & cinnamomo eisdem partibus apponere, vel pomum assum, vel micam tosti panis vino irroratam & eisdem puluerib⁹ sparsam: vtatur etiam sic affecta trochiscis de moschu, quos ore teneat frequenter. Sed curandum omni studio est, vt quã breuissimè ab accessione reuocetur, adhibitis etiã prædictis oleis vtero, & naribus suffumigatis: nã periculũ est, ne, si diu duret affectio, fœtura suffocetur.

Si ex menstruo sanguine fiat.

Verùm in reliquis fœminis curandi ratio triplex insurgit: altera, quæ vtero prouideat, cui summopere innitendum est: altera verò, quæ capiti: & rursus tertia, quæ eius membri curam habeat, cui etiam vel vterus vel caput damnum præstat. Atqui cùm vterus vna è tribus rationibus id malum efficiat (propter flatus nimirum, aut halitus ab eodem elatos, ex semine vel sanguine menstruo proficiscentes) ob id profectò hæc tria inspicere ad rectam curandi rationem par est. Quod si sanguinem menstruum redundare compertum fuerit, ex diminuto vel ablato menstruo, ex fœminę habitu, ex accidentium conditione, quæ sanè mitiora sunt, ac ex totius corporis & faciei rubore & alijs quæ superiùs diximus: potissima curandi ratio est, vt Hippocra. placuit lib. de virg. morb. ea quæ per sanguinis detractionem efficitur: tum venis tali scissis, tum menstruis omni arte prouocatis, vt proprio cap. dictum est: tum etiam per hæmorrhoydes. Quibus vacuationibus per interualla inter curandum factis affectionis materia demitur, & alijs curationibus via sternitur, ac vterus quoque disponitur, vt roborantia & discutientia innocuè admittere possit. Sed expendant hunc affectum curaturi, millies mihi & alijs viris in hac re peritis longissima obseruatione esse compertum, medicamenta expurgantia, quæ passim ab authoribus cõmendantur, prodesse quidem parum aut nihil: nã cùm id quod affectum generat (etiam si semel excernatur) sæpius sanguine ad vteros confluente, ac semine etiam nouiter indies genito & corrupto producatur, & denuò acerssat affectum, fit proculdubio, vt minimum prodesse videantur. Quãobrem si quis malum radicitus (quantum res ipsa patitur) euellere cupit, studeat perpe-

perpetuò vel materiam superuacuam ex toto auferre, vel si quid indies corrumpitur, sensim & paulatim per certum & determinatum locum, cui natura assuescat euacuare. Primum quidem fit missio, vt dictũ est, sanguine bis ter ve, aut quater in anno, idque præcipuè ex venis tali, vt & putredo sanguinis in vtero inhibeatur, & si quid ibidem redundat, auferatur, euocetuŕque consuetus vteri fluxus, vt minùs deinceps redundet, minuśque quod supereſt, putrefiat. Quòd si frequenter accessiones superuenerint, tutum est consilium hirudines hæmorrhoydibus affigere, donec copiam sanguinis conuenientem extrahant. Quo facto, sanguinem à recrementis & vitiosis humoribus (quibus abundare, dum vltra modum detinetur, necesse est) mundare oportet: sic etenim sanguis & semen tardiùs corrumpuntur. Id quidem primò facere tentabis leuissimis medicamentis (nam licet in melancholia, quæ in maniam degenerat, grauioribus vsi fuerimus; poposcerat id affectionis natura; etiam si vteri conditio ea renuere videretur) bis terue in anno, tum etiam frequentiùs nimirum per epicrasim; ex rhabarbaro, si iecur compatiatur, ex agarico, si ventriculus, & ex vtroque pilulis confectis, aut expressione facta, si vtrunque membrum compatiatur. Prodest & aloës lota pilularum forma exhibita, vel pilulæ ex hiera, simplici Galen. & mastiche, vel confectæ ex pari portione rhabarbari, agarici, aloës, & mastichis. A quibus purgationibus confectionem Hamech sine scammonio & colocynthide præbere per longiora interualla præstantissimum est præsidium, siue sola siue cum modico rhabarbaro aut agarico commixta exhibeatur, vel aqua lactis, aut decocto aliquo cordiali liquata. Quem etiam vsum præstat syrupus ex infusionibus vel casia fistula, cui adijciendum est aliquid eius quod calfaciendi & flatus discutiendi ac roborandi vires habeat, velut est puluis hieræ simplicis, diarrhodonis, anisi, liquiritiæ, peoniæ & similium. Verùm cùm huius & aliarũ vteri affectionum adeò sit maligna conditio, vt præterquam quòd membra nutrimentalia, & viscera omnia frequenter sibi in consensum trahat, cruditates quoque multas & varios excrementitiośque succos in vtero capite, ac reliquis membris gignat: ob id profectò vteriùs purgare aliquando conuenit, habito respectu ad aliquem humorem quem ex prædicto vitio redundare cognouerimus: vel ad aliquod ex nuper dictis membris, post habita vteri conditione: qui dum sic afficitur & semine aut sanguine corruptis abundat, rarò admittit maiora medicamenta. Sic redundante humore melancholico, vel splene affecto aliquod ex dictis pharmacis cap. præcedenti huc transferre opus erit. At redundantibus pituita vel crassis ac viscidis humoribus, facta præparatione pilulis asaieret, de hiera, de mastiche, de agarico vti tutò poteris: cæterùm parare in hoc affectu pilulas oportet sine croco, myrrha, & alijs quæ caput tentare nata sunt, sarcocola tamen & peonia omnibus admiscenda. Quod si alijs cedere affectio nequeat, ad ſtibij. g. iiij. confugiendum esse arbitror: quod quidem præsidiũ certũ & mille modis proficuũ reperies in grauioribus tamẽ ac difficilioribus epylepsijs. Sed materia vacuationi idonea reddetur melle rosaceo, hydromellite, syrupo sthœcados, aquis gallitrici, betæ, rutæ, hyssopi, vel cũ harũ herbarũ decocto, aut cum radicibus peoniæ, polipodij & acori. Quòd si serapio aliquo, quo leuiter purges, vti fuerit in animo hac lege mirabilis efficaciæ cõpones: Recipe polipodij quercini. ℥. iiij. radicis peoniæ & seminis eiusdẽ. ana. ℥. ij. gallitrici, violarię, mercurialis. an. m. j. summitatũ rutæ, pulegij, betonicæ, hyssopi. an. m. ℈. passularũ sine acinis & prunorũ. an. ℥. ij. anisi, seseleos. ana. ℥. ℈. seminis cartami contusi, & foliorum sennæ. ana. ℥. ij. florũ violarũ. p. ij. bugloſæ, anthos. ana. p. j.

fiat decoctio in lib. iiij. hydromellitis, & vna consumpta, infundantur facta expressione in libris duabus prædicti decocti, agarici. 3. vj. cũ saccharo fiat serapium addito modico cinnamomo. Quibus sanè per interualla, & vt necessitas tulerit vtendum est, ne aut sanguis aut alius quiuis superuacuus humor ea copia vel in vtero, vel proximis partibus succrescat, qua in corruptionem facilè degenerare possit.

Si semen abundet.

In qua item curatione semini prouidendum est, ne aut plurimum crescat, aut corrumpatur. Sic profecto omni arte studendum est ipsum minuere, & exsiccare cibis, potibus, & medicamentis, quæ huic vsui idonea esse. cap. de vteri suffocatione abundè diximus, non enim mei instituti est, eadem multis in partibus eiusdem operis referre. In quare statuendum est sæpius sanguinẽ esse mittendũ sed parce antè quam semen putrescat, aut putridum accessionem efficiat: nam tunc longè magis lædit, quia effrenior manet vis corrupti seminis: ante verò quo minor subsit sanguinis copia & minor fiat seminis prouentus, frequentiùs ipsum sanguinis missionibus, inedia & alijs, quæ & semen & sanguinem minuant conterere oportebit. Quod etiam de purganti vsu pari ratione subaudiendum puto.

Secunda verò curationis ratio, quam posse radicitus malum extirpare diximus, id præsidium adinuenit, quo paulatim & sensim, quæ putredini parata sunt, aut putrescunt (siquidem semen & sanguinem non succrescere interim dum fœmina iuuentute viget, est impossibile) per partem aliquam, cui natura assuescat, perpetuo fluore excernantur: id sanè præstat fontanella altero vel vtroque crure adaperta, prout iecur aut splenem consentire affectioni nobis compertum fuerit. Id que hac lege facies (vt lib. nostro de auxil. indica. cap. de fontanellis abundè dictũ est) si affectus nondum fixum & stabilem habuerit in capite epilepticum apparatum, sed vniuersa epilepsiæ ratio per consensum ab vtero sit, sat est in cruribus fontanellam aperire. Verum si aut natiuum contraxerit habitum, aut præ affectus vetustate acquisierit, tunc & in brachio & in crure aperiẽda est: illud quidem vt quod in capite indies aggregatur epileptici apparatus causa, per foramen illud expiret: hoc verò, vt ab vtero parum aut nihil ad cerebrum ascendat, retracto per cruris foramen superfluo corruptoue humore. Quod præsidium tanti semper feci, tamque feliciter succesit, vt ex grauissimis accidentibus & ex ijs, quæ nullis alijs auxilijs cedere voluerunt plurimas fœminas liberauerit: ad quod profectò tan quam ad vltimum & maximum præsidium haud frustra confugies.

Quæ discutiunt & roborant.

Verùm vt omni studio vtero tanquam membro mãdanti prouideamus, curandum est flatus discutere (huius certè mali immediati authores) & vterum consumptis humorum reliquijs roborare. Quæ sanè omnia pariter efficiunt theriaca, mithrydatum, diamos. dul. & amar. electuarium de gemmis, lætificans Rasis cũ aqua bugloſæ, capillorum veneris, vel peoniæ. Incredibili tamen efficacia prodest (& obstructionibus etiam aperiendis, vt sequenti cap. docebo) vsus lapidis bezoar appellati, præsertim si diluatur aqua vel decocto scorcioneræ. Consumit quoque reliquias, & miri est iuuamenti decoctum galli antiqui cum brasica marina, polipodio, cartamo, & passulis, vel cum decoctione peoniæ & senæ. Prosunt item tabellæ, quæ conficiuntur hac lege: recipe seminis agni casti, rutæ, anisi, fœniculi. an. ʒ. ß. pulueris ligni aloës, corticis citræ, & menthæ. ana. ℈. j. sacchari quantum sit satis, vt fiant tabellæ. Præstat non minus aqua, quæ extrahitur ex distillatione prædictorum seminum cum pugillo capillorum veneris, & radicum bugloſæ, ac scorcioneræ. Eundem vsum præstat ventrem inferiorem inungere oleis camemali,

mali, liliorum, de ruta, de baccis lauri, & alijs quæ ex prædictis seminibus & cinnamomo, anisо, pipere & caryophyllis per alembicum instillantur. Conferunt quoque emplastra pro matrice, quæ cap. de suffocatione diximus, & tu ipse reperies cap. de vteri imbecillitate: item emplastrum ceroneum per se, aut prædictis oleis admixtum: fotus etiam ex camemalo, roremarino, meliloto, adianto, radicibus diureticis, seminibus anethi, fœniculi, rutæ, agni casti, cimini, & lauri. Ventre tamen existente vacuo, hæc omnia tutiùs facies. Conducit non minus clysterium vsus, præsertim si hac lege conficias: excipe mercurialis, bliti, artemisiæ, cuscutæ, melissæ, & maioranæ, ana. m. ß. senæ, polipodij, cartami, ana. ʒ. ß. epithymi, thymi. ana. ʒ. v. seminis anethi, rutæ & agni casti. ana. ʒ. iij. facto decocto adde diasenæ, diacatholiconis. ana. ʒ. ß. olei camemali & anethi. ana. ʒ. j. misce. Quæ sanè omnia moderari & mutare facilè iuxta laborantis naturam & affectus conditionem poteris: nam hæc tantum exempli causa dixisse sit satis. Præter quæ omnia vterum expurgare oportebit suppositorijs, & pessarijs, quæ & semen corruptum minuant dissipentq; & menses moueant: quorum non paruam copiam reperies cap. de vteri suffocatione. Quo etiam in loco reperies stillatitiam quandam aquã, quam potui datam maximi esse momenti experimento didicimus.

Quæ caput respiciunt.

Capiti quoque prouidendum esse, consulit affectus ratio: nam cum vniuersa eius natura ab eiusdem actionibus conseruetur præueniaturque, dum frequenter halitus illuc peruadunt, rationi consonum est coniectari, vel ipsum fieri imbecillius, vt deinceps propria munia obire nequeat, aut resistere halitibus non valeat: vel ex eadem imbecillitate humores quoque seu excrementa praua loco alimenti conficere, quæ postmodum à leui occasione commota, etiam epilepsiam excitant. Quamobrem curandum est, vt si quid in eo adhuc, ex ijs quæ ascenderunt, superest, aut nouiter generatum est, discutiatur, excernatur ve, ac deinceps corroboretur, ne facillimè id vitium iterum admittat aut generet. Primò quidẽ prædictis pilulis vti oportebit, præsertim mastichinis, cum sine quibus, addito modico ex cochijs: vel facta leui aliqua purgatione, ijs pulueribus, tabellis, & confectionibus vti conueniet, quæ discutiant, si quid supersit, & etiam caput ipsum roborent. Conficitur autẽ puluis hac lege: R. coriandri præparati. ʒ. j. pulueris radicis bugloſæ. ʒ. ß. cinnamomi, corticis citri, seminis anisi, & agni casti. ana. ʒ. iij. ligni aloës. ʒ. j. sacchari. ʒ. iiij. fiat puluis, & misceantur, quo summo manè vtatur. Alter etiam pretiosissimus paratur hoc modo: excipe violarum. ʒ. j. cumini, carui, seseleos, ana. ʒ. ij. seminis peoniæ, seminis rutæ, & agni casti. ʒ. j. pulueris subtilissimi (aut cineris) cranei humani, vel cuculi, vel hirundinum, aut meliſſæ, vel mustellę. ʒ. iij. fiat puluis subtilissimus: cuius laborans sumat. ℈. ij. sacchari candi. ʒ. j. cũ aqua galitrici, violarum, aut graminis. Cuius etiam loco tabellas hoc modo conficies: excipe myrrhæ electæ, coralli rubei, cornu cerui & eboris. ana. ʒ. ß. seminis peoniæ maris, seminis agni casti, viſci quercini. ana. ʒ. j. cranei humani. ʒ. j. & ß. cum saccharo dissoluto in aqua rosacea fiant tabellæ ponderis. ij. ʒ. quarum vnam manè, aut vesperi fœmina ingerat. Expendendum tamen hac in re est, medicamenta in hac affectione deuoranda minimè odorata esse oportere: quippe cùm capitis grauitatem faciant, paratis ad epilepsiam paroxismum accersant. Valet quoque sicut in omni epilepsia, confectio altera ex craneo humano hac lege confecta. Excipe theriacæ smaragdorum. ʒ. j. ß. diamusci vtriusque. ana. ʒ. j. theriacæ magnæ. ʒ. j. & ß. pulueris seminis agni casti. ʒ. iij. pulueris radicis peoniæ. ʒ. iiij. pulueris cranei humani. ʒ. iij. cum serapio de sthœcade fiat confectio: præstat

Vtilissimũ comperies hoc malo, mel squillitĩ, quod instillat ex melle & squilla proiectis in vas perforatum, Soli expoto.

idem beneficium radix eringij saccharo condita & diu comesta. Ex vsu etiam est conserua, quæ recipit radicis peoniæ, & eringij prius satis decoctæ lib. j. mellis quãtum sit satis vt fiat conserua: cui adde pulueris cinnamomi. ʒ. ij. pulueris seminis agnicasti. ʒ. iij. Eandem & longè maiorem gratiam præstat confectio, quæ recipit theriacæ smaragdorum. ʒ. ij. pulueris radicis peoniæ maris & seminis eiusdem & agnicasti, an. ʒ. j. coralli rubei præparati. ʒ. ij. visci quercini. ʒ. j. pulueris vermium rubi, & succi rutæ. ana. ℈. j. cornu cerui vsti & monocerotis. ana. ℈. ij. pulueris pullorum hirundinis adustorum. ʒ. ß. rhodomellis quantum sit satis vt fiat confectio: cuius bis aut semel in hebdomada laborans sumat cocleare vnum. Item mirum in modum corroborat caput confectio alia, quæ recipit margaritarum præparatarum. ʒ. j. vtriusque coralli, zafirorum, smaragdorum, & hyacinthorum præparatorum. ana. ℈. j. seminis agnicasti. ʒ. ij. cranei humani. ʒ. j. &. ß. cinnamomi, caryophyllorũ, ligni aloës. ana. g. xv. musci, ambræ. ana. g. iij. sacchari candi & carnis vuarum passarum. ana. ʒ. j. sacchari optimi quantum sit satis, & adde pulueris coriãdri præparati, florum borraginis, bugulosæ, & violarum. ana. ʒ. j. maioranæ. ʒ. ß. pulueris papaueris albi. ℈. j. cum modico aquæ bugulosæ fiat confectio. Extrahitur quoque per instillationem gratia corroborandi caput, ac discutiendi, si quid in eo immoratur, mirabilis quædam aqua hoc modo facta: R. hirũdinũ numero. 40. castorei. ʒ. j. vini albi. lib. ij. aquæ portulacæ & borraginis. ana. lib. ß. seminis agnicasti, ʒ. iiij. coriandri præparati. ʒ. ß. conterantur omnia, ac in balneo Mariæ instillentur & aqua vsui seruetur, cuius cochlearia duo in accessione, vel extra ipsam, præmissa vniuersali prouidẽtia porrigere poteris. Vsui quoque est aqua, quæ ex theriaca magna, & eisdem rebus ac mica panis melle rosaceo imbuta, per instillationẽ extrahitur. Præstat quoque idem beneficiũ decoctũ guayaci, vel radicis chinæ, aut salsæ parellæ, additis radicibus peoniæ & angelicæ: quod sanè præterquã quod inscindit, tenuat & exsiccat, malignam quoque qualitatem retundit & frænat. Exteriùs verò puluisculos, sacculos & inunctiones admouere oportet: cuius cẽsus est puluis, qui recipit granorum myrti, & granorum tinctorum, rosarum & coriandri. ana. ʒ. ß. santhalorum ru. violarum, nenupharis, capitum papaueris. ana. ʒ. iij. florum anthos, sthœcados. ana. ʒ. ß. fiat puluis tenuissimus, quo priùs aceto irrorato & resiccato inspergatur pars anterior capitis. Alterum etiam hoc modo conficies: R. rosarũ, granorum myrti. ana. ʒ. ß. seminis lactucæ. ʒ. j. granorum tinctorum santhali ru. coralli vsti & loti. ana. ʒ. j. &. ß. caryophyllorum & ciperi. ana. ℈. ij. fiat puluis subtilissimus, qui aceto irroratus, & leuiter resiccatus vsui seruetur: ex quibus etiam facilè fieri potest pileus corroborans, additis coriandro præparato, rosis, floribus borraginis, bugulosæ & violarum, pulueribus item seminis agnicasti, rutæ, sthœcados, maioranæ, anthos, & corticum papaueris albi. Fotus non minus capiti prodesse solent, præsertim si fiant ex prædictis seminibus & herbis ac rebus, quas nuper diximus: quo sanè decocto semel in hebdomada vti non erit ab re.

Quæ cæteris mẽbris proficua sunt.

Plerunque in hoc affectu præter caput, aliud, aut plura ex visceribus vterus in consensum allicit: quo proculdubio monstrosior epilepsia efficitur: simulat enim hac de causa propriam naturam præseferens aliorum affectuum specimen. Quorum viscerum curationẽ, dum vteri consortio vitiantur, vno in capite scribere instituimus. Interim tamen expendat lector, necessum esse interpleraque medicamenta epilepsiæ proficua, alia vsui quoque esse necessaria, quæ & membrum illud à superuacuis excrementis expurgent, ac posteà corroborent: nã dum aliquod viscus affectu quouis afficitur (quantũuis per consensum sit) aliqua sibi gignit excremẽta quæ

quæ posteà nisi euacuentur, in nouum aut maius damnum prorumpunt: quamobrem, si ventriculum pati cognouerimus ex generibus deprauatæ appetentiæ, aut inappetentiæ, ex vomitu, nausea, vel singultu, purgare per epicrasim & interualla ex vsu erit, ijs quæ paulò inferiùs proprio cap. docebo, ac rursus corroborare continereque humorũ reliquias: quod pari lege de iecore & splene, ac varijs obstructionibus, & alijs quæ succrescere solent, intelligendum est.

Verùm ne quis existimet, me oblitum fuisse eorum accidentium, quæ à principio proposueram, intelligat imprimis hæc accidentia, quatenus pertinet ad vteri consensum, vnam, communemque obtinere curandi rationem: pullaq; lege, etiã si varia sint, variam exposcere medellam. Nam cùm halitus ille qui ex semine corrupto, vel aliter inquinato ascendit, vnus sit, vnam subinde tantùm expostulat curandi viam, nimirum distractionem, resolutionem & aliquando extinctionem. Quæ sanè opera eisdem omnino auxilijs fient: vel saltem leuissima facta mutatione, quam prudens & diligens medicus moliri poterit, præhabita ea fœminarum consideratione, quam ex Hippocrat. mente anteà retulimus: ob idque cognita semel affectionis natura, quæ ex vteri consortio principium sortitur, etiã si varia subsequantur accidentia, non tenemur curandi institutũ variare, quatenus pertinet ad vteri prouidentiam: ni fortè accidentium varietas ex membrorum quæ vtero consentiunt, varietate proficiscatur. Atq; id in curatione huius affectus obseruare conuenit, licet in cognitione naturæ vterinorum accidẽtium plura esse considerãda dixerimus.

De febre alba & de virginum obstructionibus.

Cap. VI.

INTER virginũ affectiones nullã profectò frequẽtiùs aut vulgariùs reperies, quã eam quæ (eo quòd proprio nomine careat) morbus virgineus appellari iure optimo potest, quia frequẽter virginibus accidere conspicimus. Appellant fanè, vt refert Ioãnes Langius, eũ affectũ Brabantinorũ fœminæ febrẽ albã, ob conspicuũ faciei alborem: quam quoq; febrem amatoriã nonnulli appellant, cùm palleat omnis amans, & color hic sit aptus amanti. Hãc etenim affectionẽ pulchrioribus fœminis plerunq; accidere certũ est, cuius rationẽ non est ita facilè monstrare, sicut neq; docere, cur etiam pulchriores frequentiùs in melancholiã, aut quartanã febrẽ, & reliquos affectus ex prauis succis ortum trahentes, incidant, cum ipsę optima temperie prædite appareãt. Cui, saluo meliori iudicio, dicimus, ea mala pulchrioribus accidere, quia quò formosiores sunt, eò temperatiores esse necessum est, & quò temperatius fuerit corpus, eò plures existunt in eo partes quæ purius ac temperatius alimentũ desiderant, si alimentum alito persimile esse teneatur. Quo fit vt residuum alimẽti deterius sit, quia quod laudabilius erat, partes ad se traxerunt, atq; superante per vniuersum corpus deterioris partis sanguinis maiore portione, mirum nõ est, si citiùs in prædictos affectus prolabantur, quã deformiores fœminæ, quæ maiorẽ deterioris humoris partem in alimentũ cõmutarunt, id ita exposcente membrorum natura, quæ nõ adeò bene temperata erat, sicut partes fœminarũ, quæ pulchriores sunt.

Ad

Ad penſum igitur redeuntes aſſerimus præcipuã huius morbi effigiẽ ac deſcriptionem eſſe, cùm faciei, genarũ, & labiorũ rubeus color, velut exanguis palleſcit, plũbeus vel ſubalbidus efficitur, ac prædictæ partes, & oculorũ palpebræ quodammodo intumeſcere videntur, ſicut & crura præcipuè iuxta malleolos, qui noctu œdemate turgent. Cõtremiſcit etiã ſic affectis ad quemuis corporis motum, triſte cor, arteriæ item temporum ſenſibiliter & non citra dolorem pulſant, in quouis corporis exercitio, præſertim ſi in accliuẽ vel arduum aliquem locum conſcendant, aut largiori corporis motu vtantur: accedit enim protinus adeò difficilis reſpiratio, vt veluti confractæ, anheloſæ & omnino impotentes ſeſe proijciant, & mouere nequeant. Quibus non minus ſuccreſcit, ventriculum cibos, præcipuè carnes faſtidire: ſic plures mœſtæ, faſtidioſæ, & veluti animi deiecti omne renuũt exercitiũ. Atque hæc eſt huius vulgatiſsimi affectus imago. Quamobrem iure optimo & virgineum morbum, & febrem albam nuncupari arbitror: quòd vniuerſa eius ratio, vt Hippocrat. lib. de virg. morb. teſtatur, conſiſtat in venarũ præcordiorũ obſtructione ob ſanguinis craſsi affluxũ, & permanſionẽ. Quũ enim virgines iã maturæ viro (aut iuniores ex eſu alicuius fæculenti aut vitioſi alimenti) ſteterint, ſuopte motu natura ſanguinem ad vteri locellos & venas ab hepate tranſmittit, & cũ ob earum oſcula, quæ propria ſorte anguſta admodũ in pleriſq; exiſtunt, & nondũ patuerũt, viſcidis humoribus etiam fortaſſe, & craſſo ſanguine obſtructa, eruptioni menſiũ nullus aut quàm minimus ſuperſit locus, tunc rurſus per venæ cauæ maioriſque arteriæ propagines inter alia membra ad quæ confluere diximus, ad hepar & præcordiorum venas regurgitat, & ibidem compreſſus obſtructionem efficiens prædicta accidentia prædictumque affectum virginibus maiori ex parte accerſit. Appellatur quidem febris alba, non quòd neceſſariò fœminæ ſic affectæ febricitent (ſaltẽ manifeſtè) ſed quòd vt plurimùm & in omnibus ſpecimen febrientium corporum præ ſe ferant. Quippe præter corporis impotentiam & mœſtitiam, pulſum etiam habent celerem & frequentem, non quidem quia calor ſemper in eiſdem creſcit, ſed quia deficit neceſſaria ventilatio, eò quòd pulſus fiat ob coarctationem parũs, cuius defectum ſupplent celeritas & crebritas: quapropter à pleriſque has fœminas febricitare fertur, licet neceſſarium non ſit: quin potius affectus ſuapte natura frigidus eſt, & ex albo colore febrem albam fuiſſe appellatam cenſemus. Itaque ex prædictis iam conſtare arbitror huius affectus naturam pertinere ad alicuius viſceris obſtructionem, ſiue iecur ſiue ventriculus ſeu ſplen ſit; vel vaſa illis proxima, aut meſereon, quod frequentiùs contingere ſcimus, vt mox docebo, ſi prius dixero qualis naturæ ſit huiuſmodi affectio.

Conſtat quidem ſuapte conditione frigidum eſſe morbum, quod ſanè præter experimentum monſtrat etiã Hipp. lib. 4. acut. nã inter alios affectus, quos ex magnis obſtructionibus proficiſci dixit, frigidum hũc quoque annumerat. Quod etiã ex eius loci ſententia Gal. Auic. & Conſtantinus, tanquam firmum & verum autumant, exiſtimantes ab huiuſmodi obſtructionibus frigidos affectus ſubſequi neceſſum eſſe: inquit enim Gal. 4. acut. Quando venę ſuperimplentur, virtutẽ corporis gubernatricem grauari neceſſe eſt, & periculum eſt, calorem congenitũ extingui, & propè ſuffocari, velut ignis nimia lignorum congerie ſuffocatur. Ex quibus euidenter conſtat, frigidum affectum ex huiuſmodi obſtructionibus proficiſci: argumento quidem ſunt accidentia penè omnia quæ frigidam plerunque atteſtantur naturam.

Differt

Differt profectò à communi omnium corporum obſtructione, quòd hæc frigidum inferat in toto corpore intemperamẽtum: nam quemadmodũ alijs partibus obſtructis defectu ventilationis incaleſcunt humores & cor, ita profectò in huiuſmodi fœminarũ obſtructionibus recrudeſcũt humores illi, ac refrigerãtur, craſſeſcunt, & impactiores fiunt, vt vniuerſum corpus ad frigiditatem moueant. Quapropter fœminæ ſic affectæ & torpent, & inhabiles ad omne opus exiſtũt (licet aliquãdo plus iuſto ipſas incaluiſſe, quòd humor ille putreſcat, cõperiamus) ac ſi moueri cogantur, ſtatim animo delinquũt, ob defectum ſpirituum & caloris, quæ neceſſaria actionum ſunt inſtrumenta. Qua ratione cenſeo huiuſmodi affectũ poſſe icterum album appellari: nam quemadmodum obſtructis ſplenis vel iecoris meatibus redundante humore atro, vel bilioſo, reliquæ icteri ſpecies fiunt: ita prorſus redundantibus humoribus crudis ac frigidis, mirum non erit, ſi vniuerſum corpus albo hoc polleat colore, qui nunc ad flauum vergat, conſentiente iecoris obſtructione, nunc verò ad fuſcum & ſubnigrantem, compatiente ſimul ſplene. Itaque conſtabit duabus rationibus, colorem in fœminis ſic affectis futurũ eſſe ſubalbidum: & quia affectus ſuaptè natura frigidus in toto corpore efficitur, & quia humores crudi & frigidi (quales ad pedes, dum œdemate intumeſcunt, prolabuntur) ac tenuiſsimi aliquando, qualis fluxilis pituita eſt, non parua portio ad cutaneas partes euolat, cuius ratione, quemadmodum in ictericis affectibus cõtingit, cutis ipſa albo colore tingitur. Diſsidet etiam hic morbus ab hyſtericis affectibus, quòd in his plerunque vterus in ſitu vel figura vitiata ob prædictas cauſas aberret, comprimatque ſubinde diaphragma, & citatiorem efficiat reſpirationem, etiã ſi fœmina quieſcat: at in febre alba frequentiùs obſtructiones fiunt extra vterum, in alijs nimirum viſceribus: ac licet difficilem efficiant reſpirationẽ, nõ obid eſt, quòd diaphragma comprimant, ſed quòd dum ob aliquod exercitium citiùs & magis dilatari conetur, & cùm nequeat plurimũ diſtendi obſtructionis magnitudine ineptius proprio muneri redditur: & ob id hæ fœminæ quieſcentes naturaliter reſpirant, motæ verò, violenter & denſè. Præterea, diſsidet à melancholia, quia in ea ſanguis efficitur craſſus & melancholicus ex aduſtione & efferueſcentia, aut putredine, ex cuius halitu melancholica prodeunt accidentia: at in virgineo morbo ſanguis fit craſſus ob frigiditatem & cruditatem. Item diſsidet ab epilepſiæ generibus, quia in his halitus ex vtero aſcendentes ex putridis, vel aliter inquinatis ſemine & ſanguine menſtruo, cauſa accidentium exiſtunt: cæterũ in virgineo morbo, non halitus, ſed ipſa humoris præſentia ac frigiditas virgineorum accidẽtium cauſa ſunt. Quòd ſi aliquando halitus quiſpiam aſcendere contingat, non venenoſus ac malignus, qualis in epilepſia reperitur, ſed vel frigidus vel caliginoſus aut craſſus exiſtit.

Licet ad veram naturæ affectus virginei explanationem cauſarum quoque obiter meminiſſe oportuerit, cogor tamen clarioris doctrinæ gratia eaſdem ſpecialiùs referre, vt facilè cuiuis innoteſcat qua curandi methodo progrediendum ſit in hoc affectu. Eſt igitur duplex cauſarum genus in hoc morbo: alterũ morbi ipſius: alterum verò ſympthomatum, quæ ipſi ſuccreſcũt. Morbum quidem, cùm obſtructio ſit, nullam aliam cauſam obtinere credendum eſt, quàm ſanguinis vel immodicam copiam, quæ ratò morbum virgineum efficit, licet illi principium præſtet: vel craſsitiem, lentorem, frigiditatem ac viſciditatẽ, quæ vel ex appetitu & eſu deterrimi alicuius alimenti ſuccreſcũt (velut eſt terra, teſtę fictiles, carbones, gypſum, cera, ſal & huius cenſus pleraque, quorum latiùs cap. ſequenti meminero) vel ex

ſuppreſ-

ſuppreſsis aut improſpere purgatis menſibus. Nam cùm vterus ſanguinis illius copiam nec recipere, neque expurgare ob innatam vaſorum anguſtiam poſsit (quod aliquando viduis vel nuptis, quæ improbè à menſtruis repurgantur, accidiſſe comperimus) ſequitur ſubinde neceſſariò ad membra vtero proxima per venas omnibus communes remeare ac remorari in eiſdem: nunc in ſolis venis, nunc facta etiam obſtructione in iecore, meſereo, ventriculo & ſplene. Et cùm prædictũ ſanguinem præ copia vaſorum, & viſcerum calorem extinguat, ipſum conficere eadẽ membra minimè poſſunt, nec diſtribuere: fit quidem, vt craſſus & crudus cũ ſuper ſit partibus diminutè ob id operantibus obſtructiones non leues efficiat. Quę ſanè partes obſtructæ, vt ad accidentium cauſas deueniamus, prædicta inferunt mala ea lege, quam Galen. recenſet lib. 3. de diffic. reſpir. dicens. Si internus tumor, aut dolor circa hypochondria conſtiterit, tunc parua & crebra fit reſpiratio. Deinde cùm cor, ſtomachus & hepar vtriuſque venæ chilis, & arteriæ ramis velut communi vinculo connectantur, his ſanè ſanguine craſſo, flatuoſoque ſpiritu & vapore refertis & obſtructis, vt eos cor extrudat, & deopilet, ne ſuffocetur, frequenti arteriarum ſyſtole & motu eluctatur, & palmo contremiſcit: quo defatigato quid obſtat (vt refert idem author lib. 4. de cau. ſympth. & 4. acut.) pulſus & ſpirituum anhelitus interceptiones coincidere, vt veluti deploratus laborans iaceat. Et ſubdit eodem lib. acutiorum. 4. Poteſt autem & multitudo & denſitas ſanguinis non modò arterias inflare & exitum obſtruere, ſed & ipſas propriè nominatas venas. Ex quibus euidenti argumento conſtat, quæ ſit difficilis reſpirationis cauſa (præter eam, quam ſuperius diximus) ac rurſus, quæ ſit frequentis, & maximè arteriarum temporũ pulſationis ratio: conatur enim cor vehementi motu quod ſibi periculum minari agnoſcit, excutere: quo fit, vt etiam arteriæ prope dorſum maximè pulſent. Ex quibus apparet non minus neceſſum eſſe, calorem præ ſpirituum extinctione diminui, & frigidos progignere humores, qui poſteà calorem extinguentes hac duplici ratione colorem ſubalbidum moliuntur, & totum corpus velut deiectum, & ad actionem quantumuis leuiſsimam impotens reddunt: ex quo item prodit, dum moueri conantur, animo ſtatim deficere præ caloris & ſpirituũ defectu. Atque hæ ſunt in vniuerſum morbi & ſympthomatum potiores cauſæ.

Signa. Signa, quibus virgineum affectum noſſe poſsimus, cenſeo in morbi deſcriptione iam dixiſſe: verùm cùm exiſtimem in rebus obſcuris & grauioribus maiori ſemper opus eſſe diligentia, hîc quoque clariùs ſcribere decreui. Eſt itaque primum ſignum, coloris genarum & labiorum rubei & roſei, in ſubalbidum aut pallidum vel plumbeum mutatio: cui aliquando in medio faciei accedit purpureus color remiſſus quodammodo: ſignum profectò ſuccenſionis eorum humorum, qui vel obſtruunt, vel obſtructione detinentur. Pulſant item arteriæ temporũ cum ipſius capitis grauitate & dolore (vel citra ipſum) præſertim in parte eius antica, niſi vterus quoque aut obſtruatur, aut compatiatur: nam eo tempore poſticam capitis partẽ dolere magis, ſuperiùs probatum eſt. Fit quidem huiuſmodi accidens, aut eo carẽt fœminæ ſic affectæ, prout ex ſuppreſsis humoribus aliquid caliginoſum vel vaporoſum caput irruit, aut ſecus. Pulſat quoque in pleriſque arteria, quæ iuxta dorſum ſita eſt, eo nimirum tempore, quo ſanguis craſſus in venis illis proximis impactus incaleſcit, vt cap. ſequenti latiùs ſum probaturus. Contremiſcunt cor & totũ corpus, tument pedes prope noctem, cùm corporis natiua vis oppreſſa, ſanguinem ſatis iam cõficere nequit. Præterea, fœminæ ſic affectæ laſsitudine maxima premuntur, ob corporis quidem grauitatem humorum oppreſsione & copia ſubortam, & ob

ob facultatum impotentiam frigiditate affectus contractam. Cibos itẽ faſtidiũt, quòd improſperam humorum ventriculus nanciſcatur diſtributionẽ, maximamque ſortiatur excrementorum copiam. Quibus porrò ſignis alia non pauca accedunt, quæ quia non in omnibus, ſed in aliquibus iuxta peculiarem cuiuſq; fœminæ conditionem ſuccreſcere ſcimus, ob id ſubticeo expendenda perito ac diligẽti medico. Verùm ex nullo alio ſigno certiorem coniecturam elicies, quàm ex menſium ſuppreſsione vel defectu, ſi fœmina iam menſtruationi apta fuerit, licet ante id tempus virgines eſui alicuius rei deprauatæ nimis deditæ non rarò prædictum affectũ patiantur. Quod ſanè malum diligentia non mediocri tractare oportet, ne aut in malum corporis habitum, vel difficilem melancholiam epilepſiam ve fœmina dilabatur, aut in ſterilitatem irreparabilẽ vtero reſiccato, ſanguine adipſum non confluente præ obſtructione.

Curandi ratio. Vniuerſam huius affectionis curandi rationem ob id difficilem eſſe arbitror, quia non eſt ſolùm eorum vaſorum quæ prope vterum ſunt, in eadem obſtructio, ſed cum hoc vel iecur, vel meſereon, vel ſplenem, & aliquando vterũ quoque obſtrui contingit: quod proculdubio monſtrare diximus cum faciei & labiorum colorem, qui ſubalbido colori adiungitur: ob id neque vna quidem erit curandi ratio neque vnus modus, neque vnica medicamentorũ natura & cõditio. Quamobrem duplex in hac re inſurgit conſideratio, altera quæ huic affectui debetur, indicatione ſumpta ab aliquo ex prædictis membris, dum ſimul afficitur: altera verò quæ communia affert præſidia, & communẽ curandi viam, vtcunque alicui prædictorum membrorum communicetur affectio.

Si iecur obſtruatur. Primò itaq; dũ prædicta vaſa vtero proxima aut propria, ſanguine craſſo implẽtur, & eodẽ facto craſsiori & frigidiori obſtruũtur, cõtingit vt in iecur hac ratione ſanguis regurgitet, ibidemque etiam obſtructionẽ moliatur. Quod ex colore pallido, vel malicorij, vt refert Hippocr. lib. de internis affectionibus, perſimili cognoſces, ſicut ex dolore ſub vltimis coſtis dextri lateris, & in humeris & clauicula & ſub mammis: ex bilioſis vomitibus, & præcipuè ex difficili reſpiratione, ſi ſuper ſiniſtrum latus laborans decumbat. Quem affectum vbi cognoueris, mox curare, vt reliquos virgineos affectus docet Hippoc. lib. de virg. morb. ſanguine miſſo, nõ tamen protinus ex talo quantũuis menſes ſuppreſsi fuerint: coniectabile enim eo tempore eſt, ſanguinem potiſsimum redundare in vniuerſo corpore & partibus iecori proximis. Quocirca neceſſum eſt conſilium ſequi Hippocrat. lib. de intern. affect. qui ſanguinẽ extrahere protinus iubet ſecta interna cubiti vena: nam ſi ante id opus ſanguinẽ ex talo mittere ſtudueris, maiores neceſſariò efficies obſtructiones, euocata ad vterum & venas obſtructas totius corporis plenitudine. At ſanguine ſemel aut bis, ſi laborantis vires tulerint (quod fœminas ſic affectas certũ eſt poſſe incipiente affectu perferre: nam dum inueteratur, & corpus frigidius efficitur, purgatione potiùs, quàm ſanguinis detractione copioſiore opus habẽt) extracto, mittes deinceps ex talo ſanguinẽ, donec corpus à ſuppreſsi ſanguinis ſarcina liberatum fuiſſe conſpicias. Quod etiam facies victu parciſsimo & tenuiſsimæ ſubſtantiæ inſtituto.

Verùm in huiuſmodi curatione ea medicamenta adhibenda ſunt, quæ præter hoc quòd menſes euocare poſsint, iecoris quoque naturã & obſtructionem reſpiciant: in principio quidem curationis adhibitis in maiori copia & maiori diligentia quæ obſtructa vaſa & iecur reſpiciant: procedente verò affectu his diminutis, adauctis tamen quæ menſes euocent. Hoc vnò in hac re adſeruato, quòd ea quæ

menſes euocãt non licet adhibere,niſi conſueto menſtruationis tempore,ſi id haberi poteſt:ſin aliter,quo tempore fœmina maiores perſentiſcit circa vteri partes dolores maioremque grauitatem.Primò itaque in hoc & ſimillimis affectibus neque confertim,neque plurimum purgabis,vt abundè dictum eſt lib.noſtro de præſid.indica:quippe obſtructa corpora etiam ſi humoribus abundent, magnas purgationes perferre non poſſunt:quòd viæ maximã humorũ copiã capere nequeãt, quin potiùs obſtruantur magis.Nec rurſus coctionem humorum inſpicies neque expectabis:nam humores qui obſtructionem moliuntur, concoqui minime poſſunt. Qua in re his pharmacis primò vtendum eſt,quæ craſſos humores attenuare,viſcidos inſcindere,frigidos calfacere nata ſint.Quod ſanè opus neque diu, neque ſemper facies,ſed per interualla,& facta interim leuiuſcula purgatione, quæ quod attenuatum eſt expellat,dum amplius attenuatur.Atqui quò magis attenuari humores cognoueris ex craſsiore & coloratiore vrina, eò frequentiùs purgationibus vti oportebit:addito plerunque medicamẽtis purgantibus aliquo ex ijs, quæ attenuant & inſcindunt,vt vtrumque opus ſimul perficias .

Itaque primitùs in ipſo curationis exordio,leuem quandam purgationem ex caſia,manna,vel ſyrupo ex infuſionibus præmittes,ne ſi cruditates aliquæ in ventriculo ac primis venis ſteterint,ſanguine miſſo crudiores fiãt,vel ad maiora vaſa deferantur, aut inſcindentibus & attenuantibus admixtis ad loca obſtructa deuehi protinus contingat.Deinceps tamen ſyrupum hac lege confectum porriges:excipe ſucci cichorij clarificati.ʒ.x. aquæ hordei.ʒ.viij. ſucci granatorum.ʒ.iiij. mellis lib.j.aceti ad guſtum,fiat ſyrupus,cui adde cinnamomi parum,& eo vtatur manè laborans cum aqua fumariæ,radicum aperientium, graminis vel adianti. Tranſactis autem quatuor aut ſex diebus,& facta leui aliqua purgatione ex ijs,quas inferiùs recenſebo, ad paulò efficaciora progrediendum eſt, quale cenſemus medicamẽtum, quod recipit ſucci intibi decocti & depurati. ʒ.j.oxiſaccharæ ſimplicis.ʒ.ij. decocti radicis filicis, & ſeminis ſecuridicæ. ʒ.j.& ℈.Proſunt item communes ſyrupi,vt oximel diureticum,ſyrupus acetoſus de quinque aut duabus radicibus,de biſantijs,& oximel ſimplex . Quibus adhibitis iterum iecur purgabis,& tandem deuenies ad vſum ſyrupi maioris efficaciæ,qui recipit adianti,lapati,lentiſci,& rutæ.ana.m.℈.quinque radicum diureticarum,radicis acori & gladioli. ana. ʒ. ℈. quatuor ſeminum frigidorum maiorum. ʒ.ij. ſeminis apij,fœniculi,petroſelini,& aliquando macedonici. ana. ʒ.ij. chamædryos,& chamepythios, valerianæ.ana. m. j.hordei mundi. p. j. infundantur radices & ſemina per noctem in aceto , & fiat poſtea decoctum in aqua ſufficienti,cui percolato adde mellis quantum ſit ſatis, vt fiat ſyrupus, cuius quantitas ſit.ʒ.iij. Sed mihi probatiſsimus eſt in hac re ſyrupus , qui excipit ſucci eupatorij. ʒ. x. decoctionis ſthœcados radicis rumicis, acori,aſari,apij,caſiæ ligneæ,ſeminis viticis,dauci , lupinorum , floris iunci odorati, centauri , abſynthij, hyſſopi , & cicerum . ana . ʒ.℈. coquantur, vt ars docet,& colaturæ adde mellis & ſacchari quantum ſufficiat vt fiat ſyrupus,qui mihi ad prædicta opera & menſes euocandos maximi ſemper ſteterit momenti. Vtor quoque decocto veteris galli cum prædictis rebus, vel aliquibus earum,additis paſſulis ſine granis & cartamo. Poſſunt non minus confici aliæ potiones ſimpliciores, quæ recipiant radicis rubiæ maioris, gentianæ & acori,& radicis capparris.an. ma.℈. temperentur in aceto albo per noctem , & poſteà coquantur aqua inſtillationis graminis, bruſci, & aſparragi ad tertias , quibus adde paſſularum ſine granis. ʒ.j.& facta colatura adde mellis & ſacchari quantum ſit ſatis. Poteris etiam inſpe-

inſpecta ſemel medicamentorum huic vſui conuenientiũ natura,varios cuiuis parare potus:cuius gratia expẽde eis materiã præſtare cortices radicis capparris, bruſci,aſparragi,ſalicis,graminis,apij,cichorij,ſcariolæ:item hepaticam,adiantum, ſemen maratri,cinnamomum,& ſpicam,ex quibus iuxta diuerſitatẽ indiuidualem varia effinges huic vſui medicamenta.

Sed quarto,quinto aut ſexto quoque die porrigere opus eſt,quæ abſtergẽdi & repurgandi infarctos meatus vires obtineant.Mihi tamẽ in principijs curationis antequam affectus in vetuſtatem degeneret,placuit ſemper dilutũ ex decoctione radicis rubiæ & acetoſæ. ana. m. ℈. rumicis. ʒ.j.decoquantur in aqua ſtillatitia adianti & graminis,cuius cum ſaccharo , vel melle aut paſſulis facta iterum leui ebullitione. ʒ.iiij.porrige.Eſt in hoc affectionis genere etiam præſentaneum auxilium rhabarbari dilutum in prædictis aquis expreſſum,vel in aqua cichorij,aut in ſero lactis,ſi caloris aliqua præſit ſuſpicio:ſit quidem rhabarbari quantitas. ʒ. ℈. vel ʒ.j.Prodeſt decoctum eupatorij & graminis cum cartami.ʒ.j.&. ℈. vel ſuccus eupatorij cum agarico,aut cartamo, quod antiqui plurimum probarunt. Eundem quoque vſum præſtat ſyrupus cichorij compoſitus,vel idem rhabarbari infuſum cum.ʒ.ij.ſucci vel ſyrupi cichorij ſimplicis,quibus admiſcere agarici. ʒ.j. vel ʒ.℈.ex vſu ſemper fuit,præſertim dum craſſorum & frigidorum copiam ſupereſſe conſtiterit . In ijs verò fœminis , quæ robuſtioris naturæ ſunt, dilutum pſeudo rhabarbari in aqua cichorij vel graminis incredibilis eſt efficaciæ tertio quoque die exhibitum,ſicut ſyrupus de eupatorio duplicato rhabarbaro,aut ſimplex.Confert etiam pilularum vſus,& earum præſertim,quæ recipiunt rhabarbari. ʒ.j. agarici.ϑ.ij.diagridij.g.iiij.formentur quatuor pilulæ, quarum vnam tertio quoque die porriges. Præſtant quoque & maximè ſunt proficuæ,quæ ex puluere pſeudorhabarbari,rubiæ & acetoſæ cum oxymellite conficiuntur,quarum.ʒ.j.& ℈.ſemel in hebdomada porriges,vel.ϑ.ij.tertio quoque die.Quibus porro omnibus medicamentis & ſyrupis neceſſum eſt addere roborandi & repurgandi iecoris gratia aliquid eorum,quæ id poſſunt, cuius naturæ eſt trochiſcus de eupatorio,dialacha, diarrhodon,trochiſcus de rhabarbaro,de abſynthio,vel diacurcuma . Verùm ex ijs eligenda ſunt minùs guſtui ingrata,minùſque calida,ne cæteris viſceribus noceant.Poteris inſuper(haud inutiliter)porrigere opiatam,quæ recipit conſeruæ radicis apij , florum acori,& adianti.ana.ʒ. ℈.pulueris diarrhodonis,trium ſanthalorum.ana.ʒ.ij.trochiſcorum de eupatorio.ʒ.j.cũ ſyrupo de biſantijs fiat opiata. Cuius capiat quantitatem.ʒ.ij.poſtea bibat aquam ſtillatitiam radicum apij,& graminis:quorum omnium maiorem copiam reperies,& veram vtendi methodum lib. 2.de præſid.indica.cap.de aperientibus.

Verùm obſeruare in hac curatione perpetuò oportet,maximè fore proficuum præmiſſa purgatione(ſi fœminæ habitus non fuerit euidenter refrigeratus) ſanguinem ex ſaluatella mittere , præſertim ſi calorem vigere in viſcere perſentiamus. Quòd ſi aliquando menſes inceperint,vtile quoque erit eoſdem ſanguine ex talo miſſo euocare. Quibus factis,iecur & partes prope vterum inunges vnguento, quod recipit olei nardini & amygdalarum amararum.ana. ʒ.ij. ſucci apij. ʒ. j. coquantur ad conſumptionem ſucci , & adde ſpicæ nardi , ſquinanti , & aſari. ana . ʒ . j . ſeminis apij , petroſelini , cyperi & roſarum . ana . ϑ. ij . ceræ quantum ſit ſatis , vt fiat vnguentum addito modico aceto . Aliud item conficies, quod recipit ſuccorum apij,petroſelini,fœniculi,ſenecionum,& cichorij.ana.ʒ.j. aceti.ʒ.℈.olei.ʒ.iiij.olei abſynthij.ʒ.j.℈.bulliant omnia ad conſumptionẽ ſuccorũ,

poſteà adde ſanthalorum omnium & ſpicæ. ana. ℥.ß. ceræ quantum ſit ſatis,vt fiat vnguentum . Proſunt non minus emplaſtra, quæ recipiunt pulueris camemali, meliloti, abrotoni, ybæ.ana.℥.j.ſeminis apij,amæos,abſinthij.ana.℥.ij.ſpicæ. ℥.j. diſſoluantur in ſucco fœniculi & fiat emplaſtrum.Cui quoque vſui fomentum parabis ex oleis cum modico aceto, vel ex decocto prædictarum herbarum, radicum & ſeminum cum modico aceto: quæ omnia paulatim & per interualla adhibenda ſunt, ac repetitis alijs quæ aperiendi & repurgandi iecur vires obtinere diximus. Interim tamen paulatinis vteris ex rhabarbaro & agarico purgationibus, quibus profectò vtrumque adimplebis ſcopum: nã & infarctos humores purgant,& viſcidos ac adhærentes abſtergunt,& ob id deobſtruunt & infarctu liberant.

Si ſplẽ obſtruatur. Sanguine quidem(vt dictum eſt) improbè ad vterum deſcendente & ob id redundante,faciliùs longè ſplenẽ repleri & obſtrui cõtingit in prædictis virginibus, quàm quoduis aliud viſcus:nam præter id quòd vitijs fermè eiſdem lien tentatur, quibus hepar,frequentiùs tamen obſtructione(propter alimenti,quod attrahit ſpeciem,ac dum accidit, copioſiorem inſuper & craſsiorem eſſe ſanguinem) corripi, vel ſcirrho proculdubio affici contingit: quod nulla cauſa citiùs euenit, quàm menſtruis vel hæmorrhoydibus ſuppreſsis. Quò fit profectò, vt prædictæ virgines quibus menſes non probè prodeunt, propter communem venarum obſtructionem ſplenis quoque frequentiſsimam ac non leuem patiantur.Quam præter id quod ex lateris ſiniſtri tumore oblongo tactui manifeſto dignoſces,mõſtrat etiã illius lateris grauis dolor ad iugulum ſiniſtrum veniens, difficultas reſpirandi,color faciei & totius corporis ſubniger & plumbeus,halitus item fœtidus . Aluus etiam ſic affectis aſtringitur,& aliquando nigra excernit,corpus nonnihil emaciatur, triſtis eſt fœmina & cogitabunda, ac faſtidioſa, cui noctu erumpit ſudor grauis, & venæ ad lienem nigricant.Quæ omnia ex Hippocr. videntur conſtare lib. de intern.affect.per hæc verba . Alius ſplenis morbus fit in anno, veris maximè tempore,verùm à ſanguine:cum enim repletus fuerit ſplen ſanguine, erumpit in ventrem,& dolores acuti in ſplenem & incidũt,& in mammam,& in clauiculam, & in humerum, & ſub ſcapulam:color autem corporis eſt plumbiformis. Tãdem recenſet alia ſigna,quæ retulimus, & exiſtimat eſſe grauiſsimum affectum , quod ego intelligendum arbitror,dũ in inflammationem commigrat,aut in difficultatem inteſtinorum.Quibus præmiſsis,ſcito,lienem coaffici ex mẽſium ſuppreſsione ſimul cum venis vtero vicinis:quæ ſanè cauſa eſt,vt difficulter curentur fœminæ ſic affectæ : nam preſsiores & grauiores fiunt ex melancholico ſanguine obſtructiones,& curatu difficiliores. Quapropter maturo conſilio & maxima diligentia curandum eſt, ne laborans vel in icterum nigrum, vel in melancholicum corporis habitum,aut delirium degeneret: quod ſic affectis accidiſſe frequenter conſpicimus.

Curandi ratio. Primum itaque curantis conſiliũ ſit,ventrem caſia,vel mãna,vel catholico aut confectione Hamech ſimplici emollire: quod licèt alijs pharmacis.Hippocra.loco citato efficere docuerit,hæc eſſe vſui probatiora certum eſt : à quibus mox ſanguinem eſſe mittendum ex ſiniſtri brachij baſilica conſulit,vel ſi placuerit,ex eiuſdem manus ſaluatella,parcè tamen. Quippe copioſas ſanguinis detractiones minimè perferunt ſplenis affectiones: menſtruationis tamen tempore tutiſsimum, quinimò neceſſarium mihi videtur , ex ſiniſtro talo ſanguinem quoque mittere Verùm ſi menſes ex ratione non prodierint, vtilius longè fore exiſtimo per hæmorrhoy-

morrhoydes fæculentum illum ſanguinem deponere , quibus quod ſupereſt, euacuamus, & ab vtero & venis ipſi proximis,& ab ſplene ipſo deriuatorie diducimus.Nec deſunt quidem qui inter antiquos venas poſt aures ſcindant, & ſanguine, qui affluxit,lienem inungant,ſine ratione quidem, ſed non ſine periculo. Veteres enim naturali quadam ratione atq; beneficio conſtante crediderunt, ſuperfluum ſanguinem languenti membro præſtare medicinam:quod ſane veterinarij medici recenſent,& exequuntur.Cæterùm conſtat certo experimẽto venas apertas,quæ ad lienem nigricant in inueteratis lienis affectionibus maximè profuiſſe.Quibus venis incredibili efficacia proſunt hirudines affixæ,aut cucurbitulæ cum ſcarificatione:quæ auxilia vacuato ſatis corpore velut topica ſunt adhibẽda. Quo facto maximo ſtudio humorem leniter & blandè , ſed perſeueranter attenuare oportet: nam validiora medicamenta ſubitò,confertim, vel ſola exhibita, plus humorem reſiccant,durioremq; reddũt,quàm quòd tutò emollire poſsint: quamobrem paulatim & paulò validioribus purgare oportebit . Proſunt itaque primò mellicratum,& potiones ex prunis damaſcenis,paſſulis,& radicibus capparorum(nam quale eſt hepati abſynthium, tale eſt lieni cortex capparis, & quale eſt hepati eupatorium,tale eſt lieni ſcolopendrium)ſemine agnicaſti, adianti, radice tamariſci,& ſeminibus illis maioribus ac minoribus:cortice itẽ,& radice falicis,geniſtæ,fragini, & alijs quæ ad hepar dicta ſunt.Sed conficies imprimis mellicratum hac lege,corticis radicis capparis. ℥.iiij.polipodij.℥.ij.paſſularum ſine acinis.℥.j.prunorũ,num.x.fiat decoctum ad tertias,& facta colatura diſſolue mellis.℥. iiij.Quo facto,primæ purgationes ſint ex epithymo,folijs ſenæ,& hiera Gal.vel ea quæ ex deſcriptione Pachij apud Scribonium legitur,atque etiam alijs quæ cap.de virg.melanch.dicta ſunt.Sed progrediendum vltra eſt in materiæ extenuatione: cui ſummopere conducit aqua,quę è cotibus defluit,cùm acuũtur enſes cũ melle, præſertim ſi in ea efferueſcat aliquod ex prædictis medicamentis: prodeſt & ſyrupus acetoſus, adianti, & de pomis cum prædicta aqua exhibitus. Laudatur & vſus capparorum ex oleo & aceto,verùm in fœminis admittendus non eſt ſine delectu.Quòd ſi vti velis, hac lege parabis:excipe capparorum lib. iij. paſſularum ex Corinthio,ſi haberi poſſunt,lib.j.reponãtur in lib.j.ſacchari fuſi aqua borraginis cum.℥.ß.ſcammonij in vaſe, cui adde aceti modicum,qua lege tutò eis vti poteris. Itaque valentiora conueniunt medicamẽta quàm in hepate. Flatus etiam diſcutientia,mollientia & apperientia, vt tamariſcus,ebuli,puluis ſcolopẽdriæ, brionia, cortex hederæ, oxymel ex radicibus, aqua graminis,lupulorum, borraginis, ſyrupus de ſcolopendria,de biſantijs, de epithymo cum aquis prædictis, vel decocto aliquo pro ſplene, vt fumariæ,& gallitrici,additis pauco cinnamomo, ſanthalis,& alijs, quæ licet vrinas moueant, huic quoque vſui vtilia ſunt .Nam licet diuretica non ita proſint,quia à liene ad renes non ita comparata via eſt, tamen experimento didicimus lienem per vrinas non rarò ex purgari:præter quàm quòd ea etiam alia ratione iuuare poſſunt,nimirum quia attenuant & aperiunt: quod Hippocrat.etiam lib.de intern.affect.conſuluerat. Sed expendat hac in parte lector,aliud eſſe ſplenem obſtructum ſimpliciter curare,& aliud eſſe id munus exequi in fœminis menſtruo ſuppreſſo:nam cautè & blandioribus vtendũ eſt ijs,quæ vehementiora ſunt admixtis.Purgare item per interualla neceſſum eſt, & eiſdem prorſus medicamentis quæ adduximus cap.de virg.& vidu. melan . quamobrem conſultò ea hac in parte prætereo.Sed arbitror hîc quoq; prodeſſe,inueterato iam affectu,ſtibij præparati.g.iiij.porrigere.

Cæterũ quia & flatus & rugitus, & aquæ fluctuationes torquere huiuſmodi fœminas non rarò aſſolent (partim ex indebito vitæ inſtituto, partim ex ipſa malitura, ita vt ſplenis & meſerei inflationem non leuem æmulentur: quod debito vitæ moderamine mox ſubſidet, remanente parte obſtructa, aut ſcirrhoſa in antiqua duritie) præter dicta medicamenta clyſterium vſum tanquam maximè proficuũ laudo, præſertim ex decocto capitis veruicini cum herbis ac ſeminibus prædictis. Sed adhuc longè vtilioraſunt quæ exteriùs adhibentur pharmaca, non ſolùm id boni præſtantia, ſed magnos etiam lienes abſumentia. Imprimis tamen ventrem inunges & ſplenem: quippe huius durities mollientibus, inſcindentibus & reſoluentibus curanda eſt, aſtringentia quoque admouenda, vt inde viſcus roboretur, iuxta leges adductas lib. de præſid. indica. cap. de emollientibus. Primitus id facies vnguento, quod recipit, olei de capparris. ℥.j. medullæ vituli, pinguedinis anatis, ammoniaci in aceto diſſoluti. ana. ʒ.ij. aceti. ʒ.j. ceræ quantum ſit ſatis vt fiat vnguentum. Sed pretioſius conficies, ſi exceperis medullæ cerui, aut cruris vituli, butyri recentis, olei de capparris, ana. lib. ß. ammoniaci in aceto liquati. ℥.ij. aquæ roſarum. ℥.iiij. coquantur ad conſumptionẽ prædictæ aquæ in balneo Mariæ, quo deinceps inunges lienis regionem leui manu perfricante. Conferunt etiam communiter indurato ſpleni radices lilij, maluæ, branchæ vrſinæ & ſquillæ, ſed radices in oleo & vino ad conſumptionem vini ad formam emplaſtri impoſitę: in reliquis verò ſufficit ſola olei inunctio, ſi minnùs robuſtæ fuerint. Minuit lienem nõ minùs ac ipſum aperit vnguentum, quod recipit ſucci ſummitatum ſambuci, olei cappar rorum & dialtheæ. ana. partes æquales, ceræ quantum ſit ſatis. Præſtat idem beneficium id, quod recipit radicum & foliorum miricæ. ana. p.ij. infundantur in aceto, & ferueant, donec remaneat ſola tertia pars, tandem facta colatura & expreſsione adde tantundem olei capparrorum, & iterum bulliãt, donec euaneſcat acetum, & cum cera fiat vnguentum. Valet item aduerſus lienis tumores & obſtructiones aliud, quod recipit, mucaginis altheæ & ſeminis eius extractæ in vino albo. ℥.j. olei capparrorum. ℥.j. &. ß. adipis anatis. ℥. ß. pulueris ceterach. ʒ.ij. & fiat vnguentum. Item aliud conficies ſi acceperis, olibani, ammoniaci. ana. ℥.j. diſſoluãtur in aceto ſquillitico ad craſſitudinem, deinde cũ ſucco braſicæ piſtentur, & fiat emplaſtrum. Cui conſimile efficies, ſi acceperis ammoniacum, & oleum roſaceum, amygdalarum dulcium, de lilijs, de cucumere aſinino, & id in quo ſcolopendrium incoxerit, & oleum de capparris, vt cũ ficubus pinguibus quantum cuiuſq; ſit ſatis fiat emplaſtrum, addita dialthea. Confert emplaſtrum melilotum, aut diaquilon vel hyſſopum cerotum cum mucillaginibus radicis altheæ, lini, & fœnugræci. In viraginibus autem & robuſtis fœminis ſæpe ſplenis duritiẽ, vbi alijs præſidijs emollita quodammodo fuerit, auferunt lapis molaris, pyrites, lateres, vel lapis alioqui duriſsimus, vbi aceto acerrimo candentes extinguantur, & vapor per infundibulum ab ſplene ſuſcipiatur. Conferre item ſummopere mihi eſt relatum linctum ex adipe ſtruthij camelli, quo nullum efficacius ferunt remedium reperiri.

Quòd ſi inueterauerit affectus, in ſcirrhumque degenerauerit, tẽpeſtiuè curare ſtudebis, ne maioris mali, vt cachexiæ vel hydropis ſit præludium. Quo tempore inſcindentia magis, tenuantia, emollientia atque diſcutientia parti adhibenda ſunt, veluti eſt fotus, qui recipit radicum cucumeris agreſtis, altheæ, & liliorũ. ana. ℥.j. corticũ radicis capparri & tamariſci. ana. ℥. ß. maluæ, biſmaluæ, ſcolopẽdrij, abſynthij. ana. m.j. ſeminis fœniculi, lini & fœnugræci. ana. ℥. ß. florum camemali meliloti

meliloti & geniſtæ. ana. p. ß. fiat decoctum in vino albo & aqua cum modico aceto: quo tertio vel quarto quoque die partem fouebis, & mox cataplaſma parti impones, quod recipiat farinæ ſeminis lini & fœnugræci. ana. ℥.j. & ß. farinæ lupinorũ ℥.j. pulueris radicis ireos & tamariſci. ana. ʒ.ij. adipis vituli & aſungiæ cuniculi. ana. ℥.j. olei capparrorum quantũ ſit ſatis, vt fiat cataplaſma cũ modico ſuperioris decocti. Verùm ſi id diſplicuerit, imperabis linimentum ex mucilagine ſeminis fœnugræci extractæ aqua ſcolopendriæ menſura. ℥.ij. cui addes olei capparrorum & liliacei. ana. ℥.j. ammoniaci in aceto & aqua diſſoluti. ℥. ß. pulueris radicis brioniæ & ireos. ana. ʒ.ij. cum cera fiat linimentum. Quibus porrò omnibus medicamẽtis ſemper aliquid admiſcebis eorum, quæ menſes mouere nata ſunt: habita tamen fœminei ſexus conſideratione, qui & mitiora & mitioribus admixta expoſtulat medicamenta, per interualla & à leuioribus facto exordio.

De meſereo et vẽtriculo obſtructis.

Solent quoque non rarò virgines fœminæ, ex prædictis menſium vitijs, vel ex vſu prauorum ciborum, quod frequentiſsime virgines perdere ſolet, grauiſsimas pati in ventriculi & meſerei venis obſtructiones. Nam ſanguine ab vteris regurgitante venas meſerei, iecori & ventriculo communes, ac proximas repleri & obſtrui neceſſum eſt: ex quarum obſtructione finitimus ſuboritur affectus ei, quem in hypochondriaca melancholia reperiri diximus. Quippe in vtroque affectu venæ proximæ & communes ventriculo & hepati, quas meſereum membrum obtinere diximus, obſtruuntur. Cæterùm diſsidet virgineus affectus ex hac cauſa obortus ab hypochondriaca melancholia ex eadem quoq; proficiſcente, quòd in prædicta melancholia ſanguis ille craſſus dictis venis impactus, exuritur & efferueſcit: ex cuius halitibus caput & cor tentantur, fiuntque ſubinde melancholici terrores & mœſtitię. At in morbo virgineo, licet in eadem parte ſanguis ſit impactus, refrigeratur, & recrudeſcit, ac vniuerſum affectum generat frigidum: ita vt à ventriculo & hepate crudum ſubterfugiat alimentum, quòd prædictarum obſtructionum cauſa diſtribui minimè poſsit: quo fit, vt ſubalbidus ille color in facie & tota cute efflореſcat, ſoboles quidem, & euidens ſignum crudorum humorũ & obſtructionis. Dignoſces eiſdem partibus obſtructiones ineſſe ex vomitibus pituitoſis, ex frequenti nauſea, & ciborum inappetẽtia, vel deprauatorum alimẽtorum appetitu aut eſu, anxietate & præcordiorum tenſione præſertim à cibo, ex animo itẽ magis deiecto & mœſto, ex vrina alba & copioſiori: item quia ſic affectæ falſa ſiti premuntur. Pulſat quidem in his minùs caput, ſed grauiùs & diutiùs dolet, tumẽt etiam oculi magis & tota ferè facies.

Curandi ratio.

Cui ſanè affectioni medeberis, primò (præter obſeruatiſsimam vitæ inſtitutionem quæ nihil crudum efficiat) ſanguine miſſo, haudquaquam ex brachio, ſed ex talo ſemel aut bis: nec tantũ extrahes, quantũ, in reliquis obſtructionibus. Quòd ſi hæmorrhoydes vel ſuppreſſæ fuerint, vel aliquando profluxiſſe comperiamus, ab eis ſanguinem detrahes, præſertim ex illis quæ cum meſereo maiorem habent communionem: quas cenſeo eſſe interiores, quæ venarum meſeraicarum ſanguinolentæ propagines ſunt. Quo facto, antequam peculiarem menſium prouocationem, aut humoris vacuationem moliaris, ſcito has fœminas poſſe ac debere curari per vomitus, quibus leuiſsimis auxilijs ſemel aut bis in hebdomada prouocatis (dum non inſtet menſtruationis conſuetum tempus) blandè ac leniter per interualla ventriculũ & meſereon per infernam aluũ purgabis, non caſia, ſed alijs, quæ minùs flatuoſa exiſtant. Præſtant quidẽ hunc vſum catholicon, ſyrupus ex infuſionibus roſarũ, agaricus, pilulæ de maſtiche, de agarico, de aloë, de hiera Galen.

quibus per interualla ventriculū purgabis: ac inter vnā & alteram purgationem miniſtrabis ſyrupum de biſantijs, adiāti, epithymi, de duabus radicibus & de quinque cum modico aceto: mel item roſaceum, & oxymel ſimplex cū aliqua ex ſupradictis aquis vel decoctis. Ex vſu interim eſt per eadem interualla dilutū agarici & foliorum ſenæ in aqua graminis præbere, vel frequenter vti pilula vna maſtichis & pulueris hieræ Galen. vtiliſsimus quoque eſt ſyrupus tertio vel quarto quoque die doſi. ℥. ij. exhibitus, qui recipit quidem mercurialis, bugloſæ. ana. m. j. paſſularū ſine granis. ℥. j. ſenæ orientalis, & medullæ cartami, ana. ℥. j. & ℈. agarici trochiſcati & ligati ſex horarum ſpatio. ʒ. iiij. fiat decoctio ſecundum artem, & facta colatura adde mellis & ſacchari quantum ſit ſatis, vt fiat ſyrupus. Quibus profectò factis, ad ea quæ menſes mouent te conferes, ſed interim in deobſtruendis & corroborandis ventriculo & meſereo immorandum eſt vnguentis ex oleo cappararum, de abſynthio, & nardino cum modico vino ac pulueribus diarrhodonis, & alijs quæ ſuperiùs retulimus, & cap. de ventriculi accidentibus paulò inferiùs monſtrabo. Sed oportet proculdubio huius cauſæ & affectus maximam habere prouidentiam, vt qui frequentiſsimè accidat & difficulter curetur, quòd ventriculus ciborum officina ſemper obſtructionibus fomentum præſtet, & accidentiū cauſam adaugeat.

De vteri obſtructione.

Vteri verò obſtructiones curare diſces, dum virgineus affectus ab eiſdem ſolis proficiſcitur, cap. de menſium ſuppreſsione. Quam ſanè cauſam ex priuatione ſignorum aliarum cauſarum facilè dignoſces: quamobrem hac in parte ſuperſedendum eſt ab eius peculiari curatione.

De auxilijs, quæ proficua ſunt omni bus cauſis huius affectus.

Sunt quidem præter dicta auxilia quæ ſingulis virginei morbi cauſis proficua eſſe diximus, alia non pauca, nec parui momenti quæ omnibus cauſis vtilia experimur: veluti exercitium: pilularum quæ obſtructiones aperiunt & repurgāt quod in vijs infarctum eſt vſus, etiam potiones quę id quoque efficiunt, lapis bezoar, & vſus radicis ſcorcioneræ. Inter quę maiori efficacia beneficium præſtat chalybs præparatus, præſtantiſsimum alioqui auxilium. Quæ ſanè omnia, licet virgineo affectui à quacunque cauſa prodeat proficua ſint, modus tamen & differentia cauſæ non paruam in aliquibus conſtituunt differentiam, vt tota ferè ſanitatis ratio in eius cognitione & prouidentia conſtituta ſit. Sed in primis expendiſſe oportet vſum chalybis non eſſe temere & protinus à principio aggrediendum. Quippe in his quæ ſic curantur, ocyſsimè malum reuertitur. Sed conſiderandum eſt, num affectio firmata in aliquo viſcere ſit, & obſtructio iam facta, ita vt colorem vitiet & actionē lędat. Quod ſi ita ſit, nō omnino poſthabita vteri prouidentia (vtpote à quo affectus oriatur) poteris quidem chalybe vti & alijs quæ vehementer deobſtruant: nam præualet meſerei, iecoris aut ſplenis obſtructi indicatio ei quæ ex vtero prodit. Verùm ſi horum membrorum non fuerit ita facta ac inueterata affectio, vt ex optimo fœminæ colore conſtabit, conijciendum eſt vterum malè affici, & ab auxilijs ipſi proficuis incipiendum eſſe, ab ijs quidē quæ ſimul deobſtruant & liquida ſint, ac affectui vteri ſiue ex retento ſanguine aut ſemine prodeat, correſpondeant. Nam concuratio ea optima eſt quæ à cauſa & affectus principio initium ſumit: ob id vtero primò prouidendū eſt, & mox affecto membro.

Exercitiū itaque omnibus partibus obſtructis proficuum eſſe experimento & ratione confirmatum eſt: nam triplex præſtat beneficium in hoc opere, dum ſanguine priùs miſſo & leui aliquo expurganti exhibito fit. Primum quidem excitat viſcerum

viſcerum & omnium partium calorem: quo fit, vt ſi mox ab eo laborans quieuerit, crudorum ſuccorum coctiones proſperè admodum fiant. Quo ſolo præſidio plures fœminas ex grauiſsimis obſtructionibus liberatas vidimus. Secundum etenim humorum commodam diſtributionē ab exercitio in eodem optimè molitur natura: quippe dilatatis ex calore partibus, peruiæ facilè fiunt ad eam humorum diſtributionem, cui antea nullus aderat locus: qua in re ab exercitio non licet deſiſtere, donec parum ſudare cœperint fœminæ: nam id eſt euidens ſignum factæ ac fientis diſtributionis. Tertiū quidē aperientibus pharmacis viā parat, ea namque minimè poſſunt ſua ſponte partes peruadere abditas, licet ſibi ſint familiares, vt de ſcolopendrio & eupatorio dictum eſt, niſi quodammodo dilatētur: quas proculdubio calor exercitij adeò patulas reddit, vt facile medicamento pateat aditus. Quamobrem neceſſe eſt, ante ſumptionē cuiuſuis aperientis pharmaci, fœminas parū exerceri, ac deinceps poſt ſumptionem iterum & vehementiùs, vt ad partes primo exercitio apertas vis medicamenti, vel ipſum medicamentum permeare poſsit. Fiet tamen exercitium huic vſui proficuum ſummo manè celebrata præcedentis noctis ſufficienter coctione: in quo labore quo difficilior & accliuior fuerit exercitij locus, & fœmina maiore labore id peregerit, eo partes maiorem contrahent calorem, & commodius aperientur: à quo exercitio ſuperſedendum eſt, reliquis totius diei & noctis partibus, vt medicamentum & natura ſua munia commodiùs exequantur, atque hæc eſt exercitij lex & ratio.

Circa pilularum & reliquorum medicamentorum adminiſtrationem noſſe conuenit ea quæ in forma ſolida adhibentur, eis præcipuè obſtructionibus proficua eſſe quæ in ventriculo & primis venis inſunt: nam partes illas facilè attingit vis medicamenti: quippe ſi fluidæ ſunt ſubſtantiæ, ocyſsimè ab eiſdem prolabuntur. Sic pari ratione potiones & fluida pharmaca licet omnibus partibus proſint, peculiariùs tamen iecori & ſpleni, quòd venas habeant anguſtas, & ſedem abditam & longè à vijs communibus diſsitam, ita vt neceſſum ſit fluidæ & tenuis ſubſtantiæ eſſe medicamenta illuc ventura, & adhuc tenuiora aut fluidiora, quæ in vterum.

Eſt præter dicta aliud medicamenti genus omnibus etiā obſtructionibus commune & maximè proficuum, quo multi medicorum paſsim in hoc affectu vtuntur: id ſanè eſt chalybs præparatus, cuius laudes & efficaciā nec ſatis nouerūt anti qui nec iuniores experti ſunt. Verùm licet commune ſit fœminis obſtructis præſidium, non tamen omnibus pari modo, neq; eadem lege adminiſtrandum venit. Nam quibus meſereon, & venæ vētriculo proximæ obſtructæ ſunt, primis diebus chalybē præparare, & admiſcere oportet ijs quæ vomitū quoq; mouēant: plerunq; enim fœminæ ſic affectæ potiſsimè hac via ſanitati reſtituūtur. Quippe ſi vi medicamenti, excrementitiū quod in ventre redundat, ad affectas obſtructione partes deferatur, dubium non eſt quin maius damnum id præſidium ſit allaturum: ob id quidem vel diebus aliquot ante chalybis ſumptionem vomendum eſt, vel diebus intermedijs, aut vomitorium aliquod primis diebus admiſcendum, quibus tranſactis ſubtrahere vomitorium à chalybis conſortio oportebit. Cauere tamen fœminas ad vomitum pronas oportet, ne immodicè vomāt, cuius ratione admiſcendum eſt aliquid ventrem roborans. At ijs quæ iecur obſtructum habent, ſubtiliùs chalybem comminuere & præparare opus erit, ſemperque admiſcere aliquid quod à iecore per ventrem purgare natum ſit, cauentes ne vlla ratione vomitum moueamus: nam aut morbus difficulter & cū grauiſsimis accidentibus beneficiū

ſuſce-

ſuſceptabit, aut facilè deinceps reuertetur. Sic profectò ſplene obſtructo præmiſſa præparatione, quam mox docebo, craſsiori modo chalybem præparabis, admiſcebiſque ei quæ ſuccum melancholicum expurgent: craſſum enim chalybem melancholici humores deſiderant, vt pondere & abſterſione humoris duritiem ſuperare poſsit. Quamobrem aliquãdo oleo amygdalarum dulcium præparamus & admiſcemus, vt ſimul ſiccitatem & duritiem frænet. Quod equidẽ Ætius inſinuaſſe videtur, qui craſsiorem chalybem rusticis corporibus, vtpote melancholicis, adhibere iubet. Sed de chalybis præparatione, efficacia & viribus, latiùs cap. de vte. ſcirrho.

Prætereà, in omnibus obſtructionibus, quarum gratia dictum eſt, ante chalybis exhibitionem priùs vias præparare oportuiſſe, hoc vnum adſeruare mihi per quã neceſſarium videtur, nimirum tenuius & leue aliquod ex chalybe pharmacum ſtatim initio curationis præmittendum eſſe: tum præparandi vias & reliquum corpus gratia, tum verò, vt præcaueamus, ne ſubita mutatione ex valido pharmaco illata corpus mille (vt ſolet) accidentibus prematur, quod vel maioris mali cauſa eſt, vel reditus ipſius affectus. Quod præceptum cautiùs obſeruabis in ea ſplenis aut vteri vel iecoris duritie, quæ iam iam in ſcirrhi naturam commeatum minatur: quo tempore, vt ſubſit locus ad maiorem & efficaciorem chalybis compoſitionem, corpus aliquot antè diebus præparabis eo modo quo paulò inferiùs referam.

Corpus itaque præparandi via & ratio triplex exiſtit: prima quidem omnibus obſtructis fœminis communis, ſed eis præſertim quæ exercitium aliquod moliri nequeunt ob impotentiam aut vitium mammarum, vteri aut excalfacti iecoris: quas præparare neceſſum eſt, ac exercitij defectum ſupplere potibus aquæ calidioris parum ante chalybis ſumptionem: poſtmodum verò exercitium imperabis leuiſsimum, domi quidem & non ſubdio, facta ſolùm placidiſsima deambulatione, ac ſumpro per interualla calidiſsimæ aquæ hauſtu, quo euidenter conſtat vias laxiores fieri, & ſubinde aquæ calore dilatari, quò faciliùs medicamentum permeare poſsit. Secunda verò, cùm obſtructio citra duritiem ac ſcirrhoſam diſpoſitionem exiſtit, quo tempore corpus purgabis primo acceſſu vel per vomitum, qua lege dictum eſt, vel per expurgans medicamentum, idque leue, ne ad obſtructas partes aliunde humores euocet, & citra vllam ſyruporum præparationẽ, qui proculdubio humoribus extenuatis fluentibuſque ad obſtructas particulas, preſsiores & maiores moliuntur obſtructiones: quin potiùs in hac curatione vice verſa incedendum eſt: quippe ab aſſumpto pharmaco, ſyrupis vel aliquo leui præparatorio ex chalybe confecto vtendum erit. Tertia verò (cum obſtructio ſcirrhoſæ diſpoſitionis particeps eſt) præparandi ratio talis exiſtit, qualis neceſſaria eſt, non ad vias reſerandas ſolùm, neque ad expurganda excrementa quæ in vijs ductuum vagantur, ſed ad humorem extenuãdum modicè, lentè ac paulatim emolliendum, quem faciliùs deinceps grauior & efficacior chalybis forma vel abſtergere, vel deorſum ferre queat.

Inter alia quæ hoc præparationis miniſterium facilè præſtare poſſunt, experimento didicimus, primum locum obtinere leue quoddam auxiliũ præparatoriũ, quod ſic conficies: excipe limaturæ chalybis. ʒ. iiij. quam limaturam ferreo aliquo inſtrumento excipies, & igne candeſcere permittes, moxq; proijce in lib. ij. aquæ lupulorum, graminis, rubiæ, borraginis, aut per lapideum mortarium percolatæ, vel alicuius fontis, qui aquam nanciſcatur nitidiſsimam, puriſsimam & tenuem, & poſteà

poſteà coletur, & iterum igniatur prædicta chalybis limatura, & ſic ſepties facito: ac rurſus ſume totidem vncias noui chalybis, & eodem modo in prædicta aqua facito, idque reiteratò ter quaterue facies, donec chalybis. lib. j. conſumpſeris, & facta colatura adde ſyrupi violarum vel borraginis, aut mellis roſacei. ʒ. iiij. cuius fœmina facto modico exercitio ſummo mane capiat. ʒ. iiij. citra frigiditatẽ actualem, ac deinde perficiat exercitium lentè, paulatim, & moderatè. Poſtquam verò prædictum medicamentum ter quaterue aut pluries exhibueris, prout affectus duritiem poſtulare cognoueris, ad efficacius (licet hoc plerunque in delicatioribus, ac puellis ſufficere videatur) te conferes. Ex quo præſidio varias præparantium medicamentorum formas effingere cuiuis facile erit, facta plus vel minùs chalybis extinctione, vel admixtis, decoctis vel infuſis, pharmacis reſerantibus & attenuantibus iuxta affectus indigentiam. Verùm ſi aluus (vt non rarò accidit) ex obſtructione vel ſcirrho viſceris alicuius ſoluta fuerit, aut viſcus aliquod ſteterit imbecillum, aliquod admiſcebis medicamentum aperiendis obſtructionibus idoneum, vel roborationi membrorum proficuum, quod chalybis exceſſum moderetur.

Sed antequam ad commodam & integram chalybis exhibitionem deueniamus, quæ experimento in hac re didicimus, aperire æquum eſſe duximus. Cõſtat quidem obſeruatione delicatiſsimis fœminis, ijs præſertim, quibus cum hoc morbi genere aliquid melancholicum adiungitur, vel quid corruptum ex ſemine vitiato cor affligit, ſummopere profuiſſe ad aperiendas obſtructiones, compeſcẽdoſque venenoſæ materiæ inſultus, lapidis bezoar vſum, quem multis modis præſtare poſſe compertum habeo. Primò quidem, lapide in ſubtiliſsimum puluerem redacto, & in aqua aperiendis obſtructionibus idonea liquato: ſecũdò admixto conſeruæ adianti, à qua modicum prædictæ aquæ ex chalybe extincto porriges: tertiò ipſum lapidem prodeſſe comperies in tabellis cum pulueribus ſeminis agnicaſti, rubiæ, cinnamomi, & ſaccharo confectũ: quartò verò & vltimò, maximopere proderit, ſi prædictum lapidem admiſcueris alicui ex præparationibus chalybis. Cui conſimile beneficium præſtabis, ſi in præparationibus chalybis addideris electuarij de gemmis quantum ſatſit vt fœmina ſingulis diebus ſumat. ʒ. ß. Cæterùm lapidis bezoar ſat eſt vno quoque die. g. vj. ſumpſiſſe, vel ad ſummum. vij. Quod ſi confectionem alchermes, vel de hyacintho, prædicto chalybi ad. ʒ. ß. addideris, idem beneficium præſtabis. Experimento etiam probatum habeo, radicem ſcorcioneræ vino per noctem maceratam, & ſummo manè ſumptam, plurimas ab obſtructionibus liberaſſe. Sed probo magis, ipſam aliqua ex ſupradictis aquis & ſaccharo elixatam deuorare, & reſiduam aquam deſuper bibere, vel cõditam ſaccharo parare decocto aliquo aperiendis obſtructionibus proficuo, vt id ſucci vel miuæ (vt vulgari vtar vocabulo) quod poſt condituram ſupereſt, ſimul cum ipſa radice & pulueribus cinnamomi ingeratur. Quæ ſanè medicamẽta prædictæ fœminarũ ſorti, & alijs quæ ita ſunt animo dejecto & confracto, quòd maiora medicamenta perferre non poſsint, cenſeo ex vſu maximè fore.

Verùm ſi ventrem & meſereon obſtructa eſſe compereris, præmiſſo præparatorio pharmaco, quale ſuperiùs adduximus, aliud exhibebo, his viſceribus obſtructis maximè proficuum, quod recipit ſpecierũ diarrhodonis, diacurcumæ & agarici trochiſcati. ana. ʒ. j. medullæ cartami. ʒ. ij. corticis radicum rumicis, rubiæ, & ſeminis dauci. ana. ʒ. j. &. ß. caryophyllorum. ʒ. j. chalybis minutiſsimi & vino præparati. ʒ. ij. mellis deſpumati quod ſufficiat vt fiat electuariũ, cuius exhibe

à 3.ij. ad 3.iiij. Quòd si eo assumpto laborans vomuerit, non est prohibendũ, nisi aliquod damnum timueris, aut diu vomitus persistat: quod vitium vitare poteris purgata inferna aluo, & ablatis à compositione cartamo & agarico. Ac si vlterius velis vomitum compescere, ab assumpto chalybe, vini albi odoratissimi modicũ ministrabis: partim vt os abluat repurgetque à recrementis chalybis, partim verò vt nauseam compescat. Idque facies eodem ordine seruato singulis diebus, præmisso & post habito conuenienti exercitio.

Iecori quidem obstructo eadem componendi chalybem ratio mihi vtilissima videtur, ablatis tamen cartamo & agarico, quorum loco addito rhabarbari 3.ij. & ß. & nihil nocebit. 3.j. agari addere. Verùm si prima, secunda vel interdum tertia die fœmina vomuerit, prohibendum non est, vltra id verò graue & inutile existit. Sed pretiosior iecori æstimatur alia conficiendi chalybis ratio, quæ recipit limaturæ ipsius omni recremento lignoso exempto. lib. ß. quam vase vitreo excipe, additis vini albi optimi 3.xviij. mox vas illud igni mollissimo appone, diligenter hic & inde chalybem & vinum sursum ac deorsum agitando, tandem decem aut duo decim ebullitionibus feruere finito, quoadusque eius spumosum sursum ferri videas, ac mediocriter crassescere conspicias, tũc spumosam ac pinguosam chalybis partem, quæ feruore separatur simul cum vino in aliud vas transfunde, atque id quater facito ordine prædicto, nimirum, denuo aliam vini quantitatem conijce in eandem limaturam, & eodem modo feruere sine, pariq; ratione separari, & pro tertio & quarto idem facies seruato prædicto ordine. Itaque vinũ cum supradicta quadruplici spuma quatuor coctionibus ex chalybe extracta rursus igni appone, donec leuiter feruens mellis spissitudinem acquisierint: quo tempore vsui seruare oportet, ex quo electuarium hoc modo conficito: excipe seminis petroselini, dauci, & specierum diacurcumæ, & diarrhodinis. ana 3.j. cinnamomi. ℈.j. chalybis modo dicto præparati. 3.vj. ex melle optimo & despumato fiat electuarium: cuius à 3.iij. ad 3.v. summo manè præmisso leui exercitio, vel aquæ calidioris potu, præberi potest, & eundem ordinem in reliquis seruabis, donec fœminam coloratiorem factam esse comperias: at puellis quæ vel obstruuntur, vel ob esum terræ aut alterius rei similis decolores fiunt, optimum efficitur medicamen, maximèq; imbecillibus & febriciculosis.

Melancholicis verò & splene obstructis, vel chalybem cum oleo amygdalarũ dulcium communiter præparatum: vel cũ speciebus diarrhodonis, scolopendriæ, foliorum sennæ, & pulueris corticum capparris commixtum crassiori modo, & vulgariter præparatum ministrabis. Verùm quia ob viarum quæ in splenẽ tendunt, angustiam, anfractus & distantiam (licet humorũ ratione, vt ex Ætio retulimus, crasso modo chalybem præparare & limare oporteat) prædicta præparãdi ratio aliquando inutilis fit, ac in vomitus & alia accidẽtia fœminas deducit: ob id quidem aliam quæ subtilior est, & vsui commodior existit, scribere placuit, cuius descriptio talis est: Excipe limaturæ chalybis lib. 1. quam semel ablue aceto & à recrementis expurga, posteà facta colatura super pannum inspergito, & proijce pulueris caryophyllorum. 3.ß. quæ per diem & noctem eo modo sunt dimittenda: & mox ea excipere oportet vase aliquo vitreo, cui adde vini albi optimi, 3.x. ac proijce desuper limaturam cum pulueribus scolopendriæ & alijs supradictis, aut citra ipsos: deinceps quàm validè concutito cõmota vehementer phiala, mox tamen soli feruenti expone per integrum diem, ac si hyems fuerit, in furnaria stupha, aut loco alio calido adserua: tandem octo aut decem diebus idem facies, donec limatura ipsa in vinum

vinum ferè liquetur, parumque aut nihil in fundo resideat, sed veluti mixtũ quoddam factum sit, cuius summo manè 3.ij. exhibeto, seruatis exercitio & purgatione supradictis. Quod si velis vulgariùs chalybem componere, ipsum pondere. ij. aut. iij. 3. cum modico rhabarbaro conseruæ rosarum admiscebis, sed satius est syrupo ex quinque radicibus sine aceto id efficere. Item (& non vulgaris efficaciæ) electuarium efficies ex dialacha, melle & chalybe ad mediocrem spissitudinem, exceptis chalybis. 3. viij. dialachæ. 3.vj. mellis quantum sit satis, vt mediocrem nanciscatur consistentiam. Sunt & alij inter peritos medicos, qui ad robusta corpora electuarium diaphenicon, vel aliud consimilis efficaciæ pondere. ij. 3. cum 3. iij. chalybis admiscent. Alios etiam scimus, chalybem potabilem efficere, quem nisi anteà experimento comperiam, quantum prosit ignoro: quòd si id citra vehementis medicamenti admixtionem fieri posset, non displiceret: sed securior & vtilior mihi videtur aqua, quæ excurrit à lapide in quo acuuntur enses, si centies extinxerit limaturam chalybis candentem, qua scimus magnos lienes liquari. Cæterùm ne hiberno aut nimis calido tempore nobis desit præsidium, quo obstructis mederi possimus, alia licet effingere auxilia quæ eundem ferè vsum præstare possint, velut sunt syrupi, qui vel ex scoria ferri aut chalybis fiũt, aut ex rubia tinctorum & pseudorhabarbaro. Prima igitur compositio syrupi ex scoria ferri hoc modo fit. R. scoriæ ferri (sed probo magis scoriam chalybis) præparatæ. 3. xij. passularum sine arilis. lib. ij. infundantur per dies tres in lib. vj. aquæ graminis aut lupulorum, & in fine bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & tunc adde origani, ameos vel iuniperi limati. ana. p.j. bulliant parum & colentur & ex colatura cum sufficienti saccharo fiat serapium, cui incoquito in ligatura croci sine oleo. 3. ij. Secunda fit ex eadem scoria & eisdemmet rebus croco excepto, & loco eius addito dialachæ, rhabarbari electi puluerizati & agarici trochiscati. ana. 3. ij. quibus dum coquuntur aut saltem dum ab igne separantur ligatis, fiat eadem ratione syrupus. Tertiò verò modo fit ex rubiæ radicibus, aqua lupulorum in qua squãma ferri pluries fuerit extincta, diutiùs incoctis, & additis passulis & croco, ad syrupi formam post colaturam redactis. Quarto idem auxilium parabis ex pseudorhabarbaro, hoc est ex rhabarbaro monachorum appellato, nimirum ex radice eius decocta cum eisdem rebus & facto etiam serapio. Alia quæ mihi efficacior & vtilior semper visa est hoc modo conficitur. Excipe scoriæ chalybis præparatæ aqua rosarum. 3. vj. passularum sine granis. 3. iiij. macerentur per tres dies in lib. iiij. aquæ lupulorum & cichorij, in quibus decies aut paulò plus extinctus fuerit chalybs, & in fine trium dierum bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & facta colatura adde radicis rubiæ & rumicis ana. 3.ij. radicis cichorij & fœniculi. ana. 3.j. ß. agrimoniæ & capillorum veneris. ana. m. ij. foliorum sennæ si mesereum aut splen patiantur. 3. j. ß. vel rhabarbari in ligatura post feruorem. 3. iij. ne chalybs feruefactus comprimat aluum, vt hac præparatione solet efficere, iterum bulliant & facta mediocri expressione adde syrupi de duabus radicibus & cichorij. ana. 3. ij. sacchari. li. ij. fiat syrupus: cæterùm hos duos syrupos in fine addes decoctionis. Ad primam tamen scoriæ confectionem, ipsa lucidissima eligatur, & contundatur, & partes terreæ abijciantur, & totiens lauetur donec aqua exeat pura, & mox lauetur cum aceto fortissimo, deinde comburatur super laminam ferream, & extinguatur in aceto, & combustio ac extincto fiant. 4. vel. 5. Verum non sat est in hoc opere quid & quo modo agendũ

sit nosse, sed expedit etiam non parum quousque agendum sit. Quippe licet fœmina quodam modo primis diebus rubicũdior agiliorque appareat, non protinus subsistendũ est ab vsu horũ auxiliorũ, sed eo vsque perstare oportet, donec vel menses fluant si suppressi erant, vel certum sit minutissima adhuc vasa adaperta esse: nec sat est semel accepisse, sed oportet bis aut ter accipere, etiamsi fœmina sana conspiciatur, & cum hoc regulatissimam & exquisitam agere vitam, ni velimus iterum obstructionem grauiorem fieri.

Verùm ne desit huic malo præsidium, ex pilulis & solidis pharmacis, ea reperies vsui probatissima lib. 1. capit. de mensium supp. paragrapho de his quæ vterum purgant.

Cæterùm ne quid huic tractationi deesse videatur, vtilissimum esse duxi lectorem monere, ne vtcunq; & citra delectum ad prædicta electuaria confingenda chalybem præparet: quippe iuxta corporum varietatem varias quoque præparandi esse methodos & rationes certum est. In primis expendat, ob nimis exquisitam chalybis triturationem & comminutionem ipsum commutari nonnunquam in argenti viui antiquam naturam: quo fit, vt non paucæ ex fœminis, quæ id sumunt, frequentissimè vomant, aut aluum habeant turbatam. Quamobrem primò in trituratione diligenter obseruare oportet, an degenerauerit eius aliquid in argentum viuum, nec ne, idque discet, quòd communis præparandi ratio, quæ trituratione fit, leuissimam reddere eius substantiam tenetur, argumentum quidem euidens, nihil argenti ibidem adesse, & argumentum etiam non leue, quòd huiusmodi medicamentum non pondere solùm sed absterſione & reliquis qualitatibus operatur. Præparabis tamen chalybem aceto, si humores crassi sint: secundò, vino, si fœmina frigiditate & ventriculi vitio potissimum affecta sit: tertiò quidem, si calidioris fuerit temperamenti, aqua rosacea. Quam etiam legem & methodum adseruabis in admiscendis reliquis medicamentis, quæ cuique fœminarum sorti, prout dictum est proficua fuerint. Item expendat lector quamlibet chalybis præparationem, si feruore & coctione fiat, non parum aluum sistere, quinimò & vehementer comprimere, quapropter admiscere semper oportet aliquid quod vim habeat aluum soluere, velut est decoctum foliorũ sennæ aut mercurialis, quod mihi semper prosperè vsu venit. Tamen in hac re expendat lector, chalybem, in eis obstructionibus iecoris quæ scirrhi naturam minantur aut contrahunt (licet à Galen. & veteribus nulla fiat huius præsidij mentio) auferendis summoperè esse proficuum, præsertim, si chalybi admiscueris ea medicamenta quæ præterquam quòd calfaciant, vt frigiditas chalybis compescatur, ne iecori officiat, aperiant quoque, roborent & visceris naturam respiciant, & tueãtur: præsertim, si lentè, paulatim, & à mitioribus facto initio, opus perfeceris. Et vt in summa dicam, tanta est in chalybe vis & efficacia, vt magnos etiam lienis & vteri scirrhos, partim discutiendo, partim per aluum expurgando persanasse visum sit. Atque hæc sunt auxilia, quæ morbo virgineo proficua esse, ratione & obseruatione cognoui.

Cuius rei copiosiorẽ tractationem reperies, cap. de vteri scirrho.

De

De vehemente pulsatione quæ in arterijs dorsi in plerisq; fœminarum reperitur. Cap. VII.

INTER pleraque & eximia mala, quæ fœminis (licet non rarò in viris potissimùm melancholicis, reperiatur) viduis maiori ex parte, aut virginibus succrescunt, vnum profectò est, quòd omnes ferè conquerantur de pulsu, naturali pulsatione vehementiore, anxietate, ac tristi sensatione in hypochondrijs, & præsertim è regione dorsi, vbi arteria quæ secundùm ipsum sita est, motum tangentibus repræsentat. Huius sanè affectionis parum aut nihil scriptum reperies (licet Cermison, tractatu de passionibus stomachi. capit. 1. de pulsatione arteriæ in fundo ventriculi & Montagnana consilio. 143. præsidia quædam huic malo, scripserint, idque breuiter) præterquam apud Areteum, virum inter Græcos sapientissimum, qui de venæ concauæ acuto morbo lib. 2. de causis & signis acutorum, integrum caput scripsit, quo videtur huius affectionis quodammodo meminisse. Docet quidem esse morbum quendam venæ cauæ maioris rami, qui cor etiam per sinistrã eius partem ingreditur, quæ dum morbo quouis ex plenitudine laborat, protinus si incalescat, arteriæ secundùm dorsum sitæ damnum communicat, cuius subinde motus in præcordijs, & è regione dorsi conspicuus fit. Est sententia huius viri in hunc modum, postquam prædictæ venæ ramificationem scripserat. Si quis enim aliquid de superiore vena caua cordi infixa in eam, quæ iuxta spinam protenditur aut à spina per iecur ad cor velit impellere, eundem descensum ascensumque inueniet. Hæc igitur vena, vt arbitror (inquit) vniuersa ægritudines & acutas & validas patitur: nam tota vna est atque continua à nonnullis autem medicis ea pars duntaxat, quæ secundùm dorsum discurrit, ægrotare creditur, quoniam eius quæ cor intrat, notæ obscuræ sunt, intra pectus enim rei nulli adhærens, sed in pectore subleuata protenditur, donec trãsuersum septum egressa cordi inseritur. Igitur si quod ingens malum hanc venam corripiat, pectore ambiente delitescit. In hac itaque vena zetmata oriuntur. Sunt autem zetmata, diuturni affectus ex defluxu materiæ prouenientes. Hæc denique sunt huius authoris verba: qua etiam in parte recenset ex affectionibus huius venæ aliquando affectus ita acutos (præter diuturnos, quos annumerat) suboriri, vt citissimam & crudelẽ afferant mortem: tandem subdit paulò inferiùs. Quibusdam & arteria secũdum dorsum inflammatur, quod pulsatio in alteris præcordijs manifestat: nã & ipsa venæ morborum particeps efficitur iuxta illam in sinistro latere posita, vtpote ea quæ in omne corpus deducitur nihil leuaminis afferente, neque cutim emolliente. Quam proculdubiò sententiam si quis altiùs examinet, reperiet, arteriæ huius pulsationẽ nil aliud esse, quàm specimen & indicium morbi alicuius prædictæ venæ cauæ, vel membri circunstantis, vt Areteus profitetur: quod vitium in prædictam quoque arteriam reierit, ita vt ex vicinia ipsam vehementiùs cogat pulsare. Sic eadem prorsus ratione in fœminis, quibus aliquod viscus obstructum inflammatum ue steterit, idem malum suboritur: quod in melancholicis etiam viris plerumq; reperies. In qua sanè re scio Fernelium existimasse, arterias quoque mesenterei dum inflammantur (maximè in hypochondriaca melancholia) huiusmodi subsultum

præ ſe ferre. Cuius viri ſententiam ſolùm arbitror veram eſſe in prædicta affectione. Quippe contingit (in fœminis maximè) ſubſultum illum ſentiri in toto ventre & potiſsimum iuxta ipſius fundum vſque ad vmbilicum. Cæterum hanc motus ſpeciem longe eſſe diuerſam à prædictæ arteriæ motu arbitror, hæc enim recta per dorſum vagatur, mouetur & ſentitur: arteriæ autem meſerei non ſic, ſed hinc inde ad hypochondria magis vergentes. Qua occaſione cenſeo Hippoc. dixiſſe. Quod ſi pulſus ſit in hypochondrijs, maniam aut perturbationem ſignificat: præterquam quod harum arteriarũ motus longè minor eſt eo, qui iuxta dorſum ſentitur. Quãobrem conſiderandum eſt, duplicem in malè affectis corporibus reperiri in ventris arterijs motum conſpicuum, adhuc in his quæ nondum macilenta exiſtunt: vnum quidem in melancholicis qui proximè ad deliramenta accedunt, iſque maxime apparens in hypochondrijs iuxta Hippocra. & Fernelij mentem: alterum verò iuxta dorſum, cuius mens eſt in hac parte meminiſſe. Quem etiã arbitratur idem Fernelius eſſe arteriam dilatatã ſeu varicoſam, nam dum in arteria aneuriſma aliquod efficitur, prædictum vitium fieri cenſet quoque. Ego tamen exiſtimo arteriam quæ vehementer iuxta dorſum pulſat, neque varicoſam fieri, neque aneuriſma pati, ſed potiſsimam pulſationis rationem eſſe, quam nuper dixi. Nec deſunt qui eum morbum arbitrentur eſſe in figura, ob dilatatam plus iuſto partẽ. Sed decipiuntur, quia pars illa non dilatatur ex morbo, ſed ex virtute dilatante, licèt irrirata à morbida cauſa: & ob id cenſeo veriorem eſſe primam ſententiam, dũ modò per inflammationem intelligamus ſiccam inflammationem, phlogoſim ſeu incenſionem dictam: nam à reliqua inflammationis ſpecie in eis partibus, ſubſequitur mania aut delirium: vt in ſepti tranſuerſi inflammationibus cõtingere diximus lib. de internorum morborum curatione, cap. de phreni. & in hac phlogoſis ſpecie, quæ plerunque ſucreſcit fœminis aut viris melancholiam (maxime hypochõdriacam) patientibus, ſolùm ſignificat mentis perturbationem, non verum aut grande delirium: quod Hippocr. intellixiſſe arbitror, dum dixit, Si pulſus inſit in hypochõdrijs, maniam aut perturbationem ſignificat. Ex quibus conſtare iam videtur, huius affectus naturam eſſe intemperamentum calidum ſeu inflammationem prædictæ arteriæ. Cæterùm inflammationem hanc duplicis naturæ eſſe contingit: alteram quidem eſſentialem, hoc eſt, quam ipſamet arteria patitur, non aliunde accepto mali principio, ſed ipſa primariò affecta: quæ grauiſsimorum accidentium ſoboles eſt, & mortis proximæ: alterã vero per cõſenſum ab affectione venæ magnæ, vel alterius propinqui viſceris: cuius ſortis eſſe creditur affectio, quæ fœminas vrget. Rurſus eandem affectionem ſcimus fieri, aut ſubitò & affatim, quæ grauiſsima infert accidentia, qualia Areteus recenſet: aut lentè ac ſenſim, cuius ſortis cenſeo eſſe eam affectionem, quam fœminæ præſertim virgines & viduæ perpetiũtur ex viſcerum obſtructionibus: quo fit, vt neque cito interimat, neque pluriimum affligat, vt paulo inferius monſtrabo.

Verùm vtcunque ſit, vno è tribus modis arteriam hanc conſpicuè & vehementer pulſare, certiſsimum mihi eſt. Primùm quidem cùm vena caua craſſo aut ſuper excalfacto ſanguine plena, dum in grauiora accidentia nõ degenerat, arteriæ huic, quæ iuxta dorſum ſita eſt, vitium communicat, vt ex Aretei ſententia probatum ſupereſt. Quam ſanè affectionem ex hac cauſa ſubortam, præludium eſſe maioris mali mihi non eſt dubium: aut ſaltem ſi in ſanguinis fluxum ex pulmone, aut in breuem mortem non cõmigrat, vt idẽ author refert, in maniam tamen aut triſtem & immedicabilem melancholiam, dubium non eſt, quin ocyſsimè degeneret.

Qui ſubſultus longiſsimè diſsidet ab eo, quem in fœminis comperimus. Secundò autem (quod frequentiùs in fœminis accidere conſtat) fit, cùm ex viſceris alicuius calore acri & mordaci eadem quoque arteria incaleſcit, & ob id maiorem motum repræſentat: quod non rarò in gracilibus & melancholicis fœminis ex ſanguinis, vel alterius humoris aut excrementi aduſtione cõſpicimus: Quippe cùm his omnibus, in viſcerum & meſerei præſertim venis, ſanguis fæculentus, vel humor, aut excrementum quoduis ex interna aut externa cauſa exuratur, nulli fore dubium arbitror quin certum ſit arteriam illam ſimul cõpati & excalfieri, & ad maiores ac vehementiores motus perpetuò excitari. Quã quidem in re hæc conſtituenda eſt differentia, quòd ſi cauſa externa vel interna ſubitò & affatim huiuſmodi calorem ſuccendat, certum eſt, non grandem ſolùm arteriam pulſationem efficere, ſed grauius aliud malum, quod grandioris ſit præludium vel citò interimat. Verùm ſi altera aut vtraque cauſa ſenſim & paulatim viſcera aggrediatur, veriſimile eſt affectum fieri connaturalem & habituali congeneum, quo laborans ſanus ſuo modo viuit, ſine communium actionum euidenti noxa: indies tamen vel corpore vel moribus adeò mutatur, citra euidentem cauſam, vt non minimam inferat ſibi, ſuis, ac medicis admirationem, viſceribus diſtemperatis, ac perperam propria munia obeuntibus, in proſperamque alimentorum coctionem molientibus. Quibus ſanè mirum nõ eſt, ſi corpus indies præter ætatis rationem deteriùs ſe habeat, ac eor triſte & metuens aliquando exareſcat, exoptetque mori & in alia deliramenta prorumpat, aut anxietatem & inquietudinem vel rerum omnium ſine euidenti cauſa tædium perpetiatur, citra membri alicuius conſpicuum affectum, præterquam pulſantis illius arteriæ. Tertiò verò & vltimò prædicta arteriæ pulſatio conſpicua efficitur ſine corporis gracilitate (quæ vt Gale. refert lib. de pulſibus ad tyrones, cauſa eſt, quòd arteria, quæ ſecundùm dorſum ſita exiſtit, tangentibus abdomen motum repræſentet) ex viſceris alicuius, aut venarum, quæ alicui viſcerum proximæ ſunt, obſtructione conſpicua & manifeſta: quod plerunque maiori virginum aut viduarum parti accidere conſpicimus. Quam doctrinam intelliges veram eſſe, & ab alijs duabus cauſis diuerſam, eò quòd ex prædictis obſtructionibus id malum oritur, modò incaleſcant humores obſtruentes, vel obſtructione detenti, modò ſecus. Quippe ſi præter id quòd obſtructio adeſt, inflammatio quoque ſit, dubium non eſt quin maior fiat prædictæ arteriæ ſubſultus, vt in ſecunda cauſa nuper diximus. Verùm ſi citra euidentem calorem infarcti ſint humores aliqui in meſereo vel quouis alio viſcere, verum quoque eſſe arbitror, ex tumore humorum obſtruentium arteriam comprimi, quæ cùm durum quid, quale ante obſtructionem non attingebat, modò pertingat, facilè vehementiùs pulſare ſentimus: quod fieri poteſt vno è duobus modis. Vno, quòd rationi conſonum videatur (licet ampliùs quàm ſecundùm naturam non pulſet) arteriam, quæ rem aliquam duram, qualis obſtructio eſt pertingit, longè apertiùs motum repræſentare quàm anteà, dum re molli & ſecundùm naturam circumſita erat: tum, quia naturale arteriæ ſpatium obſtructione impeditur, quam dum pertingit arteria ex continuitate rei duræ, quæ digitos etiam attingit, motum quoq; rei duræ digitis repræſentare certum eſt, quod ante quam ibidẽ eſſet durities, erat impoſsibile, eò quòd ad tam diſtantiſsimam partem nõ perueniſſet motus, niſi quid durum in medio eſſet, cuius continuitatẽ motus arteriæ ad tactum vſque peruenire, repræſentaretq; maiorem motum: tum verò, quia arteria ob tenſionem ex vicina plenitudine durior

quodammodo aut tenſior apparet, cuius motus maiorem ſemper æmulatur figuram, quàm re vera præſtet. Secundò, eum motum contingit non ſolùm maiorẽ apparere, verùm re vera eſſe, quòd partes vicinæ obſtructionis cauſa non poſsint, quantum ſat eſt, ventilari (licet calor non creuerit, vt in ſecunda cauſa diximus) cogiturque ſubinde arteria hæc huiuſmodi defectum ſupplere, & ob id vehementiùs pulſare; præſertim ſi ipſi detrahitur ab obſtructione ſpatij naturalis aliquid, vt cauſam regerat, maiorem apponit conatum, & ſubinde euidentiorem efficit motum, eòque magis, quò aliqua vicinarum partium incaluerit. Quamobrem cenſeo, in pleriſque virginibus obſtructis huiuſmodi ſubſultum ex hac cauſa reperiri.

Signa. Verùm ſi quis certus exactè non fuerit ex prædicto ſubſultu & cauſis, quas nuper diximus, ſignis amplius id dignoſcet. Inquit enim Areteus loco nuper citato loquens de ijs, quibus arteria incaleſcit. Cutis autem ſic affectorum ſqualida, rugoſa atque aſpera eſt, ſed in partibus prominentibus atq; oſſeis, vt in cubitis, genubus, digitorumq; articulis magnis, talis conſpicitur: ſomni tumultuoſi fiunt, aluus quibuſdam nihil reddit, quibuſdam exiguum, acre, bilioſum: lotium acre, mordaxque eſt: mens vtique his cõſtat, ſed quadam ſegnitie torpet, & corpus tabe conſumitur. His etiam accidit anxietas, inquietudo, & omnium rerum inſolens tædium, cibi etiam faſtidium, caliditas per totum corpus ad tempus & per interualla, præcipuè in facie & circa ipſam aſcendens, ſitis, pulſus palpitans in præcordijs, qui dũ nimis creſcit, in ſyncopem plerunque degenerat, præſertim cum malũ adeò creuerit, vt & cor per arteriam, & iecur aut ventriculus per venas & vaſa meſaraica cõpatiantur. Haud ab re igitur (vt inquit Areteus lib. 2. de curan. acut. pa. cap. 7.) exiſtimes eorum viſcerum ſupremas partes maximè ad vitam faciẽtes ægrotare. In quibus fœminis ſine dubio reperies eadem ferè ſigna, quæ cap. de melancholia & obſtructionibus virg. & vidu. ſcripſimus.

Præſagium Tam grauis eſt huiuſmodi affectio, tamque timore plena & grauiſsimorũ affectuum præſaga (quod verbo illo monſtrauerat Areteus. Supremas partes maximè ad vitã faciẽtes ægrotare) vt neceſſum ſit, id cuique monſtrare, ne periculi ignorantia moroſè & negligenter eiuſdem curationem aggrediatur, aut incautè aliquid agat, quod cauſa deinceps ſit maioris mali. Quo in affectu vt triplex reperitur cauſa, ita quoque triplex exiſtit præſagandi modus. Sic enim dum arteria pulſat ex venæ cauæ ſibi adhæreſcentis plenitudine aut inflammatione, grauiſsimum eſſe malum & periculo plenum per hæc verba monſtrat Areteus. Quando ſanguis copioſiùs erumpens vitam delet citiſsimè, per ſuperiora quidem, per pulmones & arteriam profluens, ſi in pectore fiat effractio, ſi iuxta principium in imum ventrem deſcendens, in inteſtinis cõtinetur, atque adeò inteſtina replentur, quũ priùs quàm deiectus ſanguis in conſpectum detur, homines intereunt & ventriculus ſanguine redundat. Naſcitur & circa venam phlegmone, quæ & ipſa, ſi magna ſit, celeriter hominẽ tollit: ignis enim acer, mordaxque in ambabus cauitatibus in cluſus accenditur, paucuſque duntaxat foris apparet, vt tangenti flamma tenuis eſſe videatur. Ac paulò inferiùs, vt magnitudinem periculi oſtenderet, adducit ſpecialia huius mali ſigna dicens: Æger quidem ſeſe comburi exiſtimat, pulſatus arteriarum exigui ſunt, creberrimi ac veluti oppreſsi atque repulſi: frigus adeſt extremorum, ſitis, aſpera oris ſiccitas, facies decolor, rubet, omne corpus ſubrubidum eſt, præcordia dura ſunt, atque reuulſa, dolor in dextra parte maior, & cum eo palpitatio in longitudinem ad ilia vſque perueniens. Et ſubdit paulò inferiùs. Deci-

Decimoquarto die hi plerunque moriuntur: quibus morbus diutiùs trahitur, duplo longiori tempore pereunt. Quotcunque autem aut ab initio puſillam plegmonem habent, aut magnam paulatim remittentem, mortem quidem euadunt; ſed nondum morte liberantur: hi longo ſanè tempore cauſo laborant, verũ omnia periculoſa iam deſinunt, dolores, præcordiorum diſtenſiones, & pulſuum malitia, & mentis ignauia, adhuc tamen faſtidioſi ſunt, languentes, conſilij inopes: ſimulque & ardor, & ſitis, & linguæ, oriſque ſiccitas ægrum diſcruciant, magnè reſpirant, verùm ſi frigidam quamplurimam affatim bibant, breui interuallo moleſtia leuantur, poſtmodum ipſis ſitis accenditur, & ſic indies deteriores euadunt, donec morte corripiantur. Quam equidem affectionem non rarò in viris ac fœminis accidere exiſtimo, verùm iecoris inflammationis effigie decepti non intelligimus: & ob id placuit, omnia quæ in ea reperiuntur, ad vnguem ſcribere, vt cautiores deinceps facti, attentiùs eandem intueamur. Secunda autem cauſa & ſpecies huius mali, licet minoris ſit periculi, haud leuis eſt. Quippe dum ex inflammatione (dixerim phlogoſi, ſeu incenſione) vicinarum arteriæ partium, eadem vehementiùs pulſat; mihi nõ eſt dubium, quin laborans, niſi citò præueniatur, in melancholiam, maniam aut perturbationem agatur, quod lib. 1. progn. his verbis dixerat Hippocrat. Si pulſus adſit in hypochondrijs, maniam aut perturbationem ſignificat. Præterea periculum eſt, ne in totius corporis conſumptionem fœmina citra febrem commigret: quòd cibi faſtidia curatu difficillima cum genuum & totius corporis impotentia quàm breuiſsimè accedant. Item mœſtitia grandis, & implacabilis ſitis, quæ potu non ſolùm non leuatur, ſed rurſus vehementiùs creſcit, & nullis rebus leuamen ſuſceptat: tandem quauis febricula ſuperueniente vel mox pereunt, vel in malum corporis habitum decidunt. Tertia verò cauſa & ſpecies & cognitu & curatu facilior exiſtit, vt quæ ſemota obſtructione leuiter quoque ſaneſcat. Verùm ſi diutiùs obſtructiones remorentur, nil mirum ſi vel incaleſcant, vel duriores & immedicabiles factæ in aliquod ex prædictis malis affectionem migrare contingat: nam ocyſimè in malum corporis habitum, vel hydropem non paucas incidiſſe ſcimus. Quippe crudi ſucci, qui non probè, obſtructionis cauſa, purgantur, nutrimentalia & præcipua membra adeò refrigerant, vt mirum non ſit ſi in hæc mala fœminæ promptiſsimè deferantur.

Curandi ratio. Pari prorſus ratione in hoc affectu tripartitam eſſe oportet curandi rationem, ſi cut cauſam & affectum triplici diuiſione diſiungi diximus. Sic prima mali ſpecies, quæ ex dorſalis venæ & arteriæ inflammatione pullulat, vt quæ grauiſsima ſit affectio, ſedulam prærequirit diligentiam & maturum conſilium. In quo affectu præter tenuiſsimam ac refrigerãtem victus inſtitutionem, vniuerſam curationem in ſanguine detrahendo ſitam eſſe ex profeſſo Areteus fatetur: inquit enim loco nuper citato. Venas itaque in cubito protinus cædito, multumque ſanguinis, ſed nõ ſemel totum mittito, vno & bis & ter & alio die, quò interim vires reſtaurentur repetito. Qua profectò ſententia videtur, omnem ſuam curam in ſanguine detrahendo collocaſſe. Verùm quia rationi conſonũ eſt, ſicut in ardentiſsimis febribus, vires nimio calore periclitari, & laborantem animi deliquio, optimè videtur conſulere per vices futuras eſſe ſanguinis detractiones. Quo facto diligentia non leui curandum eſt, vt & habitus refrigeretur, & reliquiæ ſanguinis quæ ſuperſunt, conterantur: quas cùm perdifficilè ſit vena ſciſſa cõſumere, cucurbitulis dorſo affixis cũ grandiori ſcarificatione, per cutim è regione partis affectæ deriuare opus eſt:

quibus etiã internæ partes,quæ calore excandeſcunt,refrigerari contingit. Atqui cùm ſic affecti refrigeratione non leui indigeant, quòd in eorũ viſceribus veluti quidam ignis exæſtuet,ſecunda indicatio docet in hoc affectu,frigidæ potibus,lactis vſu,& epithematis cauma in viſceribus extinguere, antequam aut in acutiſsimam febrẽ cõmigret,aut ſuccreſcat exaſpereturue ea,quæ cũ affectu præeſt. Sic affectis etiã verendũ nõ eſt copioſiùs frigidã porrigere,licet mox ab aſſumpto potu vomãt. Manè verò mulieris optimi tẽperamenti lac miniſtrabis ex vbere aut mulctum, aut vt Areteus conſulit,ipſi lacti tertia aquæ parte addita: nam & alimenti & medicamenti vires obtinet. Cuius ſanè loco apozemate aliquo frigido vtendũ eſt,confecto ex aqua hordei,cichorij,borraginis,acetoſæ,bugloſæ, ſcorcioneræ cũ ſyrupo aliquo vel ex frigidis,vel ex modicè acidis. Qua in re non diſplicebit prædictis aquis momentum ſucci agreſtæ vel limonum acidorum, vel aceti cum ſaccharo addere,aut ſyrupum ex prædictis rebus confectum,vel ex acetoſa aut ſimilibus. Conferunt dorſo epithemata & cordi etiam ex aqua roſacea,acetoſæ, bugloſæ,& ſucco pomorum acidorum & dulcium, additis pulueribus ſanthalorum, coralli,diamargaritonis frigidi, & electuarij de gemmis ſine ſpeciebus: quibus ſi aceti modicum adieceris haud parum profeceris:quæ omnia filtro ſerico,aut panno molliſsimo excepta prædictis partibus adhibeto. Cæterùm in hac affectione rarò aut leuiter expurgantibus pharmacis vtẽdum eſt,quòd hæc interna viſcera ex calfacere nata ſua ſpõte ſint. Quamobrem inclinante iam affectione ſi oris ſuperet amaritudo,ventris morſus,cibi faſtidium,vel quoduis aliud ſignum,bilioſi aut alterius humoris ſoboles,mãna,caſia fiſtula,aqua lactis,ſucco roſarum, aut ſyrupo ex infuſionibus violarum,vel infuſo aliquo ſenæ leuiter corpus purgabis, cauens ne aliquod medicamentum acrius admiſceas. Nam tantùm Areteus ea præcauet, vt etiam ſi aluus aſtricta & arida nimis ſit,blãdioribus ſolùm clyſmatis ipſam emollire doceat,interdicens omnino quæ calida & acria exiſtũt: ob id etiã refrigerantibus clyſmatis viſcerũ caliditatem compeſces immiſſo per anũ lacte,aqua hordei cum oleo roſarum & violarum. Præſtat itẽ manè ſumere. ℨ. iiij. aquæ ſtillatitiæ radicum altheæ,vel ſeminum maluarum viridiũ cum. ℨ. j. ſacchari albiſsimi,aut ptiſanam optimè pręparatam,vel aquam ex cremore hordei per inſtillationẽ extractã cum modico ſaccharo,præſertim ſi portulacæ aquam admiſcueris. Eundem etiam vſum præſtat lac quatuor ſeminum frigidorum maiorũ,ſuccus & decoctũ cucurbitæ cum mucilaginibus pſyllij & ſeminis citoniorũ. Conferunt non minùs aquæ dulcis temperatæ balnea quæ vel calorẽ compeſcant,vel ſudorem huic affectioni vtilem alliciant: in fœminis verò nullum vtilius neque tutius reperies præſidium, quàm frequentioribus crurum lauacris menſes euocare,aut eorum defectu,ex venis tali copioſum ſanguinem fundere. Sic profectò in vtroq; ſexu incredibili quadam efficacia prodeſt,ſanguinem per hirudines ex hæmorrhoydibus extrahere: nam cùm huiuſmodi venæ cum venis dorſi & meſeraicis quodammodo communes exiſtãt,dorſalis hæc affectio mira quadam celeritate ſubſidet & quieſcit extracto per hæmorrhoydes ſanguine. Quòd ſi iecur compati videatur,nõ minoris eſt momenti ſaluatellam dextræ manus ſcindere: & his omnibus factis, dorſum roſaceo vnguento,de cucurbitis,vel refrigeranti Galen. inungere.

Verùm ſi ex ſola diſtemperie,citra euidentem humorum augmentum affectus ſuboriatur,eam omnino admittit curandi rationem,quam eſſe proficuã fœminis ex humorum vſtione melancholicis,dictum eſt. In quo ſanè opere (præter victus inſtitutionem,quæ attemperet & optimæ ſit ſubſtantiæ) nulla prorſus aut quàm leuiſsi-

leuiſsima vacuatione vtendũ eſt,niſi vel menſes ſupprimãtur, vel improſperè prodeant: quo tempore tali venas tundere oportebit,ſin aliter,minimè vel tãtùm dextræ manus ſaluatellam inſcindere refrigerationis viſcerum gratia. Fugiendum tamen omnino eſt in purgationibus ab electorijs & validioribus pharmacis: quippe aut purgandum non eſt, aut quàm leuiſsimis, qualia paulò ſuperiùs adduximus: nam ea quæ calida,arida vel acria ſunt,mihi non eſt dubium,quin graue damnum ſint allatura,vt de rhabarbari infuſo,diuturno experimẽto comprobatum habeo, quòd eo exhibito,vehementiores & maiores arteriæ ſubſultus compareant, & nihil fœmina excernat, & ſiticuloſa ac mille querelis plena euadat. Quamobrem in huiuſmodi cauſa fugiendum eſſe ab eius vſu omnino arbitror,ſolùmque blandis agendum: vel ſi nihil excrementitium ſupereſſe comperiamus,cibis optimi nutrimenti & medicamentis temperatioribus feruorem humorum ac viſcerũ miteſcere oportebit. Vnum tamen in hac curatione præcauere oportet, ne vel nimijs exercitijs corpus plurimùm incaleſcat, vel in furorem fœmina agatur, aut cruditatibus ſcatens in hypochondriacam melancholiam perquàm facilè degeneret: tandem vtilius ſemper eſſe duxi,paucis & probo vitæ inſtituto fœminã moderari,quam grandi medicamentorum turba exhibita,non ſolùm non prodeſſe, verùm in grauiores & in immedicabiles affectus corpus deferre.

Si autem ex viſceris alicuius obſtructione (quod tertiam cauſam & ſpeciem huius affectus complet) id malum ſuboriatur,hoc vnum in curatione præ oculis habeto,nimirum,nullum auxilij genus quicquã vſquam præſtare, niſi obſtructionẽ priùs curaueris: nam ſi obſtructio illi potiſsimam cauſam præſtat,certum eſt verã curandi rationem à cauſæ ablatione principium nanciſci. Sic mille auxilijs à medicorum plurimis tentatis,nullum leuamen fœminæ perſentiſcũt,niſi obſtructione curata: quo ſanè opere ſubſultus deliteſcit, vel parũ aut nil ſenſu percipitur. Quãobrem primò cuius nam viſceris obſtructio ſit,expendes,cui opem attuleris,ſi eis prorſus auxilijs quæ cap. præcedẽte adduximus,vſus fueris: quibus aliquid attemperans admiſcere conueniet,ne arteriæ calor de obſtruentiũ medicamẽtorum vi & efficacia in maiorem intenſionem agatur. Ac ſublata obſtructione (cuius hac in parte iterum meminiſſe non eſt æquum) omnino ſubſultum, ſi fortè remanſerit, curabis,eadem prorſus methodo & eiſdem medicamentis, quæ reliquis duabus cauſis proficua eſſe ſuperiùs diximus.

De varijs ventriculi accidentibus ex vtero.
Cap. VIII.

DVM eò miſeriæ fœmina deuenerit, vt ſanguis menſtruus aut ſemen, vel vtrunque corrumpatur, non ſolùm quæ hucuſque diximus mala ipſi ſuccreſcere aſſolent,verùm & multò plura,ac non minus grauia. Nam cùm (vt dictum eſt) vterus præcipuis corporis particulis conſortium non leue aut contemnendum obtineat, & ob id in conſenſum quoque ferè omnes partes trahat, præſertim ſi aliquid ab eo in ipſas tranſmittatur: fit profectò vt ventriculum etiam mille modis lædat, partim appetitu omnino ipſum priuando, partim eum imminuendo, partim quidem ipſum cogendo ad ciborũ abominationem. Quippe aliud eſt non appetere, aliud dimi-

diminutè appetere, & aliud quidem cibos abominari & odio habere: aliquando etenim præter inappetentiã horret animus viso alimento. Præter quæ vitia, aliud non leue virginibus ferè omnibus, & reliquarum non paucis excitare vterus assolet, nimirum, deprauatarum rerum appetentiã. Vtcunq; tamen sit, harũ affectionũ naturam ad eam ventriculi partem & facultatem pertinere censemus; cui appetendi munus incumbit: quo fit, vt os ventriculi affici necessum sit, idq; quatenus facultate appetendi fruitur. Verùm sicut diuersa huic parti insunt sympthomata, ita quoque diuersas in ea facultates pati credendum est: nã inappetentia, aut dimi nuta appetentia ad animalẽ facultatẽ referri debẽt: at verò hoc vel illud appetere, vel odio habere, proculdubio ad facultatem naturalem appetitiuam. Nam cùm si milium sit naturalis appetitus ad indiuidui conseruationem, & id sit cuique naturale & insitum, ita quoque eidem potentiæ pertinere deprauatè appetere existimandũ est. Sunt quidem harum potentiarũ vitia hæc, in genere noxæ earundem deprauatarum aut ex toto abolitarum, vel diminutè operantium. Proficiscitur tamen hoc sympthomatum genus ex oris vẽtriculi intemperamento, solo vel cum affluxu rei alicuius præter naturam, ab vtero in ipsum ascendentis.

Præter dicta accidentia, ex ventriculo ipso ab eadem causa læso, alia non minoris momẽti succrescere conspicimus, cuius naturæ esse creditur vomitus & singultus, quos mille modis fieri & incredibili varietate mutari euidenter constat: sicut sympthomata esse secernentis ventriculi facultatis. Item mirabitur forsan quispiã, si dolorum ipsius ventriculi varietatem & vehementiam diligenter intueatur: nã ab eisdem causis non ratò, vel dolore os eius premitur aliquando adeò acri, & vehementi, vt in syncopẽ fœminã deferat, aliquãdo verò adeò tristi & molesto citra magnã vehemẽtiam vt mœstas & omni tędio affectas ipsas reddat, maximè eas quæ meserei inflammatione vel obstructione laborant: sic profectò, incredibili varietate ludentes solent perpeti dolores, vt scribi sit perdifficile. Verùm cùm fere omniũ eadem sit curãdi ratio, cum causa & causæ principium sint idem, ob id hæc dixisse sit satis.

Causa. Vnam cõmunemq; causam hos omnes affectus nanciscì cõpertum mihi est: nã halitus ille ex putrido semine aut sanguine ascendens, pertingens os ventriculi, ap petentiæ vitia progignit, veniens verò ad ventriculi cauum, nauseam, vomitum, ac singultum proculdubio molitur. Verùm cùm halitus vnus sit, addubitabit quidem aliquis, quanam ratione in vno eodemque membro tot excitet accidẽtium varietates. In qua quidem re ego existimo dum halitus in vẽtriculi cauitate inundat, vomitus necessariò concitari, qui natura halitu irritata, alimentũ omne super ueniens trudit. At dũ huiusmodi halitus ventriculi tunicis fixi adhærent, necesse subinde est fœminam perpetuò nauseabundam existere: affligitur enim tunc ventriculus, & assiduo irritamento nititur pellere quod sibi approximari molestum persentit. Sed si prædicti halitus substantiam ipsius ventriculi permeent, & in eius penitoria sese inserant, singultum necessariò fieri comperies: quippe ex maiori molestia, quã halitus inferunt, maiores cogitur natura conatus apponere, ita vt ventriculum conuellat cõcutiatq; spe excernendi nocuũ. Cæterùm si halitus ijdem eò malitiæ tendant, vt humores ventris aut alimenta vitient, hæc eadẽ acci dentia, sed longè grauiora & alijs non minoribus admixta facilè cernes. Mouet quoque idem halitus inappetentiam, ciborum abominationem & deprauatorũ appetitum, verùm diuersa ratione: nam dũ halitus qui ascendit, præter quã quòd os ventriculi attingit, putridæ quoque, pinguosæ, & calidæ, sed multùm humidæ naturæ

naturæ existit, cibi abominationem efficere compos est: talia etenim sunt suapte natura idonea tædium & subuersionem efficere, vt de pinguosis & crassis cibarijs compertum est. Quod etiã accidens in potu iam reperimus in illustri quadam fœ mina, quæ potum auersabatur: sicut in alia nullo modo posse potum admittere, quod protinus vomitu & mille alijs accidẽtibus excãdescceret, instar hydrophobi ci affectus, (licet hæc potum summoperè expostulasset) ita vt sexaginta diebus sine potu degerit. Verùm dum halitus ascendens, calidus nimis fuerit, sitibundam effi ciet fœminam, plurimùm tamen fastiditam: deijcit enim nimia & putredinosa ca liditas actum appetitiuæ potentiæ, licet bibendi cupiditatem adaugeat. Quòd si aliquam aliam qualitatem deterrimæ conditionis præ se tulerit halitus, eiusdẽ naturæ appetitum suscitari necessum erit: sic proculdubio exustus halitus, carbones, siccissimus, terrã, frigidus & siccus gypsum appetere cogit, & pari ratione alia fœda & deterrima modò cibaria sint, modò secus quæ mira varietate fœminas sic affectas appetere scimus. Cuius rei multiplicitatem, siue cibi siue potus sit, ad variam & multigenam halitus conditionem reducendam esse arbitror: quibus accedit vitiosorum succorum copia, quæ aut præfuit in corpore, aut occasione horũ halituum in dies magis ac magis in corpore accrescit. Ex qua sanè cõsideratione prodit causa durationis horum affectuum: nam mirum profectò est, cur tandiu dürent, cùm totam eorum causam in halitus reiectam scripserimus: sed causa sunt humores praui ventriculo adhærentes, qui vitium & putredinosam naturam ab halitibus ocyssimè mutuantur, ac diu adseruant, & malũ subinde adaugent & tuentur. Sic dum præ nimia copia ventriculus aut aliqua eius pars distenditur, mirum non est, si dolore prematur, sicut dum acrimonia aut mordacitate eius aut alicuius praui succi mordetur, dissoluiturq;.

Signa. Huius affectionis signa exquirere superuacuum duxi, siquidem satis vnum quodque seipsum manifestat: sed in hac re scire tantùm conuenit, nauseam, von itum & singultum, ipsum ventriculum affectum esse monstrare: at appetitus vitia syncopem cardiacam, frequentem anxietatem, ac dolorem ventriculi os pati. Ha bet insuper hoc peculiare deprauatarum rerum appetitus, quòd arguit intraneã, imbibitam & ferè habitualem halitus intemperiem & naturam in ore ventricu li: quòd æmuletur conditionem naturalis temperamenti, & substantiæ partium quæ sibi simile insita virtute appetũt. Si tamen fœmina huiusmodi accidentia per pessa, nihil omnino inedia vel siti contabescat, vel imminuatur, scito, vniuersum corporis habitum humiditate nimia scatere, ac veluti connaturalem habere non leuem humorum crassorum copiam: quos proculdubio scimus diu citra cibum in noxiè plures fœminas adseruasse: quod diligens medicus attento animo expendat, quippe ad præsagationem & curationem proficuum summoperè erit. Humo res enim hi diutissimè perferre possunt vim & actionẽ caloris, antequam in consumptionem carnis vel alterius vtilis substantiæ calor ipse ob alimenti defectum irruat: quo fit, vt diu citra euidentem consumptionem fœminæ sic affectæ absque alimento viuant. Dolorem verò esse ex flatu vel humore, docet tensio, si flatus ad sit, aut oris sapor vel vomitus, si humor, & qualis sit ostendit ipse qui vomendo ex cernitur.

Curandi ratio. Solent prædicta accidentia tam difficulter curari, vt nullis videantur auxilijs (quantumuis rationi consona sint) cedere: quapropter medici consilio destitu ti, omnino ab eorum curatione desistunt. Cuius difficultatis vniuersam ratio nem pertinere cẽseo ad vteri vitia, quæ cùm præsidijs ventriculo adhibitis auferri nequeant,

nequeant, frustrà medicus curationem aggredi tentat. Erit igitur in hoc affectu duplex curandi ratio: altera, quæ vtero, membro nimirum primò affecto prouideat: altera verò, quæ ventriculo. Sed expendat lector in hac curatione, sæpe vitium ab vtero mutuatum, fieri in ipso ventriculo per essentiam ex diuturno consensu, cui eo tempore omnis cura adhibenda est, antè quàm vtero auxiliares præstemus manus. Ad primam igitur curandi rationem perueniendo, sanguine menstruo imprò bè expurgato, primò prouidebis sanguine quidem misso, plerumque tamen extalo, modò menstruationis sit tempus, modò secus: nam vtcunque sit, studēdum est vteri plenitudinem deponere, & naturam ad partes consuetas euocare. Nec verendum est, ventriculo fastidiente vel nauseabundo sanguinem demere: causam enim imprimis illidere oportet, ac deinceps membris imbecillibus prouidere. Sānguine itaque pro viribus & suppressionis mensium ratione euocato, insurgit protinus altera curandi ratio, quæ flatus ventriculum ascendentes discutiat: rursus altera, quæ ventriculum euacuet, & post euacuationem firmet ac roboret. Nam, vt dictum est, vniuersa diuturnitatis huius affectus ratio, in superuacuis humoribus vē triculo inhærentibus consistit. Sic mox à sanguinis detractione leui pharmaco ventriculum purgabis, veluti manna, casia cum pulueribus diarrhodonis, vel modico agarico: syrupo item rosarum solutiuo, pilulis mastichinis vel de hiera. Deinceps tamen adhibitis quæ humores crassos inscindunt, & acres retundunt (quorū abūde meminimus cap. de epilepsia) deuenies protinus ad paulatinam purgationē, factam quidem pilulis de agarico, de aloë, aut ipsa aloë lota, de hiera simplici, de mastiche, vel compositis ex rhabarbaro, mastiche, agarico, & aloë pari mensura: vt si quid in ventre adhuc inhæserit, paulatim expurgetur, quò faciliùs quæ flatus discutiunt, locum obtineant. Qua in re imprimis ventrem inunges oleo nardino, de absynthio, de cinnamomo, de mentha, vel de napha, aut de abiete, vel balsamo, additis pulueribus, diarrhodonis, absynthij, mēthæ, cinnamomi, corticum citri, ligni aloēs, & seminis angelicæ, cum modico diamoscho, & diambra. Ex quibus facilè tibi erit varia conficere præsidia, quæ ori ventriculi aut dorso appositа maximè sint momenti. Præstat idem beneficium frigidioribus fœminis decoctum radicis angelicæ cum saccharo summo manè ingestum: item dilutum absynthij cum aromatico rosaceo, vel diarrhodone in tabellis confecto: sic cinnamomi stillatitia aqua, vel floris eius, maximæ efficaciæ esse creditur. Ex vsu quoque est pulueris agnicasti & cinnamomi, corticum citri, anisi, & cumini momentum ante cibum accipere. Sed efficacius reperies intus & extra adhibitum oleum cinnamomi, anisi, cariophyllorum, & macis aut piperis: quæ sanè arte chimica extracta non parum prodesse scio. Clysteribus frequentioribus in hoc affectu vtendum esse consulit rei ratio: præsertim ijs, qui aliquid expurgent, & flatus ab vtero & vicinis partibus discutiant: qualia abundè superiùs retulimus. Sed præstabit in hoc affectu bis semelue in hebdomada vomere, quod experimento didicimus vtilissimum fore: à quo auxilio porrigenda sunt quæ reliquias cōterere valeant, velut est theriaca, mithrydatum, bolus magnitudine fabæ ex terebinthina cum modico rhabarbaro, item radix angelicæ saccharo condita. Victum item omnibus ministrabis optimi succi, & tenuioris substantiæ, potum verò ex aqua cinnamomi vel anisi, cum corticibus citri aut radice chinæ, quod magis probo: nec displicebit in his quæ frequenter animo deficiunt aut facilè resoluuntur, modico vti vino, vel saltem mica panis eo madida ante prandium, quo vires facilè reficiantur, & calor vegetior concitetur in ventre.

Verùm

Verùm quia adhuc his omnibus factis, affectio subsistere nequit, ex medicis non pauci à curatione omnino desistunt ignorantes præcipuam curandi rationem (ijs, quæ diximus, præmissis) consistere in ea vteri prouidentia quæ flatus distrahat, discutiat, aut sursum ascendere prohibeat: interim tamen sanguine misso ex talo, quo humoris corrupti minor copia præsit. Quapropter crura, ventrem, & vniuersum corpus perfricare imperabis, & fœminā summo manè lēto gradu exerceri, ac ventrē post exercitiū inungere oleo anethino, liliorū alborū, camemali, de croco, de baccis lauri, & in quo ferbuerint radices lilij vel angelicæ, vel semen agnicasti conquassatū, præsertim si eis admiscueris instillationē ex theriaca, quā cap. de vteri suffocatione adduximus. Vtilissimū proculdubio existit tertio vel quarto die cucurbitam vmbilico adhibere, ac post modū partem illam aliquo ex prædictis oleis cum theriaca & pulueribus seminis vel radicis angelicæ inungere, ac deinceps emplastrum pro matrice eidē parti apponere. Tandē ea quæ semē corruptū & quod formam seminis iam amisit, extrahunt vel discutiunt, vteri osculo adhibenda sunt eo ordine, quē diximus cap. de vteri suffocatione, cauentes ne titillationem moueamus, aut seminis effusionem procuremus, sed eius discussionem & imminutionem.

Quòd si vitium magis in ore ventriculi perstiterit, frequentioribus pilulis ex hiera & mastiche, vel aloē vtendum est: velut si in fundo vigeat magis, vomitibus frequentioribus, hoc vno in omnibus semper adseruato, ne diu in euacuationibus persistamus: sed vt Hipp. consulit, permittendum est naturam aliquādo ociari, ac liberam esse à medicamentorum vicinia, quæ non parū ipsam labefactant. Quippe hac ratione aliquantulū ab ipsis pharmacis leuata, ipsa sua sponte deinceps citra aliquod auxilium maius præstat beneficium: in lōgissimis enim affectionibus vtendum est præsidijs hac lege.

Verùm si ex diutina halituum ab vtero ad ventriculum transmissione, ipse factus fuerit imbecillus, adeò vt excrementa deinceps sibi generet eo vitio affecta, quo etiam si transmissio halituum cesset, affectionem insigniter nō cessare conspiciamus, vniuersam curandi rationem ventriculo esse adhibendam euidenter constat. Quocirca eo tempore à ventriculi prouidentia eo modo, quem superius diximus, auspicanda est omnis curatio. Tamen si adhuc perstiterit halituum transmissio, & vitium vteri inueteratum fuerit, fontanellam aperire in altero aut ambobus cruribus, vltimum, præstantissimum & non rarò experimento comprobatum existit auxilium. Prodest & doloribus quoque hausti aquæ feruentissimæ summo mane accipere, vel vini odoriferi aut decocti seminis angelicæ, quæ omnia faciès purgato ventre, aut vomitu præmisso.

De varijs & grauissimis totius corporis & capitis doloribus ex Vtero. Cap. IX.

TORQVET non minùs fœminarum plerasque grauis & intolerabilis capitis, lumborum, & totius corporis dolor: quo quidē & imbecilles & inhabiles ad peculiaria munia existunt, & mœrentes ab omni instituto desistūt & ociātur, nequeūtes quicquā efficere. Sed in hoc etiā non parua reperitur differentia, licet sympthomatis ratio & natura vna sit: nā multis caput cū maxima grauitate dolet, alijs cū tensione, nōnullis tamen cum acuto sensu, ita

vt diſcindi aut perforari caput referant: in multis porrò oculi adeò damnum perſentiunt, vt vel proſilire à caluaria, vel diſrumpi videantur: pleriſque tamen altera capitis pars afficitur, alijs totum caput. Sic quoque in crurium, lumborum, & totius corporis doloribus contingit: pleraq; enim totum corpus grauari perſentiũt: aliæ exulcerari: nonnullæ diſrumpi, & rurſus non paucæ referunt ipſa oſſa frangi, ſicut & aliæ laſſitudine inuincibili premi. Alias autem non paucas reperies, quibus aliquod membrum peculiare affici dolore cõtingit, vt vel inflammatione vel grandi humorum defluxu tentari videantur: multis hypochondria & totus vẽter adeò grauiter & frequenter dolent, vt curuæ incedant, vel diſtendi citra maximũ dolorem non poſsint. Quæ omnia in tantum ſolent fœminas affligere, vt abſq; peculiari aliquo auxilio diu perſiſtere nequeant. Atqui cùm harum omnium paſsionum ratio in dolore conſiſtat (qui vel ex diſtemperie ſola, aut cum affluxu materiæ, vel ex ſoluta vnitate proficiſci habet) conſultò, cui morborũ generi ſpeciatim referri mereatur, ſubticeo.

Cauſæ. Licet ex vno vteri conſenſu hæc omnia accidẽtia proficiſci certum ſit, diuerſa tamen ratione ab ijs quæ ſuperiùs retulimus, fiunt. Nam vel halitus aſcendens putridus ab vtero, cauſam præſtat huic malo, vbi per venas ad muſculoſas, neruoſas, membranaceas, ac ſentientes corporis particulas deuenerit: vel ex redundante vitioſo ſanguine ipſius vteri, ac regurgitãte ad ſingulas vel plures, aut præcipuas corporis venas: quarum ratione facta in muſculis ac membranoſis & neruoſis partibus læſione cruciatus maximos excitari eſt neceſſum. Itaque ex vtero duplex inſurgit cauſa: altera quidem halituoſa: altera verò regurgitans ab vtero vitioſus humor: vtraq; tamen ex vna cõmuni cauſa proficiſcens, nimirũ ex improba ſanguinis mẽſtrui vel ſeminis expurgatione. Cæterùm dolorũ diuerſitas ex natura ſeu conditione halitus vel humoris ſentientes partes peruadentis, proficiſcitur, ita vt copioſus humor grauitatem, acris & mordax vlceris ſenſum, flatulenta ſubſtantia tenſionem in parte dolẽte efficere nata ſint. Sic pars dolens membranoſa, tenſiuo dolori obnoxior exiſtit, ſicut quæuis partium ſuam ſortitur doloris differentiam, vt abundè dictum eſt lib. noſtro de præſid. indica. in methodo vniuerſali. Sed accidunt omnino frequentiùs hi dolores in cap. potiſsimum in parte eius arterioſa: quòd hæc faciliùs dilatatione & compreſsione hos halitus trahere & ſuſcipere nata ſit. Quo fit, vt maiori ex parte capitis dolores pulſatorij ſint, quod expendiſſe ad curationem maximi ſemper fuit momenti. Contingunt inſuper in parte eius poſtica ob venas & arterias quæ iuxta dorſum eam partem adeunt, vt alibi latiùs diximus, & Hippocrat. viſum eſt lib. 7. pop. text. 64. dicenti dolores capitis ex vtero caſtoreum ſedat, & per totam ſententiam, mira profert. Idem fatetur lib. 5. popu. in hiſtoria mulieris cui caput nihil proficientibus auxilijs dolebat, quæ ſolùm ſubductitijs bene olentibus, vtero appoſitis iuuabatur. Quibus accedit alia cauſa, nimirum immodicus lixiuij fortioris vſus, vel alterius rei quæ vehementiùs pilorum nigritiem frænet, adhæſus. Qua ſanè occaſione immedicabiliter haud paucas ſalutem perdidiſſe vidimus. Succedit his cauſis tertia prædictis grauior, quæ ex habituali cerebri (vel alicuius membri principalis in caput mittentis imbecillitate, ab humiditate nimia proficiſcente originem trahit: ex qua ſanè diſpoſitione reumaticos à Galeno appellatos affectus fieri proculdubio arbitror, vt ex eius verbis apertè colligitur lib. de ſanguinis mi. cap. 7. & 1. phar. ge. cap. 6. cuius etiam mali Hippocrat. meminiſſe conſtat, & lib. de glandu. & de locis in homine, licèt verbis obſcuris. Itaq; conſtat his tribus

tribus modis fœminas, capite & toto corpore adeò pertinaciter & moleſtè dolere, vt vix ferri id malum aut curari poſsit. Quippe ex quauis harum cauſarum ſi adeò perſtiterit, vt habitum parti inducat, mirum non eſt ſi reumaticus prodeat affectus, quem adeò ægrè curabilem exiſtimat Galen. vt mirum non ſit, ſi nos arbitremur morbum Gallicum de huius reumatici affectus ſorte depromptũ fuiſſe. Prodit itaque ex hac triplici cauſa, triplex quoque in cerebro vel dolente parte affectio, quarum vna ſicca adeò fixa & habitualis ex lixiuio ac ſuffumigijs, vt nullis præſidijs cedere viſa ſit: quin eiſdem non rarò exacerbatur & creſcit. Secunda humida & habitualis quoque adeò pertinax & grauis, vt quàm ſimillima morbo Gallico exiſtat, mille fluxionibus plena. Tertia verò ei us naturæ & temperamenti facti vel fientis, qualis fuerit halitus qui ab vtero in caput effertur: quem adeò varium arbitramur eſſe, vt ſcribi ac deſignari minimè poſsit. Quæ ſanè omnia expendiſſe oportebit ad rectam medendi rationem aucupandam. Denique licèt hic halituum, aut humorum corruptorum commeatus ab vtero in reliquas partes (vbi alios affectus quoque fieri dictum eſt) cauſa exiſtat, differt tamen hæc affectio à reliquis, quia in hac, peculiari quadam conditione halitus ſeu humor venas ipſas ſubingreditur, & partem in quam vena illa inſeritur, prædictis doloribus afficit: etiam ſi aliquando contingat in partes corporis cauas, hos halitus ſeſe inſinuare, ſubindeq; maximos & grauiſsimos dolores concitare veluti in ventriculo, inteſtinis, vtero ac veſica frequenter contingit: ſed longè quidem frequentiùs in vena magna quæ iuxta dorſum ſita eſt, cuius occaſione, dum nimia plenitudine turget, ſiue exflatu, ſiue ex humore ſit, cenſeo proculdubio maiorem prædictorum dolorũ partem proficiſci, cuius etiam ediſcere prouidentiam conuenit.

Sunt quidem hi affectus talis naturæ, quòd ſua ſponte ſeſe facilè oſtendunt. Sic *Signa.* enim omnibus ſimul hoc eſt cõmune, vt menſes ex toto auferri, vel ſenſibiliter imminui, aut aliter vitiari, & ſubinde infimam ventris regionem non leui murmurio habeant affici: quod oſtendunt grauiora accidentia, quæ menſibus inſtantibus, fluentibus, vel nuper egreſsis ſuccreſcunt: præſertim ſi imminuta fuit facta purgatio. Quod facilè innoteſcet ex dolore vteri, lumborum grauitate, ac denique ex alijs ſignis, quæ antè habitis cap. retulimus: quæ ſanè omnia atteſtantur, vterum eſſe illorum malorum potiſsimam cauſam. Flatum tamen, aut vitioſum copioſumue ſanguinem eſſe, eo cognoſces, quòd flatus citra grauitatem, cũ tenſione tamen, dolorem efficit: at humor cum grauitate, eroſione & acrimonia dolores inducit. Quòd ſi humor terreſtris craſſuſue aut melancholicus extiterit, veluti confrangi dolore corpus & oſſa videntur: quibus haud difficulter cauſam diſtingues in hoc malo, ſi diligenti conſideratione quę diximus, expenderis. Nam habitum iam contraxiſſe & factum fuiſſe reumaticum affectũ comperies, tum ex diuturnitate, tum verò quia præmiſſa adhuc conuenienti curatione facillimè reuertitur affectio, aut ipſi minimè cedit. Item dignoſces ſiccum fuiſſe habitum, ex vnitate, accidentium perſtantia atque fixione: humidum ex diuerſitate partium quæ afficiuntur & mille fluxionum generibus premũtur, vel ex monſtroſa halitus natura proficiſcente, ob varietatem accidentium & dolorum, quorum neutrum alteri reſpondet.

Tam frequenter hæc vitia virginibus ac reliquis omnibus accidere cõſpicimus, *Curandi ratio.* vt neceſſum ſit præſto illis eſſe auxilijs, ſi velimus eas à frequentiſsimis doloribus & nos ab importuniſsimis querimonijs eruere. Quamobrẽ primò in curatione expendere oportet, ſint ne humores, an flatus, qui affectum cõcitãt: quod ex doloris

perſtantia, aut ſubita mutatione facilè interſtingues. Quippe dum flatus mali cauſa eſt, vniuerſam eius curandi rationem vtero præſtabis, frictionibus toti corpori adhibitis, & præcipuè parti dolenti, inunctionibus etiam, vnguentis & alijs præſidijs quæ flatus diſcutiendi vim obtineant, quales nunc fiunt ex balſamo, ex oleo ſancto, de cinnamomo, de ſpica, de rore marino: conferunt theriacæ inunctiones, vel emplaſtrum aliquod confectum ex gummi thecamacha vel caranna, thure & myrrha cum modico ſucco angelicæ: ſic & potus ex decocto herbarum calidarum & quas carminatiuas appellant, & ſuffumigia & alia eius naturæ. Item è regione venæ vel arteriæ, quæ magis dolet, ſummopere confert appoſitum cerotum ex caranna & aliquo ex prædictis oleis confectum: quod temporibus adhibitum ſcimus non parui eſſe momẽti, niſi malum ita in parte dolente inueteratum fuerit, vt ex habitu pars ipſa etiam aliquid prauũ generet, quod deinceps à quauis occaſione in graues dolores commigret. Quo tempore præmiſſa vteri prouidentia (quam mox referam) paulatim particulam purgare & corroborare conueniet ijs quæ cap. de purgatione particulari, & de corroborantibus auxilijs lib. de indic. & hoc etiam opere cap. de epilepſia diximus: Verum itaque reſpicere oportet, in cuius curatione à ſanguinis miſsione auſpicandum eſt, ſed vt plurimùm venis tali inſciſis, extractoque ſufficienter ſanguine, verùm in hac cauſa parciùs quàm in alia. Quo facto, vterum inungere conuenit ijs quæ flatum diſcutiant, oleis, vnguentis, fomentis, & emplaſtris pro matrice, cap. de vteri ſuffocatione ſcriptis: quem quoque vſum præſtant cucurbitæ vmbilico frequenter appoſitæ. In quo ſanè affectu non minus peſſarijs vteris, quàm in alijs hucuſque dictis. Sed in huius affectus curatione non minorem ſanitatis partem reperies in clyſterium vſu, quos carminandi flatus ac purgandi vteri gratia, compones. In quibus item affectibus purgationes ex mercuriali plurimùm prodeſſe conſtat. Confert item crura abluere, ac in aquam calidam ſæpe immergere pedes. Proſunt etiam balnea ſulphurea vel ex dulci aqua calida. Et aliquando ex vſu eſt decocto ligni guaiaci, ſpartæ parellæ vel radicis chinæ ſudare. Sed vtilius longè eſt omni arte menſes euocare, vt ſuo loco abunde diximus. At verò flatus & à parte & ab vtero faciliùs & tutiùs, quàm quouis alio præſidio, moderato exercitio auferes. Quòd ſi humorem ab vtero ad caput, vel quamuis aliam corporis particulam regurgitaſſe cognoueris (quod ex grauitate & ſignis plenitudinis in eâdem parte vel in toto facilè deprehendes) potiſsima curandi ratio erit ſanguinis detractio, ex altero aut vtroque brachio, vel ſciſſa iecoris vena in dextra manu. Tempore tamen quo prorumpere menſes ſolent, vel ſi prodierint, ſed diminutè, iterum ſanguinem fundes ex venis tali. Cæterùm in hoc affectu retrahere deriuare & euacuare per infimas partes neceſſum eſt, ante quidem quàm plenitudo vteri in totum corpus commigret, niſi dolores in cruribus ſteterint, quo tempore rarò & maxima cum præmeditatione, vel nunquam ſanguinem ex talo fundes. Quo facto, humoris ideam ac naturam inſpicies, ac ſi melancholici ſanguinis abundantia caput vel corpus dolere compereris, nullum medicamentum eligens ita efficax adhibere poteris, quàm hirudines hæmorrhoydibus affigere, quæ melancholicum ſanguinem alliciant. Quippe inter omnes ſanguinis detractiones, hoc habet proprium ea quæ per hirudines fit, vt more eligentis medicamenti humorem melancholicum ſeligat, ſimulque plenitudinem demat, venarum illarum ſitu & commoditate, atque natura ſanguinis contenti. Quamobrem ſanguine hac lege miſſo, ſi quid humoris melancholici ſupererit, pau-

paulatinis purgationibus minues, vt cap. de virg. & vidu. melancho. dictum eſt. Hoc tamen vnum adſeruabis in huius mali purgationibus, quòd ſi in toto corpore dolores fuerint, plena omnino purgatione vteris, præſertim ſi humores bilioſi ac tenues fuerint: paulatina verò & per interualla, ſi fixi ac permanentes in aliquo loco ſteterint, donec vitioſam plenitudinem depoſitam fuiſſe conſtet: potiſsimùm quidem, ſi humores craſsi, viſcoſi & tenaces ſint. Deinceps quidem introductam in partem dolentem diſtemperiem corriges, roborabiſque membrum ipſum: adeò enim variæ & omnigenæ naturæ halitus eſſe ſolent, vt modò frigidam, modo verò calidam & humidam, & quandoque ſiccam diſtemperiem in parte generent. Sic profectò iuxta cuiuſque conditionem calida, aut frigida adhibebis, ſed proſunt frequentiùs calida: quo fit, vt ea quæ ſuperiùs flatibus diſcutiendis idonea eſſe diximus, his quoq; doloribus proficua eſſe cõperiamus: velut ſunt inunctiones, emplaſtra ex gummi thecamacha, & caranna, balſamo, ac oleis calidis quæ retulimus. Proſunt & leues frictiones, moderatum continuumque exercitium, & tandem balnea ex ſulphure, præſertim ſi in tumorem pars dolore affecta attollatur. Verùm quia millies in hoc opere ea quæ vtero mandanti, & membro cuiuis ab eo recipienti, prodeſſe poſſunt, dicta ſunt, cò quidem in hoc cap. ſilentio prætermitto: nam facillima ſunt, ſi quis exactè legat quæ hucuſque diximus. Verùm ſi habitualem diſtemperiem caput contraxiſſe comperias, eamque ſiccã eſſe ſcias, expende nullis vacuationibus eſſe vtendum, ſed omni arte caput humectabis, tam balneis quàm fotibus & alijs linimentis quæ ex oleo ſeminum melonum & cucurbitarum fieri poſſunt, & ex mucilaginibus, & alijs quæ hecticis corporibus prodeſſe ſcimus, quæ ob id hac in parte ſubticeo. Quod ſi reumatica facta ſit affectio, mihi non eſt dubium quin velut morbus Gallicus curari deſideret, ſudorificis & ſyrupis ex ligno guayaco confectis, & tandem alijs vacuationum generibus quæ huic vſui proficua fore ſcimus. At ſi eandem reumaticam affectionẽ non ex intemperamento habitualiter humido, ſeu ex partis alicuius vel totius corporis imbecillitate, proficiſci comperiamus, ita vt vel pars ſuſceptet præ impotentia, vel alijs tranſmittat quod crudum vel prauè alteratum conficit, tunc proculdubio roborantibus potiùs agendum eſt, quàm vllo vacuantium genere, ſi Gal. credimus, lib. de ſang. miſſione, qui tantùm parcam ſanguinis detractionem concedit, vel leuem purgationem: cum hoc tamen quia id quod indies aggregatur, credendum eſt futurũ eſſe affectionũ multarum cauſam, vacuatione aliqua paulatina & quæ diu facta prodeſſe poſsit, rem agere oportet. Quo fit vt dum caput malum habitum contraxerit, ex vſu ſit fontanellam in brachijs aperire, ſicut dum vterus per tranſmiſsionem in caput mandat, eaſdem cruribus affigere, præſentaneum & vltimum auxilium exiſtit.

Si tamen dolor alicui parti fixus ſit, vel irradiationis modo caput infeſtet, experimento fidiſsimo compertum habeo, ferro candenti partem illam leui vlcere vrere, idque maximè ſi pericraneum dolere nobis compertum ſit: quippe hoc auxilio facillimè cedere conſtat, quod multis alijs non ceſsit.

De pruritu & furore vteri, ac de sympthomate turpitudinis.

Cap. X.

INTER eos affectus, quos vterum pati scimus, quatenus pars simplex & similaris est, primum obtinet locum distemperies, ea præsertim, quæ peculiarem quendam affectum sibi vendicat ac efficit: eumque quodammodo medium inter vteri affectus ipsi pertinentes vt simplex pars est, & inter eos qui eidem referuntur, vt membrum agit organicum. Talis proculdubio est vterinus furor cuius natura partim pertinet ad naturalem vteri appetitū ex vitiato temperamento læsum, partim verò ad cerebrū ipsum, quod vterus in consortium quoque allicit. Est itaque vterinus furor (vt ab ipso initium sumam, nam eo exposito reliquæ ei persimiles affectiones innotescēt facilè) immodicum & effræne coëundi desiderium adeò validum & inextinguibile, vt in furorem & deliramentum commigrare fœmina videatur ob excedētem nimis & insatiabilem appetitum. In quo affectu cōsiderare in primis oportet, qualis morbus vigeat, quæ sympthomata insint, & à quibus prodeant causis. Morbum itaq; Ætius calidam vteri distemperiem iure optimo censet, quam ego existimo non qualēcunq; esse, sed excedentem & ferè habitualem, & cum hoc malignam, quod ex verbis eiusdem authoris facilè etiam colliges. Quam quidem distemperiem in ea parte residere est coniectandum, in qua maximè appetitus viget, instar priapismi in viris. Nam licet tota vteri substantia naturalem habeat attrahendi semen appetitum, testes tamen ipsius, & partes sibi proximas, ac deniq; vniuersum vteri collum, & potissimè eius osculum appetitu coëundi pollere, ac eo delectari certum est: quas partes calore maximo vigere in hoc affectu subinde oportet. Ex quo sanè intēperamento prædictis partibus radicato, prodit immoderantia appetitus, veluti in ore ventriculi ex calore sitis, & ex frigore fames proficisci fertur. Cùm enim naturalis appetitus insurgat mediante calore moderato, ita quoque crescit idē appetitus ad pensum caloris adaucti, sed non cuiuscunq;, nisi eius tantū qui præter id quòd naturæ modum excedat, connaturalis etiam factus sit, & more naturalis appetitum quoque efficiat. Quippe vti fames canina aut sitis insatiabilis fiunt in ore ventriculi, ita & in partibus vteri ob prædictam causam coëundi desiderium implacabile insurgit, qui nullo coitu sedatur, neque quiescit, iuuante hanc actionem certo quodam humiditatis modo simul cum calore prædicto, vt à febrili calore dissidere constet. Cui etiam adiungitur (vt integra subsit huius affectus natura) rectricum cerebri potentiarum error, proficiscens quidem ex halitibus ab exusto semine & sanguine menstruo prodeuntibus, qui dum caput ascendunt, furorem in mente concitant, & irrationalem hunc appetitum: quamobrem vterinum furorem huiusmodi affectum medici appellarunt.

Huic profectò quàm simillimas non paucas reperies in fœminis affectiones, quarum etiam antiqui authores meminerunt. Inuenies quidem satyriasi persimilem affectum, quem in viris quoque priapismū appellant: est etenim coëundi insatiabile desiderium cum maximo pudendarū partium tumore ac dolore. Verùm inter alias differentias quibus satyriasim à priapismo differre scimus, ea potissima est, quòd in satyriasi colis non inuitus & ex flatulento spiritu, qui eius arterias ner-

neruumque fistulosum abundè repleat, erigitur, sed ex lasciua quadam libidinis tentigine irritatur: quod in fœminis quam rarissimè accidit: atque id ex falso, vt in viris etiam, humore, vel acri affluente contrahitur: ob quem adeò magnum in genitali pruritum doloremque sentiunt vt manum locis naturalibus continuò admoueant, & ingenti veneris desiderio contabescant. Sed affectus hi ab vteri furore euidenter dissident, quòd in hoc sola distemperies appetitum excitet cum leui acrium humorum affluxu: at in satyriasi & priapismo ex plenitudine humorū ac flatuum adeò tument partes, vt tentiginem & conuulsionem pati videantur: licet satyriasis ex appetitu, priapismus verò ex vitio arteriæ potiùs & cauitatum, principium sortiatur. Ex quo sequitur cruciari fœminas sic affectas pruritu ac doloribus maximis, etiam si quodammodo delectari videantur, veluti in furore contingit. Areteus tamen censet, veram satyriasim fœminas non obtinere, quod ego etiam verum esse arbitror, sed illi aliquid persimile eis accidere, vt cùm prædictæ partes adeò turgent, crescūt & rigent, quòd extra prominere videantur. Quē proculdubiò affectum censeo ab antiquioribus nymphotomiā appellari: affectionem quidem virorum satyriasi persimilem, licet nymphotomia non sit affectus nomen re vera, sed curationis affectus manuali incisione factæ: cùm hoc tamen Moschio Græcus hoc nomen pro vterino furore vsurpat, forsan vt separet affectū hunc à nympha, quæ partis affectæ nomenclatura est, licet varius fuerit in huius vocis significato: nam aliquando etiā appellat sympthoma turpitudinis. Nam vt satyriasis à Satyris, quos poëtæ fingunt, appellata est: ita prorsus & nymphotomiam in fœminis à nymphis dictam existimo. Apud anatomicos enim nymphæ appellantur partes quædam carnosæ, quæ gallorum cristis persimiles existētes prope os vteri in eius ceruice astāt: quas poëtæ referebant per saltus & nemora satyros quærere. In quibus proculdubio venereorum delitias constare, ac turgere magis asserunt: licèt Galen. lib. 5. de vsu part. prædictam nympham ad os vteri tutandum fabrefactam à natura dixerit, & eā à nymphis internis disiunxerit. Sed his fictionibus missis verius videtur nympheam illam superiori pudendi parte intra aliorum externa adnatam ad vrinarij meatus tutellam fabrefactam, & ab Hippocra. appellatā chiona, licet nympheæ vox vt refert Suidas fuerit Sameorum: qui morbus apud Rufum Ephesium & apud Pollucē, dictus fuit clytoris: columella verò etiam dicitur, & tentigo ab Albucasi, & virgam nuncupauit Auicen. Moschio verò aliquādo sympthoma turpitudinis & aliquando caudam seu carnem. Quæ pars dum eo crescit, quòd prominere & extra pelli videatur, huiusmodi nymphæ ā efficere existimo. Quam affectionem antiqui parte prominente resciſſa, citra distinctionem curabant, sed falluntur longè iudicio nostro: nam caro illa non crescit ex addita carne semper, sed ex humore, & ob id scindere alienum videtur à curādi ratione, nisi cùm vitium in magnitudine partis præter modum constiterit (cuius etiam nominis meminit Areteus (quæ substantia quædam est musculosa, aut pelliculosa supra alarum pudendi commissuram sita, quo loco vrinarius meatus existit. Quam in quibusdam fœminis refert ad tantam magnitudinem crescere, vt deformitatem ac pudorem inducat: eamque etiam ex contactu vestium & ex appetitu tantùm erigi, vt ad venerem & coitum fœminas sic affectas turgere maximè efficiat. Ob id quidem antequam crescat, scindi iubet idem author. Ego autem hanc affectionem eam esse censeo, in qua medici fœminas in viros migrare existimāt: licet aliter id malū etiā (vt multi fabulantur) fieri possit. Quas profectò affectiones potiùs ad vteri prolapsionem, quàm ad aliud mali genus ego reducerem, etiam si barba

fœminis plerunque adnascatur, summum alioqui caloris efferuescentis & intempestiuæ mensium suppressionis indicium. Inquit enim Hippocr. lib. 6. popu. par. 6. In Abderis Phaetusa Pytheæ vxor priore quidem tempore fœcũda erat, cùm autẽ maritus ipsius in exilium abijsset, menses multo tempore suppresi sunt, posteà dolores & rubores ad articulos oborti sunt: hæc autem vbi contigissent, & corpus virile factum est, & hyrsuta penitus euasit, & barbã produxit, & vox aspera facta est. Refert etiam idem author de Gorgipi vxore in Thaso, eundem successum. Cuius rei non leuia reperiuntur apud antiquos & præstantissimos viros testimonia, quæ ob rationem à me adductam consultò prætereo. Quòd si quis contrarium credere voluerit, non veto: siquidem in annalibus Licinio, Crasso, Casio, Longino, consulibus Casini puerum ex virgine sub parentibus effectum, in desertamque arupicum iussu insulam delatum, dignissimos authores lectitasse compertum est. Atqui Lucinus Mucianus, Argis visum à se Aristontem, cui Arestusæ nomen priùs fuisset, nupsisse etiam, num mox & barbam & virilitatem superueniisse, vxoremq; faustè duxisse prodidit. Eiusdem sortis & Smyrnæ puerum sese nouisse refert. Quin etiam illud satis mirari nequeo, quod Plinius in Africa in marem commutatum, qui pridie fœmella fuerat, nuptiarum die Lucium Cositium, Trisditanum ciuem vidisse se affirmat. Sed missa hæc facio, & ad institutum redeo. Potestitaque nymphea Arethei turpitudinis quoque sympthoma appellari: sed differt profectò ab alia nympha, seu nymphotomia perperam appellata, loco & vehementia sympthomatis: vtraque tamen differt ab vterino furore, quia in ipso solùm tumẽt naturali modo genitalia, non prominent, neque erecta crescunt, vt in prædictis duabus dictum est. Sed differt etiam vterinus furor à satyriasi, quòd in hac partes internæ, vt quæ ex humore turgeant, semper cum delectatione doleant, quia seminis flatus & humoris non parua portio affluit, & nõ expurgatur, & frictione ac scalptione maior decumbit: in vteri verò furore partes non dolent, quòd in ea nymphotomia, quæ ex vbertate flatus, seminis & caloris prodit, solet contingere, etiam si promineant pudendæ partes: nam more erectionis naturalis, pudendi viriles partes illæ extenduntur & prominent. Quippe quibusdam fœminis frequentissimũ est hoc sympthoma, præsertim cum diu à viris abstinuerint, & ob aliquam occasionem hoc affectu tentantur: satyriasis enim si quando accidit, semper fœminis præter naturã existit. Est & alia affectionis natura prædictis simillima, quam matricis feruorem antiqui appellarunt: quando nimirum vniuersa vteri substantia & totũ subinde corpus eisdem affectionibus premuntur, quibus pudendas partes in vteri feruore ac satyriasi affici diximus. Tunc enim cum dolore & lumborum grauitate, horripilatione, fastidio, & vrinæ aut excrementorum alui suppresione, fœmina turget ad coitum, quem summopere desiderat, sed ob dolores & accidentia pertimescit valde. Huic quoque affectioni reduces pudendi pruritum, licèt ad sensum tactus potiùs reduci posse videatur: nam rarò absque coëundi desiderio accidere existimamus: quapropter ad turpitudinis sympthoma potiùs referendum esse censui. Est enim pruritus vteri stimulus quidam scalpendi seu confricandi partes pudẽdas, ex quo prodit, partem ad coëundi appetitum gliscere, quòd ex prædicta perfrictione humores & calor ad partem magis euocentur, ac seminis receptacula & semen ipsum vehementiùs moueantur. Quo fit, vt licet affectio ex pruritu incipiat, facilè subinde & frequenter in prædictum sympthoma degeneret, ita vt coëundi appetitus adeò crescat, quod satiari minimè possit, sed turgens & inuerecunda turpiter se degat fœmina: quæ proculdubio causa me compulit hoc accidens ad turpitudini

tudinis sympthoma reducere: licet hoc turpitudinis sympthoma ob aliã causam sic fuerit appellatum. Habet quidem vteri pruritus tanquam peculiarem causam humores bilioſos, acres, salsos, nitrosos & adustos, qui ad vteri collum & partes pudendas confluentes prædictum calorem & pruritum excitant.

Affectiones verò quas hoc cap. disputandas suscepimus, causas habent, quæ di- *Causæ.*
stemperiem calidam natæ sunt excitare, eas potissimum, quæ calorem ferè factũ ac naturali persimilem efficere possunt. Diximus naturali persimilem, quatenus ad stabilitatem pertinet, non quidem quantum ad conditionẽ & qualitates, quòd efficaciorem & acriorem esse necessum sit. Hunc sanè calorem efficit semen genitale in proprijs locis copiosum, calidum vel corruptum existens: nam dum in aliam qualitatem mutatur, alia & longè diuersa parit accidentia. Vt verò furorem efficiat, leuis mordacitatis particeps esse opus est, vt acrimonia illa naturali simillima (licet adauctior sit) appetitum excitet ingentem & præter naturam, qualis causa existit. Præstat his causis principium naturalis fœminarum temperies calida & humida, cæterùm humiditate acri & bilioſa, qualem nigrioris coloris virgines obtinere solent, quas salaces & lasciuas esse comperimus: item iuuenilis ætas, vita ociosa loquelis & inspectionibus lasciuis plena, aëris æstuosa tẽperies & regio: ciborum vitiosorum, eorum præsertim qui semen vberius gignunt, vsus, & omnia denique quæ aut semen augent, calfaciunt, irritant vel putridum efficiunt. Prodit quoque ex semine sic affecto ad ferinum appetitum causa: nam vt Ætius optimè aduertit, per spinalem medullam & vasa ad cerebrum pertingentia, ab exusto semine aliquid ascendit, quod in furorem fœminam agere natum est. Sed cùm vterinus is furor aliquando cum desipientia, aliquando citra ipsam, cum sola videlicet impudentia, aut cum pudore succrescat: ideò cuiusque causam considerare oportebit. Fieri etenim cũ desipientia appetitum hunc effrænem ex putrido halitu à semine putrido elato, iam diximus: at fieri citra desipientiam, ex solo semine excalfacto contingit: ex quo pudicæ fœminæ id accidens etiam persentiscunt, sed proferre præ pudore non audent, quin potiùs præ appetitu contabescunt semine excalfacto corpus exsiccante. Prædictum quidem appetitum crescere cum impudentia & audacia, quæ fœmineum pudorem, præsertim virgineum excedat, arbitror fieri ex connaturali vteri ipsius & totius corporis calido intemperamento, ex quo ad tantam feritatem aguntur fœminæ, vt omnibus posthabitis, virum non solùm appetere, verùm sectari publicè audeant.

Signa harum affectionum, nisi pudore fœmineo occultẽtur, manifesta admo- *Signa.*
dùm sunt: nam in omnibus alijs vteri affectibus fœminæ vel mutæ vel taciturnæ vel mœstæ existunt: in his verò contra, garrulæ, iracundæ, inquietæ, nihilq; aliud imaginantes aut loquentes quàm de virorum consortio, de coitu & alijs rebus inhonestis & lasciuis, quibus perpetuò delectantur. Quòd si pudore impeditæ huiusmodi furorem cohibeant, gaudent tamen his rebus auditis, & alijs quæ inhonestæ sunt, ac veluti sopitæ pendent ab ore narrantis, & licet ipsæ nihil loquantur, cum hoc tamen gaudent, præsertim si impudicus & occultus tactus accedat, quẽ vel cum pudore admittunt, vel non fugiunt, turgentq; eo tẽpore pudendæ partes, & ex tactu, delectatione maxima afficiuntur. Noſces tamen à putrido semine affectum proficisci, ex desipientia & inquietudine: ab eodẽ excalfacto, à gestu & vultu viris grato & amico: ex connaturali temperamento, ab impudẽtia & insolita audacia ad lasciuos actus, quos anteà præ pueritia non gustauerat.

Constitues curãdi rationẽ magna diligentia: nã præter id quòd hæ affectiones *Curandi ratio.*
inho-

inhoneſtæ,indecentes ac turpes ſunt,maiorum accidentium præludium exiſtunt & cauſa.Sic profectò,ſi cognoueris prædictis ſignis fœminam calido ſemine abundare,vitæ inſtitutum omnino mutabis,victu tenui,parco,pauci nutrimenti & frigido exhibito.Ieiunium enim & abſtinentiam imperare neceſſum eſt,non ſolum à cibis & potu vini,verùm & à loquelis & inſpectionibus impudicis.Lumbos item fœminæ cinges plumbea lamina, & potum aquæ copioſiorem exhibe,idque paulatim facito:in mutationibus enim ſubitis,quod ſua ſponte ſalubre foret,morboſum efficitur.Sic profectò plures cùm ſe hoc vitio tentari perſentiunt,ex inordinata & inconſiderata abſtinentia in grauiora mala dilabũtur,hoc ſympthomate minimè curato. Quamobrem paulatim ac ſenſim natiuum habitum & intemperamentum mutare oportebit,vt citra ſenſibile damnum curationis finem cõſequaris.In qua ſanè re fœminam decet ſe ieiunijs & orationibus dare,ſolitudini, aut conſortio ſancto & honeſto,à quo virtutum ac temperãtiæ exemplum diſcat,& tandem omnibus modis carnem macerare oportebit,ſanguinem minuere & attemperare, vt tẽperato ac diminuto ſemine, affectio ſua ſponte quieſcat. Victum autem frigidum hac in parte ſcribere tãquam notum & importunum nolui: nemo enim tã inſanæ mentis eſt,qui corpus omnibus modis inanire neſciat,& victum refrigerantem porrigere,ac omnem verborum conſortijque luxũ circuncidere.Quòd ſi vel ex victu,vel laborioſo partu,vel aliqua alia cauſa,quæ extrinſec⁹ vel intrinſecus pudendarum partium ac totius corporis calorem augere nata ſit,affectio hæc ſuboriatur,verendum non eſt omni arte corpus refrigerare.Primò quidem ſi bilioſus redũ dauerit humor,ſyrupis ipſum præparabis & colagogis pharmacis expurgabis.Verùm ſi citra humoris affluxum aut vbertatem diſtemperies ſola vigeat, apozematis,clyſteribus,balneis aquæ dulcis,fomentis ex eadem,& decocto herbarum frigidarum,pudendi calorem vel totius corporis mitigabis,ſicut largioribus aquæ potibus:itẽ ſanguine pauco per interualla ex talo vel dextra ſaluatella extracto.Id etiã beneficiũ præſtabis inunctionibus dorſo adhibitis ex vnguento roſaceo,ex refrigerante Gal.ex vnguento cucurbitarum ſuperpoſitis folijs plantaginis, violarum & ſalicis,ac reliquis quæ refrigerandi virtutem obtineant. Cauens ne ea vtero adhibeas,ne vel menſtrua plus iuſto ſupprimantur,vel in aliud malum ex nimia frigiditate vterus decidat:ſatius enim eſt humores & totum corpus perfrigerare,vt inde ſumpto principio vterus pudendæ ve partes refrigerentur, quàm vtero ipſo frigidiore facto,fœminam in grauius malum deferre.

At ſi ex corrupto ſemine appetitus is inſatiabilis ac delirus inſurgat,eo tempore, licèt fœmina deſipiat,omnis diligentia omniſque cura vtero adhibenda eſt.Primũ enim ſanguinem minues ex brachijs,mox ex talo:nam ſi ita feceris,habitum refrigerabis,corpus minues,& ſi quid in vteri vaſis corruptum immoratur, vena ſciſſa facilè educitur.Quo facto, feruor ocyſimè extinguitur,præſertim ſi vitæ inſtitutum accedat pauci, frigidi & tenuioris nutrimenti:ieiunium item, ſolitudo,aër frigidus,ſolium frigidum,quo decumbat, aqua frigida irroratum.Vtatur quoque fœmina ſic affecta lactucis, ſcariolis,cucurbitis, & alijs quæ ſanguinem minuere & refrigerare nata ſunt.Inter quæ ad genituræ effluuia & aduerſus veneris ludibria in ſomnis & vigilia,ſemen lactucæ plurimũ valere ſcribunt multi:ſicut de roſa hortenſi rubra ſaccharo condita etiam fertur: cui malo non minùs portulaca mãſa & comeſta remedio eſſe ſolet,ſicut melonum frequentior vſus.Quibus factis,corpus à bilioſis humoribus ac recrementis & à ſalſa pituita bis aut ſemel purgabis,deinceps tamen dorſum & lumbos frigidis aſperginibus & vnguentis refrigerabis.

Fomen-

Fomenta item aquæ dulcis tepidæ primùm,deinde frigidæ pudibundis partibus adhibebis:poſt hæc autem aquæ dulcis balneis vteris. Adhibet Ætius vtero,ſi ex ſemine corrupto affectio prodeat,ceratum ex cardamomo & nitro,tu verò ſimul eis vtitor,quæ ſuperiùs cap.de ſuffocatione diximus ſemini diſcutiendo & imminuendo eſſe proficua.Cui vſui vteris emplaſtro hoc quod recipit lentiũ ex corticat.ʒ.j.foliorum plantaginis & lactucæ.ana.m.j.corticis granatorum.p. ſ. decoquantur in vino aquoſo,& vinum infundatur colatum, & exteriùs emplaſtrum ex eiſdem efformabis ac adhibebis.Sed per vterum etiam infundes ſerum lactis, vel aquam roſarum,in qua coquantur ſanthali rubei:item infunde aquam portulacæ,lactucæ vel plantaginis,cum his quæ etiam ſemen extinguere diximus. Sic per os ea quæ ſemen minuant ac refrigerent,adhibeto, donec affectionem quieuiſſe videas:nam ſi ex ſemine corrupto vitiũ prodeat, haud aliter quàm epilepſia ex vtero prodiens,curationem deſiderat. Qua item ratione prodeſt mercurialis lumbis & dorſo applicita,aut lenticula paluſtris cum eâdem mercuriali pectini apposita: ceruſa etiam cum aqua trita vel ſuccus lenticulæ paluſtris, cucurbitarum & eâdem ceruſa: peſſus ex ſucco plantaginis & portulacæ,vel lamina plũbea lumbis adhibita. Sed inter omnia auxilia primas tenet ad ſeminis diſcuſſionem & attemperamentum balneum aquæ dulcis,aqua ad vmbilicum vſque pertingente, perfricatis leuiter vteri partibus longè à pudendis,vt aquæ tepore pars attemperetur,& madore laxior fiat,diſcutiaturque ſua ſponte ſeminale excrementum: cauendum tamen eſt ne titillationem moueas ac pruritũ,id enim minimè licet,ſed ſolùm quantum aquæ tepor laxauerit,ita vt manus nil aliud præſtet quàm leuem aquæ ſubingreſſum ad penitiores partes,quòd tantum aqua operetur, quantum aliud auxilium ex ijs quæ aduerſus ſemen pungant.

Quod ſi accidentia adeò ſęua ſint variiſque deliramentis intertexta vt periculum ſit ne vel in maniam cõmigret aut in alium capiti firmatum affectum, tunc quidem triplici conſideratione vtẽdum eſt: prima quidem quę vterum, omnium accidentium cauſa,ocyſimè & ſine vlla cunctatione reſpiciat,duabus apertis in cruribus fonticulis: ſecunda quæ exquirat an vteri vitiũ commune factũ ſit reliquis corporis humoris,tunc etenim vt in mania corpus elleboriſmis,ſtibio & alijs grauioribus purgabis,quibus antea vtendum non eſt cum ad vomendum ipſum irritent,quod in vteri affectionibus ſummoperè eſt cauẽdũ.Tertia verò & vltima quæ capiti prouideat & corpori ac vtero,vt faciliùs ſeſe expurget, balneis,euaporationibus & his quæ caput refrigerare & humectare valent,vt aqua tepida,lacte, oleo roſarum aut violarum:quæ ſanè omnia in hac curatione plurimum obſeruare oportebit.

Pruritus verò ac turpitudinis affectio,curandi rationem à ſanguinis detractione auſpicatam deſiderant,niſi quid peculiare obſtiterit:initium tamẽ ſumes à baſilica dextri lateris,mox ad tali venas deuenies,tãdem in proceſſu temporis ex ſaluatella dextra ſanguinem fundes. At ſanguine miſſo humectantem & refrigerantem victum ac potum inſtitues:præſertim ſi cibis addideris ſuccum portulacę, aut decoctum eius & agnicaſti.Poſteà inſuper ſyrupis & apozematis vteris frigidis,quibus addes quæ acrimoniam retundant,velut eſt hordei cremor, amylum, mucilago pſyllij vel ſeminis citoniorum,maluarum & altheæ cum ſyrupo papaueris & ſemine eius & agnicaſti ac nenupharis,vel decocto eorum. Idem præſtat ſyrupus violarum,vel de portulaca cum aqua lactis aut hordei, vel ſuccus foliorũ ſalicis cum aqua portulacæ & ſaccharo.Quibus præmiſſis,ad humorũ purgationẽ

acce-

accedes,quam facito rhabarbari infuſo ex aqua lactis vel portulacæ cum ſyrupo ex infuſionibus roſarum aut violarum,manna & frequenti caſiæ fiſtulæ vſu cum decocto hordei vel aqua cichorij. Quo facto pro ſucci redundantis copia & natura,partes pudendas aqua tepida frequenter abluere oportet,quod præſentaneum eſſe auxilium arbitror. Conuenit quoque balneis aquæ dulcis totum corpus committere,ac per interualla paulatim purgare. Prætereà dorſum vnguentis roſaceo vel refrigerante inungere proficuum eſt,ſicut refrigerare lamina plumbea & clyſmatis refrigerantibus vti, cùm fœmina dormitura eſt. Interim etiam in vterum infundere oportet decoctum florum ſalicis & lentium ſine cortice, cum trochiſcis de camphora,vel collirio albo Raſis,quod diſſolues in lacryma vitis, vel eandem lacrymã ſolam infundes: eſt autem lacryma, id quod vitibus amputatis inſtillat. Prodeſt non minus decoctum foliorum oliuæ & radicis lapati. Ablues quoque vterum & pudendum lauacro,quod recipit lactis. ʒ.iiij. aquæ marinæ. ʒ.ij. mellis. ʒ.j. confert & lac ipſum vel acaciæ ſuccus aut lentiſci,aut mali granati, vel foliorum violæ: item malum granatum aqua portulacæ inconctum & cataplaſmatis forma impoſitum cum ſucco ariſtolochiæ,& decoctum ex omnibus his factum, quo pudendas partes abluere eſt opus. Quòd ſi hoc minime profuiſſe conſtet, doloreſq; & ſympthomata ceſſent,ſignum erit euidens, deformitatẽ illam ex carne creſcente fieri potius quàm ex affluente humore: quo tempore ad ſciſionem illius partis veniendum erit,vt Ætius optimè ſcripſit.

De vteri procidentia. Cap. XI.

MORBOS quoque in ſitu vterum pati,& mille modis à ſua ſede dimoueri diuturna obſeruatione cõperimꝰ, non minùs quàm quæuis alia particula quæ aut alijs alligatur,aut in aliarum medio ſita eſt,nulli alteri continua, licet multis contigua exiſtat. Mouetur itaq; vterus & à propria ſede prolabi videtur in omnem ſitus dimenſionem: ſurſum quidem, vt in vteri ſuffocatione dictum eſt: ad latera: antrorſum & retrorſum: & vltimo deorſum prolabitur,ita vt extra promineat factus ſtrutijcamelli ouo perſimilis. Quas vitiati ſitus differentias in duo tantùm capita diuidere eſt in animo, atque in hoc primò ſolùm eius meminero mutationis quæ deorſum vergit & foris pendet: aliarum verò ſequenti capite: nam diuerſas habent à prædicta cauſas, & diuerſam longè curationem exquirunt. Cum igitur vteri corpus per fœminæ pudendum erumpit,& pendens prædicta figura affectum fuerit, vteri procidentia appellatur. Quem ſitum non adipiſcitur vterus, quòd ex toto (vt Ætius quibuſdam vitio vertit) à ligamentis ſolutus procidat, ſed quia ligamentis laxioribus factis,facilè ſua ſponte labi vſque ad illam partem permittitur: inquit enim Hippocra. lib. de natura mul. Si vteri in loco non manſerint, quo prolapſi fuerint,dolores exhibent,& inconſpicui fiunt. Quando verò imminent velut ſedes prolapſa,& cùm quidem ſupina decubuerit,in loco manent,cùm autem ſurrexerit,aut ſe inclinauerit,aut aliâs ſe commouerit,exeunt. Cuius doctrinæ gratia expendere oportet,vterum vinculis vndiq; alligatum eſſe, antè nimirũ, retro,ſupernè,infernè,dextrà,ſiniſtrà,obliquè ad colla & inguina,oſsi pubis,ilio,& ſacro,per tunicam à peritonæo dextra & ſiniſtra parte quoque connexũ: magnis

Affectus natura.

vaſis

vaſis per arterias & venas,præſertim ſpermaticas,& apophyſim peritonæi, ſpinali medullæ per neruos,recto inteſtino per fibras quaſdam tenues,veſicæ per alias,ſed plures & laxiores,oſsi pubis,per vincula laxa. Quibus ſic præmiſsis,in memoriam reuocare oportet Platonis figmẽtum de motu animali,vtero adſcripto,quem tanquam animal vorax moueri putat in omnem ſitus dimenſionem. Scimus tamen vterum naturaliter,vt ſemen excipiat,hiare,& naturaliter quoq; ipſo ſuſcepto cõſtringi: ſurſum etiam moueri,non tamen ſponte,ſed vaſis plenis reuelli ac inflari, vt in ſuffocatione diximus. Cõtorqueri ſimiliter interdũ aſſolet ob abſceſſum vel inflammationem,vel vim aliquam illatam,vt poſt partũ quibuſdam fœminis accidere comperimus. Deorſum autem mouetur,vel (vt rectius loquar) procidit, cùm peritonæum ac vincula à peritonæo,vel quæ ad dorſum tendunt,laxãtur,vel rumpuntur,vel fundum vteri inuertitur,vt extra pudendum prolabatur. Sunt igitur tres affectus vteri præcipui ex deprauato motu,vnde varia admirandaq; ſympthomata ſubſequuntur,ſuffocatio,contorſio,et procidentia: cæterùm de procidentia mens eſt hac in parte tantùm agere. Cuius nomine etiam intelligimus prominentiam vteri,cùm videlicet ad alas vſque pudendi ſeſe vterus extendit ac prominet, extrà verò non pendet: quæ ſanè duæ affectiones conſimilem obtinent curandi rationem. Verùm in hoc affectu iam conſtabit tres procidentiæ ſpecies reperiri: vnam quando collum in vuluam procidit: alteram verò, quando ipſius vteri fundum ac totum corpus in collum excidit, & videtur velut glans viri rubens ſeſe oſtendens in ore pudendi cum conſpicuo foramine: tertiam, quando membrana eius interna euerſa, extrà prominet, quo tempore rugoſa apparet pars appendens, nonnunquam verò ſtrutij camelli ouo perſimilis. Atque hæc eſt vera vteri procidentiæ ratio,quam ad morbũ in ſitu pertinere exiſtimandum eſt.

Cauſæ.

Procidit quidem vterus à multis cauſis,vt Hippocrat. teſtatur lib. 2. de morb. mul. nã inquit. Porrò omnis occaſio vteros propellere poteſt, ſi quid malè habeat. Nam & à frigore pedum ac lumborum,& à ſaltatione & terrore & lignorũ ſectione & curſu ad accliuem ac decliuẽ locum & ab alijs multis propelluntur. Sed his externis prætermiſsis,prolabi contingit laxatis vinculis (aut vt Auicen. fatetur putrefactis) quibus vterus alicui membro adiungitur,mouetur,nutritur, idque vel refrigerato vtero, aut collecta, tum in corpore, tum in acetabulis ipſis mucoſa ſubſtantia: vnde grauior factus in propria ſede vinculis contineri non poteſt. Quod vitium ſenibus ſubinde magis accidit, & ijs quæ ex inſtituto vitæ (quales ſunt lotrices mulierculæ) nudos diu in frigida pedes cõtinent, aut in frigido lapide diutiùs ſedent, vel aẽrem frigidiorem excipiunt, maximè puerperio aut menſtruo fluente, quòd eo tempore vteri vtraque pars magis hiet. Procidit quoque non minùs praua fœtus extractione, violenta ſecundinæ depulſione, ſpiritus cohibitione, immenſi oneris ſublatione, plaga, partuum frequentia, animi affectibus, præſertim ira tam vehementi, vt in peritonæũ aliquid diffũpatur, laxetur vè aliquod vinculorum ad oſſa pubis. Ariſtot. enim. 7. de hiſtor. animal. cap. 2. ſcribit, quibuſdam coëundi deſiderio, aut longiore veneris abſtinentia vterum excidiſſe. Ego autẽ exiſtimo in viraginibus, & viro orbatis id accidere, in quibus non vteri fundum, ſed collum tantùm prominet, ex quo viros fuiſſe factas multi autumant, vt ex Hippocrat. mente de Phaëthuſa ſuperiùs retulimus: quam diximus, ad vteri procidentiam eſſe referẽdam. Cuius affectionis cauſas lib. 2. popul. recenſet aliter Hipp. dicens: Si extra pudendum os vterorum excíderit, vtpote ceruice vterorum

prope pudendum ſita & ampla exiſtente (ſit autem hoc magis ſterilibus, cõtingit que maximè ex defatigatione, cum mulier laborauerit, & vteri calfacti fuerint, ac ex ſudarint) tũc euertitur os ipſorũ per ceruicẽ, vt quod in humidiore ac lubriciore & calidiore ſit loco, quàm in priori tẽpore: & vbi hoc contigerit, procedunt vteri foras ad frigus, & oſculum ipſorum auerſum prodit. Has quidem cauſas ad vnguem tenere oportet, vt iuxta cuiuſq; vim & naturam cuiq; auxilium peculiare & proficuum adhibere poſsis. Sed dimitto inflammationem aut ſolutam eius vnitatem, nam alterius ſunt conſiderationis.

Signa. Studebis plurimũ in dignoſcendis principijs, ne in hoc affectu decipiaris. Itaq; ſanguis plurimus erumpit, deinde dolor magnus partium quibus connectitur vterus, ilium nimirum, lumborum, oſsis ſacri, hypogaſtrij, & pudendi ſubſequitur. In quo grauitas & tumor oui forma, ſed magnitudine varia pro affectus vteri & colli eius amplitudine, viſui & tactui apparet. Stercus & vrina ſæpe ſupprimuntur à tumore vteri, rectum inteſtinum & veſicæ collum comprimente: febris interdum comitatur, interdum conuulſio ex ipſius partis frigore: grauitas ceu glomeris fili in pudendo muliebri ſentitur. Si ligamenta item humore multo laxata ſint, indolenter excidit: præceſsit victus ratio humidior, & vſus largior fructuum aut piſciũ recentium, vita ocioſa & pudendum humore multo ſemper madet. Quòd ſi ligamenta putrida ſint, ſanies putris & virulenta ſimul effluit. Recenſet quoque Hippocrat. huius mali ſigna. lib. 2. de mor. mul. dicens: Si vteri extra naturam progreſſi fuerint, febrilis calor habet pudendum & imum ventrem, & vrina frequenter & paulatim inſtillat, & pudendum vehementer mordetur.

Curandi ratio. Triplex in hoc affectu inſurgit curandi ratio: vna quidem, quæ vterum ad proprium locum reducere docet: altera quæ reductum tuetur, & efficit quominùs iterum decidat ablata cauſa quæ prolapſionem excitabat: tertia verò & vltima quæ ipſum vterum reductum aſtringit, roborat ac in propria ſede firmat, à quacunq; cauſa prolapſus oriatur. Primùm itaque ad commodam reductionem ſi quid vrinę vel excrementorum in veſica, aut inteſtinis induratum retentumque fuerit, protinus euacuabis. Nam cùm inter veſicam & rectum inteſtinũ ſedem vterus ſortiatur, ſi partes illæ tenſione aut plenitudine afficiantur, ad priſtinũ locum remeare nequit vterus, renitente partium duritie. Quo facto, aptè collocanda mulier eſt, ſublatis coxis inuicem dilatatis & reflexis poplitibus. Iubet quidem Hippo. lib. 2. de morb. mul. pedes ad ſcalam alligari, vt caput deorſum vergat. Cęterùm ſi tenſa fuerit pars prolapſa, emollienda prius, ſi frigida, calfacienda foueẽdaq; eſt, ac vltimò ſi inflammata, antèa curanda. Oleo itaq; tepido ac butyro miteſcẽda eſt, & calido decocto ex beta, malua, althea, & fœnugræco ac ſemine lini, additis cimino, aniſo, baccis lauri, camemalo, & ſimilibus. Ac poſtquam prima aut altera die calida ſteterit, & tractabilis vteri pars prominens, hac lege in ſinum manibus reponẽda eſt. Lanam accipito conuolutam figura & craſsitudine muliebri pudendo reſpondentem, quã tenui lino circũdabis, intingeſq; vino diluto hypociſtidis ſucco, & in vterum mittes, reprimens totum vterum prolapſum blandè ac leniter, quoad tota moles intra ſinum recipiatur, præſitque in proprio loco. Quã curationem adduxiſſe Hipp. conſtat lib. 2. de morb. mul. per hæc verba: Hanc quàm maximè quieſcere oportet, & nõ moueri lectum ad pedes altiorem ſtratum, & iiſdem vti velut in ſuperioribus, & cum acerbis infuſis inſpergere, & graueolentia ſuffire, ſub nares autẽ odorata, & malum punicum in medio per vmbilicum perforato, & in ipſo picem quæ maximè congruat, cũ vino tepefacito, & non valde premens quã penitiſsimè

apponito.

apponito. Rurſus de eadem re lib. 2. de morb. mulie. hæc refert verba. Cùm igitur ſic habuerit, myrti baccas & loti ramenta in aqua coquito, & aquam per noctem ſubdio exponito, atque ſic frigidiſsimam pudendo affundito. Quam ſanè curationem moliri dubitarẽ plurimùm, niſi ardore immodico fœmina infeſtaretur. Quibus factis, imponendum eſt deſuper lanæ inuolucrum vino aſtringenti madidũ, à quo totum pectinem ſpongia ex poſca compreſſa integito. Tandem ſic reducto vtero, mulierem reclinabis, crura extenſa & coaptata habentem, ita vt alterum alteri cruri incumbat. Antè tamen quàm vterum in ſuam ſedem repoſueris, aſtringentibus aut glutinantibus (ſi ex cauſa procatarctica, quæ continuum ſoluat, affectio prodeat) ipſum inſpergere ac inungere vel fouere oportebit, ne protinus decidat. Cuius generis proculdubio eſt aluminis decoctum ex vino auſtero, oleum ſycionium, myrtinum, & puluis gallæ, balauſtij, malicorij, glandis, nucis cupreſsi, roſarum rubearũ, maſtichis, acaciæ hypociſtidos & ſanguinis draconis. Encathiſmatis etiam vteris ex poſca, aut ex aqua, in qua decoxeris lentiſcum, myrtũ, cortices mali granati & roſas. Poſt quæ illinienda eſt pars prolapſa acacia vino ſoluta & gallarum puluere. Quibus proculdubio vteris, dum nuper egreſſus fuerit vterus: nam ſi diu procidit, & pars frigida vel pallida iam ſteterit, tepida fouenda priùs eſt. Poſtmodùm verò vterum repones elatis, diductis & ſuccuſsis cruribus, & clunibus, vt in calculo vrinam ſupprimente docet Gal. 1. de locis affect. vel manu gracili, oleo maſtichino, aut alio aſtringenti vel graueolenti inuncta. Reduces quoque vterum ſi ilibus, vmbilico, aut ſub mammis cucurbitas cum multa flamma affixeris: nec deſunt qui lumbis èregione vmbilici eaſdem affigant. Conſulit & Hippocrat. lib. 2. de morb. mulie. digitis altiùs in os immiſsis vomitum excitare cũ aqua lentium, melle & aceto, vt ſurſum reuellatur vterus. Quam gratiam præſtant vincula ad brachiorum articulos dolorifica. Item grati odores, qualem ſpirat ambra, moſcus, gallia muſcata, alipta muſcata, & his ſimilia naribus continenter admota, donec vterus, vt aſſolet, moueatur. Sic in partibus pudendis proſunt admota, quæ fœtida ſunt & ingrati odoris, vt ſuffitus ex vngue taurino, ex ſagapeno, galbano, & huius naturæ alijs. Conficiuntur non minoris commodi vnguenta, cerata, & emplaſtra, quæ inguinibus admouenda ſunt, addita terebinthina, ladano, maſtiche, ſpica, caryophyllis, ambra & muſco, baccis myrti, corticibus granatorum. Confert èregione vmbilici lana ſuccida aceto incocta, vel ſacculus ex mẽthaſtro ſuper tegulam ignitã excalfactus, vino auſtero pauco interim affuſo. A quibus corpus (cruribus, parum elatis) locatum nouem dierum ſpatio, adſeruato, curãs ne aluus pigra ſit, aut dura, nec nimis lubrica, quòd illa vterum per ſe præcipitet: hæc verò membranas vterum colligantes laxet. Deinceps quidem emplaſtrũ diaphœnicon ventri adhibebis. Item alio vteris quod recipit thuris, maſtichis, galbani ſtyracis, picis. ana. ℥. j. nucum cupreſsi. ℥. ß. ſanguinis draconis. ʒ. vj. pulueris granæ. ʒ. ij. olei myrtini, & ceræ. q. ſ. vt fiat ſecundùm artem. Verùm ſi pars quæ excidit, corrupta putridaue extiterit, abſciſſa parte inutili reliquam curationem, veluti in eſthiomeno adminiſtrabis. Verùm ſi prædicta abſciſsio non ſuffecerit, vt corruptio vlteriùs non ſerpat, cauſtico medicamento partem putridã vres, quò citius ſecedat: aut ferro candenti, idque quam rariſsimè & cautè facies: ne ſi imprudenter vſeris, in conuulſionem aut aliud grauius malum fœminã deferas, & quia vterus varijs partibus communis efficitur ob neruos, & vaſa quę habet. Alimentis vtatur fœmina ſiccis, calidis, tenuibus & boni ſucci: proſunt & lentes excorticatæ cum aſtringentibus incoctæ. Scribunt item vterum ſtatim in ſuam

ſedem reuocare cum vino auſtero ſumptam, cornu cerui vſti, foliorum lauri ſiccorum & myrti. ana. ʒ. j. Alliũ etiam tritum aqua ſolutum fotu vterum repellit: & vrtica recens trita empiaſtro ventri impoſita, vterũ retrahit: althea cũ oleo & adipe coturnicis cocta huic & alijs ſimillimis prodeſſe plurimùm fertur.

Prolapſum vterum in ſuam ſedem retractum præcauebis quominus iterum prolabatur, ablata prolapſionis cauſa. Quapropter mox à dictis auxilijs prouidendum eſt, vel corpori vniuerſo in vterum mandanti, vel ventriculo aut vtero ipſi præhumido aut ſua ſponte malè affecto. Quòd ſi ſanguinem redundare compertum ſit ex pleno pulſu, febre, fœminæ habitu, ſuppreſſa vacuatione, vitæ inſtituto & faciei rubore, ſanguinem ex brachio protinus mittes, præſertim ſi quod ex vtero decidit calidum fuerit, & vterus ipſe inflammatione, dolore, calore ac tumore tentatus. Sed quia plerunque vteri ligamenta madore imbuta laxantur, medicamẽtis, quæ aquoſos & pituitoſos humores repurgẽt, exſiccare corpus & vterum oportebit: leuiter tamen & blandè, ne medicamentorum aut corporis vi vterus excidat: nam vetitum eſt ab Hippo. 2. de morb. mul. ne in hoc malo aluus moueatur. Cuius auxilij loco, multis rationibus proficuum eſt, frequẽtioribus vomitibus vti: tum quia vterum ſurſum retrahunt, tum quia humores ab vtero reuellunt: tum verò quia pituitoſos & fluidos facilè expurgant. Quod profectò bis in hebdomada tutò facies exhibitis leuioribus vomitorijs, quale eſt decoctum raphani, ſeminis eius, aniſi, aut fœniculi cum modico oxymellite, aut ſyrupo ex nouem infuſionibus: præſertim ſi intermedijs diebus adhibueris clyſteria, quæ calfaciendi & exſiccãdi vires habeãt, qualia fiũt ex vino, aut decocto aquæ cum dauco, aniſo, camemalo, cumino, anetho, menthaſtro, & ſimilibus cum melle roſaceo citra pinguoſi admixtionem. Inſeſſiones item parabis ex eiſdem herbis & alijs ſimilibus cum vino feruefactis: vel ſacculos eadem materia conſtantes & calidos actu, vino irroratos aut aridos. Exteriùs ſupra vteri regionem & inguina adhibebis cerata, emplaſtra, inunctiones, & omnia alia quæ ſuperiùs retulimus, additis folijs & baccis lauri cum ligno aloë, cinnamomo, pulegio, & ſimilibus in puluerem redactis. Inunges quoque imum ventrem balſamo, oleo de Aparicio apud noſtros ſic appellato, de cinnamomo, de abſynthio, de baccis lauri, vel alio, in quo ferbuerint lignum aloës, aniſum, daucum, cinnamomum & flores roriſmarini. Suffumigabis pari ratione fœminam eiſdem rebus, vt & fumo & virtute combuſtorum, pars exſiccetur, & ad natiuum ſtatum redeat. Si tamen hæc omnia minùs proficere videantur, balnea aquarum ſulphurearum conſulito, hæc enim efficaciſſima ſunt. Aut, ſi mauis, conſentiente totò corpore vel trãſmittente humida excrementa in vterum, fontanellam in altero brachiorum adaperies: cæterũ vtero primaria affectione madido, & ob id prolapſo, in altero crurium poteris aperire. Ego autem in vteri prolapſione ex nimio vteri vel totius corporis madore, aut ex albis vteri purgamentis, vel ex frigore aut humiditate externa proficiſcente, nullum aliud vtilius & tutius præſidium adinueni, quàm decocto radicis chinæ, ligni ſancti, vel ſpartæ parellæ corpus lentè & diu ſudare, quominus corpus cõtabeſcat, & citra damnũ magis exſiccetur. Quem quoq; vſum præſtat largioris decocti ex prædictis citra ſudorem vſus.

Prouidendum his omnibus factis, adhuc eſt, ne iterum decidat: difficulter etenim curatur, dum huic vitio aſſueſcit. Ob id neceſſum eſt omni arte vteri oſculum roborare, aſtringere ac firmare, ne ocyſimè iterum dilabatur. Cui vſui peſſus conficiendus eſt ex lana vino auſtero madefacta & pulueribus ex radice balauſtij, nuce cupreſsi, roſis, & cypero: vel ex eiſdem, additis pulueribus maſtichis, thuris, ladani

dani & picis: aut ex eadem lana cum albumine oui & pulueribus ſanguinis draconis: quòd ſi odores fœtidos in ſummitate peſsi repoſueris, faciliùs rem ages. Reperies etiam apud Græcum Moſchionem peſſarium huic muneri confectum, quod recipit croci, æſypi. ana. ʒ. ij. medullæ ceruinæ. ʒ. iij. reſinæ terebinthinæ. ʒ. j. adipis anſeris, gelaminum ouorum elixorum. ʒ. j. olei irini & roſarum quantum ſit ſatis. Aliud etiam efformat idem author, quod recipit ceræ punicæ ỏbolum. j. adipis anſeris & medullæ cerui. ana. obo. j. & ℈. æſypi. ʒ. iiij. quibus vtendum præſertim eſt, cùm vterus duritie vel tenſione dolet. Sed vtilitatis non contemnendæ eſt ad firmandum vterum peſſulus, qui excipit aſſe fœtidæ, myrrhæ, thuris, maſtichis quantum ſit ſatis, poſteà miſceantur cum oleo laurino & adde labendulæ. ʒ. j. & ℈. baccarum lauri. ʒ. ℈. Pectinem quoque ac lumbos lana, bombace aut ſpongijs imbutis oxicrato contegemus, & ne concidant, alligabimus. Cui item vſui confert emplaſtrum, quod recipit galbani. ʒ. j. & ℈. myrrhæ, thuris. ana. ʒ. ij. terebinthinæ. ʒ. ℈. feminis labendulæ & ſanguinis draconis. ana. ʒ. j. pulueris roſarum, coralli & myrtilorum. ana. ℈. ij. moſchi. ℈. ℈. miſceantur, & extendantur in linteo vel corio tenui. Conſimilem huic vſum præſtat emplaſtrum contra rupturam, vnguentum Comitiſſæ, emplaſtrum de maſtiche rubrum, deſiccatiuum cũ radice cyperi: vel emplaſtrum diaphœnicon. Sed prodeſt non parum confectum peculiariter ex labendula, biſtorta, folijs & baccis lauri, adiecta portiuncula myrrhæ, thuris cum cortice, & maſtichis, & alijs quæ conſimilem facultatem habent. Proſunt item inſeſſiones quæ excipiãt corticis pini. ʒ. ij. corticis thuris. ʒ. ℈. corticis quercus. ʒ. iij. hordei, abſynthij. ana. m. j. roſarum rubearum, balauſtiarum, florum ſthœcados. ana. p. j. fiat decoctum in aqua ferrata & vino aſtringenti: cuius aliquam portionem cum ſyringa in vterum infundes, ſi minari caſum perſenſeris: ſed inſtrumentum ex lana confectum prædicto decocto madidum in eandem partem inferes. Ex quibus & alijs emplaſtrum confice, & vteri regioni ac inguinibus apponito, parabiſque id hoc modo: Excipe foliorum myrti, lentiſci, ſummitatum rubi, quercus vel pyri agreſtis. ana. m. j. corticis quercus & mali granati. ana. ʒ. iij. gallarum, ſpongiæ, biſtortæ & pentaphylli. ana. ʒ. iij. centaurij minoris, roſarum rubearum, floris anthos & ſaluiæ. ana. p. j. fiat decoctum in aqua & vino rubro vel aceto, ex quo ſumes quantum ſit ſatis, vt cum farina volatili, farina lentium, puluere thuris, camemali & ſanguinis draconis fiat emplaſtrum vel cataplaſma. Item emplaſtris pro matrice vtendum eſt, vt ipſam roborent ac firment, qualia ſunt quæ recipiũt alyptæ muſcatæ, galliæ muſcatæ. ana. ʒ. ij. ambræ, muſci. ana. g. v. vtriuſque ſtyracis. ana. ʒ. j. ℈. reſinæ electæ. ʒ. ij. miſceantur cum oleo de ſtyrace, & fiat emplaſtrũ. Quæ omnia ſi non profuerint, extremum & vltimum præſidium erit zona Hippocrat. quæ à cingulo zonam habet à parte poſteriori per perineum adductam in anteriorem partem ad idem cingulum iuxta pubem arctè. Alij quidem è ſubere ouales formas inductas cera & quaſi pediculo alligatas immittunt in ſinum pudendi, alligantque coxis inunctas oleis & vnguentis aſtringentibus. Atque hæc dixiſſe ſit ſatis. Nec mirandum profectò eſt, me in hoc cap. eiuſdem indicationis varijs in partibus remedia attuliſſe: nam morbi conditio id in præſidiorum vſu docebit proficuum & neceſſarium fore.

(2)

De auersione, seu recursu vteri ad varias partes.

Cap. XII.

DICTVM est præcedenti cap. vterum ad superna ferri, aut extra sinũ pudendi prolabi, vel intra corpus manentem ad varias partes inclinari, retorqueri & euerti. Quẽ sanè motum, ad varias partes factum, vteri auersionem Hippocrat. & medici omnes antiqui appellarunt. Cuius idem Hippo. mille in locis meminit, sed specialiùs lib. 2. de morb. mul. per hæc verba. Dico autem cùm vteri ex loco moti fuerint, aliò aliàs allabuntur, ad quẽcunq; verò locum allapsi fuerint, dolores ingentes incumbunt. Et si quis vesicam contingat, dolorem exhibet, & vrinam non suscipiunt, neque genituram in se ipsos trahũt, & ambo dolent, & si non celeres solutiones fiant, vteri posteà suppurantur iuxta eosdem locos, si ad ipsos recurrerint. Contingit autem hoc & in laterum mollitudine & in inguinibus & supra pectinem. Refert etiam eodẽ loco & lib. de natu. mul. varias partes, ad quas vterus irruere potest, quas paulò inferiùs recensebo. Vtcunque tamen vterus deflectatur, morbũ constituit in depraua ta figura aut situ: cæterùm sympthomata varia admodùm sunt pro causæ varietate & loco, in quem irruit vterus. Constat enim ex Hippocrat. non solùm versus instrumenta respirationi seruientia vterum inclinari, sed in iecur etiam, in splenem, ventriculum, vesicam, intestina, præsertim in colon, rectũ, ac ileon, in coxendices quoque & in crura, lumbos, ac in omnes partes his vicinas. Has etenim retractiones intelligendas esse arbitror eo modo, quo diximus Galen. cap. de hysterico affectu intelligere. Quippe credendum non est vterum illuc recurrere derelicta propria sede, sed in seipsum conuelli, & partem in quam simulat adire, in consensum trahere, aut versus illam partem flatu aut humore impleri, eamq; summoperè lædere.

Causæ. Causas huius deprauati motus, qui vteri situm vitiari simulat, primus omnium recenset Hippocrat. lib. 2. de morb. mul. per hæc verba. Porrò omnis occasio vteros propellere potest, si quid malè habeant: nam & à frigore pedum ac lumborum, & à saltatione & terrore & lignorum sectione & cursu ad accliuem ac decliuem locum & ab alijs multis propelluntur. Proinde hæc considerare oportet ad totum corpus respectu habito, cùm præsentes morbi affuerint: propter talia enim omnia necesse est plus aut minus ægrotare, & postquam hæc reluxerint, maximè hac parte repentini morbi manifesti fiunt. Cùm igitur hæc aduenerint, penitus ex tota homine deprehendere oportet: nam quæcunq; perfrigerationes crurum, aut stupefactiones ex frigore fiunt, hæc omnes etiam in vterorum morbis vteros eleuãt. Qua equidem sententia constare videtur, solas externas causas Hippocrat. numerasse: cæterùm Galen. lib. 6. de lo. affect. cap. 5. & Ætius à Galen. transcriptis verbis, specialiores causas per hæc verba referunt. Suppressis mensibus necesse est venas & arterias ad vterum tendentes repleri (Galen. tamen. 2. de cau. pul. cap. 11. alias recursus statuit esse causas, vt est omne tumorũ genus, aut flatuosa substantia quæ non rarò ex retẽto semine aut alijs causis vel occasionibus succrescit:) nam sanguis vsque ad vasorum oscula accurrit quidem, verùm intra vterum prodire non potest, aut eò q̃ nimia crassitudine osculis impingitur & grumosus fit, aut quòd ipsa oscula

oscula clausa sint, & transitum impediant, ita vt venæ humore refertæ extendãtur, & vicinos vteri appendices humectent, quorũ extẽsione vterus retrahitur. Si itaq; ex vtraq; parte æqualis retractio fiat, reclinatio aut reuulsio recursus vteri æqualis contingit, & ad superna vergit: si verò in alteram partem maior retractio fiat, alterum è visceribus his in causa est, splen videlicet aut hepar, quorum venæ superfluo sanguine extentæ à suis partibus vterum retrahunt, hepaticæ venæ è dextris, splenicæ è sinistris, prout alterę magis fuerint repletę: quippe dum non fit æqualis vtraque repletio, sed maior in vna quàm in altera apparet, quæ magis repleta est, illa magis intenditur contrahiturque, & mox partem aliam quę melior est, ad se rapit, adeò vt vterus versus illam distorqueatur. Quibus proculdubio sententijs externas & internas causas huius affectionis euidenter constare arbitror, sicut rationẽ etiam, qua vterus cùm afficitur, magis in vnam quàm in aliam partem reuellatur. Constat igitur ex omnibus causis, quæ alteram vteri partem & vasa ac ligamenta ad illam partem pertinentia tensione aut conuulsione afficere possunt, modò frigus rigens ac densans partem sit, modò labor tendens, modò humorum vbertas distendens, affectus prædictos posse proficisci. Addit insuper Gal. lib. 2. de cau. pul. cap. 11. alias distorsionis vteri causas, qualis est inflatio, scirrhosus tumor, tuberculũ aut abscessus, siccitas aut frigus nimis corrugantes aut tendentes vterũ. Frequenter enim conspicimus & puerperis ex frigore, & virginibus ex mẽsium defectu, ac omnibus alijs ob prædictas causas hæc mala accidere.

Signa. Signa quidem affectus in genere recensuerat Hipp. lib. 2. de mor. mul. loco citato per hæc verba. Ad quemcunq; verò locũ allapsi fuerint, dolores ingentes incumbunt, & si quis vesicam contingat, dolorem exhibet, & vrinam non suscipiunt, neque genituram in seipsas trahunt, & ambo dolent. Cui consimilem sententiam adduxerat lib. de natu. mul. dicens: Si vteri commoti in loco non manserint, quò prolapsi fuerint, dolores exhibent, & inconspicui fiunt. Cæterum specialiùs oportet, ad quam partem vterus decubuerit, nosse: quod pulchrè mille in locis docuerat Hippoc. quæ omnia ego referam initio sumpto à recursu in caput: inquit enim lib. de natu. mul. Si ad caput conuersi fuerint vteri, signum hoc est. Venas in naso & sub oculis dolere videtur. Et iterũ subdit lib. 2. de mor. mul. Cum ad caput conuersi fuerint vteri, & hac parte suffocatio desinit, caput grauat: verùm alijs alicubi, aliàs finis habetur, signum autem est. Venas in naso, & partes sub oculis dolere dicunt, & sopor altior tenet, & spumat vbi leuiùs habuerit. Ad iecur quoque recurrere idem docet Hippoc. lib. de mor. mul. dicens: Si verò ad hepar conuersi fuerint vteri, mulier derepente voce destituitur, & dentes conserti sunt, & color liuidus fit: de repente verò hæc patitur sana existens: cõtingit autem maximè virginibus antiquis, & viduis quæ pepererunt aliquando, & viduitatem agunt: maximè verò contingit omninò non ferentibus vterum, & sterilibus ex partu. Ad latus aliquando vterum procumbere ex eodem authore discès. lib. de nat. mul. his verbis. Si vteri ad latus allapsi fuerint, tussis detinet, & dolor sub latus, & vterus durus velut pila insidet, & ad contactum dolet velut ab vlcere, & contabescit, & videtur peripneumonia esse, & conuellitur, & gibbosa fit, & menses omninò non apparent: quibusdam verò priùs conspecti euanescunt: cui consimilem sententiam adduxerat lib. 2. de morb. mul. Verùm si in lumbos vterus irruat, signis adductis prædicto loco ab Hippocr. discès. inquit enim. Si verò in lumbis fuerint vteri, aut in lateris mollitudine, & spiritus sublimis inerit & suffocatio habeat, & anhelatio densa ipsam corripiat, & moueri non vult. Cuius etiam mali signa adducit Ætius dicens:

Si verò retro aut infrà inclinat,torpor ac difficilis vtriuſque motus ſequitur: ſæpe etiam motus penitus intercipitur,& ingẽs vexat dolor:aluus quoque ſupprimitur, neque clyſterem admittit,niſi genibus innitatur ægra: flatus item retinentur, & dolores inter ſedendum acuũtur:præſertim ſi verſus anum reclinatio contigerit. Quòd ſi ad coxendicem vterus deuenerit,cognoſces facilè ſignis quæ Hippocra. affert.lib.2.de mor.mul.dicens:Si circunuerſi fuerint vteri ex parte ad dextrã partem,& puerperij purgamenta non fiant,& dolor imum ventrem habet & lumbos & laterum mollitudinem,& dextrum crus grauatur,& torpor occupat,& non tremit.Et ſubdit paulò inferiùs.Si vteri ad ſiniſtram partem,aut coxam declinauerint,dolor acutus ac vehemens habet lumbos & laterum mollitudines, ac ipſum crus claudicat.Idem fatetur lib.2.pop.pa.4.tex.5.dicens Stymargi famula Idumea erat,cùm peperiſſet filiam,os vteri cõtortum eſt,& in coxam & crus dolor. Quam etiam ſententiam Ætius per hæc verba retulerat.In vtram verò partem vterus declinauerit,digitorum admotione & ſequentibus ſignis agnoſcemus. Si enim in obliquum declinauerit,propinqui femoris diſtenſio,dolor,perfrigeratio, impedimentum & torpor indicio erit. Irruere in ventrem vterum quoque cognoſces ex verbis eiuſdem Hippocrat.lib.de natu.mul.quæ in hunc modum ſe habent. Si vteri ad ventrem nutauerint,dolor acutus & vehemens coxendices & lumbos ac laterum mollitudinem habet,& crus claudicat.Cognoſcere docet etiam idem author eodem lib.ad ſedem irruere,dicens:Si vteri ad ſedem conuerſi fuerint,& ſeceſſus ſecedere prohibuerint,dolores habent ad lumbos & imum ventrem & ilia. Cui conſimilem ſententiam adducit lib.2.de mor.mul.dicens: Si verò ad ſedem conuertantur vteri,ſeceſſus recrementa impediuntur,& dolores occupant lũbos, & imum ventrem,& inteſtinum rectum ac podicem.Quòd ſi ad inguina prolapſi fuerint,idem quoque author internoſcere docet eodem loco dicẽs:Si verò incumbant in inguina & meatus vrinæ,dolores fiũt fortes,& torpor in cruribus, & vrinæ meatus obturantur,& vrinam non emittit. Solet etiam vterus ad pedes & crura conuelli:quod Hippocrat.his verbis manifeſtat.Si ad crura & pedes conuerſi fuerint,ex hoc cognoſces: magnus pedum digitus conuellitur ſub vngues, & dolor crura ac femora tenet.Verùm ſi vteri os obtorqueri contingat,menſes,vt Hippocrat.inquit lib.de nat.mul.occultantur,nunc priùs apparentes,& non ſimiles fiũt, ſed deteriores & pauciores quàm anteà & genitura non admittitur. Atque hæc ſunt proculdubio ſigna,quibus vnamquãque vteri peruerſionem rimari oportet: in quibus equidem & Hippocrat.locis expendendum eſt,huiuſmodi retractiones intelligendas eſſe,ſimul & Hippo.loca,non quòd vterus illuc peruadat,ſed ea lege quam in huius cap.principio,& cap.de vteri ſuffo.adduximus.

Curandi ratio.

Quantum faceſſant negotij prædictæ affectiones, quàm etiam ſint frequentes, & perperam intellectæ,nemo ſanæ mentis dubitabit,ſi attento animo fœminarũ querimonias & affectus intueatur:multa etenim referunt ſe pati accidentia, quæ ad vterorum peruerſionem reducenda eſſent, ſi medicus ea diligenti animo expendiſſet:quo fit,vt ex ea negligentia pendeat ipſas pati & conqueri mille modis citra vllum præſidium: præſertim cùm tanta diligentia,& cura has vteri peruerſiones Hippocrat.tractauerit.Ob id profectò oportet primò quãcunq, vterorum peruerſionem Hippocrat.ſcribit,docere,vt ab eius documentis ſumpto principio, curandi rationem faciliùs cuiuis inuenire liceat.Inquit enim lib.de natu.mul.loquens de vterorum inclinatione ad caput.Hanc calida multa lauare oportet etiã in capite,lauro & myrto in aqua incoctis & caput vnguento roſaceo illiniatur,& odorata

odorata ſubter ſuffiatur,& braſicam edat,& ſuccum abſorbeat.Quas etiam curare docet lib.2.de mor.mul.velut ex vtero ſuffocatas. Sic cùm ad iecur vterus allabitur,loco nuper citato hanc refert curandi rationem.Cùm ſic habuerit, tumorem ab hepate cum manu infrà leuiter detrudito,& præcordia cum faſcia deligato & os aperito,vinum verò odoratiſsimum infundito:quando ſanè etiam graueolẽtia ad nares adhibere ac ſuffire conuenit,ad vteros verò odorata & ſuffimẽta.Et poſtquam ſic curaueris, pharmacũ deorſum purgãs bibẽdum dare oportet: ſiquidem biliоſa fuerit,quod bilem purgat:ſi verò pituitoſa,quod pituitam.Et dum ad latus vterus procumbit,hæc refert loco nuper citato. Cùm ſic habuerit, pharmacum deorſum purgans bibendum dato,& multa calida lauato,& tepefactorijs quæcunque admiſſerit adhibeto.Quam ſanè curationem iterũ retulerat lib.de natu. mul. Eandẽ ferè curandi methodum,dũ ad lumbos vergit,adducit lib.2. de morb.mul. dicens:Cùm ſic habuerit,pharmacum bibendum dato,à quo ſurſum ac deorſum purgetur,magis verò deorſum,& totum corpus foueto: præſertim vteros leniter & calida bis indie lauato. Sed parum anteà eodem lib. de eadem affectione loquens hæc verba refert. Sulphur aut bitumen aut cicutam aut myrrham terito, & melle cocto affuſſo glandulam longam efformato atque craſſam,eamque in ſedem indito.Item eodem loco paulò inferiùs,conſimilem in lumbis recenſet affectionem,ſed longè doloroſiorem, & quæ conuulſionem aut contractionem crurium affert cum acutis alui doloribus,& vrinæ ſtillicidio, atque animi debilitate. Quo caſu,oleum in vteros infundere iubet,& fomẽtum adhibere, & multa aqua calida lauare,& in oleum & in aquam deſidere,& ſuffire graueolentibus per infernа:ac poſt hæc omnia iubet,ſedato dolore,pharmacum ſurſum purgãs dare: quo caſu interdicit ventris purgationem donec ex toto affectio quieſcat. In coxendicum verò reclinatione lib.2.de morb.mul.inquit. Cùm ſic habuerit,pharmacum infrà purgans bibendum dare oportet,& poſtera die ſuffire,recenſetq; & frigidum & aſtringens ſuffumigium cum oleo.Et eadem ferè verba refert lib.de nat.mul. in curatione reuulſionis vteri in ventrem.Sed lib.2.de mor.mul.loquens de prolapſione in coxam,hæc refert.Si vteri contingant coxam & incumbant,dura ac ſolida fit coxa ad lateris mollitudinem,& dolores imi ventris adipſam lateris mollitudinem,& lumbos ac crura dolor incidit,ac extenditur,& ſuppuratur,& lineamẽtis opus habent,& pereunt,niſi quid ſeces aut vras. Verùm cùm in ſedem vterus irruit,curari iubet Hippocra.lib.de mor.mul.lauacris & fomentis,dicens:Cùm ſic habuerit,calida ipſam lauare oportet,& lumbis fomentum adhibere,& poſteà graueolentia ſubter ſuffire,& apponere quæ purgant & impellunt vteros,& bibenda dare quæcunque libenter admiſerit ex maximè conferentibus. Quo etiam modo curare iubet fœminas,quibus in pectinem vterus incũbit:in quauis enim obliquitate & vteri extorſione lib.de natu.mul.conſulit pharmacum ſurſum purgans præbere,& vterum fouere,niſi dum in coxendicem vergit,& ibidem ſuppuratur, vt Hippocrat.refert.5.aphor.inquit enim.Si vterus in coxam vergens ad ſuppurationem veniat,neceſſe eſt emmoton fieri: ego etenim peritiſsimorum in Græca lingua conſilio,interpretor verbum illud,emmoton,hoc eſt, vlcus ſinuoſum fieri: quo tempore non pharmaca expurgantia, ſed ea quæ pus ad extimas partes euocent,et poſtmodum quæ vlcus repurgent,adhibenda ſunt.Verùm enimuerò,ſi ad pedes aut crura prolabantur,multa calida lauare iubet,et fouere, ac ſuffire modo dicto.Hæ itaque ſunt in vniuerſum circa vteri auerſionem, Hippoc.curationes, quas conſultò ſcribere ſtudui.

Ætius

Ætius quidē ex his omnibus vnā colligit curandi rationem, cūctis cōmunem, quam in hunc modum scribit. Quomodocunq; igitur vterus retractus ac inclinatus fuerit, eodem modo velut inflammationes in exacerbationibus curare oportet: in remissionibus autem & declinationibus magis emollientibus vtēdum est. Perseuerante verò affectione, ijs quæ ex alto trahere & corporis habitum mutare possunt. Sed his missis, triplicem in hac affectione peritus medicus tenetur obseruare curandi rationem: vnam quidem incipiente affectu, quæ tātum mitigationē accidentium & vteri reductionem docet: alteram, cessantibus sympthomatis, quā emollientibus, & ijs quæ blandè partem dolentem & conuulsam laxent, vt cedat obstetrici vterum tractanti: tertiā verò quæ causam retractionis ex toto auferat. A qua quidem, si interna fuerit, velut plenitudo aut cacochimia, principiū curationis auspicari oportet: nam sanguinis plenitudine existente in vtero, citra cunctationem ex talo sanguinem fundere oportebit: præsertim immorātibus aut imminutis mensibus. Si vtero totum corpus affectioni consentiat, ex brachio sanguinē mittes. Sic prorsus cacochimia præualéte in vtero, per infernam aluum purgabis, sicut vomitum excitabis, ventriculo malè affecto. Verùm si citra euidentem plenitudinem aut cacochimiam affectio suboriatur, à mitigatione ordiendū est. Mitigare quidem accidentia ijs poteris quæ Hipp. scripsisse diximus, & ijs etiā quæ nos subinde cap. præcedenti adduximus, prouidentes parti dolenti fomentis ex oleo liliorum, amygdalarum dulciū, de semine lini & angelicæ, ac pinguedinibus gallinæ, vituli, & cruriū cerui. Item decocto altheæ, seminis lini, fœnugræci, camemali, meliloti, artemisiæ & similium. Laxabis quoq; tensam partem frequentioribus balneis, insessionibus, fomentis & inunctionibus prædictis. Cæterùm si hæc non profuerint, instituta proba victus ratione, parca & optimi nutrimenti, tamen cum modico vino, præsertim si ex causa aliqua procatarctica affectus oriatur, potissimū frigida, ad alia te protinus conferes, & animo considerabis fœminæ habitum, vitæ institutum, & tandem omnia ea quæ præcesserunt. Quòd si ex his cognoueris sanguinem redundare, aut mēses nō probè fluere, vel minus fluere (vt de Stimargi famula lib. 2. popul. part. 4. text. 5. scripserat Hippocr. dicens: Liberata est iuxta talum secta vena) sanguinem ex talo mittes, nisi vteri retractio ad intestina ac vesicam vel ad pedes fuerit: nam per id tempus tutius est ex brachio ipsum extrahere, præcipuè si tempus menstruationis non instauerit. At si ex ijs quæ diximus, certum tibi fuerit prauis humoribus fœminam abundare, purgationem protinus instituere teneris: in pituitosis pharmaco exhibito quod pituitam purget, & in biliosis quod bilem. Seruabis tamen hac in re legem testimonijs Hippocrat. adductam, nimirum quòd in ea vteri auersione quæ ad infimiores fit partes, semper quæ per vomitum purgent adhibeamus, vt & vterus retrahatur, & quod tensionem auersionemque efficit expurgemus: in ijs verò quæ ad supernas partes magis fiunt, quæ per infernam aluum purgant sunt adhibenda. Vteri etiam osculo appones pessaria ex mercuriali, theriaca & oleo liliorum alborum, & post inunctiones superiùs adductas, cucurbitam grandem parti læsæ aut vmbilico affigito. Dum autem lumbos & mediam ventris partem vterus irruit, ea pharmaca porrigere oportet quæ per vtramque aluum expurgare nata sint, vt in multis vteri auersionibus Hippocrat. consuluisse constat: qualiter verò id fieri debeat, dictum est superiùs. Vtcunque tamen sit, tensam partem vteri, blandis obstetricis manibus oleis perfricando ac comprimendo emollire soluere ve studendum est, donec tensionem ac dolorem quieuisse comperiamus, vel digitis per pudendum immissis

immissis si fortè os vteri distorqueatur: aut cucurbitis vmbilico appositis & emplastris pro matrice, ac suffimentis odoratis per nares, & fœtidis iuxta vterum: quod quidem suffumigium maximi esse momenti experimur. Sic etenim vtendum est omnibus alijs, quæ vterum tensum laxare habent & emollire: tandem ad experimenta obstetricum veniendum est, ex quibus sæpe non parum vtilitatis in medicina reperitur. Præterea in omnibus retractionibus vmbilico apponere oportet quæ robur & firmitudinem vtero præstant, velut sunt emplastra pro matrice, quæ ea lege conficies, quam retractionis causa præscripserit: nam flatus & frigiditas, calida & tenuium partium exoptant: plenitudo, post euacuationem discutientia humorem: malignitas alexipharmaca vt theriacam, tandem omnis vteri retractio ad suum locum facillimè refluit magnetis vsu, maximè si vmbilico affigatur. Sed in hoc specialem fœminę conditionem intueri oportet, quippe ex his non nullæ styrace liquida, aliæ galbano, aliæ thecamaca, plures caranna, & pleræq; odoratis gaudent & leuātur: quibus si alia adhibeas, etiam si pro ratione causæ ex vsu videantur, nil proficies.

De vteri imbecillitate. Cap. XIII.

VLTIS modis posse vterum imbecillitari, ijs omnibus compertum esse reor, quibus notum est quæ sint vteri ipsius officia & quales actiones: nam iuxta quēcunque actum, mille occasionibus à debito deflecti ac deficere cōspicimus. Sic primò quatenus pars simplex est, conficiendi ac commutandi proprium alimētum munere, labefactari solet: quo fit, vt multis humiditatibus & superfluis purgamentis abundet, potentijs naturalibus languidioribus factis. Deficit etiam in communibus officijs, & quatenus instrumentale membrum est, præ impotentia earum facultatum, quarum munus est opera illa exequi. Imprimis continens vasorum vis impotens redditur, quo tempore vel menses assiduo fluore dilabūtur, vel frequenter & per crebra interualla, vitio eiusdem facultatis nequeuntis onus continere, vel secernentis potentiæ irritatæ. Prolabitur quoque vel proprium semen, vel à viro susceptum: item si concepisse videatur fœmina, post aliquot dies semen explodit, vel tenuiter efformatum fœtum continere nequit, sed primis mensibus, dum aliquam grauitatem genitura nanciscitur, primo, secundo aut tertio ad summum mense excernitur. Pari quoque ratione fœmina sic affecta virorum concubitum aut non amat, aut fastidit: quòd si coacta viro iungatur nec delectatur, nec persentit quicquam. Itaque eam affectionem vteri imbecillitatē appellamus, in qua vterus sua munia vel debiliter, vel omnino non operatur. Tamen licet in plerisque vteri affectionibus, ipsum in aliquo suorum munerum labefactari contingat, non tamen ob id vteri imbecillitatem eum affectum nuncupamus, sed dū nullo affectu in vtero sensibiliter existente, facultates temperamentorum vitio (potissimum) labuntur.

Sunt quidem huius imbecillitatis duæ speciales causæ, vna quæ natiuam vteri temperiem euertit versus aliquam quatuor qualitatum primarum: altera verò, nimius vteri labor & spirituum vitalium ac caloris innati resolutio, velut in laborioso partu, aut frequēti aborsu vel partu cōtingere solet, vt Ætius optimè aduertit: Causæ

& ob

& ob id ſoluto natiuo calore,robur quoque naturale deficere neceſſe eſt. Sic ſanè primæ quatuor qualitates, vbi modum naturæ & debitæ temperiei exceſſerint,robur vteri proculdubio deijcient. Noſſe tamen in hac re conuenit non omnes diſtemperies quamuis imbecillitatem poſſe efficere,ſed vnaquæque propriam & determinatam. Quippe caliditas plus trahit ad vterum quàm conficere poſsit: ac ſi minus trahat,non conficit quidem, ſed adurit,vel quouis alio vitio conſpurcat.Frigiditas ne minimam quidem alimenti quantitatem cõficere poteſt,& ob id crudis humiditatibus vterum abũdare cogit.Siccitas porrò ſanguinem retinet,vel mẽſtruum,vel ſemen pluſquam oporteat,& ob inclementiam caloris ſiccitati adiuncti nil conficit,ſed exſiccat,vt Hipp. 5. aph. dixit tex. 60. Humiditas autem neque ſanguinẽ neque ſemen contineri permittit,neque fœtum adhuc:præterquã quòd fœminam viris ingratam ac citra vllam delectationem affectam reddit:& tandem in reliquis vteri officijs alia non pauca accidentia molitur.

Signa. Dignoſces proculdubio affectum in genere,ex faſtidio veneris,ex flatus excretione per pudendum,ex errabundis mẽſibus,ex ſeminis prolapſione & aborſus frequentia . Menſtruorum etiam tempore,pectinis,lumborum & crurium grauitas adeſt,& ventriculus malè habet,ex quo vaporibus ad caput delatis,aliquando deliria accidunt:& in ſumma ſimiles vexationes ijs quæ ab vteri ſtrangulatione prodeunt,ſuſtinent. Cæterum cognoſces ex laborioſo partu vel aborſu imbecillitatẽ proficiſci,ſumpta ab aſsiſtentibus & laborante relatione,ac ſimili modo ſi ex partus frequentia ſuccreſcat,quod oſtendit non minùs totius corporis languor,ſed potiſsimum lumborum & crurium.Caliditatem malo cauſam præſtare cognoſces,quòd partes pudendæ præcalidæ exiſtunt,& reliquum corpus caliditate pollet: menſes fiunt quàm pauciſsimi & cum dolore & nimia caliditate prodeuntes,ita vt pudenda mulieris exulcerent: quæ verò per vterum excernuntur fœtida & nigriora exiſtunt,& ob nimiam acrimoniam nullum ſeruant ordinem, irritata ab eroſione natura.

Fit quoque fœmina ex hoc intemperamẽto ſicca & calidiſsima,& cùm coit nõ delectatur,quòd vterus doleat.Frigiditatem verò prædominari diſcet obſtetrix ex tactu oris vteri & pudendorum, mucore enim & pituita plena exiſtunt,& os vteri veluti ſolidum fit ac ſine ſenſu,ita vt obſtetricis digitum perſentire nequeat. Torpent quidem inguina & partes prope oſsacrum,& lumbi ac femora & crura:fœmina etiam pigrè incedit & tarda fit ad omnem motum: flatibus abundat, quos frequenter per vteri oſculum excernit: ex quo prodit,ex toto ablatas vel diminutas videri facultatum actiones,ita vt menſes præ craſsitudine omnino ſupprimantur, & prorſus ſic affectæ non concipiant:nam vt inquit Hippoc. 5. apho. Quæcumque frigidos & ſpiſſos habent vteros,hæ non concipiunt. Verum fœminæ quæ humiditate plurima pollent,madidas flaccidaſque habent pudendas partes,menſes decolores & aquoſi prodeunt:coitum non appetunt,nec ſi cogantur, delectationẽ vllã ſentiũt & ſemẽ ſtatim proijciũt. Quæcunq; n. humidos habẽt vteros, inquit Hipp. non concipiũt,quod ſi ſemen retineãt,moxabortiũt. Mœſtæ etiã ſunt huiuſmodi fœminæ,taciturnæ,ad omnem motum laxæ & impotẽtes ac veluti cõfractæ.Siccitatem quidẽ,ex his cõtrarijs facile dignoſces:quippe fœmina gracilis eſt, laboribus plurimũ dedita,& mẽſes quã pauciſsimos habẽs: hirſuta & ad venerẽ tardiſsima, & parũ primo acceſſu delectatur, poſtmodũ verò dum excitatur, difficulter quieſcit, ac ſubſidet coẽundi deſiderium. Quæ omnia conſideraſſe oportebit,vt ſeruata naturali vteri temperie & ad priſtinum ſtatum reducta, vires facultatum eluceſcant.

Etiam

Etiamſi tanquam cauſam imbecillitatis vteri recenſuerim caloris aut ſiccitatis intemperamentum, credendum cum hoc eſt,id me potiùs feciſſe,vt earum qualitatum,cum in vterò à medio recedunt,curationem adſcriberem,quã quòd exiſtimem prædictas imbecillitatis ſpecies hæc intemperamenta poſſe primò & per ſe efficere, licet alia non leuia accidentia quotidie inferant:præterquam quòd & natiuo calore reſoluto, & ſpiritibus vitalibus diſsipatis,calor plerũq; adeò vteri vires labefactat, vt deinceps propria munia exequi minimè valeat, ſicut conſtat conceptum impedire diſsipato ſuſcepto ſemine, vel laxatis meatibus ſtatim profuſo, aut menſtruo nimis craſſo facto propter inuſtionem, vel apertis nimium venis prolapſo. Erit itaque imbecillitatis triplex modus: vnus quidem agente aliqua diſtemperie,qua proprię virtutis actus deficiat,cui primò ſubueniendum eſt: alter facultatibus ipſis languidioribus factis ex diminuto calore & reſolutis ſpiritibus: vltimus verò,cum vteri corpus & ſubſtantia,laxior,mollior & infirmior ad propria munia exequenda exiſtit. Quæ ſanè vitia & alia non pauca vt quis mitigare poſsit,ſumpto initio à caloris exceſſu, in primis victum frigidum porrigere tenetur, qualis ex lactucis,ſcariolis,borragine,curcubita ac melonibus parari multis modis poteſt: ex pullorum item carne,& potu aquæ hordeo feruefactæ.Cui vſui fore proficuum exiſtimo,ſanguinem ex venis tali,aut ex ſaluatella dextræ manus fundere, parcè tamen,ne præſidio & morbo vires diſsipentur.Item gratia compeſcẽdi calorem,frænandique humores calidos,ſtudendum eſt ſingulis diebus exhibere ſyrupum cichorij,roſarum,portulacæ,& violarum,ac decoctum hordei cum ſaccharo: tandem ijs quæ bilem purgant,corpus inanire, vel paulatim exhibito rhabarbari diluto cum aqua lactis,hordei aut cichorij,vel exhibita caſia fiſtula,vel electuario Hamech ſine ſcammonio & colocynthide confecto, quod maximi pretij in hac re & ſimilibus arbitror eſſe. Quo facto, dorſum inungere oportebit vnguento roſacco,vel refrigeranti ex Galeno, aut eo quod ex cucurbitis paratur. Eãdem ratione confert vterum illinire oleo violarum vel de ſemine cucurbitæ,aut fouere decocto maluarum, hordei, roſarum & violarum lana vel ſpongia aut veſica excepto.Prodeſt quoq; mercurialis cum lenticula paluſtri,lumbis & pectini impoſita: item ceruſa aqua trita vel cum mucilaginibus pſyllij liquata. Cauere tamen oportet ne vterus nimium refrigeretur,ob idque neceſſe eſt ſenſim, paulatim & per interualla hæc adhiberi.Balnea itẽ aquæ dulcis hunc vteri calorem plurimùm compeſcere ſcio: quẽ non minus extinguit peſſus ex albumine oui,adipe anſerino & oleo violarũ cum g.v. opij.Quòd ſi ſolam caliditatem vigere cognoueris, vt ex nimia pudendarum partium frictione,exercitio vel alia cauſa euidenti cõtingere ſolet,alterantibus ſolis vtendum eſt,citra ſanguinis detractionem aut expurgationem.Verùm ſi diu durauerit huiuſmodi diſtemperies, etiam ſi ex prædicta cauſa contrahatur,coniectandum eſt humores quoque calidos euocaſſe, aut effeciſſe, & vtendum eſt prædictis auxilijs

Curandi ratio.

Siccitatem calori finitimã (quæ ex alimenti conſumptione,vteri duritie ipſum ad concipiendum inutilem & imbecillum reddit) corriges per humida alimenta, optimi,plurimi ac facillimi nutrimenti: ac per fotus & inſeſsiones aquæ dulcis,aut decocti alicuius humectantis:& per inunctiones ex oleo amygdalarum dulcium & ſeſamino,vel de ſemine melonum: ac per metrẽchitas ex eiſdem oleis, ex lacte, vel decocto aliquo pingui.

Verũtamen ſi frigiditas imbecillitati cauſam præſtiterit,conſiderandum primò eſt,an ſola exiſtat, vel cum humorum frigidorum præſentia : quod frequentiùs

accidere conſpicimus. Quòd ſi hoc vltimum fortè ſit, prouidendum eſt, ne ex calidorum adhibitione maiorem humorum copiam à toto corpore ad vterum euoce mus, ac rurſus ne eos, qui per vterum vagantur, fuſos tenuiores ve factos, in maius malum prorumpere contingat. Quamobrem primò vniuerſum corpus vacuare oportet ijs pharmacis quæ pituitam expurgent, exhibito priùs per aliquot dies mel le roſaceo, à quo vniuerſum corpus ſummo manè fricari ac exerceri conuenit. Si tamen ex ventriculo vterum humores ſuſceptare cognouerimus, vomitibus illi prouidẽdum eſt origani aut thymi decocto, ante & poſt cibum, ac deniq; omni ſtudio ab eo pituitam euacuare, bis ter ve in hebdomada vomendo, ſtudendum eſt. Verũ ſi ne hæc quidem profuiſſe videantur, vterum ipſum purgabis per ea medicamẽta, quæ id munus per epicraſim præſtare nata ſunt. Cuius naturæ ſunt aloës, agaricus, hiera ſimplex Gal. cartami pulpa, vel pilulæ ex prædictis pharmacis confectæ. Quẽ etiam vſum præſtat incredibili efficacia terebinthina abietis lota cũ modico rhabarbaro. Quibus factis, ad ea medicamenta confugiendum eſt, quæ vterum & vẽtriculũ calfaciant, ſimulq; humoris frigidi reliquias conterant ac digerant, veluti decoctum cumini, aniſi, pulegij, piperis, epithymi, dauci, petroſelini, caſtorei & ſeminis ac radicis angelicæ. Præſtat etiam puluis ex eiſdem confectus, ac facta leui ſuper vẽtrem inunctione, ſparſus. Ex vſu quoq; eſt theriaca, mythridatum & pleraq; alia ex ijs, quæ cap. de epilepſia ex vtero, præſtare diximus. Confert & puluis corticis citri, aranciorum & caryophyllorum, vel paſtilli ex eiſdem confecti cum modico ſaccharo & cinnamomo. Poſt quæ ventriculum foueto ex vino vel aqua calida, in qua ferbuerint artemiſia, ruta, ſaluia, cinnamomum, ciminum, pulegium, cyperus, acorum, & radices ac ſemina angelicæ. Ex vſu quoque eſt ventriculum pectinem & inguina inungere oleo irino, amarycino, cyperino, de angelica, liliorum, rutæ, & de baccis lauri: ſed pretioſius eſt quod ex cinnamomo conficitur, aut quod ex angelica herba viridi cum radicibus & pauco ſemine paratur: vel ex aniſo, ex caryophillis, ex nuce muſcata: oleo itẽ piperino vel macis veteris: quę omnia extracta duplici vaſe, facta prius aromatũ in aquæ & vini pari portione ſufficiẽti maceratione, mirum in modum prodeſſe ſcio: verùm ſi ex his vltimis cum modico vino aliquid ſumatur, maius te præſtaturum beneficium exiſtima. Quibus inunctionibus aliquando admiſcere oportebit aquã mulſam aut marinam cum modico aceto: quæ omnia molli lana vel ſpongia aut veſica ſunt excipienda, calidaque actu adhibenda: quorum ſanè quantitatem aut efficaciam adaugebis vel minues, prout affectus grauior vel diuturnior, aut facilior vel nouiter factus fuerit. Poſtquam autẽ hæc adhibueris, non erit abs re ſuffumigijs & euaporationibus vti, ſumptis per arũdinem aut inſeſionem. Quas conficies ex eiſdem herbis ac rebus, quibus pulueres & fomenta conſtare diximus: additis ex ſtyrace & alijs aromatis calidis quantum ſat ſit. Item peſſaria miniſtrabis quæ excalfacere & expurgare vterum poſsint, qualia conficiuntur ex ſucco mercurialis cum aliquo ex prædictis pulueribus, ſtyrace, theriaca, aloẽ, & agarico cum modico melle. Regioni etiam vteri & vmbilico admouere oportet emplaſtra, cerata & ſacculos, quæ & vterum calfaciãt & roborẽt, qualia anteà recenſuimus, & modò referam, ſi priùs dixero quid aduerſus humiditatem agendum ſit. Anteà tamen ſcito, balnea ex ſulphure incredibili efficacia vteros frigidos ſanare.

Humiditatem quidem & madorem vteri haud diſsimili modo curabis: quippe totum corpus purgare priùs, fricare, exercere, & tenuem & exſiccantem victum, atque parcum potũ ex decocto ſpartæ parellæ, aut radicis chinæ, vel cinnamomi, aut aniſi

aniſi confectum porrigere proculdubio oportebit. Purgabis quidem primò hiera, pilulis aggregatiuis, agarico, rhabarbaro, aloẽ, electuario Indo vel diaphœnico. Quo facto, vomere, ſed frequẽtiùs quàm in frigida diſtemperie opus erit: rariùs tamen fomentis & balneis præterquàm ſulphureis, vti conceditur: liberaliùs tamẽ licet ſuffire, vel ſicca fomenta & ſacculos adhibere: quos conficies ex ſale, milio, camemalo, anetho, pulegio, artemiſia, thymo, cinnamomo, ruta, baccis lauri, & ſtercore caprino. Ex quibus emplaſtra cum vino & melle conficere poteris, & cerata cum oleis ſupradictis, ladano, terebinthina. Cauẽdum tamen eſt, ne ſtatim à principio pharmaca hæc aſtringentia & reſiccantia adhibeamus: nam corpore impuro exiſtente, non parum lædent humoribus præter naturæ modum detentis, & ad principaliores ſedes irruentibus. Quare priùs purgandum eſt, & mox prædictis aſtringentibus vtendum, quale eſt decoctum lentiſci & myrti, roſarum, ſummitatũ rubi, & polygoni: quo ſanè decocto & per oſsumpto & exteriùs adhibito, non parum profeceris. Itaque vniuerſalis medendi ratio erit, inũdantem, à toto corpore, à ventriculo & ab vtero ipſo humiditatem priùs minuere, poſteà reſiccãtibus quod ſupereſt diſcutere ac ebibere. Tamen quia id ſæpe ſufficere nequit, comprimere quod ad os vuluæ confluit, neceſſum ſubinde erit. Quod ſi aliũde in vterum humiditatem confluere noueris, aſtrigentibus potionibus poſt dictam methodum vteris, veluti eſt myrti bacca vel malicoriũ cum vino, & alia non pauca, quæ lib. 1. cap. de menſtruo fluore diximus. Prodeſt quoque exteriùs vtero adhibere adipem anſerinum cum aniſo tritum lana exceptum: theriacam item mythridatum, vel ſuffumigia quæ ad menſes ſiſtendos illic retulimus. Sed vltimò in frigida & humida vteri diſtemperie nil tutius aut vtilius reperies, quàm ſulphurea balnea: quanquam corpus vniuerſum ſudare ligno guayaco, ſparta parela, radice chinæ, vel ſyrupo ex eiſdem, aniſo, & ſemine angelicæ confecto, ſummoperè proficuum comperimus. Si tamen hæc non prodeſſe videantur, ad fontanellas confugiendum eſt, quas cruribus eſſe aperiendas cenſeo.

Sed vltra ea, quæ aduerſus qualitates & cauſas, quæ vterũ imbecillitant, pugnare habent, multa quidem ſunt quæ vterum ipſum roborant, vel præſtantia quod illi defuerit, vel adimplentia eius munus & officium. Sic vterum roboramus euocatis calore, ſanguine & ſpiritibus, & firmata ac ſtabilita vteri ſubſtantia: cuius naturæ creduntur eſſe omnia aromata, quæ & modicum calorem, aut parum vltra modicum habent, & quodammodo firmare, comprimere & ſtabilire vterum ſunt nata. Cui ſanè vſui reperies vtiles eſſe omnes gummi ſpecies, ſiue quæ ex Indijs aſportentur, ſiue quæ apud nos naſcantur, & cerata item ac emplaſtra pro matrice quæ vulgariter in officinis parantur, & nos cap. de epilepſia abundè adduximus, & ferè reliqua quæ ex gummoſa ſubſtantia, ladano, pice, reſina vel terebinthina cum pulueribus aromatum, & oleis ex roſis ſiccis, narciſſo, cinnamomo, de baccis lauri, de lilijs, de angelica, de methaſtro, de ſtyrace, de iaſminis, de napha & alijs quæ conſimilem habent virtutem, paſsim conficiuntur, & ipſam liquidam ſtyracem. Sed maximè quod recipit olei iaſminorum, aniſi, & cinnamomi ac caryophyllorum, arte chimica extracti. ana. ʒ. j. ceræ & ladani. q. ſ. vt fiat cum reſina ceratum. Roborant item theriaca, mythridatum cum diamoſchu, diambra, gallia muſcata, alypta muſcata: moſcus, ambra, zibetum, & denique ea emplaſtra quæ pro matrice ex his & pulueribus ſupra dictis conficiuntur, & in pleriſque huius operis cap. variè compoſita reperies: maximè quod recipit pulueris granæ & caryophyllorum. ana. ʒ. j. ß. pulueris roſarum,

coralli & angelicæ. ana. 3. j. pulueris mastichis & sanguinis draconis. ana. ℈. ij. ambræ & musci. ana. g. x. ladani depurati & ceræ. q. s. vt fiat emplastrum: roborat quidem mirum in modum & genituræ retentioni opitulatur, renibus adhibitum & prope inguina ac vmbilicum. Robur quoque vtero addunt sacculi ex herbis siccis, ex aromatis & pulueribus. Sed efficacissimè id beneficium præstant cucurbitula, frictio, fomentum & suffitus: & vltimò astringentia prædictis aromatis admixta quæ comprimentis facultatis & contentricis deiectæ munus suppleant & exequantur. Quorum omnium maximam siluam cap. de sistendis mensibus reperies, ex quibus & nuper dictis facile tibi erit varia effingere medicamenta. Hoc tamen vnum in omni corroboratione adseruabis, quòd si imbecillitas in distemperie, quæ actum facultatis prosternat, sita præcipuè sit, ijs maximè vtendum erit auxilijs quæ aduersus distemperiem, iuxta cuiusque naturam pugnent, eo quem diximus, modo: verùm si debilitas in spirituum resolutione, aut caloris innati dispendio constiterit, vt defessis & laboriosis fœminis & ijs quæ frequenter pariunt, accidere scimus, ijs quæ calfaciant, caloremq; & spiritus ad vterum euocent aut vicem caloris innati gerant, vtendum est. Si verò vteri substantia laxior facta fuerit, minusque firma ac robusta ad actiones, quàm par sit, astringentibus studendum est id munus adimplere. Quas equidem medendi rationes qui exactè nouerit, facilè prædictis discet vti pharmacis, & ex eis quæ vsui propria fuerint, eligere & componere, aut mutare vel addere aut demere, iuxta fœminæ aut vteri affecti vel affectus conditionem: quòd si hæc ignorauerit, fateatur se non posse, etiam si mille noscat medicamenta vtero proficua, aliquod vtile aut necessarium effingere.

De varijs vteri doloribus.

Cap. XIIII.

INcredibile profectò est, quali & quanta dolorum varietate circa vterum & eius partes conqueri fœminas conspiciamus: ita vt sine alterius affectus à quo dolor oriatur, (qui peculiarem prærequirat curationem) complicatione, solus ipse dolor suam curandi, aut (vt rectius loquar) mitigandi rationem expostulet. Frequenti enim obseruatione nobis compertum est, etiam si dolores vehementissimi sint & grauissimi, affectionem tamen seu solutionem continui leuissimam aut quàm paruissimam esse, doloribus solũ proficiscentibus sæuissimis ex partis dolẽtis natura, vel ex causæ malitia, quæ hac potiùs ratione, quàm vi cõtinuũ dilacerante, dolorẽ excitat, leuissima facta solutione. Cui cõsimilẽ dolorẽ in hemicrania & alijs importunis capitis doloribus, frequẽtissimè reperimus: qui sanè ex leui humoris vel halitus portione sola ipsorũ malitia grauissimos cruciatus excitat. Quod proculdubio in vtero frequẽtiùs adhuc cõtingere est æquũ: nã & causæ maligniores & venenosiores ibidẽ existũt, & particula nõ obtusioris sensus. Itaq; de his tantũ doloribꝰ hoc in loco agere mihi est in animo, qui vterũ affligũt citra affectus cõplicationẽ, qui peculiari sui ratione requirat prouidentiã, velut est inflãmatio vteri, vlcus, inflatio, & alij consimiles morbi, quorũ inferiùs meminero, & dolorũ qui ab eis proficiscũtur.

Dolet

Dolet quidem vterus citra manifestum affectum, ad quem dolor reduci possit (præter dolorem ex sanguine menstruo non fluente, aut improbè expurgato, cuius curationẽ adduximus lib. 1. capi. proprio) ex halitus à semine, sanguine ve menstruo corrupti malitia, vel ex eorundem copia, quæ aut distendat vteri vasa, aut abradat & mordicet eadem & vteri corpus. Non quidem vteunque, sed addita etiam venenosa affectione quæ doloris malitiam adaugeat, & animi quoque passionem maiorem inferat, ita vt nullis videatur auxilijs cedere. Dolet item vterus ex grumoso sanguine, qui dolorem proculdubio duobus modis inferre habet: primò ratione corpulentiæ, qua angusta vteri vasa permeare nequit: quo fit vt in via manẽs, fixos & acutissimos inferat cruciatus: si verò permeet, non minores: cæterum vagos, à quibus aliquando quiescit, præsertim grumoso sanguine excreto: secundò lædit grumosus sanguis vitio & malitia non leui, quamobrem dolore simul & animi accidentibus & anxietate fœmina premitur. Alijs quidem vterus ex inæquali plenitudine dolet, cò quòd in diuersis partibus diuersam obtineat plenitudinis rationem & copiam, quod plerunque acerbissimi doloris causa existit. Sunt quoque fœminarum non paucæ, præsertim inter viduas, & eas, quæ antè viro assuetæ, nunc se abstinent; quibus dolores & cruciatus ex seminis abundantia succrescant: quippe semen præter consuetudinem retentum corrumpi, & vasa plusiusto dilatari ac tristari, delectationis etiam defectu contingit, quòd semen illud vterum lædere malitia & copia necessum sit. Item plerisque dolor accidit ex acribus & erodentibus humoribus cũ sanguine menstruo dilabentibus, qui aut copia & acrimonia mordacitate illata, cum vteri aut pudendorum pruritu, dolores ingentes, potissimùm menstruo instante, inferunt. Succrescũt non rarò huiusce modi dolores ex suppressis albis vteri purgamentis quæ ita solent intensos efficere ac ipsa fuerint vel copiosa, vel acria, aut frigidiora, vel calidiora. Nec minùs dolore afficiuntur fœminarum quædam, dum viro accedunt, si vterus à qualibet causa intumuerit. Quod Moschio libro Gynæciorum capit. 19. exprimit dicens. Si mulieri loci doluerint, aut vulua per coitum punctiones senserit, sciant sibi vuluam in tumore esse, magis tamen in interiore parte quàm foris, (& subdit.) Huius rei signum est tale: oculorum anguli dolebunt, & facies ignea plus quàm pallida, & hoc vitium erubescunt medico fateri. Quod sanè malum existimo plerunque fieri in fœminis quæ obstructione vteri, præsertim colli eius, laborant, ob plenitudinem quidem pudendarum partium & vteri ex sanguine propter obstructionem ibidem immorantem: quippe dum quiescunt partes illæ, etiam si plenitudine premantur, non dolent, cæterùm motæ coitus exercitio, dolent: haud secus quàm in lassitudinibus, in quibus maiores fiunt moto corpore cruciatus, quàm quiescente. Sic etenim in huiusmodi fœminis plerunque sanguis profluit, vt refert Hippocrat. libro de sterilibus dicens. Si verò à coitu imum ventrem dolet, & sanguis recens ipsi appareat, lini semen tusum & muscum mollem, & adipem anserinũ, mixta ac molli lana excepta imponito. Quod vitium, dum sanguis profilit, censeo in extimis corporis partibus esse, potiùs quàm in intimis. Eandem prorsus affectionem humores acres, sed in parua quantitate, efficere comperimus, quos dum virile pudendum mouet, certum est graues dolores excitari. Solent quoque cruciatus haud leues efficere externæ causæ, veluti frigiditas aëris, vteunque vterum subingrediatur: item insessus in loco frigido aut nimis humido, ablutio pedum intempestiua ex aqua frigida, vel nudis pedibus in loco frigido stare: maximè dum menstrua fluunt, aut mulier à partu purgatur. Nam vt. 14.

de vſu partium. Gal. teſtatur cap. 3. vteri ceruix recta & adaperta eſt, cùm alijs tem poribus rugoſa & plicata exiſtat, quòd vt 3. de facul. na. cap. 3. ait, plurimum facit, vt facilior ſit frigori aditus. Potus etiam frigidæ intempeſtiuus, maximè ſi fœmina calidior ex tẽpore aut exercitio vel igne ſteterit. Aceti & acidarũ rerũ vſus aut lactucæ, vel acetariorum immoderantia. Quibus proculdubio cauſis & alijs non paucis, quas breuitati conſulens prætermitto, dolores, qui iure ſibi curationem ex poſcunt, fieri comperimus.

Signa. Noſſe qui ſtudet huius affectionis cauſas, primò doloris modum expẽdat opus eſt: mox durationem: vltimo ſympthomata, quæ illi accidunt: nam ex his tribus facilè in cauſæ cognitionem deueniet. Dolores ex copioſo flatu dignoſces ex tẽſiua doloris conditione, ex rugitu inferioris ventris, & ex cruciatibus ac exacerbationibus per interualla factis. Quod optimè Hippocrat. inſinuaſſe conſtat, per hæc verba. Si dolor ſolùm fuerit vehemens & violentus, caligo in vteris ineſt, & flatus non exit, ſed iſthic manet, malum. Quam etiam cauſam cognoſcere docet idem author lib. 2. nuper adducto dicens: Si ventus in vteris fuerit, flatus exit, & ſtridet, & tota intumeſcit, & febris habet & ardor, & ad hæc valde exilit præ dolore, & virum non admittit, & ægrè fert coitum & erigi non poteſt, & velut onus graue ipſi in vteris iacet, & caput dolet, & anxia eſt, & loqui non poteſt: ſi verò dolor acceſſerit clamat, & dolet omnia, & lumbos, & pubem, & ſedem, & vrina ſupprimitur, & venter ſuffocatur, & mori cupit, & præcordia diſtenduntur, & ſtomachus mordetur, & os amarum eſt, & vomit acida & pura ac meraca, & frequenter ructat, ac meliùs habet, ſin minùs intumeſcit, & ſi attigeris, renititur & dolet. Cognoſces ex retentis purgamentis fieri, quia diu non apparuerint. Proficiſci etiam huiuſmodi dolores ob malam flatus qualitatem ſcimus, ex animi aliquo vitio, inquietudine, anxietate, iactatione & exolutione. Grumoſum eſſe ſanguinem inter alia ſigna dignoſces ex dolore cum teneſmo vteri, & frequenti etiam vrina: nam cùm natura nitatur grumoſum illud expellere, idque ob loci anguſtiam nequeat, ſemper conatur natura munus explere: vnde ob aſsiduum conatum, partes vicinæ quoque teneſmo affici haud rarò contingit, præterquam quòd dolores acutiſsimi, veluti ſi palo aut acuto aliquo ſtillo vterus perforetur, plerunque ſuboriuntur. Quod etiam agnoſces ex eò quòd dolores fixi ſunt, & in vna parte permanentes, niſi aliquid grumoſum excernatur: nam eo tempore licet vehementes quoque ſint, per interualla tamen repetunt: quod quidem ab ijs quæ excernuntur, ſi grumoſa ſint, haud difficulter cognoſces. Verùm quia non ſolùm corpulentia, ſed & malitia ſæpe grauiores dolores ſanguis grumoſus concitare ſolet, id etiam coniectandum erit ex animi accidentibus, quæ mox ſuccreſcunt & potiſsima ſunt malæ qualitatis indicia. Quòd ſi dolor ex ſeminis vbertate ſuboriatur, hyſtericis accidentibus & ſignis, & ex prægreſſa viri conſuetudine facilè dignoſces: maximè ſi cibis vtatur copioſioribus aut vita ſedentaria & laſciua. Si tamen dum viro fœmina accedit, vterus doluerit, plenitudinem illarum partium eſſe cauſam, ex tumore pudendarum perdiſces, ſicut ex pruritu cum dolore humoris acrimoniam, niſi vlcus aut inflammatio, vel anguſtæ & duræ cicatrices ex prægreſſo vlcere cauſam præſtiterint, quod ex proprijs ſignis facile erit exquirere. At ſi ab externa cauſa dolorosa affectio prodeat, ex relatione ſignum tibi quæres.

Curandi ratio. Cùm in ſympthomatum mitigatione triplex ſit medendi ratio: altera, quæ cauſam illidit: ſecunda, quæ morbum, immediatũ ſympthomatũ cauſam, curat: tertia verò

verò quæ citra cauſæ & morbi reſpectum, tantummodo ſympthomati prouidet, mitigatque eius inclementiam: ob id quidem hac in parte eius tantùm, quæ ſympthomata mitigat, aliquo habito reſpectu ad cauſas, meminiſſe conuenit. Sunt etenim medicamenta ſedantia dolores, quædam quæ omnibus proſunt à quacunque cauſa proficiſcantur: quæ calore ita temperato conſtant, vt calori noſtro natiuo quàm ſimillima ſint, aut ſaltem primum calfacientium ordinem non tranſcendant. Quippe dulci ſenſu, quem mouent, partium dolore affectarum triſtitiam moleſtamque ſenſationem abolent. Expedit tamen tenuium eſſe partium hæc pharmaca, nihilq; habere aſtrictionis, vt pariter euacuent, rarefaciant, extenuent, digerant, concoquant & æquabilem, ſenſim & moderatione quadam, materiam & partem dolore vexatam, reddant. Huius quidem generis ſunt oleum dulce ætate medium, camemelinum, de ſemine lini, amygdalarum dulcium & lumbricorum: item ſambucinum, ſeſaminum, butyrum, lana ſuccida, vitellus oui, lac muliebre, pinguedo porci, vituli, gallinæ, anſeris, cuniculi, decoctum altheæ, maluæ, violarum, lilij, ſeminis lini, fœnugræci & huius naturæ pleraq;. Hæc namque, vt latiùs lib. 2. noſtro de indica. diximus, ſibi peculiarem operandi rationem habent, omnibus quidem cauſis & temperaturis communem. Aliud etiam peculiarius obtinent, nimirum, quòd nullum habent tempus circunſcriptum, quo magis adhiberi deſiderent, quàm in alio, licet tutiora ſint corpore vtcunq; vacuo: cum hoc tamen plenis quoque corporibus proſunt. Habent inſuper peculiarius aliquid, videlicet, aliquando ſolùm eſſe anodyna, cùm dolorem tantùm mitigant, aliquando verò eſſe affectum ſanantia: nam præter id quòd partem parãt, vt minùs ſit doloris apta, affectus quoq; cauſam æquabiliorẽ mitioremq; duplici ratione reddunt: tum ex ſimilitudine, quam cum noſtro calore habent, qua acrimoniã & quemuis exceſſum retundunt: tum verò quòd primò calfacientium ordine conſtituantur, & ob id per inſenſilem halitum leniter, quod in parte dolente cõtinetur, diſcutiũt. Itaque primò in quouis dolore mitigãdi gratia, & oleis & fomentis & emplaſtris aut ceratis ex ijs quæ ſuperiùs retulimus vtendum eſt, præmiſſo tamen enemate, quod conſimiles habeat vires.

Alterum verò anodynorum genus eorum eſt medicamentorum quæ contrà doloris cauſam è directo pugnare habent: nam euacuant digeruntq; quod in parte contentum eſt, & dum quantitatis aut qualitatis ratione dolor excitatur, certãt quidem aduerſus vniuſcuiuſq; exceſſum, frigidam calfaciendo, & calidam refrigerando: ac ſi venenoſa ſteterit, malam qualitatem corrigendo. Quamobrem noſſe oportet cuiuſque doloris cauſas, vt iuxta cuiuſuis naturam proficua auxilia adhibeamus.

Sic dum ex flatus copia nobis compertum fuerit vterum dolere, prædictis verè anodynis ea commiſcere ſtudendum eſt, quæ aduerſus cauſam pugnant: & ſenſim imminuta anodynorum copia, ſolis quæ cauſam ſuperãt adhibitis, prædicta ratione inſtitues, donec aut ad expurgans medicamentum, aut ad ſanguinis detractionem, ſi affectus poſtulauerit, deuenias. Quæ ſanè opera iuxta eas partes facies, quæ vtero ſint proximiores, vt Hippocrat. videtur conſulere lib. 6. popu. par. 6. text. 5. dicens: In doloribus proximum ventrem aperire: nam eo tempore niſi quid aliud prohibuerit ab his venis & per eas partes, quæ vtero ſint viciniores, euacuandum eſt. Primum itaque clyſterem inijcies ex decocto altheæ, anethi, ſeminis lini, camemali, ſeminis & radicis angelicæ, menthaſtri & artemiſiæ, additis melle & hiera picra cum oleis anethi, liliorum alborum, camemali, de ſemine lini, de

baccis lauri & alijs huius conditionis. Vel in ipsum vterum inijcies decoctum origani, petroselini, nigellæ, cumini, samsuchi, iuniperi, dauci, helenij, apij, anethi, anisi, spicæ nardi, nucis, cinnamomi, smyrnij, cum modico vino. Mox à clystere iniecto, si affectus non quieuerit, fomentis ex prædicto decocto vtendum erit, spongia plurimum expressa aut vesica exceptis. Item inunctionibus veteris ex eisdem oleis cum oleo cinnamomi, vel amygdalarum dulcium, in quo semina & radix angelicæ ferbuerint: præstat & oleum de napha, de iasminis, de styrace & balsamo. Præter hæc, emplastra vtero adhibebis ex prædictis herbis in puluerem redactis, de cocto aliquo flatus discutiente ex cumino, aniso, anetho, galanga, caryophyllis & similibus confecto. Idem quoque beneficium præstabis, si ex pulueribus nuper dictis & ouorum vitellis cum oleo liliorum alborum cataplasma confeceris: quem vsum præstat euaporatio ex prædicto decocto excepta: item cucurbitula cum multa flamma ventri imposita, si menstruæ purgationes non instent, neque fluant. Maximi etiam semper fuit momenti, vmbilico emplastrū aliquod pro matrice affigere, confectum quidem ex tecamacha & caranna, styrace liquida, balsamo, ladano, cinnamomo & pulueribus radicis & seminis angelicæ, cum oleo de baccis lauri, de cinnamomo, & cum gallia, alypta, terebinthina ac cera. Vel vtrumque ventrem inunges oleo de angelica, de aniso, de cinnamomo, de caryophyllis, & de pipere: vel prædictorum aromatum aquam arte chimica instillatam porriges. Præstat non minorem gratiam siccorum fomentorum vsus ex lineis & laneis pannis supercalfactis, ex sacculis quoque confectis ex pulueribus herbarum, seminum, florum & radicum, quas nuper diximus. Quòd si hæc prodesse non videantur, vtitor consilio Hippocrat. lib. de natu. mulie. dicentis: Si vterus dolet, allij caput integrum & nitrum tostum & cuminum teritò, & melle subacta subdito. Cuius etiam præcepto paulò inferiùs suffitibus ex peucedano, aristolochia, panace & similibus vtendū est, vel euaporationibus ex decocto ligni guayaci, quod maximi esse momenti arbitror, præsertim si fœmina morbi Gallici naturam redoleat. De iride quoque fertur, ipsam purgare peso impositam, ac eius dolores sedare, vel emplastro admotā: menses itē euocare, & aborsum facere. Quia tamen ex pituitosis recrementis vel flatus eleuantur vel vterus dolet, ob id ea clysteria sunt adhibenda quæ cap. de vteri hydrope scripsimus: maximè si addideris vinum, vel in decoctione cortices fabarum & lupinorū, aut lixiuij aliquid, si laborans valde sit humecta, fugiendumq; ab his quæ sal recipiunt, ne ocyssimè ad excretionem vrgeant.

Si tamē febris accesserit, quæ neque calore proprio id mitigare possit, neque remedijs affectio cedat, ad sanguinis detractionē confugiendū est, præcipuè ex partibus superioribus, si menses non instauerint: nam eo tempore ex venis tali mittendus est, ne dolorum vehementia vterus inflammatione periclitetur. Quòd si neq; febris, neque ardor, neque menses imminentes instauerint, ad purgationem ex hiera simplici Gal. pilulis de mastiche, aut syrupo ex infusionibus rosarum cum modico agarico deueniendum esse consulit curandi ratio: quæ docet plus præualere crassos & viscidos humores, à quibus flatus eleuantur, quàm calidorum & discutientium pharmacorum vehementiam, quòd sæpe maius damnū, quàm commodum sequi soleat, corpore aut vtero impuris existentibus. Si verò aliquid eorum quæ flatus discutiunt, præbere volueris, nil subinde nocebis, veluti est vini optimi parum, vel decoctum seminis anisi, cumini, dauci, caryophyllorum, cinnamomi & similium, maximè si calidum actu sumatur. Prodest & puluis præ-

prædictorum seminum, vel dianison, diaciminon, & aliorum quæ his sunt simillima. Sed ex vsu inter omnia potissimùm est aquæ vitæ modicum, vel aqua cinnamomi quæ à Lusitanorum Indijs asportatur, ex flore ipsius arboris, aut ex cortice instillata: quæ etiam apud nos chimica arte ex cinnamomo extrahitur.

Verùm si ex flatus acrimonia aut malitia dolores concitentur, veris anodynis vtendum quoq; est, admixtis tamen alexipharmacis calidis, cuius naturæ est theriaca, mythridatū, semen angelicæ, vel eius radix, & huius naturæ alia quæ superiùs cap. de hystericis affectibus à nobis dicta sunt. Quem quoq; vsum præstat oleū cinnamomi, angelicæ, caryophyllorum, piperis, & anisi, quæ etiam deuorata ex vino, prodesse scimus: sed maximè aquam ex theriaca extractā, cuius meminimus lib. de febre maligna.

Si tamen ex grumoso sanguine cōcreto ve, aut efficiente inæqualem plenitudinem vterus doleat (præter quam quòd huius causæ quoque meminimus lib. 1. cap. de menstruo cum accidentibus) id proculdubiò semper est in curatione obseruandum, vt partes vteri laxentur, & viæ patentiores fiant, & sanguis tenuior, ac plenitudo æquabilis reddatur. Quod fieri oportet, vt Ætius consulit lib. 4. serm. 4. cap. 63. per ea medicamenta quæ cum vapore humido calfaciant, & modicè attenuent: ob id fœminam in loco calido reponi iubet, & femora ac vteri regionem vaporibus, fomentis, inunctionibus & balneis modicè calfacere. Cæterùm si prædictæ plenitudinis aliquid superesse cognouerimus, sanguine priùs misso, vt cap. adducto diximus, ad eadem auxilia confugiemus conantes euaporationibus partes dilatare, laxareque easdem inunctionibus, & modicè attenuantibus pharmacis grumosum sanguinem attenuare & inscindere. Quamobrem adhibitis decoctis, quæ mox attulimus, veniendum est ad inunctiones ex oleo de croco, de spica, de vitellis ouorum, de lilijs, amygdalarum dulcium & de semine lini: maximè si in his duobus vltimis ferbuerint menthastrum, anethum, semen aut radix angelicæ, cortices citri, aut cinnamomum. Conferunt euaporationes ex prædictis herbis aqua & oleo decoctis: item fomenta & sacculus, ex eisdem. Theriaca quoque prodest vmbilico, & imo ventri illita cum oleo sesamino, naphæ, vel de croco. Sed euaporationes huic vsui commodiores conficiuntur ex iure pingui galli veteris decocti cum multo croco & cinnamomo, caryophyllis, semine lini, althea & fœnugræco, quod maximi fore momenti existimo. Præstat per os sumere hausturn aquæ feruentissimæ, vel decoctum seminis angelicæ: item theriacæ ℈.j. aut ʒ.ß. cum vino vel prædicto decocto, vel iure galli veteris ex croco, cinnamomo, passulis & ciceribus cōfecto, vel aquam theriacalem aut cinnamomi, anisi, caryophyllorū & dauci, quas arte chimica in duplici vase extrahes. Rutam quoque (inquit Ætius) tritam ac melle exceptam & panno lineo inductam pubi ac pectini impositam prodesse comperimus: sicut & clysteria ex prædictis decoctis, ruta, fœnugræco, & aliquo ex prædictis oleis admixto. Conferūt potissimùm in plenitudine inæquali cucurbitulæ citrà scarificationem inguinibus ac femoribus adhibitæ: vel si hæc non profuerint, cum scarificatione ex vsu erunt: sicut hirudines parti scarificatæ affixæ, sed præcipuè hæmorrhoydibus. Verùm si huic affectioni aliquod animi pathema succrescat, per alexipharmaca superiùs adducta mitigare oportebit.

Dolores autem, qui ex erodentium & mordacium humorum præsentia suboriuntur, nullo alio auxilio citiùs mitigabis, quàm potibus & fomentis humidis & calidis

& calidis, earum præsertim rerũ quæ mulcebrem & mucilaginosam obtineant substantiam. Ob id quidem prodesse scimus insessiones decocti fœnugræci, seminis lini, altheæ ac radicum maluarum & altheæ cum semine citoniorum & psyllij. Item fomenta ex eodem decocto: inunctiones ex pinguedinibus & oleo amygdalarum dulcium, sesamino, de semine melonum & cucurbitæ, potissimùm si in eis mucilaginem seminis citoniorum & psyllij extraxeris. Conferunt etiam clysteria ex prædictis, potus item aquæ calidæ, aut vsus amyli. Quòd si hæc minus quàm par sit, prosint, ad purgationem citò te conferes, quam institues iuxta ideam humoris peccantis: qua facta, eisdem vtitor auxilijs & per interualla iterum corpus purgabis: sed præstat pessus qui recipit opij aliquid dum diu ibidem non immoretur: prodest qui paratur ex decocto capitum papaueris in paso, vel oleo rosarum cum medulla ceruina. Item vnguentum rosaceum cum succo plantaginis & intybi. Denique vniuersa mitigandi ratio in hac causa stat in attemperamento humorum, retusa eorum acrimonia, ac in mixtione alicuius optimæ substantiæ cum humore acri & mordaci, ac vltimò in expurgatione superabundantis succi. Sic profectò in hac & reliquis dolorum causis victum institues, in flatibus tenuem & calfacientem, in hac verò causa, optimi & multi nutrimenti, cæterùm fluidioris substantiæ: reliqua verò ad victum pertinẽtia, causæ natura monstrabit.

His tamen, quibus vterus dolet ob viri accessum subuenire oportet iuxta naturam causæ dolorem aut tumorem excitantis. Sic etenim si ex tumore intus recondito dolor suboriatur, præter generalem prouidẽtiam, peculiariter huic malo medeberis, vt Moschio libro Gynæciorum docet his verbis. Mulieris lac quæ masculum peperit, cum oleo rosaceo æqualiter misce, & calefacito, & hinc fac pessarium de lana molli, & appone vsque ad caput vuluæ. Verùm si sanguis à coitu exeat, præceptum Hippocrat. seruare oportet, qui lib. de sterilibus, vt superius retulimus, inquit. Si verò à coitu imum vẽtrem dolet, & sanguis recens ipsi apparet, lini semen tritum & muscum mollem & adipem anserinum mixta ac molli lana excepta imponito. Reliqua verò pro causæ ratione ministrabis, sed nullum aliud auxilium efficacius reperies, quàm sanguinis detractionem ex hæmorrhoydibus, vel ex talo, maximè cùm sanguinis abundantia in vteri collo, malo causam præstiterit, à quo quæ emolliant & digerant pessaria administrabis, vel ea quæ vterum leuiter expurgent.

Curabis verò eas quæ ex aliqua externa causa dolent, si pugnaueris aduersus cuiusque causæ naturam oppositis auxilijs. Calfacere enim vterum per clysteria, inunctiones & fomẽta, ex vsu omnibus fuit: & ob id inspecta causæ natura, facilè cuiuis erit profutura auxilia excogitare.

Verum tamen si his omnibus sedatis, adhuc perstare dolores (ex quauis causa prodeant) videantur: tertio anodynorum genere vti erit necessum, quo narcotica auxilia continẽri dictum est. Eò enim vehementiæ dolores sæpe veniunt, vt nullum aliud subsit refugium quàm ad hęc stupefacientia pharmaca deuenire: & ob id ad philonium Persicum aut Romanum, vel syrupum papaueris confugiendum est, ea lege quam nos adduximus lib. 2. nostro de præsid. indica. ad quem locum confugiendum est.

De

De vteri hydrope. Cap. XV.

INTER omnes antiquos viros specialiùs Ætium vteri hydropis meminisse constat. Quam sanè affectionem si nitimam ei quæ in ventre fit, esse profitetur, eamque fieri ex aquoso humore, à sanguine menstruo retento procreato censet, ac generationis modum explicat, dicens: Vesicas in vtero prædicto humore aquoso plenas gigni quibus vterum in tumorem eleuari necesse est. Ego tamen hydropem vteri diligenter considerans censeo, in extrẽmitatibus vasorũ quæ ad vterum terminantur, aut prope ipsa oscula ex humore illo aquoso per vasa sanguine menstruo obstructa, instillante, fieri pelliculam quandam, vnam aut plures quæ tunicæ vteri adhærescentes, postea mucore quodam implentur, indeque à prædictorum vasorũ osculis maiorem huius humoris, aut excrementi copiam recipiunt, & vterum ac infimam ventris regionem in tumorem hydropi similem eleuant. Quem equidem tumorem aliquando in toto ventre apparere, aliquando in altera eius parte conspicimus, iuxta locum, cui prædictæ pelliculæ adhærent. Item posse fieri ex Arabũ sententia inter tunicas ipsius vteri, aut (vt rectiùs loquar) modo tumoris pituitosi, in tunica ipsiusmet vteri, sicut fit in testibus aquosus tumor, euidenter constare arbitror. Tertiò tamen modo fieri contingit in ipsa vteri cauitate, aqua non accruatim collecta, sed expurgata à corpore transmissa & profluente: quam non rarò conspeximus vberrimè fundi, ac si copiosa fuisset vrina, iure optimo etiam hydropem vteri appellatam, licet ibidẽ nõ maneat cõgesta, sed protinus effundatur. Est sanè morbus in magnitudine, qui & difficulter curatur, & multorum accidẽtium causa existit: quem etiam scimus cõstare ex inundante humore pituitoso, crasso, viscido & in vasis vteri copiosiùs adhærescente. Quippe obstructis vasorum osculis ex prædicto humore, nil mirum, si ob eius redundantiam totus vterus in tumorem eleuetur: maximè in fœminis quæ aut prauis cibis vtuntur, aut ex partu malè corpus gubernarunt. Alijs quoque accidit pseudohydrops, cùm videlicet in rugis aut sinibus vteri pituitosum aliquid & viscidum adhæret, ea copia quæ in tumorem maiorem vterum eleuari cogat: quòd vitium in ijs quæ à partu vel à mensium immodico fluxu plurimum potus & alimenti ingesserunt, contingere scimus.

Causam Ætius arbitratur tantùm esse diuturnam mensium suppressionem citra conceptum: quam proculdubio potissimã esse inficiabitur nemo. Cùm hoc tamen considerandum est, suppressos menses huic malo non vtcunque causam præstare, sed dum humiditates abundant viscidæ quæ in vteri tunicas instillantes adhærescentesque in pelliculæ naturam degenerant, quam postmodum aquosa substãtia replet. Cui quoque malo causam præstat fœmina in victu & potu intemperatissima, cuius iccur tanta caliditate pollet, quanta necessum est inesse, vt resolutis partibus tenuibus illius humoris, concrescat prædicta tunica: quippe rarò, etiã si diu menses in fœminis supprimantur, hanc affectionem reperiri cõtingit, quòd non semper hæ omnes causæ in vnum cõeant. Fit etiam (vt dictum est) hoc malũ ex inundante humore frigido intra vteri vasa ea copia quæ vterum in tumorem eleuare possit: item ex eodem humore in rugis & cauitatibus vteri redundante. Dimitto ex flatu quoque fieri posse, quia id non ad hydropem, sed ad inflationem per-

pertinere creditur. Contingit non minus ex vera hydrope fieri, aqua ex sinuosa & abdominis regione, cæco & latente itinere in vterum prolabente: aliquando ex iecore aut splene vitiatis, velut vera hydrops: ac frequenter à vena cauain vterum sanguinis serum instillante principium sortitur. Verùm licet virginibus ac viduis id malum succrescere aliquando conspiciamus, frequẽter verò his quæ pepererũt, & improbè purgatæ sunt, aut imprudẽter in victu, potu, aut vitæ modo se gesserũt, vt lib. 1. de morb. mul. expresserat Hippocrat. Quo fit vt si fœmina sic affecta iterũ grauida fiat, fœtũ facilè corrũpat, ac mox ipsa pereat sanguine nimium corrupto. Prætereà hæc omnia frequentiùs contingere ex aborsu quàm ex partu coniectari oportet ex Hippocra. verbo, quo inquit hydropem hanc fieri ex labore: quo verbo nil aliud potest intelligi (si quidem hydropes ex labore non fiunt) quam aborsus in quo labores longè grauiores sunt quàm partus. Sed si quis diligenter Hipp. legat li. nuper citato, reperiet hanc hydropis speciẽ longè diuersam esse ab ea quã ipse depinxerat eodem loco ex aquoso splene ortam: quippe illa ad ventrem, hæc verò ad vterum attinet: illa citra mensium suppressionem quæ sanguinẽ in aliquã partem ducat, sed sola aquæ generatione, siue causa sit defectus naturæ mensium suppressio, siue secus: hæc verò ipsis suppressis ac in locis vtero vicinis coërcitis & veluti concretis aquam exsudantibus, quòd probè à natura non regulentur: quæ sanæ aqua delabens ad prædictas vteri partes prædictum malum gignit.

Signa. Docet quidem Hippocra. lib. 1. de morb. mul. signa, quibus in cognitionem huius affectus facilè deuenire possimus, simulque causas recẽset: inquit enim. Si aqua intercus vteris adnascatur, menses pauciores & praui fiũt, & ante tẽpus deficiunt, & imus venter intumescit, & mammæ solidæ, molles fiunt, & lac nullum, & putat se in ventre habere, & ex his cognosces quòd aqua intercus est. Sed & in vterorũ osculo significationem de se præbet, ad tactum enim gracile & humidum apparet, & rigor ac febris corripit: quanto magis tempus processerit, tantò magis dolor habet imum ventrem & lumbos & laterum mollitudinem ac inguina. (& subdit) Hic morbus ex aborsu fit, sed ex alijs causis & cùm menses fuerint occultati, contingit etiam non rarò prægnãtibus: cuius affectionis eodem lib. hæc verba refert. Si hydrops in vteris fiat, menses pauciores fiunt ac deteriores & per longius tempus & pauciores quàm oportet, aut paulò plures, & venter intumescit, & locus supra pectinem, & tibiæ, & lumbi. Vbi verò multum temporis processerit, & in ventre habuerit, corrumpit ac eijcit, & aqua cum ipso fœtu affunditur, & mulier plerunque moritur, sanguis autem corrumpitur & aquosus redditur. Prædictis quidẽ consimilia verba idem author refert lib. 2. de morb. mul. dicens: Aqua intercus si in vteris fiat, menses prodeunt arenosi & aquosi & non valde cruenti, intumescit & vterus & venæ, & propinquissimæ partes, & prægnans fit, deinde suffocatur, & mammæ fluunt, & imus venter durus est, ac intumescit, & omnis circumcirca locus, & dolet, si quis ipsum attingit, & febris ac stridor dentium corripit, & dolor vehemens laterum mollitudinem ac lumbos, & semen in somnis effundit, & peius habet. Tamen præter hæc signa quæ ab Hippocrat. afferuntur, distingues etiam vteri hydropem ac cognosces, quòd fœmina sic affecta plerũque boni est coloris, & in cæteris sana, quia iecur in ea affectione non patitur: verùm si id compati etiã contingat, mirum non est si & color mutetur, & ipsa deteriùs se habeat, tanquam ex cõplicato malo. Vlterius item cognosces non ex tumore solùm, sed ex eò quòd imam ventris regionem occupet tumore extenso iuxta vteri amplitudinẽ, ad differentiam tumoris ex fœtu, qui acuminatã efficit figuram. Est prætereà is tumor laxus

laxus ad differentiam tumoris qui ex scirrho, aut quauis alia vteri duritie proficiscitur: flatus quidem si præsunt, murmur in vtero vagatur.

Cæterùm vt disideat ab vteri inflammatione, grauitatem ambulãdo infert, & non leuem spirandi difficultatem, & alia non contemnenda cordis & cerebri accidentia, & aliquando aquosum quid per pudendum instillat. Item in hac affectione alui excrementa graueolentia sunt, & menses aut omnino supprimuntur, aut inordinatè procedunt: & nonnunquam, maximè vehementia aliqua præcedente, corpuscula quædam prodeunt alba, fœtida, mucosa, aut aquosa, sincera, aut sanguini pauco, tenui, aquoso, aut subalbido admixta. Differt etiam à vero ventris hydrope, tumoris loco, quia in eo, venter primò intumescit superiore eius parte: in hoc verò, primò in parte inferiore, atq; ex illo ad imas partes descendit paulatim: in hoc verò sensim crescit, & ad supremas partes irrepit: in illo præcesit aliqua causa quæ iecori vitium intulerit: in hoc citra ipsam: etiam si (vt dictum est) à vero hydrope nonnunquam proficiscatur. Quòd si color vitietur, sanguinis quoque fontem vitiari constabit. In illo etiam color mutabitur ad pallidum aut plumbeum vel subalbidum: in hoc verò fœmina boni sæpe est coloris, & aliquandiu rubicundior existit ex sanguinis retenti copia. In illo item pedes in tumorẽ eleuantur, in hoc verò manus & mammæ intumescunt: etiam si in illo non solùm crura, sed & totum corpus motui & reliquis actionibus ineptum & languidum ac deiectum efficiatur: in hoc quidem crura præ vteri pondere ad motum veluti impedita existunt, quia supra inguina incumbit tumefactus. Disidet ab inflatione vteri, quia in inflatione vterus tactui tensus apparet: in hoc verò mollis & flaccidus. Distinguitur etiam à tumore inflammationis vteri, dolore, febre & alijs innumeris accidentibus. Vltimò tamen in aliquibus plurimum aquæ per vterum effunditur: qua excreta, affectio subsidet & venter detumescit.

Curandi ratio. Curandi ratio in huiusmodi affectu apertè monstratur ab Hippocr. lib. de nat. mul. per hæc verba. Si aqua intercus in vteris suboriatur, menses pauciores & deteriores fiunt, deinde repentè deficiunt, & venter intumescit, & mammæ siccæ fiũt, & reliqua malè habet, & in ventre sibi habere videtur: & ex his cognosces quòd aqua inter cutem laborat. Sed & in ore vterorũ significationem de se præbet, tangentibus autem gracile apparet, & calor & aqua ipsam corripit. Cùm autem tempus ampliùs processerit, dolor imum ventrem & lumbos ac laterum mollitudinẽ occupat. Ac postmodum eadem parte inquit. Hic morbus maximè fit ex aborsu, accidit item ex alijs. Præter hæc autem signa & causas, curationem docens sic inquit. Cùm sic habuerit, calida lauare oportet, & tepefactoria adhibere, donec dolor sedetur: pharmacum autem deorsum purgans bibendum dare oportet, post pharmacum verò, vteros bubuli stercoris fomento fouere: & posteà medicamentum cum cantharide præparatum apponere, & interpositis tribus diebus, id quod cum felle paratur. Quibus proculdubio verbis bellissimè exprimit peculiarem curandi rationem, eam reducens ad mitigationem doloris, purgationem eius quod redundat, ac discussionem eius quod ventri hæret: à quibus item menses prouocare iubet, & mercuriali plurimum vti. Verùm ex hac methodo indicatione sumpta, dum incipit, docetur primò sanguinem mittere, siue ex suppressis mensibus oriatur (quo tempore ex talo fieri est necessum) siue plenitudo subsequatur vtero prædicto modo obstructo, ac si plenitudo magna fuerit, nullum erit inconueniens ante tali scissionem sanguinem ex brachio mittere, dum id parciùs fiat: instituta priùs optima victus ratione, exsiccante nimirum,

modicè calfaciente,& tenuis ſubſtantiæ. Potus ſit ex decocto cinnamomi, ſeminis angelicæ, vel ſaxifragiæ noſtræ, aut Indicæ, quàm ſaſafraſam appellant, aut Indum fœniculum. Quibus factis modicè corpus purgare oportet ab ijs excrementis aut humoribus quæ per primam corporis regionem vagantur, manna, caſia fiſtulari cum puluere aniſi, hiera ſimplici Galen. aut ſyrupo ex infuſionibus, vt ſubſit deinceps locus pleniori curationi. Quam diuidere (depoſita vt dictum eſt, vtraque plenitudine) in duo tantùm membra æquum eſt: vnum quidem continet ea auxilia, quæ vniuerſi corporis pituitam & humores craſſos ſenſim & paulatim vel coquere, vel euacuare, vel reſoluere habent: ſecundum verò ea quæ vteri tumorem aut aperiunt, aut diſcutiũt. Circa primum itaque, vt ſubſit phlegmagogis medicamentis locus, adminiſtrabis primò mel roſaceũ, oxymellitem. S. ſyrupum de artemiſia, de duabus aut quinque radicibus, & aquis gallitrici, geniſtæ, gentianæ, angelicæ, ſaxifragiæ, fœniculi, myricæ, & ſimilium: à quibus pilulis de maſtiche, de agarico, de hiera vti poteris, vel ipſo agarico trochiſcato cum diacatholicone, vel diſſoluto in ſyrupo infuſionum roſarum, aut in ipſa infuſione antequàm conficiatur ſyrupus. Cui quoque vſui adhibere poteris electuarium Indũ, vel diaphœniconis aliquid, iuxta laborantis naturam & vires: quibus inſpectis, aliquam maſſam ex ſupradictis pilulis ſucco ireos efformare poteris. Prædictos item humores per interualla vomẽdo purgabis ſemel aut bis in hebdomada, exhibito leui aliquo vomitorio: quo fortaſsis vi & impetu facto, nõ erit ab re pelliculas rumpi, & per vterum, aquoſum humorem prolabi. Purgare quoque per vrinam & vterũ ipſum prædictos humores curandum eſt, velut facies exhibito medicamento, quod recipit pulegij. 3.j. cũ modico piperis: aut gentianæ vel origani. 3.ij. feminis dauci, vel ſmyrnij. ℈.j. cum aqua muſa formẽtur buccellæ, quarum ſummo manè ſumat. ℈.ij. aut. 3.j. In cibis tamen admiſcere oportet aliquid huius puluꝛis, qui recipit hyſſopi. 3.j. pulegij. ℈.ij. origani, cumini, ana. ℈.j. ſeminis amij, ſpicæ nardi, ana. g. xij. ſalis toſti. ℈.j. miſce & vtere pro cibariorum ſalſamento. Id quoque bonum præſtat manè ſingulis diebus ſumere decoctum calamenti, pulegij, rubiæ tinctorum, ſabinæ, leuiſtici & artemiſiæ cum ſaccharo & melle facta leui ebullitione: cæterùm ſabinæ quàm pauciſsimum injcito. Conferunt non minùs pleraq; ex ijs quæ in hydropicis aquas educunt, velut aqua raphani, ſaxifragiæ, gallitrici, & modicum decocti radicis ireos in hydromellite leuiter facti. A quibus ſanè medicamentis ad robuſta exercitia laborantem deduces: nam hæc non ſolùm quod in venis & in ambitu corporis frigidum, craſſum ac viſcidum hæret, calore diſſoluere poſſunt, verùm & totum id quod in vtero continetur, ruptis exercitij vehementia pelliculis, fundunt penitus. Balneis tamen naturalibus ex ſulphure vel alumine laborantem committes: quòd ſi ad manum non ſint, ea domi parato decoctis ex lauro, cardamomo, pulegio, thymo, calamintha, cucumere aſinino, geniſta, ſaxifragia, angelica, gallitrico, piloſella, milio ſolis, dauco, ruta, artemiſia, mercuriali & ſimilibus. Interim tamen dum hæc fiunt, imo ventri adhibeto quæ aquas & frigidos humores diſsipant, quæ proculdubiò ſecundam indicationem complere diximus, veluti ſunt emplaſtra ex radicibus aut folijs ebuli, vel inunctio ex oleo irino aut laurino, in quo incoquatur ebulus ipſe: item vnguento ex ſucco eiuſdem ebuli, vel ſambuci. Sed peculiari efficacia prodeſt emplaſtrum de baccis lauri & de ſtercore caprino aut bouino: conferunt & inunctiones ac fomenta præcedenti cap. adducta, additis oleis de radicibus lilij aut ebuli, de cinnamomo, de pipere, de aniſo, de angelica, de caryophyllis, quæ ſanè arte chimica probè extracta mirè

mirè prodeſſe ſcimus, ſicut per os ſumpta pondere. 3.j. cum vino, aut ſtillatitia ex eiſdem aromatis aqua. In vterum infundenda ſunt quæ menſes ciunt, & ſanguinẽ euocant, vt ſunt decocta granorum gnidij, vel ipſum granum gnidium cum modico melle & oleo irino, vel ipſum oleum cum alumine: ac ſi in vteri ſinu pituita redundauerit, addere decocto oportet gnidij. g. x. cum modico melle, vel agarici aliquid: nam dum in venis prædicta pituita ineſt, per ea quæ menſes & vrinas & vomitum aut aluum mouent, tutiùs vacuabis: eam verò quæ intra vterum alicui parti adhæret, per pharmaca quæ abſtergunt & abluunt: cæterùm ſi in pellicu lis concluſa maneat, per ea quæ rumpunt, vel appoſita quæ exteriùs humorem ebibunt, qualia ſunt quæ nuper adduximus. Itaq; ablues vterum aliquo ex prædictis decoctis cum melle aut ſaccharo, ſi putredinem aut calorem in ipſo præeſſe comperiamus. Clyſteria etiam quæ apud pleroſq; ſcriptores hydropicis proficua habentur, maximi momenti fore arbitror, potiſsimùm ſi ab ipſis peſſaria adhibeas quæ ex ſemine mercurialis cum modica myrrha, ſale ac melle conficiuntur. Fiunt & alia maioris momenti ex colocynthidis. 3. ß. ſalis. 3.j. carnis pinguium caricarum. 3.j. Alia item fortiora conficies ex ciclamine, euphorbio, nigella, eſula: quæ ſanè omnia alijs mitioribus eſſe admiſcenda conſulo. Ferunt inſuper non cõtemnendi authores. 3. ß. ellebori albi lana exceptam, & vtero impoſitam, protinus plurimam aquam extrahere. Sic & aliud peſſarium conficies quod recipit ſeminis mercurialis maſculi. q. ſ. myrrhæ modicum, ſalis & mellis modicum, & lana excipiantur. Reperies profectò alia non pauca apud Ætium, quibus liberè vti poteris, ſi aut temperaueris, aut alijs mitioribus admiſcueris, aut eorum quãtitatem imminueris. Vltimò tamen ſi neque hæc omnia prodeſſe videantur, fontanellam altero aut ambobus cruribus adaperies, per quam natura aquoſum illum humorẽ paulatim inſtillando expurget, quod proculdubiò proficuum & neceſſarium ſum mopere auxiliũ eſſe arbitror. Quòd ſi ante placuerit ſtibij optimè præparati. g. iij. adhibere, ex vſu facies: at ſi probè ceſſerit, iteratò eo vteris: nec mirum erit ſi ſolo hoc præſidio venter diſſoluatur, ſi fœmina anheloſa non fuerit, & pituitæ plurimum redundauerit.

De vteri inflatione. Cap. XVI.

COntingit quoque fœminis non paucis vterum in flatuoſum tumorem eleuari, qui (præterquam quòd morbus eſt in figura ex quantitate adaucta) ab vteri hydrope & ei conſimilibus affectionibus non leui differentia diſsidet, vt ex Galen. 14. metho. apertè videtur conſtare: nam inquit. Inflationes verò ex flatuoſo ſpiritu collecto naſcuntur aliàs ſub cute, aliàs ſub membranis quæ aut oſsa circundantur, aut muſculos viſcerumve aliquod ambiunt. Porrò colligitur aliquando etiam non parum in ventriculo & inteſtinis, itemque in medio ſpatio horum & peritonæi. Quò fit, vt conſtet differre ab hydrope, cuius locus eſt inter omentum & peritonæum. Differt quoque inflatio ab œdemate, quòd appreſſa digitis non retineat veſtigium, ſed ſonitum veluti tympanum reddat, & vteri tympanites ab aliquibus vocatur. Erit igitur vteri inflatio tumor præter naturam ventris inferioris ex vtero in tumorem ſeu magnitudinem maiorem

à flatibus ibidem inclusis eleuato: qui sanè spiritus aut in vteri cauitate aut in poris & vasis eius recondi & immorari habet, generans ob distensiones grauissimos cruciatus, quos etiam parit acris mordaxque humor, necnon & frigidissima pituita quæ in poris impacta nil malè efficit, donec aliqua occasione externa aut interna commota eoidē & longè grauiores concitat, quales in colo intestino eadē efficere assuescit, dum commouetur.

Causæ. Causam verò huius tumoris esse flatuosam substantiam ambiget nemo, præterquam quòd Hippocrat. id ex professo docet lib. 7. popu. dicens: Plurimas vteri affectiones flatus faciunt, signum sunt ructus & strepitus circa ventrem & lumborum tumores & dolores circa renes & coxas. Ex qua sententia haud obscurè constabit, si verum est plurimas vteri affectiones flatus efficere, quantò rectiùs inflationem. Sed posse flatum ipsum varias nanciscì causas, euidenter probat Galen. lib. 3. de causis sympto. dicens: Flatuum generatio est in ipsis, quæ in ventre sunt, locis, succis quibusdam pituitosis, vel semine corrupto fletum eructante, vel cibis inibi à deficiente calore in halitum solutis: quippe sincera frigiditas prorsus halitum non facit, quòd scilicet ea omnia neque attenuat, neque conficit, neque alimentum dissoluit: fortis autem calor cùm longo interuallo nutrimentum superet, ampliùs quàm pro halitu generando id attenuat, nisi tamen flatuosum sit natura. Et vt clariùs reddat suæ doctrinæ institutum, adducit exemplum dicens: Quemadmodum enim externis rebus videmus, vt frigidissima constitutio, maximè spirante borea, aërem sereniorem reddit, ac calidissima per æstatem constitutio ambientem nos aërem purum efficit, mediæ verò constitutiones nebulas pariunt: ita in animantibus accidunt. Neque enim calor per extremam imbecillitatem, neque cum vehementes sunt ei vires, sed cùm medium inter has affectiones obtinet, flatum gignere potest. Et subdit paulò inferiùs. At calor qui in cibos agit quidem, cæterùm diminutè, is eos quodammodo soluit, non tamen prorsus conficit, atque hinc oritur flatuosus spiritus. Atque is cùm per os excernitur, ructum creat; cùm per sedem, sonorum silentemue flatum, cùm verò neutra parte emittitur, sympthoma creat, quod inflatio vocatur. Itaque ad eduliorum naturam & ad caloris impotentiam flatuum causam reducendā fore censet. Quo fit, vt in vtero quoque eadem ratione flatus ipsum distendentes & in tumorem eleuantes gignantur: facto nimirum vtero ab aliqua causa externa vel interna solitò imbecilliore, vel humore crasso & frigido ibidem præter naturam retento. Quibus etenim causis accedunt quoque externæ: nam vulgatum est medicis, percussionem aut ictum vterum imbecillitare. Sic ambientis frigiditas quæ menstrualem vel quotidianum effluxum prohibeat, præsertim si incautè à partu viuat fœmina, & vtcunque frigori se exponat, quod tunc magis accidit, cùm in vteri orificio sanguis grumosus impingitur. Partus enim tempore, vt inquit Galen. 14. de vsu. par. cap. 3. vteri ceruix recta & aperta est, cùm alijs temporibus rugas habeat & flexus quibus à frigoris iniurijs sese tuetur. Item partus frequentia vel nimius labor, aut vteri ad aliquem situm conuersio, vt naturalis effluxus prosperè fieri non possit. Præterea menstruorum retentio diuturna, si tantam copiam regulare nequeat natura, aut retentorum crasities & frigiditas, quibus naturalis calor sufficere nequeat, id quoque damnum moliri proculdubio possunt. Quod etiam non minus alimentorum crassorum, frigidorum & flatulentorum vsus efficere poterit: vel intempestiuus aquæ frigidæ potus. Neque omnino tradendum est obliuioni, posse quoque idem malum fieri ex

ex iecoris vitio, sicut tympania, quod ex hac causa prodire comperies ex iecoris vitiati signis, quæ superiùs adduximus. Sunt & huic affectioni concausæ quædā, quæ potissimè ad inflationem efficiendam concurrunt, velut est retentio huius flatus ex quauis causa genitus sit. At retentionem hanc moliuntur duæ aliæ causę, nimirum densitas seu spissitudo partis, vbi flatus intercluditur, aut ipsius vaporis seu spiritus crassities: quarum causarum altera discussionem interdicit, altera verò renuit. Quæ proculdubio dogmata Galen. loco citato ac Aëtius Metho. & Pau. lib. 4. his verbis manifestant. Membrorum densitas, tum spiritus simul crassities efficit, vt idē spiritus nō dissipetur, quo fit vt inflatio parti accidat. Sed statuendū flatū varias in vtero occupare sedes: quippe aliquādo vteri cauū inundat: aliquādo verò angustos substātiæ vteri meatus adeò replet, distendit, ac dilacerat, vt grauissimos concitet cruciatus: vtrumque tamen contingit vel à repletione à flatuoso spiritu: interdū vero à multa crassa & frigida materia: aliquādo verò à tenui & acri: quæ omnia vel à menstruo retento, vel à semine genitale malè affecto, vel à capite vel ventriculo in vterum transmittentibus vitiosos succos, prodeunt.

Docet Hippocrat. prædictam affectionem cognoscere lib. de natu. mul. hæc referens verba. Si inflati fuerint vteri, & venter attollitur, ac inflatur, & pedes intumescent & cauæ faciei partes. Color verò iniocundus fit, & menses non fiunt, & genitura hoc tempore non fit, & anhelat, & anxia mœret, & cùm surrexerit ac progressa fuerit, erectæ ceruicis respiratio ipsam tenet, & quicquid ederit aut biberit ipsam molestat, & gemit & magis ægrè tristatur, quā priusquā ederit, sæpè verò etiam suffocatur. Cui consimilem sententiam lib. 2. de morb. mul. in hunc modum refert. Si vteri inflati fuerint venter attollitur & inflatur, ac sonitum edet, & pedes ac cauæ faciei partes intumescunt, & dolor iniocundus fit, & menses occultantur, & genitura hoc tempore non manet intus, & anhelat spumatque ac anxia est, & cùm expergiscitur ex somno recta ceruice spiratio ipsam corripit, & quicquid ederit aut bibit, ipsam molestat, & suspirat, ac tristatur magis, quàm priusquam edat, & suffocatur, & nerui contrahuntur, & vteri ac vesicæ dolent, & manus contactum non admittunt, neque lotium emittunt, neque genituram admittunt. Sed præter hæc signa quæ sufficere quodammodo videbantur, prædictam affectionem cognosces ex ventris inferioris & pectinis tumore, quem si tetigeris, sicut in tympanite sonitum percipies cum dolore, extenso tamen, & qui ad pectinem & inguina, & aliquando ad septum transuersum & ventriculum pertingere solet. Qui dolor præterquam quòd non semper eadem vehementia viget, pungenti similis existit, & ad varias partes permutatur, ita vt lumbos & caput etiam petere visum sit. Quòd si in cauā vteri parte steterit flatus, rugitus in ipso persentiūtur, perinde ac in intestinis, & aliquando cùm crepitu per pudendum excernuntur: vrinæ item accidit suppressio & vigilia, præsertim vrgente menstruo. Verùm si in angustis porositatibus ac rugis sit, dolores vehementiores fient, diuturniores & ægrè curabiles existent. Studendum vltra est, hanc vteri inflationem à tympania distinguere. Contingit quidem in hac mitior sitis quàm in tympania, & vires minùs labuntur, & corpus minùs deiectum est, ac præsidia magis profunt, & superiores corporis partes non ita extenuantur ac in vera tympania. Itē hæc per interualla crescit aut decrescit, & quodammodo videntur posse curari, illa verò minimè. *Signa.*

In hoc quidem affectu præmittam ab Hippocrat. lib. de natu. mulie. adductam curandi methodum, quam paucissimis verbis depinxisse constat, dicens: Cùm fre *Curandi ratio.*

habuerit,

habuerit,pharmacum deorsum purgans bibendum dato,& calida lauato , ac fomentum adhibeto:interposito verò tempore quodam,apponito ea à quibus purgetur,& non mordeatur.Frequentissimè verò totum corpus foueto , tum autem & sub pudenda & odorata suffiantur,sub nares autem graueolentia , & potiones dato quæ vteros purgant,& ad locum compellunt. Qua sententia videtur primò docere,opus esse crudos succos,à quibus flatus eleuantur, expurganti pharmaco euacuare,mox fomentis flatus ad partes extimas euocare,ac resoluere, & si quid humoris in vtero supersit,ipsum per vteri regionem educere,& calidis suffitibus flatus in vtero contentos resoluere. Verùm ne quid huic tractationi deesse videatur,specialiùs curationem hanc expendere oportet,initio sumpto à quodam Galen.documento in curandis inflationibus.14.metho.adducto:inquit enim.Inflationum omnium diuersa ab œdematis curatio est: & paulò inferiùs subdit. Indicatio autem curationis omniũ communis est,vt quod præter naturam est vacuetur,in quocunque id contineatur.Propria verò post hæc commune est, vt tenuissimis & calidissimis potestate medicamentis:atque ventriculo quidem & visceribus oleum,quod tenuium est partium , quodcunque rutam habet incoctam,aut aliquid calidorum seminum,cuiusmodi sunt cumini,& apij,& petroselini id præstabit.Aliquando verò & cucurbita magna bis terve sine insissione medio ventri affixa.Atque hæc est Galen.medendi ratio. Cum hoc tamen si quis velit recta curandi methodo vti,primò expendat,qualis præcesserit flatus causa, quam triplicẽ à principio huius cap.constituimus,videlicet,occlusionem eorum quæ expurgari solent,& humidorum copiam,ac vteri ipsius impotentiam. Sic proculdubio curationis scopus erit,caloris substantiam roborare,crassam materiam & eius vaporem extenuare,& meatus vteri,in quò vaporosus ille spiritus continetur, aperire. Porrò posteriora duo,nempe densi corporis rarefactionem, & crassi spiritus attenuationem,ijsdem omnino auxilijs assequemur:medicamentis sanè tenuitate partium pollentibus siue extenuantibus,& calfacientibus iuxta partis affectæ dignitatem & spiritus crassitiem.Quamobrem pro cuiusq; natura curandi methodũ scribere opus erit.Sic dũ sola vteri imbecillitas & caloris innati paupertas flatus causa extiterint,solis ijs quæ flatus carminandi ac digerendi vires habeant,mox à principio huius affectus vtendum est,velut sunt calidæ inunctiones,fomenta,cucurbitæ,clysteres,& huius census pleraque, quæ cap.præcedenti & aliàs sæpe diximus. Expurgantia etenim medicamenta,præualente huiusmodi causa,plus habent vires deijcere & flatus augere,quàm beneficium aliud præstare:Ob quam etiam rationem in prædicta causa modicè calidis & multo tempore adhibitis vteris,ne facultatibus factis imbecillioribus ex immodica calfacientiũ immoderantia crescat indies affectio magis. Verùm si ex frigore ambientis aut potus,id malum oriatur, audaciùs calfactorijs vti poteris,qualia paulò inferiùs referam. At si ex suppressione mensium vterum inflari contingat,mihi non est dubium,quin vniuersam curandi rationem à sanguinis detractione auspicari oporteat:parcè tamen, ne malũ obid augeri contingat.Tandem deposita quæ ex obstructione pullulauerat plenitudine,ad ea quæ flatus discutiunt deueniendum est, admixtis subinde quæ laxare,& obstructas vias aperire nata sint,vt simul affectionis causam & affectum auferamus.Quòd si ex crassis humoribus,frigidis ac difficulter coctilibus affectio suboriatur, priùs leui facta purgatione ex hiera , pilulis mastichinis, vel agarico, alephanginis,aureis,& reliquis huius naturæ:item & clysteribus frequentioribus ex hiera composita cum succo mercurialis, & alijs quæ flatus discutiant , vtendum deinceps

deinceps est ijsdem pharmacis quæ flatus discutere nata sunt,admixtis tamen,vel priùs adhibitis(quod rectius est)medicamentis quæ inscindant, attenuent & abstergant,vt simul humorem & flatum ad vlteriorem euacuationem præparemus. Sed sedandi doloris gratia multi probarunt.4.ʒ.olei amygdalarum præsertim amararum,à quibus humorum præparationi innitendum est.Qua in re vtendum erit decocto cicerum alterato cum cepis,apio hortensi, quod vulgò petroselinum appellatur,calamintha,ruta & cumino.Cui etiam vsui & corroborandæ virtutis gratia vtendum est quibusdam speciebus aromaticis,& confectionibus ac electuarijs huic rei dicatis, vt sunt diacimino,dianisi,aromaticum rosaceum , & sequens confectio,quæ recipit pulueris anisi,marathri,carui,dauci,cimini,baccarum lauri, singulorum.ʒ.ß.caryophyllorum,cubebarum,piperis longi,seminis rutæ, sing.ʒ.j. liquiritiæ.ʒ.ß.galãgæ,zingiberis.ana.ʒ.ij.anisi saccharo incrustati.ʒ.ij.sacchari lib. ß.fiat cõfectio in tabellis.Seruabis tamen hoc vnum in omnibus causis,vt semper in quibusque medicamentis anodynorum aliquid admisceas: quippe hæc præter alia bona quæ præstant,partem flatu distentam æquabilem reddunt ac disponũt, vt dolori sit minùs obnoxia.Ad flatus igitur discussionẽ deueniendo,quæ vna est & communis prædictis omnibus causis,secluſa causarum prouidentia , eo quo dictum est modo: in primis vterum inunges oleo camemali,liliorum alborũ,anethi,rutæ,vel eo quo incoxeris ciminum,anisum,hypericon,costum,casiam,caryophyllum, cinnamomum, & his simillima: item prodest & insessio eorum. Parabis eadem ratione fomenta ex eisdẽ oleis vesicæ exceptis,vel ex decocto rutæ,dauci,menthastri,seminis angelicæ,artemisiæ, caryophyllorum,pulegij,calamẽti,aut seminum prædictarum herbarum.Lixiuium quoque ex cineribus parare poteris, & spongia excepta,vtero frequenter adhibeto:aut inunctionẽ ex oleis cinnamomi,anisi,angelicæ,caryophyllorum & piperis,vel baccarum iuniperi , aut vinum quod ardens chimistæ ex iuniperi,sabinæ,hederæ,haud lauri baccis cõficiũt:quod ego in hac re magni momenti fore censeo.Cui etiã malo & huic simillimis parati olea possunt,aut vina vel stillatitiæ aquæ,ex ligno guayaco,ex corticibus eius,ex ebeno vel loto,& non minoris efficaciæ ex gummi aliquo,aut concretis lacrymis, vt succino,ammoniaco,thure,styrace,terebinthina cõfectum pretiosius arbitror. Sic & balsamum præstat,& aqua vitæ,aut aqua theriacalis,cuius meminimus lib. de cur.feb.mali.quam mille modis chimicæ artis periti parant: cæterum hac in parte duas tantùm eius compositiones scribam, vt & huic affectioni & similibus præstare possint. Prima itaque recipit cardamomi,piperis albi & longi.ana.ʒ.ß.galangæ,macis,caryophyllorum,granorum paradisi.ana.ʒ.v.ligni aloes.ʒ.ij.zingiberis.ʒ.iij.cinnamomi,cubebarum.ana.ʒ.iiij.maioranæ,roris marini,menthæ, pulegij,rutæ,saluiæ,nardi,asparagi,rosarum rubearum.ana. m.ß.seminis cumini agrestis.ʒ.ß.anisi,fœniculi.ana.ʒ.j.seminis coriandri,sinapis.ana. ʒ.ij. seminis peoniæ & cumini Romani.ana.ʒ.j.seminis radicum enulæ campanæ, iridis.ana.ʒ.j.foliorum angelicæ,pimpinellæ,doronici.ana.ʒ.j.dictamni.ʒ.iij.sacchari candi albi lib. ij.singula conterantur,& ex vino generoso quinquies distillato,macerentur in fimo vel aqua calida diebus.14. deinde in alembico vitreo diligenter argilla cooperto instillentur:& aqua instillatione extracta,iterum super fæces mittatur & instilletur:quod quinquies facito:& postea adijce croci Orientalis.ϑ.j.mosci & ambræ,ana.ʒ.ij.foliorum auri.ʒ.iij. Cuius guttulas tres ex aqua buglosæ adhibeto. Alia verò sic paratur:Excipe radicum angelicæ,tormẽtillæ,cædoariæ,pimpinellæ, enulæ campanæ,dictamni.ana.ʒ.ij.cinnamomi.ʒ.ß.santhali rubei & lutei,corticũ

citri.an.ʒ.j.theriacæ,& mythridati.an.ʒ.ij.mosci.ʒ.j.ʒ. quæ omnia modo prædicto macerentur & ter solùm instillentur. Quarum sanè aquarum in fœminis frigidis, flatulentisque affectionibus,vt in hydrope,imbecillitate vteri,& similibus magnus est vsus.Item cucurbita singulis diebus vmbilico affixa incredibili efficacia iuuat: quam consilio Ætij aliquãdo scarificabis,quod mihi haud inutile videtur. Prosunt & cataplasmata ex carycis,hyssopo & nitro,vel ex eodem hyssopo,baccis lauri,ster core caprilo,& alijs,quæ cap.præcedenti diximus.Vtendum præterea est emplastro quod recipit bdelij,gummi arabici.ana.ʒ.j.seminis rutæ,seminis agnicasti,centau rij,abrotani,origani,calamenti,casiæ ligneæ,ameos.ana.ʒ.j.& ʒ.terebinthinæ quã tum sit satis vt fiat emplastrum duplex,quorum aliud parti anticæ,& aliud posticæ adhibeto.Prodest & emplastrum ex trifera cum theriaca,& pulueribus diacimini & dianisi cõfectum.Idem quoque beneficium præstat decoctum quod recipit anisi,marathri,& cinerum lignorum lauri quantum sufficiat, & fiat decoctum excep tum spongia aut filtro,& ventri inferiori adhibeto.Pari modo sacculos madentes eodem decocto,vel siccos appones:quos conficies ex parietaria, ruta,absinthio,ar temisia,hedera terrestri,abrotano,nepeta,folijs agnicasti,origano,calamento,pule gio,sampsuco,thymo & serpyllo.Ex quibus etiam herbis balneum parabis non pa rum profectò vtile:sicut eadem ratione sunt naturalia ex sulphure,vt Ætius aper tè consulit, calidum primò adhibitum, mox verò frigidum, vt caloris retroces sione resolutio fiat maior, dummodo sensim in frigidam aquam fœmina ingredia tur.Sumat item sic affecta mulier diacimino n, dianison, diacalaminthe,diasper maton, diacurcumum. Sed vtilius est placentulas aut morsulos hac lege cõficere. accipe specierum diacurcumæ, diacimini ana ʒ.iij. sacchari albissimi lib.ʒ.liquetur saccharũ succo rutæ limpidiori,& in morsulos digerito,& à balneo vel summo mane vnum ingerat fœmina cum modico vino.Ex vsu quoque est theriaca cum vino,vel aqua cinnamomi,anisi,radicis angelicæ, caryophyllorum & macis, tam extracta per alembicum,quàm per decoctionem parata. Vtatur & summo mane decocto radicis angelicæ cum aromatico rosaceo, vel vino ex artemisiæ decocto, aut seminis agnicasti vel origani.Item maximi pretij est potus hoc modo paratus, accipe malorum persicorum nucleos.xx.pistillo tũde cum ouorum duobus lutcis, quibus adde galangę,cinnamomi,piperis longi,zingiberis,caryophyllorum,croci, nucis myristicæ.ana.obolum.j.adde demum saccharum & vinum tenue meracis simũ,& omnia feruere paululùm sinito,& calidum præbeto,præsertim facta leui re sidẽtia .Pessuli deniq; vtero adhibiti vtiles existunt ex ruta & melle ac nitro forma ti:itẽ ex ficubus pinguibus cũ cimino & spuma nitri. Itẽ alij qui emolliendi virtutẽ habent,hoc modo parati: excipe bdelij.ʒ.j.& ʒ.xylobalsami, carpobalsami cosli. ana.ʒ.j.origani cimini. ana.ʒ.ʒ.confice pessulos cũleo nardino & rutaceo,qui no ctẽ integra in locellis persistant.Per metranchitam verò in vterum infundendum est decoctum quod recipit, origani,foliorum viticis,rutæ.ana.m.ʒ.coquito in vi ni albi,& olei lib.j.ferueatque vsque ad consumptionem vini, in colatura dissolue hieræ picræ.ʒ.ʒ.Refert etiam Dioscorides,apium & intus immissum, vel exteriùs adhibitũ,aut commanducatum omnibus prodesse inflationibus,repurgato vtero & flatibus discussis.Quod etiam fertur de asparragis,addito in eorum condimen tis cumino & aniso. Sic & de roris marini semine cum pipere & vino epoto scribi tur.Velut de ruta etiam siluestri, cuius folia trita, oleoque liliorum incocta cũ adi pe gallinæ vel anseris,si calida antrorsum,& retrorsum vtero in modum emplastri apponãtur,sicut bibitum maluarum semen aut exteriùs vino illitum.Quibus sanè

auxilijs

auxilijs in exacerbationibus, vt necessitas poposcerit,vti poteris,sicut purgationi bus,sanguinis detractione & alijs,dũ affectus aliquando subsidere cognouerimus: nam vtraq; curandi ratio per interualla fieri desiderat.Verùm ante omnia exercitio moderato fœminam cõmittes,& illi alimenta attenuantia & flatus discutien tia adhibebis,pauciss imosq; potus,eosq; discutientes porriges. Quòd si hæc pro desse non videantur,balneis sulphureis,bituminosis,aut salsuginosis fœminã com mittes:tandem si malum vrgeat & flatum intra vterum inclusum cõperias, gran dem cucurbitam cum multa flamma adhibebis,citra scarificationẽ.Quòd si in vte rum aliquid crassi sanguinis præesse cognoueris ,consilio Ætij vteris, qui ipsam scarificare iubet: quod arbitror proficuum summoperè futurum,præsertim si priùs cucurbitam aliqua violentia detraxeris bis aut ter, vt maiori efficacia flatus discu tiantur.

De vteri inflammatione.

Cap. XVII.

QVM inflammationis nomine apud Gal.lib.2. de arte cur.ad Glau.duo constet posse subintelligi, humidam nimirum inflammationem & siccam: quarum porrò quæ humida est, ex calida fluxione vterum occupante ortum ducit: sicca verò,quando nullo humore influente calor naturalis illius partis efferuescit, donec febris partis dici iure optimo mereatur: ob id profectò distinxisse priùs oportet,cuius earum meminisse hac in parte sit in animo. Qua in re asserimus,vteri inflammationem hac in parte nos appellare tumorem illius partis ex affluente humore in substantiam eius,à quauis causa prouenientem: nam vterum ipsum in tumore eleuari posse vel ex hydrope,vel ex flatu,vel ex collectione,antea dictum est:quas equidem non esse inflammationes euidenter constat. Itaque dum vteri substan tia ipsa plus iusto à fluente humore impletur, non quidem in vniuerso vteri cor pore,sed in aliqua eius parte inflammationem fieri & appellari censemus,affectũ sanè ad deprauatam figuram & magnitudinem pertinentem,cui ob id soluta vni tas ac distemperies associantur. Denique nomine inflammationis hoc loco eam dumtaxat intelligi volumus,quæ fluxionis sanguineæ soboles est, in vteri corpus & substantiam maximè incidens:in qua dolor est vehemens,rubor per summa vi gens,calor velut deurens,tensio,tenixus,& cùm malum creuerit, pulsationis sen sus:quem sanè affectum phlegmonem Græci appellarunt.Neque credendũ qui dem est,solùm ex sanguine vterum in prædictum affectum deuenire posse: nam id quoque contingit redundante cum ipso sanguine flaua bile,vel pituita,vel me lancholico succo,ita vt & nomen & accidentia humoris cum sanguine exuperan tis accipiat. Præterea considerandum est,an humor qui fluit(quicunque ille sit) iam computruerit,an in membro constrictus vitietur corrũpaturue: crassum aut tenue,optimum aut acre,vt Galen.lib.2.de arte cur.ad Glau.optimè distinxisse vi detur.Contingit etiam vterum inflammari parte eius antica, qua vesicæ adhæ ret,vel postica,quæ recto intestino coniungitur: vel in parte quidem superna & fundo,ac vltimò in ceruice,eius osculo & prope pudendum.Sed collectionis harũ

partium

partium Moſchionẽ & Cleopatram meminiſſe quoque conſtat libro gynęci.cap. 21.dicentes.Ex præcedente nimio feruore aliquando in pinaculis ipſis, aliquando in ſinu mulieris,aliquãdo in orificio matricis vel intus in ipſa matrice collectiones emergunt cum febribus,vigilijs,dolore,horrore & cum horrore punctiones & grauedines pro locis in quibus emerſerit collectio,& neque vrina,neque ſtercora impediuntur.Pedes etiam cum corpore difficillimè mouentur : nam & aliquando magnitudine collectionis tumor ſupra pectinem inuenitur digito obſtetricis.Illæ verò quæ in alto ſunt,minus quidem doloris habent,& digito apprehendi nõ poſſunt:frequentius tamen organo patefacto mulierum,oculis videntur,& ſudores in fronte & in ceruice calidi,& abundantes occurrunt. Qua ſententia conſtat complexos fuiſſe cauſas,ſigna,& partium affectarum differentias:quę omnia plurimum ad curationem profutura arbitramur.

Cauſæ. Cauſæ tamen partim interiores,partim exteriores in hoc malo reperiuntur:illæ quidem,præter ipſius impotentiam,qua facilis ad recipiendum efficitur,velut tenuis eſt ac feruens ſanguis, ex caua vena per exiles eius propagines in ipſammet vuluam profuſus:non quidem in eius ceruicem aut cauum, ardoremque & putridinem expertus , vt communiter omnes inflammationes fieri aſſolẽt,quas ex ſanguine,demum pituita,bile flaua,aut atra gigni ſolere ſcimus.Sed in vtero ſpecialiùs fit,cùm multus ſanguis affluit ad menſium purgationes,vel poſt partum retentus, qui inflammationem proculdubio & putredinem parit.Cum hoc tamen credendum non eſt ſemen quantumuis retineatur & pũtreſcat,inflammationem efficere poſſe,etiam ſi conuulſiones & ſuffocationem ac grauiſsima alia accidẽtia pariat: quippe ſemen non defertur, neque viget in ea parte,in qua licèt putreſcat , alteretur.ve,collectionem ſeu tumorem præter naturam efficere non poteſt . Conſtat igitur plerunque hoc malum fieri ex menſtruo ſanguine,quòd in maiori quantitate abundet,& vtero ſit nutrimentum,res alioqui ad inflammationes neceſſariæ:ſiquidem per eaſdem venas defertur ad partes excrementum, per quas alimentum, aut id quod ſupereſt,deuehitur.Sed tamen duobus modis fieri hac in parte inflammationem conſtat:ex ſanguine nimirum qui ab alimento redundat,aut vitiatur, vel ex menſtruo improbè purgato,aut intempeſtiuè & plurimùm retento,ſicut ex alijs vteri purgamentis(quæ ſalubriter vterus excernere aſſolet)dum præter modũ ſupprimuntur. Altera verò inflammationis cauſa eſt,quæ prædictis principiũ motus & occaſionem præſtare habet, velut eſt plaga, ictus , aut menſium ſuppreſsio, frigus item comprimens & coarctans vteri vaſa & eorum oſcula, vteri quoque inflatio vel laborioſus partus,vel aborſus,vt Galen.lib. de humor.apertè docere videtur . Quod etiam fieri contingit ex frequentiore concubitu , qui vteri viriùm metas exceſſerit: durior item ſedes, longiſsima & intenta ambulatio, præſertim menſibus inſtantibus. Verùm quia ex cauſæ, & loci affecti diuerſitate frequentiſsimè accidit tumoris naturam & conditionem variari, & in alias tumoris ſpecies inflammationem degenerare,iuxta humoris peccantis ideam, ob id coniectãdum eſt interdum ex ea tumorem durum ſenſuſque expertem fieri, rariùs cancrum,ſæpiùs tamen abſceſſum vel eriſypelam,aut œdemata,aliquando in extimis, nonnunquam in intimis ac ceruice oſculi vel eius corpore, vel in latus vel plures partes,aut anticam,vel poſticam ſupernam quæ ventriculum conſcendit, vel infimam quæ in rectum inteſtinum vergit partem,quorum omnium ſigna expendiſſe oportebit.

Primo ſtatim acceſſu in fœminis hoc affectu laborãtibus percipies muliebrium loco-

locorum,pubis,imi vẽtris ac lumborum dolores ardentes,qui ad inguina, coxas, latera & coſtas etiam porrectus vſque ad clauiculas perſentitur:ac ob ſepti trãſuerſi compreſsionem,ſi magna fuerit,vteri ſuffocatio accedit,ſin aliter,magna ſpirandi difficultas quæ aliquando imperitos medicos decipit, exiſtimantes pleuritidis naturam referre,ob ignorationem conſenſus vteri cum ſepto tranſuerſo & clauicula,integitur enim peritonæo,& eo ſolo firmatur ac retinetur à parte ſuperiore: quare dum vltra modum diſtenditur,hæc etiam membra cõprimi neceſſum eſt. Verùm antequam hinc diſcedam,referendum mihi eſt , qualia huius affectionis ſigna attulerit Hippocrat.qui lib.de mor.mulie.2.hæc ſcripta reliquit. Si vteri inflammati fuerint,menſes obtorquentur,& ceruix multis tenuibus venulis ad telarum araneæ ſimilitudinem variegatur,& febris eſt acuta,& mentem præcellens, & menſes parui ac pauci ipſi comparent: cùm verò quid comederit,reuomit , & dolor occupat imum ventrem, & lumbos, & animo linquitur,& per totum corpus perfrigeratur,venter autem nunc durus,nunc mollis eſt, & incenditur,& attollitur,& putat ſe in ventre habere.Quandoque verò ventris moles vacua appareret(quod ego intelligo dum affectus in hydropem mutatur)& aluus aqua impletur,& vmbilicus prominet,& oſculum gracile fit,& derepente apparent menſes ſtridentes,& pauci ac praui,& attenuatur circa clauiculas & collũ,& pedes intumeſcunt,& præſertim pedum extremitates:horrent etiam partes circa pudẽdum, pungitur,caput dolet & ſinciput,caligo adeſt,& ſudor frontis, extremæ partes refrigerantur ac tremunt,& ſopor profundus aliquando occupat,& audire non poteſt,neque reliqui ſenſus operantur.Quibus proculdubiò ſimillima ſigna adducit eodem loco paulò inferiùs,ſtudens monſtrare vteri eriſypelas. Nec mirum videri debet,tam eſſe varia huiuſmodi ſigna,ſiquidem id proficiſcitur ex vteri natura,& ipſius vario cõſortio,ac diuerſo & omnigeno corporis apparatu.Lib.tamen de natu.mul.dum ex partu occaſionem ſumit inflammatio, hæc verba ſcripta reperiuntur.Si ex partu vteri fuerint inflãmati,febris debilis corpus tenet & caligo adeſt, ex ventre verò nunquam deficit calor,& ſitit,& coxas dolet,& venter imus fortiter intumeſcit,& aluus turbatur,ſeceſſus aut eſt malus aut olidus , & calor vehemens corripit,& cibum auerſatur,& dolor iuxta ſinciput eſt,& ventris ſtomachus non poteſt trahere cibos ac potus,& concoquere nequit.Qua in parte paulò inferiùs eandẽ affectionem refert,& curationem ſuo more ſcribit.Verùm præter hæc Hippocr.ſigna ſpecialiùs rem expendere oportebit.Sic profectò huic affectui perpetuò febris ſuccreſcit ardentiſsima,ſicut in alijs inflammationibus , cæterùm in hac peculiariùs propter maximum conſenſum cum corde per arterias.Quod etiã lib.de humor.teſtatus eſt Galen.ſed præcipuè lib.6.popu.part.1.comment.2. &.3. prorre.comment.27.&.5.in.6.epi.commen.14.dicens.Cùm tamen in vteri phlegmone haud ita multum accidere cernitur,licet febres validæ vehementes & calidæ concitentur,ob quas lingua veluti à fuligine denigreſcat:& ſubdit.Calidas autem vehementeſque febres ex vteri phlegmone accendi,neminem in artis operibus verſatum,præterit:ac reddens rationẽ refert id fieri,quia vterus plurimas grandiſsimaſque venas habet,in quibus aut prope ipſas ſi ſanguis putreſcat, febrem ſuccendi de ſynocharum genere neceſſum eſt.Sequitur & in hoc affectu grauiſsimus capitis dolor,iſque maximè in ſincipite,quòd lib.etiam de hum.dixerat idem Galen.ſed clariùs lib.6.popu.part.1.commen.2.nam referens id fieri ex vaporibus à putreſcente ſanguine elatis,inquit.Verùm capite quauis de cauſa horum vaporũ pleno,grauitates maximè in ſincipite,hominẽ vexantes apparere illis,quibus artis opera

opera curæ ſunt:& ſubdit. Primùm igitur vapores illos calidos proximè dictos, per arterias in caput ſubuolare, ratio oſtendit, & Gal. probat. 3. prorre. ipſaſque arterias per collum ab vtraque vocati infundibuli parte, recta in ſinciput diſcurrentes videre licet. Ac poſtmodum rationem contexit, propter quam varij & acerbiſsimi fiant dolores, nimirum propter varietatem ac ſenſibilitatẽ partium capitis internam ſtructuram efformantium: vnde oculos quoque dolere cõtingit, ſicut ceruices conuelli, & pedum ac manuum articulos. Alui item & veſicæ excremẽta ob calorem & ſiccitatem, & cauitatum compreſsionẽ coarctationem ve retineri contingit. Ventriculus ex conſenſu grauiter dolet, ita vt aliquando cardialgiam inferat. Pulſus parui fiunt, crebri & ab exſolutione debiles. Verùm in principio inflammationis errantes, & vibrantes, & aliquando ob febris vehementiam magni, celeres, & crebri, quibus diluitur in Galen. dictis controuerſia lib. 4. de cau. pul. & alibi. Quòd ſi in penitioribus locis vterus inflammetur, acutiſsimis doloribus excruciari cum anxietate & exſolutione contingit: ſi tamen in conſpicuis & externis partibus affectio ſuccreſcat, omni ex parte pulſatoriè dolet: quæ ſanè ſigna diuerſis inflammationis temporibus, diuerſimodè apparere contingit, vt paulò inferiùs docebo. Poſteriore inſuper vteri parte inflammata, partes circa vmbilicum dolere, & aliquãdo in tumorem eleuari cernimus: ſed dolor circa lumbos excruciat magis, & alui excrementa ægriùs excernuntur, canini ſtercoris ſpeciem referentia. Sic vbi cauitas aut fundum inflammatur; imi ventris acutus dolor oſtendit, vt ne contactum quidem foris admittere videatur, atque vterus plerunque ad inflammatũ locum retrahitur: & ob id os & collum eius auertũtur: differtque ab vterina ſuffocatione, ex febre ardẽtiſsima & intenſo partis calore. Si vteri anterior pars inflammatione tentetur, vrinæ difficultas, aut ſtillicidium ſubſequitur, & grauis in partibus vmbilico finitimis & inferioribus dolor: & ſi digitus in os vteri ſubmittatur, occurrit ad tactum durum, clauſum, feruens, ac retractum, præſertim ſi in ipſo aut in collo fuerit inflammatio: quod etiam dolore, duritie & calore à conceptu diſtingues. Lateribus verò vteri inflammatis inguina tenduntur, & crura grauiter & ægrè mouentur, & quibuſdam crus ipſum, quod è regione eſt, per inceſſum claudicat: quinetiam in coxam dolor tranſit, & in eâdem parte cum grauitate ſentitur, vt ex Galen. conſtare videtur. 6. de lo. aff. cap. 4. Cæterùm fieri inflammationẽ ex ſanguine cognoſces, quòd lingua nigreſcat, delirium ſequatur, vrina rubeſcat, aut ſubrubra exiſtat cum liuore, pulſus magnus, plenus, vndoſus, & venæ omnes tument. Flauam autem bilem dominari, ex oculis, qui colorem corticis mali citri referunt, cognoſces: ſitis quoque ingens adeſt, inquietudo & anxietas maior. Verũ tamen dum pus fieri incipit, dolores pulſantes & febres augeri eſt neceſſum: quæ frequentes cum horrore ſub veſperam incurſant, & acceſsiones inordinatas habent. Accidit & ſingultus, & prædictorum accidentium intenſio, atque ipſa inflamatione augeſcente, ſequuntur animi deliquiũ, exſolutio, torpor pedum, genuũ perfrigeratio, & extremarum partium ſudor, conuulſio colli, pulſus exigui & crebri, tandem delirium & dentiũ rugitus. Quæ ſanè omnia, pure confecto aliquantulum ceſſare videbuntur, & iterum inualeſcere, vbi abſceſſus rumpitur: actunc quidem modò vrina, modò aluus, modò vtraq; ſupprimitur: nonnunquam pubes intumeſcit, & profluentis cuiuſdam rei, cui inũdatio pereipitur, vbi abſceſſus maior fuerit. Si tamen hæc eadem perſtiterint viribus vtcunq; labentibus, pulſibus inæqualibus ac debilibus, mortem potiùs quàm ſuppurationem vereri oportet. In ſcirrhum tamen inflammationem migrare cognoſces, quia febris dolorque, & ſym-

& ſympthomata leuiora exiſtunt, ſic tamen vt tumor, & renixus grauitaſque permaneant, totumque corpus non ſolùm crura ad omnes vitæ functiones ſegniter moueatur.

Ex quo proculdubiò affectu his grauiſsimis accidẽtibus coniuncto, vereri oportet mortem, vt Hippocrat. protulit lib. 1. de morb. mulie. dicens pernicioſum eſſe morbum, & à quo vix aliqua euadit fœmina, aut in graue aliquod malum degenerat: nam decretum eſt apud omnes authores, grauiſsimas eſſe vteri inflammationes, cum hoc tamen, quæ eius ceruicẽ obſident, faciliùs curari poſſunt: quæ verò totum affligunt vterũ, nullo modo: ſicut quæ fundum ſiue ſinum eius occupãt periculoſæ admodum ſunt, quia ægriùs & tardiùs curationẽ admittunt: in quibus omnibus conuulſiones ſuperuenientes periculoſæ ſunt & graues. Quòd ſi eriſypelatis particeps ſit inflammatio & fœmina grauida, lethale eſſe Hippocrat. lib. 5. popu. tex. 43. refert: quanquam tex. eiuſdem lib. 20. de vera inflammatione dubitatũ ſit, viuere ne poſsit fœtus: quod intelligendum eſt de grandi & venenoſa, idq; ob febris quæ ſuccenditur, vehementiam.

Cùm ſtatutum firmatumq; ſit in recta medendi ratione, etiam ſi affectus eiuſdem ſit naturæ, in eius curatione partis ſitum, locum per quẽ adhiberi auxilia aut fieri euacuationes debeant, monſtrare, & partis naturam auxiliorum materiam ſeligere, & ab alijs partibus affectis diſtincta expoſcere: ob id profectò licet inflammatio vnius naturæ ſit in omnibus partibus, in vtero tamen ſi ſteterit, non à quauis parte indiſtinctè expoſcit ſanguinem fundi, aut quamuis aliam vacuationem fieri: quæ prima & communiſsima omnium phlegmonarum curandi via eſt. Quamobrem in hac curatione præmittere partis conſiderationem oportet, & mox affectus indicationem rimari. Vniuerſa etenim curandi phlegmones ratio, in prohibitione eius quod ſit, & ablatione eius quod factum eſt, conſiſtit, licet alijs verbis id quoque Galen. proferat dicens: Prohibemus quidem futurũ, ſi corporis apparatum euacuationibus iuxta eius naturam factis minuerimus: ac rurſus ſi id quod ab eo iam in motu & fluxu ad partem eſt concitatum, ad diuerſam & maximè contrariam partem traxerimus. Quòd verò factum eſt & in parte receptum, ab ea repellimus & per eam diſcutimus: aut in eâdem ſuppuramus. Primum quidem fit frigidis & comprimentibus: ſecundum calidis & digerentibus: vltimum verò calidis etiam, ſed emplaſtricis medicamentis: quibus omnibus admiſcenda ſunt quæ mitigandi vires obtineant. Quapropter prohibita in principio ſomni immoderantia (vt à prima indicatione initium ſumam) ne furioſiùs humores intrò irruant, vt Hippocrat. eſt præceptum lib. 4. popu. part. 4. ac prohibitis etiam crurum frictionibus, omni tamen quiete imperata, & alui excrementis leuiter depoſitis, victum omnino tenuem porrigemus. Tranſactis tamen primis diebus oua ſorbilia, aut amygdalarum ex cremore hordei, vel amylum, aut panem lotum, vel pullorum carnem imperabimus: ſic in potu aquam hordei, vel ſachari, aut decoctum radicis ſcorcioneræ, vel aquam auro ignito ſæpius feruefactam porriges. Quibus vt par eſt adminiſtratis, etiam ſi affectio ſit in partibus inferioribus, à baſilica alteriùs vel vtriuſque brachij primò ſanguinem detrahere oportebit iuxta vires, ætatem, habitum aut anni tempus. Quod ſanè dogma perpetuum ſit in hac curatione, niſi aut ex aborſu, laborioſo ve partu, vel nimia ſanguinis profuſione (quacunque parte ſit) inflammationem prodire nobis cõpertum fuerit. Huius rei ratio eſt, quia coniectabile videtur à ſupernis partibus & ſanguinis fonte fluxionem concitari, aut plenitudinem præeſſe, quam ſi priùs non depo-

Curandi ratio.

depoſueris, vel longiſsimè à parte affecta retraxeris, maiorem procul dubio in eâdem parte fluxionem concitabis. Itaque retractionis & plenitudinis deponendæ gratia, primò brachiorum venas tũdere oportebit: deinceps verò habito reſpectu ad id quod ad partem inflammatam fluxit, vel fluere iam iam minatur, quòd in venis inſit parti affectæ proximis, ſanguinem fundere ex malleolis opus erit. Quo ſenſu Galen. intelliges, qui lib. de ſang. miſ. cap. 18. & lib. 13. metho. cap. 11. conſtanter affirmat in vteri inflammationibus venas quæ in talo ſitæ ſunt ſcindendas eſſe. Cui decreto dicimus, aliud eſſe deriuationem intendere quæ ex proximis partibus fieri deſiderat, aliud retractionem aut plenitudinis euacuationem quæ vel ex diſtantioribus, vel eis quæ origini ac magnis venis propinquæ ſunt, exercenda venit. Quam ſententiam hoc modo intelligendam eſſe Galen. conſuluit lib. 2. ad Glau. cap. 2. dicens: Veluti in locis muliebribus in contrarium trahas, ſi eas quæ in cubito ſunt, ſecueris venas, aut mammillis cucurbitas appoſueris, vel manus calfeceris & fricueris atque ligaueris. Deriuabis autẽ, ſi eas quæ ſunt in poplitibus aut talis, venas diſſecueris, & cucurbitas coxis applicaueris, & crura calfeceris atque perfricueris & ligaueris. Verùm ſi aut parua fuerit inflammatio, vel corpus non plurimum plenum, aut menſes inſtauerint, ſat erit venas tali inſcindere. Eſt quoque Ætij decretum, cucurbitulas cum ſcarificatione dorſo affigere, quas tunc adhibebis, cùm dorſum plurimùm doluerit: quia coniectabile eſt, per venas dorſo adhæreſcentes, ſanguinem ad vterum delabi.

Verùm quia cuiuſuis partis inflammationes aſſolent aliorum humorum præter ſanguinem, non parum ſibi admixtum obtinere, ob id facta ſanguinis detractione ſufficiente penſitandum eſt, an alijs etiam auxilijs pugnandum ſit aduerſus humoris redundantiam. In quo planè caſu nil tutius aut commodius reperies, quàm rarò aut nunquam expurgantibus vti: nam ad infimas partes, vbi affectus vigent & dolores, euocant humores alibi exiſtentes. Quòd ſi efficere tunc temporis aliquid volueris, leuiſsimo aliquo pharmaco purgabis. Nec diſplicet hac in re Auicen. ſententia, qui vomere huiuſmodi fœminas iubet: quod duplici ratione factum eſſe cenſeo, & retractionis reuulſionis ve gratia, & vt humores ſuperuacui per diſtantiſsimam ab affecta parte regionem excernantur. Cæterùm ſi aliquando ſyrupis & potionibus vti ex mali vehementia cogaris, fugiendum omnino eſt ab ijs quæ menſes mouere poſsint, ſed eos tantùm porriges qui aduerſus humoris cum ſanguine redundantis conditionem pugnent. At ſi facta affectus inclinatione cognoueris aliquem ex prædictis humoribus dominari, aut præeſſe, ſeligenti pharmaco, mitiori tamen facto, eum purgabis, cauens ne pharmacum ſit ex ijs quæ ſcammonium vel colocynthidem recipiunt, ſunt enim hæc plurimùm huic affectioni aduerſa. Noſti iam ex ijs quæ anteà diximus, quæ biliioſis aut pituitoſis, vel melancholicis prodeſſe poſsint.

Sanguinis igitur detractione vel leuioris pharmaci exhibitione præmiſſa, ad ea auxilia veniendum eſſe conſulit rei ratio quæ quodammodo vlteriorem affluxũ ac augmentum impedire nata ſint: & ſi quid factum eſt, per inſenſilem halitũ diſcutiãt. In primis enim ſi eriſypelatis inflammatio particeps fuerit, quod ex igneo calore percipies, cataplaſmate vteris quod recipit vitis pampinos, plantaginẽ, polygonum, portulacã, intybum, & vmbilicum veneris, quæ omnia piſtata, mediocriter calida & panno excepta, prodeſſe non parum ſolent. Infundes etiam in vterum ſuccum aut ſtillatitiã aquam prædictarũ herbarũ, & poſtmodum inunctionẽ ex

ex oleo roſarum & myrti cum pauco aceto parabis: cui ſi addideris ſuccum plantaginis, ſumitatum vitis, ſemperuiuij aut conſimilium, plurimùm profueris. Quod etiam beneficium præſtabis clyſterium vſu, dum eorum quantitas quàm minima ſit, ne vteri compreſsione acriores concites dolores. Id facies, ſi acceperis radicũ altheæ ℥.ij. maluæ, violarum, florũ cucurbitæ, cucumeris vel peponum. m.j. lactucæ vel ſolani foliorum. m.j. prunorum numero. xij. feminis lini ℥.ß. florum violarũ p.ij. decoquantur ſecundũ artem & ex decocto accipe. ℥.vj. olei violacei vel roſarum. ℥. iiij. & infunde. Quo facto vtendum eſt cataplaſmate à Galen. lib. 2. ad Glau. conſtructo ex ſucco ſemperuiuij, ſapa, vino auſtero, farina hordei & balauſtijs, vel ex cortice mali granati. Præſtat quoque incipiente phlegmone, auxilium quod recipit ſucci plantaginis, ſolani. ana. ℥.vj. aceti. ℥.ß. ſanguinis draconis, boli armeni. ana. ℥.ß. olei roſarum. ℥.ij. quæ omnia panno excepta calida parti affectæ imponenda ſunt. Verùm ſi æſtus maximus fuerit, præſtat emplaſtrum diaquilon cum roſaceo liquefactum in vaſe plumbeo, addito plantaginis, aut ſereos & intybi ſucco, facta ebullitione vſque ad ſpiſsitudinem. Item antiquiorum ſententia conſtat, fotum ex decocto cupreſsi, oleo roſaceo, & modico melle vtilem eſſe. Confert etiam mitigandi doloris gratia vnguentum, quod recipit ceræ albæ ℈.iiij. medullæ cerui. ℥.j. adipis anſeris. ℥.j. & ß. croci. g.x. Quem quoque vſum præſtat fotus confectus ex decocto, quod recipit radicis altheæ, maluarum & violarum. ana. m.j. florum violarum, camemali & meliloti. ana. p.j. fiat decoctum, & contundantur herbæ, ac per cribrum tranſmittantur, facto fotu, prædictis adde farinæ hordei, & ſeminis lini, & olei roſarum quantum ſit ſatis, vt fiat cataplaſma. Sed mitius id conficies ex micca pannis cum lacte & oleo camemali. Præter hæc autem, ſi nihil aut parum eriſypelatis phlegmoni ineſſe cognoueris, adhibebis cataplaſmata ex farina hordei, ſeminis lini, fœnugræci, vitellis ouorum aſſatis cum roſaceo, & decocto capitum papaueris & meliloti adiecto modico vino vel modiciſsimo aceto: cui conſimile efficies ex palmulis vino incoctis, farina hordei & oleo roſaceo. Item ex roſis, lentibus ſine cortice, balauſtijs, plantagine, mucore pulicaris herbæ, ſolano, labro veneris, ſedo, ramentis cucurbitæ, cum hordeacea farina & oleo myrtino ac roſaceo. Quibus omnibus admiſcere oportet, ſi affectio vigorem adire cognoueris, quæ modicè diſcutiendi & digerendi vires habeant, vel ſit farina volatilis, ſeminis lini, fœnugræci, camemali, vel ipſius oleum, & ouorum lutea.

Quòd ſi dolor plurimùm eo tempore vrgeat, mitigare omni arte ſtudendũ eſt, maximè vnguento, quod recipit farinæ hordei & fabarũ. ana. ℥.ß. maluæ & violarum poſt coctionem piſtatarum. ana. ℥.j. caphuræ. ʒ.ß. macerentur omnia ſucco aut ſtillatitio liquore labri veneris, & facta expreſsione adde olei roſarum. ℥. iiij. bulliant ad conſumptionem expreſsionis, & addita axungia anatis & cera fiat vnguentum. Cui conſimile efficies, ſi acceperis camemali, radicis altheæ, ſeminis lini, fœnugræci. ana. ℥.j. carycarum pinguium numero. viij. dactylorum numero. vj. terantur quæ poſſunt, & quinque ouorum luteis admiſceantur, quibus adde violarum decoctum cum roſaceo, & facto emplaſtro pubi apponito, digerit enim & dolores mitigat. Verùm ſi adhuc doloris vrgentia perſtiterit, vteri oſculo apponito peſſarium hac lege confectum. Papauer viride tundes & exprimes, cuius. ℥. iiij. admiſcebis. ℥. x. ſapæ, & coque ad medietatem, & linteo exprime, & adde myrrhæ & galbani. ana. ʒ.j. terito, & poſtmodum adde medullæ cerinæ & adipis anſerinæ. ana, partes æquales, & iterum coque, & peſſarium confice.

Vteri etiam osculo adhibenda sunt pessaria, quæ præter id quod dolores leniant, quodammodo aut repellant aut digerant iuxta ipsius phlegmonis ætatem, in primis quidem ex polygono, sedo, intybo, vmbilico veneris, portulaca, plantagine, ac pampinis contusis cum rosaceo, aut lentiscino oleo, vel de vitellis ouorum, anseris pinguedine & exiguo croco.

Cæterùm si sedare dolores præter id studueris, hoc modo facies: fœnugræcum madefacito & prima ac secunda aqua diffusa, cum tertia pura ac dulci coquito & excolato, & adipem anserinum addito: quæ omnia ad prunas liquari sinito, & vbi frigefacta fuerint, pessarium confice & butyro recenti inunge. Quòd si dolor plurimùm creuerit, lacrymæ papaueris exiguum cum lacte muliebri & succo fœnugræci apponito: alij etiam id admiscent rosaceo, ouo, & adipi. Fiunt præterea huic vsui vtiles dilutiones per metranchitam: maximè ex decocto, quod recipit rosarum rubearum, lentium cortice reiecto, plantaginis, labri veneris, solani, & intybi. ana. m. j. lentium. p. coquito ad tertias, & in vterum proijce. ℥. iiij. Idem quoque facies ex lacte muliebri cum rosaceo vel ex decocto hordei cum syrupo rosarum, portulacæ aut saccharo. Præstat eundem vsum oleum rosaceum solum, vel cum albumine oui: item aquam arnoglossæ, coriandri viridis, aut hordei infundes, vel decoctum papaueris aut oleum eius, præsertim si id adhibueris prope os vteri. Confert non minus collyrium album Rasis cum lacte mulieris, vel aliquo ex prædictis succis. Virgines tamen sedere facito in prædictis decoctis, vel in eo quod conficies ex decocto fœnugræci, seminis lini, maluarum, violarum, capitum papaueris ac hordei: verùm in his quæ acriorem habẽt calorem, maximè circa morbi initia ex aqua modicè calida cum oleo rosaceo insessus fiant.

Quòd si vt dictum est, inflammatio inclinare cœperit, etiam per vterinos clysteres, pessaria & insessus ad ea venies, quæ laxare & discutere possunt. Qua in re prædictis decoctis addito fœnugræcum, altheam, semen lini, mucaginem psyllij, & seminis citoniorum, pulegium sisymbrium & saluiã, quo immergere fœminam vsque ad imum ventrem aliquando opus erit: & à balneo ventri appones hordeaceam farinam cum fœnugræco, semine lini, aqua mulsa incoctam. Quo facto, ad ea quæ magis digerunt (cautè tamen & sensim) veniendum est, cuius naturæ est cataplasma, quod recipit radicis liliorum & bismaluæ. ana. ℥. j. maluarum. m. j. artemisiæ. m. ß. florum camemali & meliloti. ana. p. j. coquantur, & vt supra dictum est, pistentur & cõtundantur: quibus adde farinæ fabarum & hordei. ana. quantũ sufficiat, pinguedinis porcinæ & butyri recẽtis. ana. ℥. ij. olei camemali & liliorum. ana. ℥. j. misce & cataplasma confice. Item huic vsui vtile est pessarium ex carycis pinguibus cum modico oleo & pinguidine gallinæ ac pulueribus camemali, sisymbrij, sampsuci cum medulla cruriũ vituli & ladano ac styrace. In vera tamen declinatione emplastrum ex meliloto vel addito diaquilone adhibere poteris.

At si neque his omnibus neque alijs quæ passim proficua experimur, in declinationem affectũ venire comperiamus, rationi consonum videtur suppurationi naturam intentam esse, vt ex ante dictis signis facilè colliges: quibus accedit inæqualis horror & doloris exacerbatio, iuxta illud Hippocrat. dum opus conficitur. Postremò verò ad suppurationem perducto tumore, impetus accidentium aliquantùlum remittitur. Quo tempore ne in scirrhosam duritiem & ægrè curabilem affectus degeneret, aut ne puris virulentia maius malum accersat, post matu-

maturitatem ruptionem quoq; breuiter mollri oportet, ne diutiùs ibidẽ persistens pus maximam vteri partem corrodat. Quod facies adhibitis imo ventri cataplasmatis ex fœnugræco, semine lini, farina triticea, ficubus elixis & terebinthina. Sed artificiosiùs conficies hoc modo: excipe camemali, meliloti, fœnugræci, seminis lini & radicis altheæ. ana. ℥. j. caricarum pinguium. nume. viij. dactylorum. nume. vj. redigantur in puluerem quæ possunt, & adde vitellos ouorum. nu. v. & cùm aqua decoctionis violarum fiat cataplasma, addito oleo rosaceo: quòd si immorari suppurationem cõperiamus, colũbini stercoris. ℥. viij. addere oportet. Itẽ iuuãdæ suppurationis gratia, enchatismatis & insessionibus vtendum est, præsertim pudendi sinu adhibita spongia, aut suscepto vapore per infundibulum ex decocto, cui vires insint trahendi & emolliendi, qualia superiùs abundè diximus. Si tamen caloris tã tum persenseris, vt calidorum vsum verearis, emplastrum conficies ex vnguento rosaceo, maluis & radicibus altheæ incoctis & extractis per setam cum pulueribus fœnugræci, vel solùm ex butyro & maluis: aut ex rosaceo vnguento & carne radicum altheæ. Quibus suppuratione facta, abscessum dirumpere studebis, vel motu aliquo vehementi, vel si ad pudendum irruat, ruptorio instrumento partis situi idoneo: cuius chirurgiam & modum pulchræ docuit Ætius lib. 4. Ser. 4. cap. 86. quamobrem illuc recurrendum esse censui. Dignosces autem diruptionis tempus, quòd cruciatus sæpenumerò acriores, stimulosi & quasi cum aculeis inscindere videantur, caloresque vehementiores molestant: vrina supprimitur, interdum & oletum: aliquando tumor circa pubem apparet, & tãquam exudationis sensus cùm abscessus grãdior fuerit. Neque alia via diruptionem curare oportet, quàm corporis motu, vel adhibitis pessarijs quæ rumpendi vires habeant, velut est illud quod recipit adipis anserini. ℥. ij. resinæ, terebinthinæ. ana. ℥. j. pulueris rutæ & nitri. ana. ℥. ß. iridis illiricæ. ℈. j. & cum lana fiat pessarium. Cui simillima ex prædictis alijs parare poteris.

Rupto verò abscessu (quod ex eo cognosces, quia pus excerni cœpit, & dolores ac tumor subsidere) videndum primò est, ad quam partem ruptio facta fuerit: nam contingit non rarò ex vesicæ vicinia ad eam rumpi & cum vrina pus excerni. Sic ex consortio cum recto intestino, per ipsum quoque pus excerni conspicimus, maximè si inflammatio vteri partes extimas attingat. Dum verò pus vrinæ admixtum excernitur, lacte vtendum est asinino, & emulsionibus seminum cucumeris & melonum: item decocto hordei & quatuor seminum frigidorum maiorum, mucilagine & serapio ex his confecto: sero lactis cum saccharo & syrupo violaceo. Neque erit ab re vti casia fistula per interualla cum semine melonum & saccharo. Si tamen per rectum intestinum pus excerni videas, frequentibus vtitor clysteribus ex aqua mulsa, vel ex aqua hordei cum saccharo, si caloris sensus præfuerit, aut ex aqua plantaginis cum alumine & saccharo, cauens ne aliquod oleosum admisceas. Cum hoc tamen conficies alium ex decocto lentium & malorum punicorum cum rosis & saccharo, aut olei momento, si exesionem ex puris acrimonia fieri compereris. Vlcus verò vteri per ea quæ abluant & calorem attemperent curabis. Ablues quidem aqua mulsa, aqua hordei cũ saccharo, lacte cum dupla aquæ hordei, aut mulsæ portione, vel lacte ipso cum aqua lentium, aut seminum maluarum & saccharo: item cremore hordei, quem maximi momenti, cum aqua aluminosa admixtum, esse censemus, aut ipsa aqua aluminosa, vel aqua portulacæ cum sero lactis, aut aliqua instillata per duplex vas ex his rebus nuper dictis. Verùm si fors tulerit abscessum rumpi inter intestina & vterum ipsum, euocanda

ad extimas partes materia est, & cutis attenuanda scalpello ferroque ignito aperienda: & vt Ætius consulit post apertionem ea figura locabis fœminam, qua resi duum puris commoditate situs sua sponte defluat: deinceps verò aqua mulsa sectionem lauare oportet bis terue indie, & velut alia vlcera deinceps curare, vt cap. de vteri vlceribus disces.

Quòd si inflammatio œdematis particeps sit, aut pituita plurimùm abundet, verendum quidem est sanguinem detrahere, vel cum præmeditatione faciendũ: postmodum verò ad emplastra, insessiones, fotus ac pessos veniẽdum est, quæ cap. de vteri hydrope retulimus. Cæterùm frequentiùs purgabis, idque magis per vomitum, quàm in vera & exquisita inflammatione.

De scirrhoso vteri tumore.

Cap. XVIII.

CVM perdifficile sit huiusmodi affectum curare, si factus iam sit, & vterus ex propria natura ac menstruationis officio ei maximè sit obnoxius (quòd caro eiusdem crassa existat, & fluxiones semel acceptas tenaciter seruet) ob id profectò non leui diligentia, neque oscitanter fœminas sic affectas tractare oportet. Sciendum tamen, vt ex Moschione constat ante omnia, non leuẽ esse differentiam inter scirrhum vteri & eius duritiem: nã durities, vt hic author docet, est affectus potiùs vteri. Soranus etenim apud Ætium lib. 6. cap. 84. statuit è contrà propriè duritiẽ fieri in ceruice vteri: quem etiam sequutus est Paulus lib. 3. cap. 68. ita vt durities huius partis totius sit vitium: scirrhus verò in quauis vteri parte succrescere potest. Scirrhi igitur natura durities quædam est vix sentiens, vt ex Gal. constare videtur. 2. ad Glau. proinde que scirrhum nominamus tumorem durum, qui sine dolore est, non tamẽ omnino sine sensu, vt ex eodem constat. 14. metho. cum hoc tamen exquisitus, sensu omnino doloroso caret, vt Galen. refert lib. diffini. dicens: Scirrhus tumor est corporis cum duritie, & grauitate, & mouẽdi difficultate. Ex quibus finitionibus constat, scirrhi duplicem esse naturã, vt lib. 1. cap. vltimo abunde dictum est: alter quidem est exquisitus, & non exquisitus alter. Vtcunque tamen sit, duobus modis vterum scirrho affici obseruauimus, nempè cùm totum eius corpus in duritiem degenerat, vel altera tantùm pars: ex quibus morbi natura, & particula affecta facilè innotescit. Huic etiam modo aliud non dissimile Paulus adiunxit, quod scleroma appellat: & ob id scirrho adiungere placuit, quòd consimilem obtineat curandi rationem. Scleroma (inquit) conforme est scirrho, circa vuluæ ceruicem magna ex parte consistens, tumorem quidem habens eodem pacto, sed minus durum, cum dolore mediocri. Est sanè vterque affectus morbus in magnitudine, cùm in genere tumorum præter naturam consistat: cui etiam conuenit morbum esse in intemperie frigida, vt apud Gal. 5. simp. cap. 6. & 8. legitur, ac in soluta etiam continuitate. Verùm si quis rem penitiùs examinet, reperiet facilè, duros vteri tumores longè inter se differre: quippe eorum nonnulli statim ab initio naturam scirrhi referunt: alij ex mutata & indurata inflammatione ortum habent: quam sanè differentiam ex humoris conditione contrahunt, vt mox probabo. Constat præterea alios

alios differre loci affecti ratione: nam aliquando vteri ceruix quodammodo (vt Paulus docet) induratur: quandoq; verò vterus ipse in scirrhũ intumescit, vel ima eius pars, quam frequentiùs affici scimus: quandoque pars eius interna: quæ profectò affectio molam vteri æmulatur: nonnunquamq; extima eius superficies.

Huius porrò affectus duplices existunt causæ: quædam enim sua sponte ex qua uis materia scirrhum veluti manu faciunt: aliæ verò materiale principiũ præstãt. *Cauſe.* Sic etenim ex inflammatione, quæ longè à scirrhi natura dissidet, medicorum imperitia duobus modis induratos tumores proficisci comperimus: vno, vt Gale. refert. 2. ad Glau. cùm vehementer inflammationes, aut erisypelata astringunt & refrigerant: induratur etenim hac via humor, & frequentissimè in immedicabilem duritiẽ cõmigrat: alio verò, cùm vehementer calida ac discussoria medicamenta intempestiuè tumoribus adhibent: quibus proculdubio tenue ac vaporosum facilè euolat, crassum verò & terrestre compactum ac durius efficitur. Itaque vt Paulus scribit, obdurescit vterus, quandoque sanè repente nulla perspicua occasione: plerunque verò ex inflammatione quæ præcesserit & soluta non est, neque dissipata, neque in abscessum permutata. Materiã tamen habẽt huiusmodi tumores crassam, lentam, terrestrem, ac difficulter solubilem, qualis existit melancholia naturalis quæ verum & exquisitum scirrhum efficere nata est: tandem ex quauis alia quæ crassa quoque & terrestris sit, scirrhum fieri, cæterùm illegitimum, constat. Fieri etenim hanc crassam materiam in nostris corporibus quatuor modis apud Gal. & veteres omnes compertum habemus: primo quidem dum melancholia naturalis ex aliqua occasione aduritur, aut putrescit, & fit tunc temporis exquisita bilis atra. Quam sanè causam plerunque reperies in fœminis melãcholico sanguine abundantibus, & improbè à menstruo purgatis. Probat quidem Gal. hanc sententiam 14. metho. & lib. de atra bile, & potissimùm. 4. aphoris. comm. 21. & eodem. 14. metho. dicens: Siquidem hic humor, vbi ampliùs incaluerit aut propter putredinem, aut febrem, inflãmationem ve nigram efficit bilem: quæ quidem frigida est, quia terrestris, sed tamen caloris non expers, quemadmodum cinis & acetum vt in dysenteria ab eo humore orta, conspicimus. Itaque facile est hoc malum fœminis, quibus ex fæculento sanguine vterus non purgatur, accidere, quia ibidem conculcatus sanguis incalescit, & facilè in duros tumores sensim & paulatim migrat, & (quod deterius est) in vniuersi vteri duritiem: quia vniuersi vteri venas eodem humore abundare contingit, imò necessùm est: secundo etenim modo succrescit eis crassus humor in corporibus ex aliorum humorum adustione, velut ex flaua bile contingit, quem cẽsẽo reperiri in biliosis fœminis, ijs præsertim quæ diutius & vehementiùs sese æstiuo existente Sole exercitijs dederunt: in quibus biliosum humorem aduri oportet, ac febres & alia vitia concitari quæ postmodum in scirrhosos tumores degenerant, idque maximè in vtero, tum quia ibidem maior copia biliosi sanguinis ex menstrui natura redundat: tum verò, quia vterus bcysimè incalescit ab exercitio, & cùm non expurgetur superfluo sanguine, nisi singulis mensibus, & fortasse improsperè, ob id facilius aduritur, & in scirrhosam duritiem commigrat. Quod pari lege cõtingit si sanguis aut pituita in corpore redundauerint, & eo incaluerint, donec feruorem aut putredinem contraxerint. Tertio verò crassus humor in corpore accrescit, dũ ex frigiditate in lapidosam duritiem mutatur: vt cùm ab imperitis medicis, vel chirurgis erisypelata & inflammationes, aut quiuis alius tumor ex naturalibus humoribus factus, admotis extrinsecus præsidijs, vehementer refrigerãtur astringunturq;. Tunc enim totum id quod in eis subtile

erat,diſsipatũ vi valenter digerẽtium,reliquum plus iuſto deſiccatum, lapidoſam duritiem poſtmodum ex medicamentorum frigiditate conſequitur. Quod ſanè non minùs fœminis accidiſſe conſtat:nam dum vteri calore aut ſanguinis aut bilis abundantia laborant,frigori ſeſe imprudenter exponentes,aut potu vtentes frigidiori,verum ſubitò in durum tumorem eleuari conſpicimus nulla alia ratione, quàm ſuperabundantibus humoribus(à quibus fortaſſe reſoluta erat tenuior pars ob dictum calorem)concretis,denſis,craſsioribus ac frigidioribus factis. Quartò denique & vltimò melancholia nõ naturalis inſurgit,quando alius humor ipſi melancholiæ naturali permiſcetur,maximè pituita,cuius adhæſu melancholia tenacior & craſsior efficitur. Quod item non rarò fœminis accidere ſcimus ex vitæ intemperantia & ciborum frigidorum eſu:qua lege mixta melancholia in prædictũ affectũ non rarò degenerat. Atque hæ ſunt in vniuerſum quatuor materiales cauſæ,quas ad veram medendi rationem expendiſſe oportet.

Signa. Noſces autem morbum ipſum in genere ex tumore duro tactui conſpicuo ac citra dolorem:indicat enim tumor ſeipſum manifeſtè,niſi in ceruice fuerit, vt aduertit Moſchio:nam tunc extrinſecus nihil conſpicuũ efficitur,digito autem obſtetricis facilè innoteſcet colli vteri durities. Præter id fœmina ſic affecta, ad motũ tarda exiſtit,non quidem ſolùm crurium vitio,ſed & vniuerſi corporis,quod deſidia ad exequenda munia corripiatur. Accidit inſuper ſic affectis(ſi ſe rectè non gerant) malus & aquoſus corporis habitus:& plerumque in principio mẽſtruis ex toto priuantur, aut diminuta habent,& creſcente malo magno ſanguinis fluore, ſaltẽ per interualla vexantur,apertis plùs iuſto venarũ oſculis,aut vtero nequeũte ſuſcipere & continere conſuetam ſanguinis copiam.

Cæterùm an à craſſo glutinoſoq; humore ac pituitoſo originem ducat, vel ex nigra bile quæ veluti fæx ſanguinis exiſtit,ex partis colore,vt mens eſt Gal. lib. de tumo. præt. nat. cap. 10. facilè diſtingues:quod ſanè ſignũ huic vſui inutile exiſtit. Quamobrem ex corporis colore faciliùs dignoſces:nãque ſi ex bile nigra oriatur,color totius corporis ad nigriorem declinabit:ſi verò ex craſſa ac lenta pituita,ad ſubalbidum vel ad plumbi colorem vergũt. Iecur etenim quales in ſe habet humores,tales quidem toti corpori præſtat,& tales in affectam partem delabi neceſſum eſt. Sic proculdubio Galen. lib. 5. de loc. affe. ex ſolo colore refert cognouiſſe ſplen ne an iecur affectum eſſet. Cui equidem affectioni non rarò adiungitur oris fœdiſsimus odor,aut ipſius exulceratio vel genuum impotẽtia,quæ omnia in ſtomachace,vel ſceletybe ſplenis & ventriculi grauiſsima affectione, plerũque ſuccreſcunt,ex halitibus tetris & vitioſis ab aduſta bile aut vitiato iecore vel ſqualido corporis habitu illuc aſcendentibus. Quibus ſignis adiungere oportet ante actam vitæ rationem,ciborum vſum , cuiuſq; humoris redundantis propria ſigna,ætatem & peculiarem fœminæ naturam,& habitum,vt omnium facta coniectura in humoris redundãtis cognitionem faciliùs deuenire poſsis. Sed in huius affectionis dignotione non parum contingit medicos decipi,quippe cùm affinis ei ſit vteri mola vel ſcirrhoſus ſplenis tumor,ob id diligentia internoſcendum eſt, ne in curatione aberremus,vtrum horum ſit:ſed diſtingues huiuſmodi affectũ à mola,ſaltim ab ea quæ vtero adhæret,quòd in ea licet menſes prodeant,non tamẽ ordinatè vt in hoc affectu,in quo aut ſupprimuntur aut ordinem habent ſi fluãt, eo quòd ex vteri venis non paucæ tumore obturentur, ita vt non ea tutò poſsint expurgari: in mola verò aut non fluunt etiam,aut inordinatè, idque aut copioſius,aut parciùs quàm par ſit. Item mola dum fœmina ſtat,in os pubis incumbit & mammæ

& mammæ turgent lacte,in ſcirrho verò extenuantur,& tumor nõ procedit,licet hinc inde mutetur ad vteri quoque mutationem. Præterea ab ſplene indurato diſtingues,quia licet ad varias partes ſplẽ decidat,varioſq; ſitus mutet,ęmuleturq; aliorum viſcerum obſtructiones, vt non rarò in hoc vteri affectu contingit,non tamen ob id credendum eſt ſplenis tumorem eſſe,quia is vel corporis vitiat colorem,quòd ſi id non faciat,quia ſolum iecoris affectiones id de iure habent,lædit tamen vel mentem,vel alium ex melancholicis generat affectum, quo monſtratur ſplenem prauè ſuo officio vti. Affectionem verò eſſe in vteri corpore & non in ceruice,diſtingues,quòd in coxam & dorſum plerunque vterus incumbat,ibidemq; dolorem ferat: at in ceruice eſſe,quia à viri acceſſu plerunque offenditur,& obſtetricis digito attingitur malum,& apparet oſculum durum: item quia frequenter ab incumbente vel comprimente tumore veſica, ſi in ſuperiori colli parte ſit tumor,læditur,aut rectum inteſtinum,ſi infima eius pars, vel alterum inguen , ſi in altero latere affectio exiſtat. Sed præter hæc,in quocunq; latere decubuerit laborans ,illic quoque tumorem adire citra dolorem, ſignum eſt non leue huius mali,vt Hippocrat. refert. 5. popu. in hiſtoria vxoris Gorgiæ,in qua equidem etiam recenſet affectionis cauſam , nimirum mẽſtruorum per quadrienium ſuppreſſionẽ, & quod magis mirandũ eſt,cum hoc concepiſſe:cæterùm poſteà ex diutina profuſione ſanguinis à partu,malè habuiſſe,tãdem molam poſteà proieciſſe, poſtquã ſana facta fuit.

Curandi ratio. Etiam ſi ſcirrhus vnicam obtineat morbi rationem,vnamque naturam,non ob id credendum eſt vnica ſolùm via curari poſſe:nam pro ratione cauſæ mouentis, & naturæ materiei & generationis modi,variare etiam medendi rationem opus erit. Sic in legitimo & verò ſcirrho triplex inſurgit curãdi ſcopus, primus quidem viuendi formam præſcribit:ſecundus materiam antecedentem,quæ morbũ frequenter adaugere ſolet,tollendam monet: tertius verò humoris in tumore iam contenti & indurati vacuationem nobis inſinuat. Quod ſanè opus , quia affectio in vtero eſt , non ſolùm medicamentis extrinſecus adhibitis perfici debet,verùm eis quæ in potu ſumuntur, vim habentibus aperiendi atque extergendi eũ qui in viſcere continetur,humorem,vt de ſcirrho iecoris. 14. methio. cap. 4. Galen. refert. Ad primum igitur ſcopum deueniendo,eam vitam fœmina ꝺegat,quæ nihil melancholici humoris congerat : ob id ſumma diligentia curandum eſt vt eos ſuccos gignat, qui ex toto ſint melancholico ſucco contrarij. Quamobrem , victus rationem eis quæ ſcirrho laborant , ſobriam, moderatam,humidam & quæ ad moderatè calidam inclinet inſtituito : porrigens alimenta boni ſucci & probum ſanguinem gignentia: panem non plurimum coctum,vinum vel tenue, vel admodum dilutum, aut nullum, ſed lupulorum aquam vel ſcorcioneræ,aut ferratam,vel in qua aurum ſæpius extinguatur:oua item ſorbilia,pullos,capos,gallinas,& omnium iura præbeto. Exiſtunt quoque vtiles capreoli iuuenis & vituli lactentis carnes:ex oleribus lupulum , borraginem buglooſum, atque id genus alia præbere poteris.

Quibus præmiſsis ſecundus ſcopus docet , mox ad materiæ antecedentis purgationem deueniendum eſſe,ni priùs ſanguinis nigrioris abundantia nos compulerit ex ſaluatella ſiniſtra ſanguinem fundere,aut ex talo,ſi mẽſes deficiant , vel ex hæmorrhoydibus quod magis probo:nã præterquàm quòd hirudines per has ſanguinem fæculentum euacuant,à parte quoque affecta,ſaltem à venis vtero proximis plurimum deriuare natæ ſunt. Quo facto,medicamento purganti quod bilem atram

atram educat vteris,priùs tamen præparatis vijs & humore.Sũt autem hæc epithymum,senæ folia,polipodium,fumaria & lupulus.Item casia fistula,myrobalani Indi,dilutum lapidis lazuli præparati pondere.g.vj.cum syrupo ex nouem infusionibus violarum,diasenę,diacatholicon,hiera Rufi,sed pręcipuè cõfectio Hamech sine scammonio & colocynthide:vel si affectio inueterata fuerit ac melancholiæ plurimum & crassum in corpore redundauerit.g.iij.præparati stibij tutò porrigere potes,consideratis priùs fœminæ viribus & habitu ad patiendum robusto.Et facta semel pleniori purgatione,tutissimum erit consilium paulatim humorem expurgare:nam in fœminis pleniùs hũc humorem purgare,rarò vsu venit. Sic enim ex aqua lactis vel lupulorũ,facto decocto senæ,mirum in modum prodest, vel ex prædicto decocto saccharo & prunis damascenis facta conserua.Alia quidem plurima cap.de melan.virg.& vidu.reperies,quæ huic vsui proficua fore spero, inter quæ primum locum tenet syrupus de scoria ferri confectus,vel aliqua ex præparationibus chalybis,vt paulò inferiùs latiùs sum monstraturus: item & syrupus ex inuentione nostra ibidem scriptus,& alter etiam qui recipit foliorum senæ.ʒ.ij.ʒ. passularum sine granis.ʒ.j.seminis cartami conquassati.ʒ.j.ʒ.florum violarum & borraginis.ana.p.ʒ.epithymi & polypodij.ana.ʒ.iij.eupatorij.m.j. infundãtur omnia in lib.6.aquæ & post.24.horas coquantur ad consumptionem medietatis, & facta colatura adde succi borraginis.ʒ.vj.liquoris nouem infusionum rosarũ Persicarum. ʒ. xij. sacchari albissimi. q. s. vt fiat serapium,cuius quantitas sit. ʒ. iij. aut.iiij.

Sed monet tertius scopus interim dum hæc fiunt,ad communissimã præcipuãque omnium tumorum curationẽ deuenire: quam sanè consistere in vacuatione eius quod in parte continetur,nullum ambigere arbitror:circa quam maximè attentũ te esse oportet.Quippe si id opus oscitanter aggrediaris,facilè in duritiẽ veluti lapideam tumorem deduces,si temerè resoluẽtibus vtaris.Verùm si plus quã par est,tumorem ipsum emollieris,periculum proculdubio imminet,ne aut materia intus contenta corrumpatur,aut scirrhus in malignum cancrũ degeneret:quæ sanè mala vteri scirrho quàm citissimè accidere solent.Insequi enim hac in re Gal. & antiquorum dogma oportebit,nimirũ quòd scirrhosis tumoribus nullum vehementer excalfaciens siccansque medicamẽtum,applicetur:neque solum id quod emolliendi atq; humectandi vires habeat.Quod enim (inquit Gal.2.ad Glau.) superfluum humorem habet,nihil omnino dissoluit,quod verò minimum,plus quã oportet,exsiccat.Sic Auic.alternatis vicibus,modò emollientibus,modò digerentibus per halitum vtẽdum esse,in his humoribus asserebat.Scripsimus autem nos lib.2.de indica.auxil.qua via & ratione induratos tumores emollire oporteat. Interim tamen à principio ijs vti oportet medicamentis quæ aduersus duritiẽ pugnent,iuxta ipsius conditionem & naturam.

Sic scirrhosam duritiem ex melancholia contractam emolliunt quæ verè emollientia non sunt:nã duris ex cõgelatione tumoribus proficua esse cõstat: sed mixtam,vt inquit Gal.lib.5.simpl.facultatem habentia : hoc est, constantia ex tenuibus partibus,vt locus affectus in abscondito situs & induratorum ratio exposcere videntur:nã emollientia sola permeare non possunt:calida & tenuium partiũ plurimùm dissipabunt tenuioris humoris partẽ:quo fit vt ea miscere conueniat. Sic Rasius.7.ad Almans. ad scirrhosam duritiem vtilissimum parauit medicamentũ, quod recipit bdelij, ammoniaci,galbani,singulorum partes æquales, terantur in mortario cum oleo de ben,& liliorum, deinde adijce mucilaginum fœnugræci, seminis

seminis lini,ficuum quantum sit satis vt fiat linimentum, vel addita cera emplastrum.Commendat quoq; Galen.lib.14.metho.radicem arborescentis maluæ anserino vel gallinaceo adipe mixtam, contusam & cataplasmatis forma impositã. Confert etiam aliud,quod recipit butyri recentis,pinguedinis porci, anatis & anseris.ana.ʒ.j.olei amygdalarum dulcium & liliorum.ana.ʒ. iij. mucilaginis seminis fœnugræci extractæ cum vino albo.ʒ.j.terebinthinę & ceræ quantum sit satis. Verùm aute quã aliquo ex his præsidijs vtamur,fouenda pars est decocto quod recipit radicum liliorum,bismaluæ & altheæ.ana.ʒ.ʒ.maluarum.m.j.artemisiæ vel neperæ.m.ʒ.carycarum pinguium.nu.x.seminis lini, fœnugræci.ana.ʒ.ij. florum camemali,violarũ,meliloti.ana. p.j.fiat decoctio in aqua & oleo dulci, quã semel aut bis in die vtitor: ex cuius etiam subsidentia pistata & per setam extracta, vtilissimum parabis cataplasma.Idem beneficium præstabis fomento ex oleo liliorum calido,amygdalarum dulcium,de myrrha & styrace.Vtilissimũ quoque est insedere in prædicto decocto,ibidemque aliquantulum permanere : sic ex prædicto decocto & oleis clysteria parabis quæ maximi fore momẽti arbitror. Hoc tamen in his præsidijs seruare oportebit,vt initium facias ab his fomentis, insessionibus, vnguentis & emplastris blãdioribus: ob idque hunc ordinem seruare oportet, vt primò adhibeas quod recipit olei liliorum & camemali.ana.ʒ.ij.adipis anatis, medullæ cruris vituli & cerui.ana.ʒ.j.bdelij in vino liquati.ʒ.iij.luteum oui assati,quibus adde ex posca.ʒ.ʒ.cuius per metranchitam in vterum aliquid infundes.Quo facto alio vteris,pituita præsertim dominante, quod recipit thuris, ammoniaci. ana.ʒ.j.mastichis, castorei,stactes,adipis anatis,& olei camemali.ana.ʒ.ij. gummi in hydromellite liquentur,& in vterum injciantur,aut extrà applicentur.Nec placet in hoc affectu pessos adhibere,etiam si ab antiquioribus commendentur:nam aut suspectos esse,si efficaces sint,censeo,aut nullius momenti,si mitiores.Quibus factis,si nihil tumorem durum remitti videas,iterum ad vnguenta & emplastra te conferes,præsertim ad illud quod recipit opopanacis,bdelij, ammoniaci.ana.ʒ.j. styracis,myrrhæ.ana.ʒ.ʒ.propoleos.ʒ.j.radicis iridis.ʒ.j.croci.ʒ.ʒ.dissoluantur lacrymæ in oleo liliorum,amygdalarum dulcium,& vino decoctionis maluarum, & depurentur:quibus adde ceræ & terebinthinæ quantum sit satis,vt fiat vnguentum. Post aliquod verò tempus, emplastrum conficies ex diaquilone cum gummis, vel vnguentum filij Zachariæ cum plumbo vsto administrabis,aut aliud conficies ex eodem plumbo & radicibus altheæ coctis,pistatis & extractis per setã,additis pulueribus marchasitarum:ex lythargirio item,oleo rosaceo,& prædicta carne radicum altheæ cum modica cera,& alia quæ lib. 2. de indica. huic vsui proficua adduximus.

Quòd si scirrhosus tumor ex illegitimis fuerit,tũc quidem quæ fundunt & lenitet calfaciunt medicamenta adhibenda sunt, admixtis quæ tenuium sunt partium.In primis enim vterus illiniatur oleo sabino,quod omnium est tenuissimũ, vel iasminorum aut naphæ: post quæ ammoniacum aceto dissolutum adhibebis, & adipes ac pinguedines calidiores,vt simul quod congelatũ est,soluant,& quod solutum fuerit,digerant:quippe quæ ex frigiditate induruerunt, sic curari exposcunt. Cui vsui proficuum est vnguentum, quod recipit folia capparis quæ infundantur in aqua,donec emollescant,& terantur cum eis folia caulis cum hydromellite decocta,& extracta per setam,& cum cera fiat vnguentum.

Veruntamen si scirrhum ex admotis medicamentis,vehementer digerentibus temereque adhibitis factũ fuisse compereris,ea medicamenta proficua erunt,quę plu-

plurimum humectent,emolliant & modicè calfaciant,veluti est oleum dulce vel amygdalarum dulcium,decoctum maluarum, liquatis in eodem pinguedinibus, vel adiectis oleis prædictis,quibus frequenter partem fouere opus est.Idem beneficium præstat oleum in quo ferbuerint maluæ,violæ,aut radices altheæ: vel adiectæ fuerint mucilagines, ex quibus & pinguedinibus conficere apta huic affectioni pharmaca facile tibi erit:præsertim si locum ex lib.2.nostro nuper adductum curiosè legeris.Quibus adhibitis reiteratisque fomentis, non erit admodum difficile induratos scirrhos emollire, potissimùm si induratorum affectio diuturna non fuerit:nam eo statu tutius est totum negotium optimo vitæ instituto committere,quam ex importuna curatione affectionem in cancrum mutare. Veriti enim sunt Galen.Paulus & Auicen.ne ex incõsiderata auxiliorum administratione,grauius aliquod & incurabilius malum accedat.Consulunt quidem schirrosis affectionibus nullum vehementer excalfaciens,siccans ve medicamentum esse adhibendum:mihi tamen addere placet,neque diutius,etiam si leue sit:nullum item,quod solum humectandi & emolliendi vim obtineat.Verùm si fœmina bilioſi fuerit habitus,& exusti temperamenti,aut melancholia per adustionem facta, ad aquæ dulcis balnea confugiendum esse consulo,nisi flatus copia vetuerit: quo tempore insessionibus vtendum ex decoctis aquæ ferratæ cum herbis quæ vim habeant temperandi & emolliendi: fugiendum quidem à suffumigijs aut pessarijs,quæ verum purgent,licèt ea quæ emolliant ac leuiter digerant, proficua esse constet.At in eo scirrho qui aut pituitæ particeps est,aut ex melancholia naturali factus,verendum non est ad aluminosa balnea cõfugere,licèt mihi magis ex vsu videantur quæ ferrea sunt, vel eorum loco insessiones ex aqua ferrata,& prædictis herbis decocta. Quia tamen hanc affectionem difficilis esse curationis experimento didicimus, ob id ad maiora auxilia confugiendum esse consulit rei difficultas. Inter ea profectò quæ scirrhosam vteri duritiem emolliunt, nil citiùs eam conterere inuenies, quàm chalybis vsum,quo sanè vel magnos lienes,& lapidosas vteri durities,prõptè liquari vidimus.Cæterum quia plerũque obseruatione potius quàm ratione,hoc præsidio plerique vtuntur:ob id quidem(licet lib.2.de præsi.indi.& cap.præcedenti,de virgi.obst.eius meminerimus)hac in parte,paulò latiùs eius vim,& operandi modum ac differentias recensebo.

Vulgatum est apud plerosque medicos,in curandis obstructionibus,vt antea diximus,chalybis limaturam cum leui aliqua præparatione quæ eius substantiã non mutet præbere.Alij quidem ipsum aceto præparãt,donec in tenuissimum pollinẽ commigret: alij rursus oleo,& multi aqua vel vino,& ferè omnes mille alijs medicamentis admiscent:tandem quisque suam parandi rationem laudat, cõtemnitque reliquas.Quod censeo proficisci ex ignorantia legum & rationis, qua ferrum obstructis mederi posit:& quid vnum quodque corpus,& affectionis varietas,iure sibi expostulet.Quæ profectò omnia si dixero,constabit, quibus hæc,& cui illa præparandi & configiendi forma, ex vsu sit.

Ferrum itaque & chalybis,nõ ob id quòd pondere obstructas partes permeet, infarctu liberat,sed vt sæpius à me dictum est,quòd vim habeat non leuem abstergendi & repurgandi obstructos meatus: cui etiam operi addenda est vis purgandi non leuis qua fruitur, ob maximam copiam sulphuris & mercurij quam habet: quia hæc sunt omnium metallorum principia.Et cùm ferrum sit rudius inter omnia metalla,habet ob id plurimum de materia horum principiorum:quibus profectò habet liquandi; fundendi & attenuandi quod viscidum & crassum est(ac materia

teria existit obstructionum)maximam vim & efficaciam:quo fit vt facilè purgãdi vires habeat:non quidem quales medicamentum trahens,sed ratione & modo supra dictis: licet dum id copiosiùs efficit,per vomitum & infernam aluum abundè purgare visum sit. Quod sanè dogma euidenti argumento probari potest, quòd chimicæ artis professores,vt ex ferro,adstringendis fluxibus, idoneum parent medicamentum,quod crocum Martis appellant,illud,igne sæpius adhibito, ab omni sulphureo recremento & mercurio,bellissimè expurgant,quibus alioqui existentibus,mordacis & venenosæ est conditionis,& non parum purgat,aut vomitum mouet,haud secus quàm quoduis aliud medicamentum:non quidẽ quòd trahat, sed quòd liquet & fundat prædictos humores:quo fit vt facilè ipsis per vrinam,vomitum, aut aluum euocatis,lentè & paulatim, ab infarctu liberet ac de obstruat.

Quo tanquàm verissimo chimistarum & eorum, qui de re rustica scripserunt fundamento suppositio,aliud non minoris momenti licet præmittere:nimirum in ferro duobus modis sulphur & mercuriũ in propria substantia obtineri: vno quatenus est iam vera eius ferri substantia:alterum verò,veluti futurum(vt sic loquar) alimẽtum,quod crudius,crassius & pernicioſius est:ex quo no leuia scimus suboriri accidentia his,qui eo vtuntur.

Tertiò expendendum est,eam sulphuris & mercurij substantiam (quæ cocta, natiua,& propria facta est)veram vim & efficaciam purgandi(vt dictum est) obtinere, reliquam verò non nisi corrumpendi & alterandi,idque non parũ:qua profectò ratione,rei natura duce,qui hoc præsidio primitus vsi fuerunt,chalybem præparare antea studuerunt,vt separarent à chalybe ipso quod crudum & alienũ est, vt mox docebo.

Quibus iactis fundamentis infertur,aliud esse ferrum præparare,vt fluxum alui aut alterius partis sistere posit:aliud verò,vt partes obstructas ab infarctu liberet ac repurget.Nam chimistæ vt aluũ sistat,ex toto nituntur vim sulphuris & argẽti viui auferre,extinguere & separare,& ob id ipsum grãdi igne aut aqua valida conterũt,donec in crocũ Martis cõmutent:quo sanè præsidio validissimè fluxus quiuis sistitur,& flaccidæ partes roborantur.Verũ qui meatus repurgare,& aperire obstructiones nituntur,non hoc,sed partem eius quæ repurgat exquirunt:quòd si aliquis dixerit,ob id integris suis viribus esse adhibendum,& non vtcunque mutatum aut depuratum:huic dicimus,plus damni subsequi ex parte illa excrementitia,quàm ex maiori purgatione beneficium:præterquam quòd forsan minus purgabit,quia ocyus descendit,& nullum habet ad operandum locum: quapropter sic chalybem oportet præparare,vt quod excrementitium & extraneum est,separetur,manente parte purgatiua & abstergente.

Sic proculdubiò,tribus modis chalybem præparamus,vno collecta in alio medicamento prædicta parte purgatiua, citra aliam chalybis substantiam, vt fit chalybis limaturis candentibus sæpissimè in aquam vel liquorem alium immissis:cui proculdubio,vim purgandi,& repurgandi non leuem præstant, maximè si aqua priùs ferbuerit aliquo medicamento affectioni & parti profcuo,vel purgationi idoneo:sæpe enim amittit vim purgandi, quam acuere oportet alijs pharmacis id valentibus, ne aluum adstringi contingat. Monere tamen hac in parte lectores oportet, vt cùm aquam fluxibus sistendis, ex chalybe extincto parare studeant, primam aquam abijciant, vt quæ vim purgatiuam non minimam sortiatur, & reliquam vsui seruent. Præparatur secundo modo

citra ignis vim aut actionem, cõminuta, liquata & abscissa recrementitia illa parte, aqua vitæ, aut aceto, donec ex toto vniuersa limaturæ substãtia comminuatur: quippe acetum, totum illud quod extraneum est, ocysimè conterit, relicta parte natiua: nec obstat ęrugo quæ acquiritur, quam igne facilè separabis, aut aqua feruentissima & oleo, vel oleo solo, maximè cùm admiscemus purgãtia medicamenta & alia quæ vim chalybis adaugent. Tertio verò igne sæpissimè comburẽte partem illam superfluam, manente puriore & vtiliore, corrigimus, vt fit ex limaturis acuum aut armorum, vel alterius chalybis qui vim ignis sæpius experitur, maximè si post limaturam iterum pluries succendatur, & extinguatur, oleo amygdalarum dulcium, aut vino quod magis probo: dixerim noua chalybis limatura. Quo fit vt semper magis probem chalybis limaturam in delicatioribus: in alijs verò ferri, præmissa aliqua ex dictis præparationibus.

His suppositis, iuxta has tres præparandi vias & rationes, considerandũ est, quã harum fœminæ laborantis corpus expostulet. Nam fœminis quibus obstructiones in vijs ductuum (dixerim in extremitatibus vasorum quæ in ipsas tendũt) existũt, aut quæuis alia durities cui hoc præsidio opus sit, chalybis limatura leuissima præparatione, & diadragacãtho admixto cum melle adhiberi potest: præsertim si corpus robustum fuerit, vt Ætius consulit, aut præcesserit aliquod ex leuioribus pharmacis, chalybe etiam confectis, tũc potissimum, cùm scirrhosa affectio est. At vbi in penitioribus venis, & abditis corporis sedibus obstructio fuerit, chalybem minutissimè, & vel acerrimo aceto præparare oportet, & alijs medicamentis quæ vim habeant purgandi, & attrahẽdi admiscere opus est, vt & vis chalybis citiùs & penitiùs permeet, & ipsiusmet substantia (saltem per vias prope iecur) peruadat. Quoquidem fit, vt ipso liquante fundenteque & abstergente, ac trahentibus reliquis medicamentis quæ expurgãt admixto, quod obstructum est facilè aperiatur, ab infarctuq; liberetur, humore obstruente ab eisdem partibus secedente. Præterea in scirrhosis earundem partium affectionibus & antiquatis obstructionibus, vinum aut aqua, in qua sæpiùs ferrum extinctum sit, vel mirè prodest, vel saltem viã disponit cæteris chalybis præsidijs, dummodo eadem limatura tantùm semel aut bis succendatur: sæpius enim succensa potiùs vim purgandi deponit, quàm aquæ communicet, & hac lege intelligendum est limaturã sæpius extingui: hoc est sæpius in eâdem aqua nouam limaturam extinguere. Quapropter in scirrhoso vteri tumore, primitus prædicta aqua vti conuenit, decocta quidem asplenio, mirica, asparragis, corticibus capparis, folijs senæ & cinnamomo: cui decocto addere poteris medicamenta quæ partem in qua obstructio aut scirrhosa dispositio viget, respiciant. Posteà verò ferri limatura eò vsque extinguatur, quò pinguedinẽ quandam supernatantem conspiciamus. Cuius si non suffecerit vsus, ad syrupum de scoria ferri deueniendum est: nam cùm in hac affectione non liceat laborioso vti exercitio (vt postulat præsidij conditio) ob partis affectæ situm, & ne nimio exercitij calore in cancrosam naturam commigret, vtiliora sunt liquida pharmaca. Ac si ne id quidem suffecerit, ad chalybem aceto præparatum peruenire oportet: & vltimò ad crassiorem, admixtis alijs medicamentis, vt dictum est capite de virginum obstructionibus.

De

De vteri cancro. Cap. XIX.

INfortunium quidem miserabile est, dum eò mali vterus deuenerit, vt cancrum contraxisse iam compertum sit, maximè si vteri collo innascatur: exulceratur enim citius, quod in omni desperatione negotium esse situm, ostendit. Cancrum tamen esse duplicem euidenter norunt omnes: vnum sine vlcere: alterum verò vlceratum. Ille quidem nil aliud est quàm tumor durus, inæqualis, rotundus, venosus, id est, venas habens in circuitu turgidas, liuescens siue fuscus: & vt Paul. refert, colore magis, quàm inflammatione nigricans: calidus, sed non adeò vt inflammationes, subitò accrescẽs, laborantes maximè fatigãs, & perpetuo ferè dolore affligens. Vlceratus verò cancer, est vlcus quod præter dolorẽ tumoremque, inæquale conspicitur, plurima ex parte sordidum, labris prætumidis constans, aspectu horrendum, & concreta humorum colluuie nigratum. Quod quidem, vt inquit Paul. videtur fæculentum, liuidum, atque interdum etiam subrubrum & cruentum appareret: sanies inde manat continuò tenuis, aquosa, nigra aut fulua, grauiter olens: appellant autem huiusmodi affectum lupum, quia carnes auium, si illi apponantur, absumit.

Hæc igitur est horum affectuum natura, quos in fœminarum vteris plerunque *Causæ.* suboriri scimus, si materia ibidem vratur. Sed vterque affectus principiũ nanciscitur à menstruo sanguine copioso, diu in vtero retento, cuius crassa pars, dum in vteri substantia sensim & paulatina congestione aggregatur, in scirrhum degenerat: ex quo humore ibidem exusto, vel aliunde torrido & excalfacto adueniente, cãcer oritur: necnon ex eodem sanguine serosiore, tenuiore & acriore facto ad superficiem tumidæ partis illabente, venis circunstantibus exulcerationem fouentibus. Cuius si plura scire velis, caput vltimum lib. huius operis primi, legito.

Primò diligenter examina, an scirrhus in cancrum degenerare nitatur, quod fa *Signa.* cilè disces, si cùm priùs esset sine dolore tumor, dolorem denuò sentiat fœmina, ob caliditatem & acrimoniam humoris in cancrum iam iam defluentis. Cui item adiungitur dolor circa inguina, imum ventrẽ, abdomen ac lumbos: moles intus veluti pondus aliquod grauius, esse videtur, febrisque ei adiungitur, remissior tamen quàm in phlegmone. In his etiam fœminis tumor circa hysteræ ostiũ durus, varius, tumens, colore fæculentus, rubicundusque deprehenditur. Redditur insuper in hoc malo fœmina nauseabunda, fortasse ex tetro ipsius odore, ventri communicato, & exacerbatur locus manuum attrectatione: ac vt Celsus refert lib. 5. circa locum cancro affectum quidam ictus quasi punctim illati, sentiuntur: interdum etiã eadem pars torpet, interdũ quidẽ dolet, & interdum dolore vacat. Cæterùm exulcerari cognosces ex his omnibus accidentibus intensioribus factis, ac diu perseuerantibus: nam coniectabile est (siquidẽ alia signa rimari non concedit loci affecti situs in imo ventris reconditus) acrem, mordacem & copiosum humorem, qui hæc concitat accidentia, id iam iam effecturum. Verùm exulceratum esse solũ cognosces ex sanie, quæ emanat tenuis, aquosa, nigra, fulua, & grauiter olens. Fluit etiam nonnunquam sanguis, & si vas aliquod grande abraditur, sæpe tam copiosè profunditur, vt mortem maturiùs afferre posse credendum sit. Cognosces id malum insuper ex lenta febricula, ex fastidio, ex inquietudine, ex animi angore, ex

maxillarum rubedine,pudendorum ardore,fœtore ac dolore:quæ ſanè omnia facilè oſtendunt maligni huius affectus naturam & conditionem.

Curandi ratio.

Quantum difficultatis ſecum ad curationẽ afferat cancri conditio,nemo profectò qui artis operibus ſtudium dederit,ignorare poterit. Quam difficultatẽ ex propria affectus natura proficiſci ſcimus,& quia in principijs frequentiſsimè multi id malum negligunt,quòd dum incipiat,nullam,aut leuiſsimam inferat moleſtiã: quo ſanè tempore eius incrementum prohibere haud difficile eſſet.Quamobrem cùm huiuſmodi affectus ferè ex propria natura & loci incommoditate incurabilis videatur,& omnino incurabilior,ſi exulcerationem ſortiatur:ſatis me feciſſe arbitrabor,ſi prohibuero non vlcerati exulcerationem,& vlcerati incrementũ. Occultos etenim cancros,quales exiſtimamus qui in vtero ſunt,tutius eſſe duxit Hippocrat.non curare,quòd curati citius pereant:ob id quidem blandè & leniter ipſos tractare opus eſt,quippe à medicamentorum intempeſtiua adhibitione facilli mè exacerbantur,& omnino immedicabiles fiũt.Hac equidem ratione incipientem cãcrum ſic primò curabis,vt & melancholici aduſtíque ſuccí generationem inhibeas,ac ſi quid genitum eſt,minuere ſenſim & paulatim ſtudeas:ſecũdò verò & vltimò,quod in duro tumore continetur, vel paulatim digeras, vel quominus adaugeatur,cures.

Circa primam curandi rationem,quam in hoc affectu potiſsimã eſſe arbitror, ea alimenta miniſtrari iube quæ refrigerandi & humectandi vim ſortita,probum ac tenuem ſuccum generent,inhibeantque omnem ſucci ſeroſitatem, calfactionem & inuſtionem.Qua victus ratione inſtituta,ſimul cum eo viuendi modo qui quieti omnino deditus ſit,conſiderandum mox eſt an affectio ex aliqua ſuppreſſa vacuatione principium traxerit,veluti à mẽſibus aut hæmorrhoidibus ſuppreſsis, à quarum prouocatione principium curationis auſpicari oportet, ni tanta in corpore fuerit ex hac vel quauis alia cauſa ſanguinis copia, quòd primò cogat ipſum ex dextra vel ſiniſtra baſilica fundere:ſi ætas,vires ac melancholicus habitus non vetuerint.Quo facto,paulatim ac ſenſim menſes aut hæmorrhoides hirudinibus euocabis,quod præſentaneum eſt in vteri cancro auxilium.Mox tamen humoris acrimoniã & inuſtionem frænare opus erit, & ipſum ſenſim ac leniter euacuarẽ. Quam gratiam præſtat ſeri lactis vſus,& ſerapiũ ex borragine,ex bugloſo,ex portulaca,ex lupulis cum eiuſdem aquis.Inter alia tamen pharmaca,quæ ad melancholici ſucci vacuationem proficua eſſe anteà diximus,illud à Gal.14.metho.maximè probatur quod ex epithymo cõficitur:nam epithymi. ʒ.iiij.in ſero lactis mulſa ve, ſi tertio quoque die exhibeas,plurimum prodeſſe cõperies:maximè ſi dilutũ præpares ex pari quãtitate epithymi,& foliorum ſenæ,ita vt cuiuſque.ʒ.iij. infundas, & calfieri ſinas in.ℨ.vj.aquæ borraginis,facta poſtmodum veheméti expreſsione. Ex quo etiam decocto cum ſaccharo prunas damaſcenas cõdito,& earum.vj. quibus ſex drachmæ ſenæ reſpondeant,tertio quoque die laboranti porrigito. Purgabis inſuper hos humores confectione Hamech ſine ſcammonio & colocynthide, pondere.ʒ.vij.cũ.ʒ.j.&.ſ.pulueris epithymi vel ſenæ:& vtilius quidẽ erit, ſi loco epithymi bibat deſuper ſeri lactis ex infuſione epithymi.ℨ.iiij.vel tantundẽ ſyrupi ex infuſionibus violarũ.Quibus purgationibus innitendũ eſt,donec ſucci melancholici exuperantiam dempſiſſe conſtet. Tumori ſubinde prouidendum eſt, vt diſcutiatur,vel ſaltem non creſcat, adhibitis in principio affectus extrinſecus & per vteri oſculum, quæ moderatiſsimè refrigerent & aſtringant,minimeque mordacia exiſtãt:talia etenim ſolùm huiuſmodi affectibus idonea ſunt: nam quæ imbecilles

imbecilles vires habent, omnino ab humoris vehementia vincuntur, quæ verò valentiora ſunt,tenuiores ſanguinis partes vel digerunt vel trudunt,craſsioribus ibidem factis impactioribus.Quamobrem primò partem inunges oleo roſaceo,myrtyno,omphancino,& aquis plantaginis & ſolatri: vel facto ex prædictis fomento, vel emplaſtro cum farina, aut vnguento cum modica cera.Cui etiam vſui Galen. lib.2.ad Glauc.ſcripſit medicamentum ex pompholige & ſucco ſolani & emplaſtro diapalma confectum.Paratur & aliud quod recipit olei roſarum.ʒ.v.ſuccigranorum rubrorum ſolani.ʒ.iiij.ceruſæ lotæ.ʒ.ij.plumbi vſti & loti,tutiæ præparatæ. ana.ʒ.j.thuris.ʒ.ſ.ceræ albæ.ʒ.v.miſce & lento igne fiat vnguentum. Mirabilis etiam efficaciæ cenſetur id quod recipit olei omphancini aut roſacei.ʒ.viij. agitetur ſub ſole in mortario plumbeo donec nigreſcat craſſeſcatque, cui adde lythargirij lib.ſ. ceruſæ tantundem, & cum cera fiat vnguentum.Verùm quia non rarò hanc affectionem exacerbari conſpicimus à leuiſsimis quibuſdam cauſis,prouidendum quidem eſt exacerbationi & doloribus . Conſolatur quidem fœminas exacerbatione affectas malua aut althea in mulſa macerata colliquataque,dũ pauco roſaceo cataplaſmatis inſtar, parti adhibentur. Lenit etiam cataplaſma ex dactylis paſſo incoctis, ouorum putaminibus atque farina adiectis: vel aliud ex papauere cum coriandro, & eadem farina ac ſereos confectum.Item mitigant maluæ folia cum lactè mulieris trita,& roſaceo cerato vel vnguẽto excepta.Deinceps verò ad ea quæ ſuperius diximus,iterum eſſe deueniendum conſulit rei ratio, & facta ſufficienti purgatione,iterum vnguento ex lythargirio & ceruſa cum roſaceo confecto vtitor. Cui item vſui aliud ſic parato:excipe olei roſarum vel nenupharis aut papaueris.ʒ.j.ceræ.ʒ.ſ.camphoræ.ʒ.j.&.ſ. liquefiat cera, & camphora pulueriza ta vltimo loco apponatur, quibus adde aquæ roſarum modicum,& concreſcere ſinito.Eſt & efficaciſsimum oleum ouorum frequentiùs ductum & agitatum in mortario plumbeo,donec ſpiſsitudinem acquirat:item cinis cancrorum fluuiatilium lotus in aqua ſolani,admixtis pulueribus ex plumbo vel antimonio cum cera & oleo roſaceo efformato vnguento: quod ſanè medicamentum vlceratis cancris prodeſſe omnes fatentur: ſicut ſuccũ ſolani aut plãtaginis ſolũ vel cum oleo omphancino,in mortario plumbeo ad ſpiſsitudinem agitatũ. Quòd ſi vlcerari durities cœperit,metallicis pharmacis liberaliùs vtendum eſt:ſed mitigationis gratia inſeſsiones miniſtrabis ex aqua decoctionis pſyllij, papaueris albi, nenupharis & violarum:præſtant & omnia pharmaca quæ huic vſui proficua ſcripſimus lib.1.ca. vltimo de cancris mammarum. Tamen in hoc malo prædictorum pharmacorum aliquid inijcere in vterum,ad mitigationem & vlceris medelam, neceſſum plerũque exiſtit:tale quidem eſt aqua decoctionis camphoræ,nenupharis,papaueris albi & roſarum rubearum,maximè ſi prædictam aquam in mortario plumbeo anteà agitaueris:ac ſi dolor id videatur expoſcere,addito hyoſcyami modico:nam ſæpe ne rabientes fiant laborantes,vtile fit præſidium,& non mediocre leuamen præſtat.Confert & lac muliebre aut aſininum,ac plantaginis cremor tepidus,& ſi ſanguis prodierit,plantago cum pauco thure. Omnium autem efficaciſsimum eſt, quod recipit ſpumæ argenti lotæ.ʒ.vj.thuris,hyſſopi,adipis porcelli, butyri recentis ac ceræ.ana.ʒ.ij.roſacei.ʒ.iiij.ſpumam argenti contritam in cremore ſereos,liquefactis reliquis inijce. Sed probatiſsimi vſus exiſtit medicamentum, quod recipit ſucci ſolani purioris aut ipſius liquoris ſtillatitij.ʒ.vj. tutiæ præparatæ,plumbi vſti.ana.ʒ.j.& ſ. caphuræ. ʒ.ſ. moueantur cum piſtillo in mortario diutiſsimè, & proijciantur in vterum.Fertur quoque maximi momenti eſſe præſidium, quod

recipit ſcabioſæ, caprifolij, anethi, plantaginis, oleti humani æquas partes, vrantur omnia, quorum cineris. ʒ. iij. excipiantur, &. ℥. vj. liquoris ſtillatitij ſolani, ducanturque in mortario & proijciantur. Quòd ſi hæc prodeſſe non videantur, ad chimica auxilia veniendum eſſe conſulit rei magnitudo & malignitas: inter quæ mirabile cenſetur oleum ſtibij, cuius extractionem docet latè Andernacus libro eius operis. 2. fol. 722. Quem vſum quoque præſtant aquæ, & olea ex alijs mineralibus extracta, dum lentè, mixtura aliorum prius facta, & ſenſim id fiat, ne grauiori facta exulceratione ocyus malum creſcat. Atque hæc ſunt quæ mihi videntur ſufficere in tam graui malo, ad maioris præcautionem: nam de chirurgi operatione aliquid dicere non ſtudui, cò quòd conſpicuæ tantùm partes eam admittant, & hæ, à quibus in totum cancer abſcindi poteſt.

De vteri vlceribus. Cap. XX.

VTERI exulcerationem proculdubio conſtat difficillimæ eſſe curationis, non ſolùm ratione humidioris ſordidioriſq; loci, quæ omnia vlceri curando ſunt aduerſa, ſed ex loci etiam incommoditate, reconditaq; vlceris ſede, ac vltimò ex abdita cauſæ ratione, & vlcerum varia differentia. Cuius difficultatis diluendæ gratia, priùs hæc omnia expendiſſe opus erit. Reperitur igitur in vtero vlcerum diuerſitas, à cauſa & ab accidentibus ſumpto principio, & à loco. Ratione quidem cauſæ, vlcus in vtero ſuccreſcit virulentum, ſordidum, corroſiuum, cauernoſum, fiſtuloſum aut cancroſum. Quæ verò ab accidentibus ſumuntur differentiæ, ſunt velut vlcus diſtemperatum, doloroſum, cum tumore aliquo præter naturam, cum contuſione vel carne ſuperflua: quibus multi addunt vlcus cacoëthe, vel malignum, ac ſordidum etiam. Quibus accedit alia vlceris differentia, nimirum incipiendo vel ex ſuppurato ac diſrupto abſceſſu, & alijs cauſis quas modò referam, ex quo & alijs quæ nuper retulimus, loci etiam differentia emanat, vt in ſcirrho & inflammatione dictũ eſt. Verùm animaduerſione dignum iudico, ad quam partem abſceſſus apertionẽ moliatur: quippe nonnunquam ad ipſum vteri fundum & cauum, & pus eo tempore per vteri oſculum excurrit, aliquando ad veſicã, nimirum cũ eius antica pars præfuit inflammata, & tunc cum vrina pus excernitur, ſicut aliquando per rectum inteſtinum, dum videlicet poſtica pars inflammata præfuit. Conſtat etiam ad inteſtina aliquando pus defluxiſſe, interipſa quidem & peritonæum.

Cauſæ. Cauſæ tamen quæ has vlcerum differentias efficere natæ ſunt, lib. de humo. à Gal. ſummatim colliguntur: inquit enim: Et vlceratur ſæpe vterus ex difficili partu, aut fœtu extracto, aut corrupto, vel ab acribus medicamentis, aut à fluxu, aut à ruptis abſceſsibus, atque interdum in cancrum deſinit. Quo ſanè loco & vlceris & eius diuerſitatis cauſas recenſet: quippe partus & cætera, quæ Gale. annumerat, continuum ſoluere nata eſſe conſtat. Verùm ob excrementum ex natura loci redundans, & ob humorum affluxum, vlcus verſus humoris qualitatem diſtemperatum fieri contingit: doloroſum ex acrimonia: cum tumore ex humoris copia affluente cacoëthe: fiſtuloſum, corroſiuum aut ſordidum, ex loci ſpurcitia, vel ex humoris malitia, aut partis impotentia. Quæ tamen vitia ex abſceſſu improbè repurgato, oriri non rarò contingit, ſicut ex medicamentis quibus erodendi atq; exulcerandi vires inſunt. Sic quoque ex lue venerea originem haud rarò trahunt, ac frequentiſsimè ob excrementa retenta & putrefacta circa vteri locellos & rugas. Quarum ſanè cauſarum mille in locis Hippocrat. meminiſſe conſtat, præſertim lib. 1. de morb. mul. qua parte inquit. Si verò puerperæ aliqua pudendi pars obturata fuerit, iam enim etiam hoc cognoui: ſi exulceratum fuerit os pudendi, vbi ſanè vlceratum fuerit in partu à pueri exitu violatum, ſimile quid fit vlceri ſuperficiario ac feruenti. Clariùs tamen lib. eodem hæc refert dicens: Morbus corripit ex aborſu, ſi quà corrupto aut putrefacto intus puero non fuerit expurgata, & calor totum corpus tenet. Corripit etiam ex fluxibus, & ſi in ipſis acria fuerint, & biliоſa mordeant. Item eodem lib. refert. Morbus autem maximè corripit ex partu, ſi quid in ipſis diuulſum computruit: item ex aborſu & aliâs ſua ſponte. Et eodem etiam li. millies meminit vlcerum vteri prout ex fœtu mortuo & putrefacto prodeunt, vel ex ſecunda relicta, aut ex laborioſo partu dilacerato vtero, necnon ex defluxu humorum in ipſum fluentium, aut ex puntulagine purgationis lochialis, aut cuiuſuis alterius. Et iuxta has cauſarum diuerſitates varijs in locis reperiet lector ipſum, vlcerum vteri meminiſſe & inſtituiſſe curationem, ne quis exiſtimet eadem ſæpius repetere, ſi legerit de eâdem re ſæpius verba feciſſe: inquit enim. Millies ſi vlcera in vtero naſcantur: ac rurſus iterũ. Si vterus vlceretur: poſtea verò. Si vlceroſus vterus fuerit: & pari ratione paulò inferius. Si vterus valde vlceratus fuerit. Et poſtmodùm: Quæcunq; exulcerationes vtero cõtingunt ex aborſu aut alijs de cauſis. Et ſcriptis omnium cauſarum curationibus poſtmodũ inquit. Quòd ſi mulier ex aborſu vulnus accipiat, aut acriorib⁹ peſſarijs fuerit vlceratus vterus, &c. cuius peculiarem etiam adſcribit (præter lauacra & abſterſionem) curandi rationẽ. Cùm hoc tamen non eſt arbitrandum has differentias cauſarum adduxiſſe, quòd aborſus & partus vlcera diuerſam expoſtulent curandi rationẽ, ſed quòd ratio cognitionis ſit diuerſa. Refert quoque idem author alias cauſas lib. de ſterilibus per hæc verba. Si vlcus vteri factum fuerit ab affectione aliqua ex relatis (retulerat enim omnes ſuperiùs adductas) & non ſtatim ſanatum, ſed impurum factũ fuerit, permanet vlcus ad multum tempus.

Signa vlcerum & cauſarum. Non eſt admodùm difficile, vterum eſſe exulceratum, noſſe: nã id palam oſtendunt rectementa, dolores ac pus reiectũ. Sic etenim in pleriſque loci ratione punctorius apparet dolor: qui etiam in ſincipite moleſtus viget, & in ligamentis ac radicibus oculorũ & in manibus quoque ac digitis. Quæ tamen ab vlcere prodeunt putrida, quacunq; ierint, dolore afficiunt, calfaciunt, exulcerant, aut pruritum mouent. Verùm cognoſces qualis fuerit cauſa, qualiſue vteri natura ac ſtatus, ex ijs quæ prodeunt, Cuius rei gratia præmittere oportet, ſordida prodire, quæ ab vlcere ex frigido abſceſſu facto, inſtillant: quæ verò poſt inflammationem à ſanguine, & poſt eriſypelata ſuperſunt, virulenta & depaſcentia fiunt: quæ poſt ſcirrhum, gangrænoſa: quæ poſt morbum Gallicũ, diſſepulotica & chironia. Quibus cognotis, expendiſſe oportet, vlcus inflammatum, exiguum quid ſanguinolentũ & fæculentum cum ingenti dolore plerunque excernere: ſi tamẽ ſordidius fuerit vlcus, ichores cum minori labore excernuntur: at ſi depaſcendo ſerpit, deterrimi odoris fluxum emittit, atrum & cum maximis laboribus. Item ſi exulceratio ex ſanguine vel flaua bile perueniat, dolor erit acerbiſsimus, pungens, cum ardore & febre: ex ſalſa pituita ſi prodeat, pruritus intolerabiles parti accidunt, & paucum aut nullũ excrementum ab vtero profluit, idque cum fœtore, acrimonia & pauco ſanguine: quòd ſi ex inundãte humiditate ichori perſimile vlcus fiat, maior ſubinde ſpirabit fœtor,

fœtor, & purgamenta erunt tenuiora & copiosiora. Verùm si quæ excernuntur sicut fæx vini sint, vlcus cancrosum esse coniectandum est: si exit sanies sicut lotura carnis recens mactatæ menstrua suppurari conijcimus, vlcusque ob id fieri. At si quod excernitur liuidum, viride, nigrumue fuerit, & cum dolore exierit, vlcera esse cacoëthæ, corrosiua ac fistulosa certum est. Causæ verò externæ facilè sui notitiam præbent: nam si ex aliquo acri pharmaco vlcus prodeat, statim aliquo præsidio leni iniecto cessant affectio & dolores. Reliquas verò causas ex interrogatione perdisces. Vlcus tamen esse purum coniectabis, cùm humor paucus, candidus, æqualis, crassus & minimè fœtidus exierit. Quæ proculdubio signa omnia varijs in locis Hippocr. complexum fuisse constat, maximè verò cùm lib. 1. de morb. mul. de vlcere ex partu verba faciens inquit. Cùm purgatio ipsi prodierit, velut spina per vteros transire videtur, & calor ipsam corripit, ac maximè ventrē inuadit, & si attingatur pars infra vmbilicum dolet, velut si purum neruosum vlcus attingat, post dolores fortes aliàs atque aliàs in vteros incidunt: & febris aliquando ad contactum manus debilis, & aliàs atque aliàs puerperij purgamenta prodeunt maligna, purulenta, & graueolentia: & subdit. Si verò puerperæ aliqua pudendi pars obturata fuerit, iam enim hoc cognoui, si vlceratum fuerit os pudendi: vbi sanè vlceratum fuerit in partu à pueri exitu violatum, simile quid fit vlceri superficiatio ac feruenti, & valde inflammatur, & labia præ inflammatione inter se concidunt, & se mutuò contingunt, vrpote quæ sunt exulcerata: sed & frigus sit, & ambo labia clausa sunt, constringentia purgationē relictam: Si verò prodiret purgatio, vlcera non concluſa essent. Quibus consimilia verba, cæterùm generaliora eodem lib. refert dicens: Si vteri fuerint exulcerati, sanguis & pus purgatur, & fœtor grauis oboritur, & dolor acutus corripit lumbos & inguina & imum ventrem, & dolor sursum procedit ad laterum mollitudinem, & ad costas, & ad scapulas, aliquādo etiam ad clauiculas peruenit, & mordetur, & caput vehementer dolet, & delirat. Progressu verò temporis tota intumescit, & debilitas ipsam corripit, & animi deliquium, & febris tenuis & perfrigeratio, intumescunt autem maximè crura. Quo etiam loco paulò inferiùs de eadem re verba faciēs, sic profert. Si vteri exulcerati fuerint & sanguis & pus & serosa sanies fluit, putrescentibus enim vteris, morbus ab ipsis fit, & venter imus eleuatur & attenuatur, & ad contactum dolet, velut vlcere præsente, & febres ac fremitus ipsam occupat, & dolor acutus ac vehemens inuadit pudenda & pubem & imum ventrem & lateris mollitudinem ac lumbos. Vehementis tamen exulcerationis signa referens inquit. Si verò vehementer exulcerati fuerint, sanguis & pus purgatur & dolor fit grauis & cùm dolor apprehenderit, veluti à partus dolore fiunt ea quæ circa fluxum contingere solent, & cùm tempus affuerit, crura & pedes intumescunt. Docet quoque Hippocrat. per consensum ne, an proprio vteri affectu morbus oriatur, eodem lib. dicens: Cognosces autē an ab ipsis vteris sint, hoc modo: quæ enim exulcerantur, purgationem exhibent purulentam & compactam: quæ verò nō ab ipsis, tenuem & sanioſam. Lib. tamen de sterilibus inquit. Si vlcus vteri factum fuerit ab affectione aliqua ex relatis, & non statim sanatum, sed impurum factum fuerit, permanet vlcus ad multum tempus, malè olet mulier, & quādoq; sanies malè olens, ipsi ex pudendo fluit, & quandiu sanè vlcus habuerit, in ventre non concipit, non enim concipiunt vteri geniturā: hinc autem menses sano modo procedunt, verùm ex contactu & interrogatione, maximè clarum fit de relatis. Cur verò Archigenes recēsuerit inter alia vlcerū vteri signa dolorem ad radices oculorū, non

non est ita facile inuētu, arbitror quidē cùm vterus vniuersus neruеus sit, facilè principium spinalis medullæ inconsensum allicere, & cùm nerui optici à cerebro prope spinalem medullam originem trahant (vt plerisq; anatomicorū visum fuit) fit facilè vt dolor ipsorum radicem attingat. Atque hæc sunt quæ vteri vlcus & eius causas ostendere sunt nata: quibus similia non pauca affert Hippocrat. lib. 3. de morb. mul.

Curandi ratio.

Quantum facessant negotij in curatione vteri vlcera, ostendit euidenter neruacea ipsius vteri substantia quæ semel exulcerata, difficulter coalescit ac regeneratur, & ipsius etiam natura & conditio, quam in susceptādis totius corporis recrementis idoneam feciſſe naturam constat: quāmobrem nulla vteri vlcera contemnenda esse arbitror, ea maximè quæ in occulto loco sita existūt. Quod etiam Hippocrat. magnificisse legimus lib. 1. de morb. mul. per hæc verba. Oportet autem curationem vlcerum in vteris exactè facere, vt quæ in tenera, & subtili sensu prædita sint parte, & in neruosa cauitate. Verùm antequàm rationalem medendi viā aggrediar, placet aliquot Hippocrat. loca hîc scribere, quibus videtur vniuersam huius mali curationem complexum fuisse: inquit enim lib. 1. de morb. mul. Quæcunque exulcerationes in vteris fiunt ex aborsu aut alia quauis causa, eas omnes respectu ad totum corpus facto curare oportet, quacunque curatione opus habere visum fuerit, siue ex vniuerso corpore hominem curandum esse putaueris, siue ex ipsis vteris. Qua sententia constat, ab vniuersali corporis prouidentia principiū curationis esse auspicandum. Eodem tamen libro specialiùs loquens, hæc scribit. Curare verò oportet vlcera, velut etiam ea quæ in reliquo corpore sunt: nimirum vt inflammationem arceas, & repurges, & repleas, & ad cicatricem perducas. Prius tamen vlcera ferè omnia abluere iubet, quā resiccatoria admisceat medicamenta. Hoc tamen vnum mihi certissimum in curationibus Hippoc. habeo, nullā (aut quā rarissimè) inuentā esse, quæ subdita non sit rationali curationi, licet materiam medicam nobis inusitatissimam acceperit. Semper enim ab vniuersali prouidentia principium sortitur, mox quod sordidum est abluit, & protinus quod præhumidum intrinsecus viget resiccat, & excrementum crassum abstersione expurgat, ac tandem vlcus vnit carne supercrescente. Quòd sanè licet validioribus (vt dictum est) inusitatisq; auxilijs efficiat, cum hoc tamen in eis exhibēdis mirabilem adseruat vtendi rationem, præmissa semper vitæ & victus debita institutione.

Danda autem est aqua in potu, vinum minimè, cibos item paucos ac minimè multos exhibeto. Sed ad particularem causæ considerationem deueniēs, eâdē parte sic scribit. Cùm igitur tenues sunt fluxiones, cum pharmaco eas curare oportet, & dare quod sursum & deorsum purget, primum autem sursum. Tandem eâdem parte adamussim curationem scribit, repetitam consulens purgationem, præmissa victus institutione conuenienti: ac si fluxio his non quieuerit, mitescendam esse consulit dicens: Si verò ad hanc diætam fluxiones non discedant, pauciores tamen fiant & vehementer mordeant, & ea quæ fluunt, bilis fuerit ac salsugo, & non solùm internas partes, sed etiam externas exulcerent, diætam transmutare oportet, & totam humectare, quò fluxiones quàm aquosissimæ fiant, & minimè mordaces, balneis multis calidis: aliaque his consimilia eodem loco recensēt. Posteà verò ad curationem vlceris solo vteri vitio prodeuntis rediens, corpus nō esse pharmacis purgandum consulit, sed colluendum tantùm. Quòd si sordidum extiterit vlcus (inquit) & proserpāt ac proximum locum mordeant, purgato & nouā carnem

carnem producito,& carnem ad cicatricem perducito:facilè enim reſoluuntur,& maligna fiunt,& frequenter lauato. Sed lib.de natu.mul.plurima recenſet medicamenta huic vſui & prædictis proficua,quæ ſanè diligenti & ſtudioſo medico exquirenda prætermitto,ſcribens interim quæ vſui probatiora comperio,initio ſumpto ab ea communiſsima curandi ratione,quam Hippo.ſcripſiſſe diximus.

His præmiſsis expendendum primò eſt,an abſceſſus qui ſuppuratur,ad inteſtina & peritoneum vergat,nam eo tempore,dum pus in hoc ſpatio continetur,vnanimi omnium authorum conſenſu conſtat,abdomẽ eſſe inſcindendũ ſcalpello aut candenti ferro,à quo opere & doloribus ac ſanguine ſedato,vlcus velut ſimplex curari debet,vt mox docebo. Sic profectò pure vergente in veſicam,velut veſicæ vlcèra curationem exoptat:cuius ratione Ætius & Paulus lactis vſum & ſeminum frigidorum expreſſiones ſummopere laudant. At ſi ad rectum inteſtinum pus defluxerit,ablui & quodammodo roborari & aſtringi in principio inteſtinum opus erit, mox verò,ſicut dyſenteria auxilium expoſtulat. Verùm ſi vlcus fiat in vteri ſinu, tunc communis vlcerum indicatio exercenda venit.

Eſt igitur vlceris cuiuſque loci duplex ad curationem indicatio: vna illi propria, quà vlcus eſt,cuius poſtremo loco meminero:altera verò,quæ vlcus curare docet habito reſpectu ad cauſam,vel accidens quoduis vlceri adiunctum. Porrò duplex in huiuſmodi complicatis diſpoſitionibus conſilium eſt,vt Galen.docet.14.meth. nempe,vt vel huiuſmodi affectus è corpore prorſus eximas,vel incõmodum quod inferunt vincas. Verùm hoc(inquit)vbi exiguus planè affectus eſt, fieri licet : vbi magnus eſt,duci ad cicatricem vlcus priùs non poterit,quàm illi affectui remediũ attuleris. Ob id profectò inſtituta victus ac viuendi ratione,vt expoſtulauerit humoris ſuperabundantis natura,redundantes ſuccos,ſi ſanguini adiũcti fuerint,ſciſſa in brachio vena,vt vires perferre viſum fuerit,& vlcus ac vteri ardor popoſcerint, minues. Quo facto præmiſsis ſerapijs humori redundanti proficuis,protinus & per interualla purgabis cholagogis,ſi bilis flaua,phlegmagogis,ſi pituita redũdauerit, & ſic de reliquis pro cuiuſque natura. Cùm tamẽ neceſſum ſit in principio curationis,longè â parte affecta humores diſtrahere,vt Hipp.eſt conſilium,vomitibus ipſos oportet per ſuperna expurgare,ab vteroque diſtrahere vinculis & brachiorum vel partium ſuperiorum frictionibus. At ſi vteri intemperies cauſam imbecillitatis vtero præſtiterit,ob quam facillimè humores erodentes ipſe ſuſcepter, medicamentis vtero proficuis admiſcenda ſunt,quæ aduerſus diſtemperiem pugnent,vt mox docebo. Solet quidem in fluxione quauis ad vterum, peculiare eſſe præſidiũ ſudorem mouere,ni fœmina admodùm fuerit ſqualida,vel humores nimis exedẽtes,maximè ſi Gallicæ luis admixtum quid cognoueris . Sin aliter, balneis aquæ dulcis ipſam cõmittes, vt ſudore excitato diſtrahatur,euacueturque materia quæ redundat,ſimulque miteſcat:atque hæc eſt aduerſus morboſum apparatum curandi ſeu præcauendi ratio. Quibus factis, ad curationem vlceris deuenies,quam facto iuxta naturam accidentis ei coniuncti, vt Galen.magna cum diligentia cõſulit & exequitur lib.4.metho.

Si vlceri adiũgatur diſtẽperies

Quòd ſi vlcus ſqualens,ſiccumque eſſe ex recrementorum defectu cognoueris, bis die ipſum ablues aqua tepida per metrenchitam infuſa, cui addes ſaccha ri parum, ptiſanæ etiam cremorem infundito, aut aquam hordei cum ſaccharo, vel aquam aut ſuccum portulacæ. Verùm ſi ex copioſa humiditate, quæ per vterum excidat,compereris vlcus debito eſſe humidius,contraria omnino inſtituenda eſt curandi ratio , ac medicamentorum facultas ad ſiccius transferenda: aqua

aqua verò nullatenus admouenda eſt: verùm quia lauare eſt opus, vinum vel decoctum auſteræ alicuius herbæ præparandũ. Quem vſum præſtabit aqua ex ligni guayaci decocto,vel ſmilacis aſperæ,aluminis, malicorij & huius cenſus plurium quæ ſicciora eſſe conſtat: quippe vterus ea duplici ratione expoſtulat, nimirum, ob propriam naturam quæ membranea eſt,& propter vberrimam humiditatum alluuiem, quas exſiccare vehementiùs oportet & compeſcere enemathe quod recipiat hordei vſti,amyli,thuris,ſingulorum 3.j.trita diluantur in lacte aſinino & in vterũ immittantur. Quòd ſi adiuncta ſit vlceris vel vteri duities,oleoſum aliquid admiſcere oportet ex his quæ cap.de ſcirrho dicta ſunt. Cuius cenſus eſt id quod recipit radicis althææ,liliorum alborum.ana.ʒ.j.pulegij vel origani.ana.m.ſ. ſeminis lini & fœnugræci.ana. ʒ. ß. roſarum.p.j.coquantur in pari menſura aquæ & vini, & adde adipis anſerini. ʒ.j. Item diluatur vterus lacte bubulo cum prædicto adipe, aut oleo liliorum. Quam ſanè medendi rationem in alijs vteri intemperamentis adſeruabis,habita cõtrarietatis cuiuſque ratione. Exulceratus etenim vterus, ſi calidior frigidiorue fuerit, medelam vtiq; exigit quæ in tantum calfaciat,refrigeretue,quantum ipſe à naturali habitu receſsit.

Quodſi fluxionem humorum acrium & abradentium, vel putrefacientium cauſam vel fomentum vlceri præſtare compertum ſit,alia prorſus ratione, vt ex Hippocra.conſtat.1.de morb.mul.agendum eſt. In qua ſanè re diſtinguesprimò, an ab vniuerſo corpore, quod ex puris tenuitate haud difficulter diſces,an à particula aliqua,quod monſtrant eius peculiaria ſympthomata, vel ex ſolo ipſo vtero, quod puris craſsitudo inſinuat:quibus expeditis,ſi ex parte aliqua ptoſluat, illi prouidendum eſt,iuxta cuiuſque vitium & intemperamentum . Verùm ſi ex totius corporis vitio occaſionem nanciſcatur,ab vniuerſalibus purgationibus auſpicandum eſt,vt Hippocrat.conſulit:qua autem medicamenti ſorte,ſubticuit, quia id humoris idea & corporis conditio euidenter monſtrant. Cui operi nõ eſt inniten-dum ſubitò & confertim,ſed paulatim & repetitis vicibus. Ac ſi ob humoris malitiam,aut vberem copiam id prodeſſe non poſsit,eis vtendum eſt auxilijs quæ habitum in meliorem mutent,ſudoribus ex guayaco & exercitijs quæ corpus deſiccent. Poſtmodum verò vterum exiccabis his quæ inferiùs referam,& ſuffumigijs alternis diebus adhibitis,& iterum ad vomitum veniendum,ad victumque exiccantem.

Si tamen dolor vlceri adiungatur,protinus hic vel auferendus eſt, ſemota eius cauſa,aut ſaltem quoad licuerit miteſcẽdus:nam præter id quòd dolor vires ſummè proſternit,maiores ſubinde concitat fluxiones. Atque licet ea quæ dolori proſunt vlceri quodammodo aduerſentur, neglecto interim vlcere,dolori tanquam vrgentiori,primò maximèq; innitendum eſt. Qualiter verò dolorem ſedare oporteat,cap.de vteri doloribus abundè dictum eſt. Proderit etiam præter dicta, ſuccũ plantaginis,portulacæ & coriandri,vel ptiſanam,lac,vel amyli aquam, tepida omnia in vterum inijcere. Quem vſum quoque præſtant inſeſsiones ex decocto abſynthij,maluarum,roſarum,violarum,capitum papaueris,& aliorum quæ loco nuper citato retulimus.

Et ſi dolor ſuperiores etiam partes tetigerit,credibile eſt,nullam materiam dolori fomentum præſtare,ob id premiſſa vacuatione, non ſolùm vterus fouendus ex aqua calida erit,ſed & corpus vniuerſum,modò vires,aut quidpiam aliud non obſtet. Si autem id acrimonia fluentis ſucci eueniat,ſero lactis,aut lacte probè cocto ieiunæ dato,medeberis,ſicut & victu humectante ac refrigerante, poſthabita

vlceris

vlceris indicatione:ſic cucurbita, lactuca, ptiſana & alia id genus cocta,& quæcunque pinguia,& piſces qui non ſunt ſaliti adminiſtrandi ſunt, ſicut pullorum & hœdorum carnes elixæ ac lactis copia, modò nec delirium, nec capitis dolor adſit,poſtmodum verò vlceri eſt prouidẽdum anodynis & his quæ cap.citato adduximus.

Si vlcus ſordidũ ſit.

Verùm ſi ſordidum apparuerit vteri vlcus,abſtergentibus rem agere oportebit: huius naturæ eſt hydromel ex decoctione hordei:item paſſularum decoctũ, vel hordei cum melle roſaceo.Præſtat etiam decoctum ireos cũ hordeo,& glans confecta ex farina lupinorum cum melle roſaceo:cõfert & ptiſanæ cremor cũ melle, vel mulſa ex decocto fœnugræci,maluarum,furfuris & lentium.Ac ſi hæc nõ profuerint,ad validiora confugito,velut eſt aqua marina vel aluminoſa cum vnguento ægyptiaco:item marrubium,aut eruum,vel erui farina cum melle adiuncta, & peſſario aliquo in vterum immiſſa,puluere ſuperſparſo aluminis vel iridis:ſi tamẽ vlcus profundè ſitum fuerit,cerati aut emplaſtri forma,hæc eadẽ extrinſecus adhibita proderunt.Fit quoque vtile medicamentum hydromel,in quo iris, abſynthium & agrimoniũ incoxerint.Itẽ ad profundiora vlcera ex vſu eſt, inijcere medicamentum quod cõficitur ex lib.ʒ.vini albi &.ʒ.j.aluminis vſti:cui adijce aliud, quod conficitur ex melle,terebinthina,roſaceo & butyro,vel ſolùm proijce. Maximi profectò pretij eſt vnguentum illud,quod Auice.laudauerat hoc modo confectũ:excipe lythargirij,ceruſæ,ſarcocollæ.ana.ʒ.ʒ.adde ceræ & olei roſacei quantum ſit ſatis vt fiat vnguentum,quod flamula aliqua ex linteo facta exceptum, in vterum immitte,maximè ſi in eius collo vlcus extiterit:ſicut ſi in penitioribus recondatur id,& reliqua omnia aqua vel vino liquefacta per vterinum clyſterem immittes.Cui etiam vſui vtiliſsimum eſt ariſtolochiæ & iridis illiricæ decoctum cũ melle,donec vlcus purum fiat.

Si vlcꝰ erodẽs exiſtat

At ſi vlcus depaſcens & erodẽs eſſe comperiamus,præmiſſa totius corporis prouidentia,ad ea auxilia veniendum eſſe conſulit rei ratio,quæ frigida,ſtiptica & deſiccantia ſint,vt partim repellas quod influit,partim verò calorem eius quot fluit & partis affectæ attemperes,ne vlterius eroſio ſerpat,ac vltimò humorem & ſordes abſtergas.Quapropter commodè feceris,ſi vlcus ipſum & vniuerſum vterum aqua aluminoſa ablueris:quam equidem huic vlceri magni momẽti eſſe ſcimus, quòd influentes humores valenter repellat,& ſiccandi facultatem obtineat. Poteris inſuper prædictam partem irrigare aqua plantaginis vel roſarum,vel chalybeata tepida,etiam decocto cyperi,myrobalanorum,cupreſsi,plantaginis, malicorij, balauſtij,baccarum myrti,palmularum,lentium,roſarum,aluminis & agrimonię. Cæterùm quia rarò vnguenta,quibus chirurgi ad prædicta vlcera vtuntur, in hoc affectu,ob partis incommoditatem adminiſtrare poſſumus, alijs præſidijs curandum eſt rem ipſam agere.Sic enim inſeſsiones & fomenta proſunt ex aqua mulſa, in qua lentes excorticatæ decoquantur,vel eruum,marrubium, & abſynthium. Neque minoris eſt momenti ſerum ſaccharo & aqua plantaginis admixtum, vel ptiſanæ ſuccum cum melle per vterinum clyſterem infundere.Quòd ſi neque his adhuc malum quieuerit,vterũ ablues lacte aſinino vel caprillo,addita rhodomellis vel ſerapij roſacei ſexta parte,additis etiam iridis.ʒ.ij.Conſimile huic beneficiũ præſtat aqua mulſa ex abſynthio,lentiſco & calamo aromatico confecta. Sed in hac affectione peſſarijs non eſt plurimum innitendum, quòd ſordidius reddant ipſius oſculum,& partem affectam minimè pertingant.Ob id profectò probantur mihi magis quæ exteriùs vtero apponuntur,vt quæ per latentes vias & occulta foramina

foramina in ipſum vires ſuas ingerant:tale quidem eſt quod recipit roſacei optimi.ʒ.iiij.ceræ albæ.ʒ.j.&.ʃ.liquefacito,ac refrigerato & in mortarium conijcito, lacteque muliebri,aſinino,aut caprillo affuſo cum piſtillo ſubigito,.donec totum albeſcat:deinde diffuſo priori lacte,aliud denuò conijcito,idque ter quaterve facies admixta croci.ʒ.j.mitigat enim,& humorum acrimoniam ac partis calorem reſtinguit. Cui ſimile eſt aliud quod recipit tutiæ ablutæ partes duas,lythargirij, ſarcocollæ & ceruſæ.ana.partem.j.cum oleo roſaceo & cera fiat vnguentum: quorum aliquid in vterũ immittere modo ſuperiùs dicto, non erit ab re. Verùm quia ſæpe vteri vlcera ob loci putorem & ſorditiem eò mali deuenire ſolent, vt ne hæc quidem ſufficere poſsint,prædictis medicamentis aliquid ex flore æris addere conceditur:ac ſi vlcera conſpicua fiant,ad arſenicum vel candens ferrũ deuenire oportebit.Cum hoc tamen cauere conſulit Ætius valida & plurimum erodentia:nam in vterũ immiſſa maioris mali ſolent eſſe cauſa,ni nos plurimùm coẽgerit vrgentiſsima neceſsitas.

Si vlcus pũrum ſit.

At vlcere iam à fluxu,diſtemperie,ſorditie,aut corroſione vindicato,ad ea quæ puris vlceribus proficua exiſtunt veniendum eſt, qualia ſunt quæ leuiter abſtergunt & exſiccant,velut eſt decoctum roſarum,aut lentium,vel plãtaginis ſuccus, aut polygoni decoctum cum ſaccharo, vel ſyrupo roſaceo.Sũt etiam(neque diſplicet)qui tetrapharmacum infundant cũ butyro recenti aut roſaceo:à quibus non multò poſt abluere vlcera opus erit,quo facto,vt vtilius paremus præſidium, prædictis ſuccis aut decoctis puluerem aloës,tutiæ,hematitis,chartæ combuſtæ,aut cucurbitæ ſiccæ & aduſtæ admiſcere cõueniet.In qua curatione hæc ſufficere videntur,quòd loci incommoditas non patiatur alia excogitare auxilia, quæ vlceribus in conſpicuo poſitis proficuè adhibentur: præterquam quòd ex ijs quæ diximus, varia confici poſſunt decocta,expreſſa, inſtillata,ac mille modis vtilia. Sic enim Hippocrat. lib. 1. de morbis mulie. lotione ex vino infuſo vtitur:decocto item myrti & ſaluiæ: item euaporatione decoctionis ſambuci,& paſsim in eius curationibus varia huic vſui confecta reperies.

De vteri rhagadijs. Cap. XXI.

HAVD ſecus quàm in ano fiſſuræ ſeu rhagades in vtero quoque ſuboriri comperimus. Sunt quidem illius partis vlcuſcula, quæ rimæ à pleriſque nuncupantur: ſunt etenim rimæ,quibus partes muſculoſæ veluti procinduntur,ſicut labris quandoque & manibus ex vehementi frigore contingere ſcimus. Quibus etiam vteri oſculum veluti præciſum efficitur, hiantibus his vlceribus, haud ſecus quàm labra & manus ex prædicto frigore. Fiunt quidem plerũque vlcuſcula parua in longum & anguſtum protracta:aliquando profunda & labris calloſis conſtantia: ſæpe verò ſuperficiaria ac ſine callo: alia rurſus humida exiſtũt: ſanioſa plurima: nonnulla cancroſa & feruida.Callum tamen contrahunt,vt Ætio & Paulo viſum eſt,cùm diuturna ſunt,& in eis labra indurantur,ac intumeſcunt.Eſt quidem hoc malũ importuniſsimũ vlceris genus,in quo neque caro exeditur, neque cutis vtcunque,ſed ad nutũ plicaturarũ partis quæ alicui muneri dicatæ ſunt, cõtrahitur,

ita vt pars deinceps officio fungi, citra dolorem & grauissimam molestiam non possit: nam si ante integram cicatricis obductionem, vtcunque extendantur, vlteriùs dirumpuntur, lacerantur ve, & duriores ac angustiores ob diruptam cicatricẽ supersunt fissuræ, ita vt extendi deinceps citra dolorem non possint.

Causa. Habet quidem in vtero hoc vlcerum genus duplicem causam, vnam laboriosum partum, qui ex magnitudine capitis infantis proficiscitur: grande etenim caput vteri os tãtum distendit, vt multis partibus disrumpi necessum sit: quas continui solutiones sordidas mox fieri contingit, ob excrementorum continuum defluxum, qui vitari nullo modo potest. Huic quoque causæ accedit alia huius mali occasio, nempe violentus coitus, & pudendo grandiori factus. Secundam verò causam censeo esse humorum acrium & erodentium affluxũ, maximè si lentoris non nihil obtinuerint: quippe cùm tales sint, partibus adhærent, & ob tenuitatẽ & acrimoniam facilè easdem exulcerant ac erodunt. Quibus causis alia nõ minoris momenti addi potest, ingens videlicet vteri siccitas, & condyloma inflammatũ, quod cutim dirumpere possit.

Signa. Docet hunc affectum distinguere & cognoscere lib. 3. cap. 75. Paulus dicẽs: Primũ sanè rhagades latẽt, cũ recẽtes adhuc ex partu sunt dolores, posteà verò paulatim percipiuntur, aliàs manus tractu, aliàs in coitu, quando & propter affricationẽ cruoré reddũt. Deprehẽduntur autẽ sinu aperto, in cuius ostiolo in circuitu diruptiones & scissuræ oculis apparent. Præterea ex ijs quæ præcesserũt, internã ne causam, an externam seu euidentẽ malũ effecerit, facilè percipies: itẽ eluescit id malum eo tẽpore magis, quo fœminæ viro accedunt: nã plurimum à pudendo viri dolent & exacerbantur. Quòd si neq; partus præcesserit, nec virilis pudẽdi magnitudo, inspiciendũ tunc est, an condylomatis tumẽtis ratione, præcedentisve inflammationis, cutis scissa fuerit. Quòd facile erit intueri sinũ fœminæ aperto: ac si ne id quidem affuerit, coniectandum est, humores acres, erodentes ac mordaces id malum præstare: quorum bilioſum ex calore deprehendes, cæteros citra calorem mordicantes esse existimabis: præterquam quòd ea quæ per vterũ profluũt, palam quoq; ostendunt cuius naturæ sint humores illuc confluentes.

Curandi ratio. Docet primò curãdi ratio victum in hoc affectu humidiorem esse instituendũ, fugiendumque à cibis acrioribus, asperis & aluum comprimentibus: ob idque (vt Celsus consulere videtur) liquida, leuia, glutinosa, pinguia & huius census reliqua vtiliora esse constat: velut sunt gallinarum, pullorum, vituli ac hœdi carnes elixæ, & præcipuè earum iura pinguia. Conferunt ex oleribus malua, intybus, bugloſa, scariola & borrago: item ptisana, lac amygdalarum dulcium & oua sorbilia. In hac tamen affectione cauendum est ab omni violento motu, vociferatione, saltu, & maximè ab accessu viri, nam eo potissimùm affectio exacerbatur.

Quatenus verò ad reliquam auxiliorum rationem attinet, si rimæ ob acres mordaceſque succos in vterum confluentes oriantur, prouidendum est ne fluãt, ac si fluxerint, vt temperatiores facti nil mali efficiant. Quamobrem primò corpus purgare oportet, facta conuenienti præparatione eo pharmaco quod humoribus peccantibus proficuum sit, iuxta adductam à me rationem cap. præcedenti: in quo quidem præsidio & in sanguinis detractione, ea præcepta seruabis, quæ in curandis vteri vlceribus adduximus. Quo facto, eosdem succos distrahere opus erit frictionibus, aquæ dulcis balneis, quibus non parum commodi scissuræ persentiunt. Expendes tamen hac in re purgantia medicamenta, acria & vehementia esse admodùm aduersa, quòd succos plurimùm perturbant.

Sunt

Sunt verò huic vsui proficua pulpa casiæ fistulæ, manna, syrupus ex infusionibus rosarum & violarum, catholicon, confectio Hamech sine scammonio & colocynthide, & rhabarbarum aqua lactis expressum. A purgatione verò reliquos attemperare necessum est serapijs, apozematis, & alijs, quæ temperatam ac mulcebrem facultatem sortiantur.

Quòd si ex condylomate scissuræ prodeant, eadem omninò medẽdi ratio ascribenda erit, facto tamen curationis initio à sanguinis detractione à cubito, reuulsionis gratia, ac mox à crure, si affectio perstiterit: quo facto corpus pari lege purgabis, & ad chirurgicam operationem te conferes, vt paulò inferiùs docebo.

Verùm si ex laborioso partu, vel pudendi virilis magnitudine affectio suboriatur, statim à principio mali clystere vtendum est vterino ex sanguine draconis, bolo armeno, aristolochia, myrrha, thure, plantagine, & capitibus rosarum infusis, decoctis, & expressis aqua rosacea: vel ex prædictis in puluerem redactis cum albumine oui & lana pessarium conficito, quod maximi momenti præsidium comperies.

At si scissuræ cum siccitate, calore & pruritu complicatæ fuerint, vel ab ijs causis proficiscantur, sæpe in die locus fouendus est, & humectandus aqua decoctionis cancrorum, limacum, ranarum, piscium saxatilium & maluæ, aut lenticulæ palustris, hordei decorticati, & seminis lini. Quo facto, vteri osculum inunges vnguento de ceruſa cum camphora, aut mucilaginibus ex semine citoniorum & psylij, ac seminis maluarum: quam quoque partem recreare oportebit lacte caprillo, aut butyro vaccino, aqua rosacea sæpius loto. Quòd si & ardor & dolor præualuerint, parti prædictæ adhibere oportet vnguentum, quod recipit camphoræ. ℈. ij. vnguẽti populeonis. ℥. j. ceruſæ ablutæ aqua rosacea. ℈. j. vnius oui albumen, misce absque igne.

Hæ autem sunt peculiaris cuiusque causæ curandi rationes: cæterum topica auxilia, quæ sub ratione vlceris illius generis proficua esse possunt, varia à plerisque recensentur: ego tamen selectiora hac in parte scribam. Rimæ itaque huius loci ea medicamenta desiderant, quæ citra morsum, aperitudinem ve astringunt, maximè si ex defluxu, vel ex causa extrinsecus rumpente affectio prodeat: quod Galen. consuluisse constat lib. 9. de compo. phar. sec. lo. Præterea Ætius eandem tuetur sententiam dicens. In harum itaque curatione chirurgiam, & omnia mordentia pharmaca reprobare oportet: talia enim inflammationes & conuulsiones inducunt: & insessionibus simplicioribus, ac pessis vti, & medicamentis ad sedis rimas descriptis, præcipuè eo, quod è pompholige, stibio, & plumbo vsto paratur. Quam huius viri sententiam subaudire oportet, dum rimæ (vt ipse refert) callosæ non fuerint: nam eo tempore ad maiora auxilia veniendum esse consulit. Itaque pro simplicis rimæ curatione illud auxilium mihi tutius videtur, quod simul vlceri prodest & dolori prouidet: cuius naturæ est oleum de semine lini, ad mutationem coloris in mortario plumbeo agitatum: item aliud, quod ex butyro, vitello oui, & prædicto oleo in eodem mortario conficitur: prodest & id, quod ex oui vitello, & rosaceo in dicto mortario agitatur: succus etiam plantaginis aut portulacæ, aut vterque in dicto mortario ad mutationem coloris cum axungia anatis admixtus mirè prodest. Eandem quoque gratiam præstat quod ex mucilaginibus & plumbo vsto efformatur: item ex oleo omphancino, aut rosaceo, vel de salicibus & plumbo vsto ac vitellis ouorum: lac etiam muliebre cum saccharo vtile esse comperimus, sicut cerotum ex lythargirio. Sed præter hæc

paſsim apud Galen. varia & vtiliſsima reperies nõ pauca, quale eſt illud Apollonij, quod recipit olei roſacei. ℥. viij. quas in pilam plumbeã infundes, & plumbeo piſtillo tandiu agitabis, donec craſſum & ſubnigrum oleum reddatur, deinde ſeorſum ſpumæ argenti lib. j. & ceruſæ tantundẽ terito, oleoque admiſceto & vtere: priùs tamen lacte probè eloto, & ſiccato, decocto hordei, plãtaginis & roſarum, aut aqua chalybeata cum modico vino. Confert item oui aſsi vitellus vino diſſolutus, & cerato roſaceo exceptus. Vtile quoque eſt aliud vnguentum, quod recipit pompholigis lotæ, & plumbi vſti ac loti an. ℥. ij. ceruſæ, & ſpumæ argenti. ana. ℥. j. gummi tragacanthi. ℈. iiij. thuris & radicis ſymphiti. ana. ℥. ij. omnia probè terito, & roſaceo cerato admiſce, ac locum affectum illinito: quòd ſi caliditatẽ in affecta parte vigere compertum fuerit, addere oportebit ſucci plantaginis, portulacæ & centaurij minoris. ana ℥. j. Huic quidẽ conſimile aliud reperies, quod recipit argenti ſpumæ, & ceruſæ. ana. ℥. j. pompholigis lotæ. ℥. j. & ℈. ſeminis roſarum. ℥. ij. ſucci plantaginis ℥. ij. oui aſsi vitellum vnum, adipis anſeris. ℥. ij. excipiantur omnia roſaceo, & vtere. Quòd ſi his affectum cedere comperiamus, abſtergentibus abluere partem ipſam oportebit ea lege quam adduximus cap. præcedenti. Verùm quia ex his vlceribus quædam eſſe calloſa dictum eſt, illis proprium & proficuũ vnguentũ conficies ex æſypo humida, radice lilij, iride Illirica, terebinthina exceptis: item aliud conficies ex medulla ceruina, oleo liliorum & cera. Si tamen ſanioſa ſint vlcera, ea ſero lactis ablues, aut mulſa. Item ſi ferueat vlcus, & cancri ſuſpicio adſit, cõfert ſuccus cancrorum, plantaginis, portulacæ, lactucæ, pſyllij: vnguentum de ceruſa, de plumbo, de lythargirio: ceratũ item roſaceũ Galen. cum ſucco ſolatri, & alia huius naturæ. Quòd ſi iam his omnibus factis ea cõditione redditũ ſit vlcus, quòd cõſolidare, vnireq; tantùm id ſtudeas: vino calido ablues, vel rubro decoctionis myrrhæ, thuris, myrti, nucum cupreſsi, aloës, tutiæ, ac mumiæ. Verùm cùm carnẽ ſuperemineres compereris, adhibe quæ carnem exedant, vt alumen vſtum, & reliqua huic vſui proficua. At dum rimæ diuturniores fiunt, induruerintque, ad chirurgiam deueniendum eſt, quæ condylomata terat, & callum extirpet, ſi priùs vſi fuerimus medicamento illo toties à Galen. commendato, ex charta nimirum combuſta, & alijs conſimilibus, quibus periti chirurgi tutò vtuntur.

De vteri condylomate. Cap. XXII.

VM non ſit vna omnium authorum de condylomate ſententia, neceſſe ſubinde erit, quid propriè dici condyloma metiatur, priùs docere. Condyloma igitur (inquit Celſus lib. 6. cap. 14.) nil aliud eſt, quàm tuberculum quoddam, quod ex quadam inflammatione oritur. Verùm ſi quis Paulum legat, reperiet profectò, tantùm condyloma appellari ipſum tuberculum obcalleſcens, ſiue ex inflammatione, ſiue ex fiſſuris ſupperſit. Quamobrem recens tuberculum, non condyloma, quia nondum obcalluit, ſed ſimpliciter tuberculum appellari conſueuit: ſpecialiori tamen nomine condyloma appellauit, quod ex rimis in calloſam eminentiam degenerantibus proficiſcitur. Ætius verò, ſicut & Celſus, quoduis tuberculum ex inflammatione ortum, ſiue callum contraxerit, ſiue recens fuerit, condyloma appellat, dum rugoſa ſit ani, aut vteri eminentia. Cum hoc tamẽ, iudicio noſtro, has eminentias indurari quoque & craſſeſcere teneri, vt condylomata ſint, fatetur. Itaque cùm vterus, ſicut & anus, rugas nõ paucas habeat, vbi earum aliqua præter naturam intumuerit, tunc ſanè fit cõdyloma, aliquando citra inflammationem exiſtens, ſed factis rugis maioribus & prominentioribus ob rimas calloſas: Interim verò cum inflammatione durum ac doloroſum, ad ſimilitudinem nodorum qui in digitis pugno clauſo ſunt effectum. Quapropter à thymis, qui in eâdẽ parte oriri conſueuerunt, condylomata differunt: nam thymi, tuberculoſæ quædã eminentiæ ſunt, doloris expertes, præter naturam auctæ, aſperæ, oblongæ, ſubrubiæ, interim albicantis coloris, maximè vbi manſueti fuerint, à cacuminibus eiuſdem nominis herbæ in montibus naſcentis ſic appellati: quę eminentiæ vbi paruæ fuerint, thymi, vbi verò magnitudine excedunt, ficus appellantur, ſi Ætio credendum eſt loco nuper citato. Generantur quidem hæ affectiones frequentiſsimè in alis pudendi, aut in pudendo ipſo, vel intus in oſculo, aut collo. Fiunt tamẽ omnes ex cauſis nuper dictis, ac præcipuè ex craſsis, exuſtis tamen & fæculentis humoribus & ex lue venerea: quarum affectionum ſigna ſubticere placuit, quòd viſui manifeſtiſsima ſint.

Præmiſſa quatenus pertinet ad victus & viuendi rationem prouidentia, vt præcedenti capit. dictum eſt: ita quoque humorum purgationem & præparationem iuxta peccantis ſucci ideam inſtitues. Mox verò ad peculiarem condylomatum curationem deueniendum eſt: in qua quidem duo cõſiderabis: primum an inflãmatum condyloma exiſtat: quo tempore mitigationi tantum inniſendum eſt, oleis anodynis & lacte, ac reliquis quæ mulcebrem habeant naturam: ſimilemque omnino inſtitues curationem ei quam Hippocr. conſuluerat in columella inflammata: inquit enim lib. de natu. mul. Si in pudendis graueolentia fuerint, & columella naſcatur, & dolor habeat, dolorem quidem ſedabit apij ſemen ieiunæ in vino datum. Secundum conſiderabis, an condyloma callum contraxerit, inueteratum ve ac durum fuerit, an nouiter genitum. Quòd ſi nuper generationem ſortitum ſit, ijs auxilijs vtendum eſt quæ reprimendi & exſiccandi vires habeant. Cui vſui Celſus commendat inſeſsiones ex decocto verbenæ, lentium, & melle, & ſertula campana ex vino cocta, cum rubi foliis tritis & roſaceo cerato: vel malicorium ex vino coctum cum hyſſopo. Quibus & alijs quæ huic vſui parantur, addere oportebit aliquid diſcuſſorium, vt thymum & camemalum, aut ſi magis placuerit, lixiuio partem perfundes. Facit & peſſus ex malicorio & butyro paratus, & qui ex æſypo conficitur. Verùm ſi condyloma iam induruerit, callumue contraxerit, ad chirurgicam operationem deueniendum eſſe conſulit ipſa affectus natura, quæ vllis auxilijs cedere nunquam viſa eſt. At quia timidæ fœminæ non niſi maxima vrgente neceſsitate, ſectionem aut vſtionem admittere audent, tentandum priùs eſt prædicta condylomata emollire, & mox conterere ac diſcutere. Primum itaque emollientibus herbis aqua incoctis inſeſsiones & fomenta parabis, quibus bis terue in die vtitor, & poſtmodum ea cataplaſmata impone, quæ quod emollitum fuerit conterant, & condylomata contrahant. Huius naturæ eſt illud, quod hac via conficitur. Myſi aſſatum terebinthina excipe, vt emplaſtri compagem habeat, & adhibeto: quo ſanè remoto, ſuper partem hunc puluerem ſpargito: teſtas ouorum vſtas ac tritas lauato, & ſiccatas aſpergito. Præſtat & aliud vnguentum, quod recipit thuris ℥. j. aluminis ſciſsilis ℥. ij. ceruſæ ℥. iij. ſpumæ argenti ℥. v. quibus dum teruntur, aquam roſaceam & vinum admiſce, & poſtea eadem roſaceo excipe, ac ceratum confice. Ex vſu quoque

Curandi ratio.

est medicamentum ex charta combusta confectum Galen. & Pauli testimonio: quòd si eius vim experiri non libuerit, iridem illiricam terebinthina exceptam apponito. Cæterùm si ne hæc quidem prodesse videantur, vt Celsus consulit, ad sectionem veniendum est: ac si plura fuerint condylomata, ad partis vlsionem. Sectionis autem modum docuerat Ætius lib. 4. ser. 2. cap. 13. & Paulus lib. 3. cap. 75. Sed clariùs idem Æt. lib. 4. serm. 1. cap. 3. Referunt quidem, per bolsellam esse excidenda condylomata: inquit enim Paulus. In his igitur cùm morbus remittit, bolsella modò fieri queat, prehensas amputare oportet. Censeo quidem bolsellã esse ferramentum, quo aliquid prehendimus: quod etiam Celsus bolsellam nominauit dicens: Neque quicquam commodius est quàm bolsella prehendere, sub eaq; quod volumus, excidere: sic enim vuas immodicè laxatas bolsella prehensas excidimus: id quoq; consuluit Hippocrat. lib. de natu. mul. qua parte columellam resecare docet. Sed iubet etiam Celsus causticis vti pharmacis: quæ sanè prudenter adhibenda sunt, ne ob partis laxitatem plus quàm par sit, excedant. Chirurgia tamen facta, vniuersam curationem circunscribere oportet suppuratorijs, repurgantibus, demum cicatricem inducentibus: inter quæ cerotum ex lythargirio, scopũ omnem complere experimento didicimus.

De vteri ac pudendi verrucis, thymis, & ficu.

Cap. XXIII.

EST quidem tam importunum morbi genus verruca vteri osculo & pudendo adnascens, vt sæpe in curatione maius facessat negotium, quàm grauior alia morbi species: ob id profectò proprium illi caput dicare studui. Verrucarum naturam tam variam esse constat, vt curationis vnam præscribere legem sit perdifficile, ni priùs earum differentias ac naturam exactè perpenderis. Sunt igitur verrucæ, tumores ex scirrhosa tumorum sorte, qui instar monticulorum quorundam in cute insunt, vnde & nomen sortiuntur. Ad hoc quoque tumorum genus reduces myrmecias, ac si formiculas diceres, & acrocordones, quæ vulgariter verrucæ pensiles dicuntur. Itaq; ex varia verrucæ figura, vario quoque nomine insigniri potest: sic enim thymion vel thymeos, verruca appellatur, dum thymi herbæ caput repræsentat: quæ nihil aliud est, quàm tuberculosa quædam eminentia præter naturam aucta, doloris expers, aspera, oblonga, subrubra, interim albescentis coloris, præsertim vbi mansuetior fuerit: quam sanè eminentiam, dum parua fuerit, thymion appellant, vbi verò magnitudine excesserit, ficum nuncupat Ætius. Cuius sanè tumoris duplex natura constat: prior quidem maligna, quæ thymos duriores, aspe riores, maiores, fæculentos, & colore liuidos continet, necnon & doloré inducentes: qui sanè exacerbantur maximè ad manuum contactum & medicamentorum adhibitionem, sed præcipuè in partu, aut menstruali purgatione. Altera verò man suetior existit, & ijs constat, qui mitioribus insigniuntur accidentibus. Cæterùm in vtriſque post concubitum, exercitium, & quemuis laborem, accidẽtia maligna excrescunt, & sanè moro maturo assimilantur: quò fit, vt à multis eodem modo appellentur. Cornua item (affectio quidem ex verrucarum genere) ex cornu figura mutuata, sic nuncupantur: item myrmecia dicuntur verrucæ, quæ latiore sunt vase: inter quas eminens thymus vocata verruca, fœminarum pudendis adnata pessima est, maximè vbi sanguinem fundit: quod verrucæ genus tarsecum vocauit Auice.

Causam habent omnes verrucarum differẽtiæ vnam, vniusq; naturæ, dissidentem quidem in diuersis speciebus, iuxta maiorem aut minorem crassitiem humoris: ac prout altiùs vel superficialiùs radices habet insertas. Sapit autem humor easdem efficiens, naturam humoris melancholici, vel crasioris & terrestris pituitæ: præterquam quòd mala plerunque qualitas ex Gallico morbo contracta ijs quæ pudendis partibus adnascuntur, adhæret, quæ easdem difficilioris efficit curationis. *Causæ*

Hac profecto ratione ijs verrucis quæ fœminis deuirginatis prope os vteri, aut pudendum adnascuntur, præcipua & communis curandi ratio erit, vniuersalis totius corporis prouidentia, quòd nunquam sanitati restitutas cõspiciamus, nisi per sudores & ea pharmaca quæ vniuersum corpus purius reddunt. Quapropter præmissa vniuersali prouidentia in victu & reliquis, ad peculiarem curandi rationem deueniendum est: verùm id fieri oportebit iuxta cuiusq; verrucarum speciei sortem & naturam: priùs tamen adhibita diligentia in expurgandis corporis excrementis. *Curandi ratio.*

Myrmecię igitur si in vtero adnascantur, quia altissimas habent radices, excidi sine magno vlcere non possunt: ideò cautè tractare oportet, & in hoc genere & in reliquis verrucarum generibus frequenter, & aliquando copiosè purgabis, & corpus sudori ex ligno guayaco committes, & nõnunquàm vnctionibus si ex morbo Gallico principium traxerint, maximè vnguento nostro scripto lib. de morbo Gallico, & sic sectionem facito. Thymi, clauusq; etiam si excidantur, iterum radiculas spargunt, & ad antiquum statũ facilè redeunt. Acrocordo verò si semel excidatur, nullam radicem relinquit, & facilè sanescit, neque ampliùs renascitur. Hæc quidẽ expendisse conuenit, vt constet quales verrucæ vehemens medicamentum, qualesue leue expostulent. Paulus verò lib. 4. cap. 15. plura annumerat quæ verrucas, præsertim sessiles & pensiles tollunt conterũtque, velut est succus cucumeris agrestis cum sale, thuris cortex cum aceto, ficus primæ, quæ velut proceres non matureſcunt cum aceto farina & nitro. Eandem efficaciam habet lac seu succus fici arboris illitus: ærugo cum sulphure viuo: ocymi folia cum atramento sutorio: aqua quæ instillat ex vitibus cùm amputantur, addito sale: fimus ouillus cum aceto: hircinum fel illitum, nitrum cum vrina pueri, & stercus bouis cum aceto. Neque est parui momenti capita salitorum piscium incoquere aqua, quæ ex sarmentis instillat, & verrucas abluere. Confert ea aqua qua argentarij ad deaurandum vruntur, medicamento aliquo mitiori admixta, & verrucis adhibita, quas procul dubio extirpat. Itaque in vniuersum communis omnium curandi ratio est, ea adhibere medicamenta quæ adurendi & erodendi vires habeant: quibus in vtero quoque vtendum est, dummodo eæ quæ circa affectum locum sunt partes, folijs vel quouis alio cooperimento contegantur, ne ipsæ quoque vim medicamenti experiantur: quod proculdubio in pudendis partibus frequentiùs ac faciliùs contingere cernimus, quam in quibusuis alijs. Quo fit, vt peritiores medici ob eandem causam, circumiacentes partes illiniant vnguento ex bolo armeno, terra sigillata, aqua rosacea & aceto: non quidem solùm præcauendæ partis gratia, verũ ne humorum aliquid vi medicamentorum ad affectam partem euocetur. Acro-

cordones verò, myrmecias, & thymos non modò adurentibus medicamentis conteremus, sed & candenti ferro frequentissimè opus est inurere: quæ sanè omnia nonnunquam excidimus ligatura aptè illis coaptata, vel ferreis dentibus aut forcipibus euellimus, ac radicitus extirpamus. Cæterùm si aut excideris, aut ferro inusseris, priùs partes circunstantes vel ferrea lamina, vel vtcunque aliter contegere oportet, ne ignis aut ferri vim persentiscant. Postmodum verò crusta butyro soluenda est, & vlcus curandum. Verùm si verrucarum aliqua species in exulcerationem migrauerit, metallicis medicamentis ante scissionem aut vstionem, curationem tentare conueniet. Quòd si thymi in vtero adnascantur, considerare primò oportet mansuetorum curationem quæ facilis est, ac (vt refert Ætius) per abscisionem ex bolsella fit, mox adhibitis pharmacis sanguinem sistentibus, ac inducentibus crustam: sic medicamento florido ex stomomate, rosarum flore & citrinis siccis parato vtemur: nam hæc contrahunt, & quadamtenus repurgant, vlceraque ad cicatricem ducunt. Verùm ante scissionem tentare oportet eorum discussionē, quæ primò præstat saluia sicca, tusa cum pinguibus carycis: item soleas veteramentarias humidas vrito ac terito, & vino præimbutas imponito. Præstat & serpentis exuuias tritas carne carycarum reiectis granis, emplastri forma imponere: item gallam, aut alumen tritum inspergito: aut origani & rutæ radicis æquales partes: quas vre, tere, & insperge. Quæ si non profuerint, præueniendū est chirurgia, antè quàm maligni fiant: quo tempore frustra existimarūt antiqui præsidijs vti ante sectionē, quin potiùs vstione tantùm esse curādos, ob periculum sanguinis eruptionis, vno cōsensu fatētur. Cui consimilē curationē ficus exposcere mihi visum est. Ad verrueas autem huius partis, quas formicarias nuncupāt, summè confert hoc præsidiū. Capræ recenter iugulatæ oculos cōpungito, & humore inde profluente assiduè illinito. Bubulum itē stercus calidū illitum cōfert. Velut aliud quod vtilissimum est, & hoc modo paratur: origani festucam ad lucernam accendito, & formicarijs verrucis admouento, non quidem vt vrat, sed quòd fumum parti præstet.

Id proculdubio in omni curatione obseruare oportebit, nimirū humentia pinguia, & laxātia pharmaca ex vsu non esse. Item in prædictarū curatione circa vteri partes exedentia medicamenta diu immorari nō est permittendū, ne subiecta caro quæ tenerrima est, ocyssimè exedatur: ob id quidem bis, terue in die partē abluere oportebit, maximè astringēti aliquo lauacro, si fluxionis suspicio adsit, sin aliter, abstergenti.

De scabris vteri & pudendi pustulis.

Cap. XXIIII.

HAVD rarò equidem in fœminarum pudendo, & vteri osculo scabræ, pruriginosæ, & furfurum plenæ pustulæ adnasci solent, ijs potissimùm fœminis quæ morbo Gallico affectæ, virorum quoque eodem malo infectorum consortio vtuntur. Ex quo proculdubio malo in sordidā, corrodentiaque ac maligna vlcera decidere fœminas frequentissimè conspicimus. Sunt igitur pustulæ, exigui quidam tumores, quos & botores appellant medici: in quibus, substantia, ex qua prodeunt, qualitate magis quàm copia molesta esse solet: imò & plerunque in eis venenositas inest, maximè cum scabræ & pru-

prurigino sæ pustulæ fiunt, & furfuraceas squammas ex se proijciunt. Quo tempore coniectandū est humorem esse mali moris, & ex Gallicæ infectionis sorte, quòd non solùm in pustulam degeneret, verùm & ægrè sanabilem reddat affectum, pruriginosum quidem, ac scabrum, quod maioris mali præludium existit, idque potissimum in partibus, vbi fæculenti & sordidi humores affluunt & immorantur.

Causas quidem habet huiusmodi affectus plurimas, nempe humorum non naturalium exuberantiam, quos esse biliosos & adustos cum crassitie arbitramur. Qui sanè dum in corpore redundant, & pars aliqua imbecillior facta, in apto loco existit, illuc se se in partem carnosam per porositates insinuant, & huiusmodi affectus progignunt, eoque maximè in fœminarū pudendis, ob partis naturam & situ. Huic etiam causarum generi accedit alia ex morbi Gallici natura contracta, quæ eadem pustulas reddit curatu rebelles, contumaces, diuturnas, dolorosas, contagiosas, ac denique maioris mali præsagas. *Causæ.*

Requirit profectò huiusmodi affectio, non solùm optimam vitæ ratione & studium, verùm maximam & diutinam in artifice diligentiam. Quapropter instituta ea victus ratione quæ alimentis optimi nutrimenti constet, præcauebimus cibaria aerta: sanguinem item ex brachio mittemus non semel, sed bis, & aliquando ex talo. Prætereà lentè & paulatim humorum malitiam frænabis syrupis ex borragine, violis, rosis, cichorio, fumaria & similibus, cum decocto lupulorū, radicis scorcioneræ, similacis asperæ, aut ligni guayaci. Et eâdem lege nō solùm bis, sed pluries prædictos humores purgabis pilulis fœtidis, confectione Hamech, agarico, diacatholico, ac diaphœnico, & alijs quæ aduersus Gallici morbi naturam parantur: in minori tamen dosi, quàm viris offeres, vel temperatis aut commixtis alijs mitioribus, vt cassia, syrupo ex infusionibus, confectione Hamech simplici, decocto senæ, prunorum, & polipodij. A quibus non erit abre aliquando vomere, vt Hippo. est consilium: vel si mauis, decocto guayaci sudorē mouere, aut vnguento nostro lib. de morb. Gallico scripto inungere, quod huic malo summopere esse proficuum arbitror. Quibus educta maiori humorum copia, reliquam curādi rationem tribus scopis circumscribes. *Curandi ratio.*

Primitus quidem id quod iecori huius mali origini, & toti corpori quasi habitualiter inhæret, radicitus extirpabis: balneis nimirum sulphureis, vel si pruritus fuerit maximus, aquæ dulcis, aut sudoribus ex decocto ligni guayaci, vel similacis asperæ, aut vtriusque vel prædicta inunctione. Quo facto sufficienti dierū numero, quia plerunque aliquid in iecore & membris solidis, adhuc post sudores reconditum ac fixum superesse comperimus (cuius ratione iterum affectus pullulat) mihi & plurimis doctissimorum virorum cōpertum est, prodesse non parum, diutius vti syrupo confecto ex decocto ligni guayaci & similacis asperæ, vt paulatim ac sensim si quid supereſt, conterat ac dissipet.

Secunda verò indicatio, his factis & interim dum fiunt, consulit, corpus præstantioribus succis grandi diligentia renutrire, tum vt partes in antiquum & natiuum statum optimo alimento restituantur: tum verò, vt alimenta ipsa attemperamento sint vitiosis humoribus.

Tertia & vltima indicatio prouidet parti affectæ, vt si quid pustulosum ibidem præest, facilè auferatur & procidat. Quod profectò facies, si aqua calida frequēter pustularum scabritiem temperaueris, & balneis, ac insessionibus. Posteà verò partem affectam vino calido cùm nitro eluito, & mox à lotione, iterum aqua calida per-

perfunde. Confert etiam butyro cùm ſulphure puſtulas inungere, aut ceratum ex oleo myrtino, roſarũ & ſpuma argenti, ac cera conficere, & parti apponere. Præſtat amurca cum ſulphure, aut eadem argenti ſpuma: alumen item cum melle & myrrha. Ex vſu quoque eſt oui vitellus cum amurca in plũbeo mortario ad coloris mutationem agitatus: item malicoriũ cum myrrha & melle: aqua etiam Lanfranci vulgò appellata. Sed inter omnia auxilia id maximè & ſemper conferre peritis in arte eſt compertum, quod recipit aquarũ plantaginis & roſarum. ana. ℥.iiij. ſalis gemæ, nitri, & aluminis. ana. ʒ.iij. ſublimati. ʒ. j. &. ß. bulliant ad tertias, & fiat colatura: cui adde viridis æris. ℈. j. à cuius medicamenti vſu, vno aut altero die exhibito, ad mitiora medicamenta progrediendum eſt, & iterum ad id redeundum, donec puſtuloſam carnem ſeparatam comperias, & nouiter facta eluceſcat. Huius cenſus auxilia non pauca apud peritos chirurgos reperies: ſed mihi nunc hæc ſufficere videntur, ni affectio eius ſortis videatur, quæ nos cogat vel ad ferrum, vel ad aquam argentariorum, quam cenſeo in malignis eſſe proficuam, deuenire.

De vteri fiſtulis. Cap. XXV.

NVM hoc certũ eſſe ſcio, ex inueteratis, difficillimis, depaſcentibus, & perperam ac negligenter curatis vteri vlceribus (ſed præcipuè ex tumore, qui difficulter rumpitur, ac viroſum pus effundit) facilè fiſtuloſa vlcera & cauernoſa maximè fieri. Fiſtula igitur eſt arctus, oblongúſque & calloſus ſinus, aliquatenus indolens: & vt alij cenſent, cauum eſt, profundum, ſinuoſumque vlcus, callo obductum, & anguſto foramine patẽs, quo à ſinuoſis vlceribus diſſidere cõſtat. Huius ſanè affectionis differentias non paucas reperies, ſiquidem aliæ ſub cute extenſæ ſunt: aliæ altiùs penetrãt: aliæ rectæ: aliæ tortuoſæ ſunt: plures intra carnem deſinunt: aliæ ad oſſa aut cartilaginem permeant, vel venam, arteriam, aut neruum attingunt: & tãdem omnes ab vno ore exorſæ, aut ſimplices ſunt, aut duplices, triplicesve. Quas porrò differentias expendiſſe ad curationem conuenit.

Inter eas corporis particulas, quæ fiſtuloſis vlceribus maximè obnoxiæ ſunt, non infimũ habent locũ os vteri & pudẽdũ ipſum: nã præter plurimas, acres, & erodentes humiditates quibus hæ partes abũdant (quas ſcimus eſſe huius affectionis potiſſimas cauſas) carnis ſubſtantia & molliſſima compago facilè monſtrant à quauis cauſa poſſe exedi, ac poſteà difficulter coaleſcere: quod calli eſt potiſſima occaſio. Fiunt itaque in vtero fiſtulæ cùm pus in abſceſſu aliquo qui promptè non rumpatur, ſic excoriat prædictas partes, vt cõtinẽtia à ſubiectis ſeparet ac diducat, deinde eo vtcunque vacuato, diſtantia inter ſe priſtinum ſtatum recuperare nequeũt, vt ex Gal. conſtat lib. de tumo. præ. na. Quem proculdubio ſinum ſi protinus diligenter non curaueris, callo obduces ita duro ac denſo, vt nec glutinari quidem deinceps poſsibile ſit. Huius affectionis rationem adducit Galen. lib. de humo. Sed expreſsiùs & fuſiùs Hippocrat. lib. de fiſtulis: qui profectò ex contuſionibus, equitatione, aut re quauis contundente extrinſecus accedente, fieri teſtatur: ſicut ex tuberculo diu matureſcente prodire etiam fatetur. Ita quoque ex omni cauſa quæ carnem vel ſubiectam ſubſtantiam exedat, facilè fiet, niſi anteà præueniatur, ne obcalleſcat priùs quidem, quàm partes coaleſcant, modò tuberculum, modò

modò humor exedens depaſcenſque ſub cute carnem, modò contundens aliquid ſit: dum modò partes inanes carne ſuperſint, & ante quàm coaleſcant, obcalleſcant.

Dignoſces quidem affectum & eius differentias, primò ex figura fiſtulæ factitię perſimili: item ex callo forma fiſtulari obducto, quæ fiſtulæ eſſentialis differẽtia exiſtit. A virulentia quoque horribili aliquando excreta, ex detento in ſinuoſitatibus illis recremento malè perflato, ibidemque corrupto percipies. Eodem etiam modo ex tenui ſanie, ac fluxibilibus & tenuibus humiditatibus dignoſces: quas neque coquere partis imbecillitas valuit, neque craſsiores per calloſam ſubſtantiã, denſam alioqui ac ſolidam permeare poſſe, eſt credendum. Item id oſtẽdit nullus aut leuiſsimus dolor, niſi fiſtula neruum attigerit. Simplicem verò aut duplicem eſſe fiſtulam, expuris maxima copia, quam foramen vnum capere minimè poteſt, facilè intelliges: item ſi in diuerſo corporis ſitu, vtcunque ſit, pus exierit, certũ proculdubio eſt indicium, non vnicum, ſed multiplicem eſſe ſinum. *Signa.*

Præterea carnem eſſe fiſtula perforatam, pus rubeſcens oſtendit: & ſic de reliquis ſubiectis ſubſtantijs iuxta cuiuſque naturam: licet de ſignis nerui deſumptis ex pure variè ſentiant Celſus & Ætius: verùm ex dolore id faciliùs colliges, etiam ſi quàm minimùm fiſtulæ ſortiantur. Quòd ſi venæ intimum abradatur, craſſus & plurimus profluet ſanguis: ſi arteria, paucus & tenuis. Et hæc de ſignis ſufficiant.

Verùm quia ærumnoſam, calamitoſamque vitam & multis periculis obnoxiam huiuſmodi affectiones accerſunt: ſiquidẽ ad inteſtina & ad veſicã adeò profundè aliquando permeant, vt vrina & alui excrementa per fiſtulam facilè inſtillent: ob id quidem, antequam natura habitum contrahat, aſſueſcatque per partem illam à recrementis prædictarum partium aut totius corporis expurgari, curandum eſt fiſtuloſa vlcera ad coalitum ducere: quippe ſi diu curationem protraxeris, corpus millè miſerijs obnoxium proculdubio facies. Primùm itaq; victu & vita optimè inſtitutis, quem noueris redundare humorem præparabis, quo extracto conuenienti pharmaco, prout ſuperiùs dictũ eſt, ad totius corporis prouidentiam deueniendum erit, frictionibus & moderatis vinculis partium ſuperiorum, maximè ſi affectio ex fluxione dependeat. In qua ſanè re conducit nõ parum vſus balnei ſulphurei: ſed vtilius longè eſt corpus ſudare decocto ligni guayaci, aut ſmilacis aſperæ. Quo facto iterum ſyrupis & apozematis vtendum eſt quæ interiora viſcera exſiccent ac roborent, vt prohibita fluxione faciliùs fiſtuloſa vlcera curari poſsint. Præſtat potiſsimùm hanc gratiam ſyrupus ex ligno guayaco cõfectus, cui in decoctione addere oportebit agrimoniæ, centaurij & ſenæ aliquid. Benefacit quoque potus qui recipit filicis maris à Dioſcoride appellatæ. ʒ. j. &. ß. gentianæ. ʒ. j. centaurij. ʒ. vj. portulacæ. ʒ. ß. hordei mundi. p. j. decoquantur in aqua ſecundùm artem, & facta colatura, adde ſerapij roſacei quod ſufficiat ad conciliandã dulcedinem. Confert etiam potus, qui recipit agrimoniæ. p. j. plantaginis. p. ß. foliorũ oliuæ. ʒ. ß. polipodij. ʒ. vj. coquantur contuſa ad tertiæ partis conſumptionem, & colaturæ adde ſyrupi de roſis ſiccis, aut miuæ citoniorum quantum ſit ſatis, vt citra moleſtiam bibi poſsit. *Curandi ratio.*

Quibus porrò corpore præmunito, ad localia præſidia tutiùs & audaciùs peruenire poteris: in quibus adminiſtrandis prima indicatio, quatenus ad affectum pertinet, docet callum priùs cõterere: nam cum ea quæ diſiuncta ſunt vniri minimè poſsint, callo in medio exiſtente, curandum primò eſt eum extirpare. Verùm quia pecu-

peculiaris fistulæ conditio est,osculum summè arctum & angustum obtinere, ipsum primò dilatabis,cautè tamen,ne vesica aut rectũ intestinum,quæ propè sunt, damnum persentiscant,& subinde cõuulsio aut aliud grauius noua fluxione concitata subsequatur.Primò itaque id tentabis immisso aliquo collyrio,quod cõstet ex radice gentianæ,vel aristolochiæ, aut brioniæ : sed probo magis spongiæ elychinum immittere,& ibidem immorari sinere octo aut decem horarũ spatio: quo auxilio,tutiùs foramen dilatari conspicimus,quantũ sat sit,vt faciliùs medicamenta immitti possint, vel pars inuri. Orificio satis patulo,callum vno è tribus modis extirpare poteris,medicamentis nimirũ acrioribus & callũ conterentibus: scisione ac auulsione calli:& vltimò partis inustione.Quas etenim actiones nõ indistincte & vtcunque cuiuis fistuloso vlceri præstabis: sed si recens fuerit fistula, in qua callus non indurueri,aut flexuosa non extiterit,vel plurimũ maligna non fuerit, sordida ac virulenta,solùm quidẽ medicamentis acrioribus curari desiderat: sicut dum calloſa est,sinuosaue,scisione:ac dum sordida vel maligna,vstione. Ergo si recens fuerit fistula,eius callum conteret radix gentianæ,radix ellebori nigri,spondilij radix circumrasa,& in collutione cũ modico puluere Ioãnis de Vigo immissa: succus etiam radicis laserpitij.Prodest & vnguentum ægyptiacũ:item aliud quod recipit æruginis.ʒ.xij.ammoniaci .ʒ.ij. vino excipe, & penicillo aliquo immite. Præstat & collyrium ex trochiscis asphodelorũ,vel ex calce & sapone. At si laborans non admodùm imbecilla fuerit,nullum aliud medicamentum faciliùs callũ conteret,quàm penicillus aqua rosarum madidus, & modico arsenico intinctus. Si tamen fistula sinuosa fuerit,omnia hæc decocto aliquo liquefacito, & per metranchitam inijcito. Pleraque alia apud omnes authores ad fistulas pharmaca reperies,quibus vti etiam poteris,si quas adduximus seruaueris leges.

Verùm si fistula antiquior,durior & callosior facta fuerit,laborans tamen sectionem vel vstionem formidauerit,ad efficaciora medicamenta veniendũ esse consulit rei ipsius necessitas, cuius naturæ est illud,quod recipit vnguenti ægyptiaci.ℨ.ʃ.sublimati.ʒ.ʃ.arsenici.ϑ.j. lixiuij & aquæ plantaginis.ana.ℨ.iiij.aquæ rosarũ ℨ.iij.bulliant ad consumptionem tertiæ partis : cuius medicamenti pusillum aliquid inijcito,ac foramen obturato,ne refluat.In easdem quoque & in sinuosas fistulas,ex aridis medicamentis per fistulam aliquid insufflabis.Sunt etiam qui audeant aquam argentariorũ in fistulas immittere, quod cautè in vteri ac pudendi malis efficere oportebit,ac non nisi dum corruptionẽ vereamur. Cum hoc tamẽ, si in pudendo malum extiterit,faciliùs & tutiùs valida quoque offerre poteris:verùm si in vteri osculo,debiliora proficua sunt,reliqua verò citra damnum pars nõ admittit.

Quòd si ne hæc quidem omnia sufficere videantur,ad secundam curãdi rationem deueniendum est,vel pronunciato periculo discedẽdum. Fit autem hæc inscisione vsque ad fistulæ finẽ facta, & callo vnguibus aut scalpro radicitus auulso seu excoriato.Quo facto,vlcus detergentibus curato,quale est,quod recipit terebinthinæ in aqua vitæ lotæ.ℨ.iiij.succi apij,succi cynogloſſæ.ana.ʒ.vj.mellis rosati ℨ.j.&.ʃ. aristolochiæ rotundæ.ʒ.ij.farinæ lupinorum. ℨ.ʃ. coquantur succi cum melle rosaceo ad medietatis consumptionem,deinde reliqua misceantur.Præstat quoque aliud,quod recipit aquæ hordei.ℨ.viij.mellis rosacei.ℨ.ij.myrrhæ,sarcocollæ,radicis peucedani,& iridis.ana.ϑ.ʃ. Item aliud quod recipit radicum liliorum crematorum.ʒ.j.mellis rosacei.ℨ. iij. misce & vtere:ex vsu item est idem puluis solus immissus.Vtilissimũ quidem experieris aliud,quod recipit chamæleontis nigri radicem,

radicem,pini corticem,thus masculum,aristolochiam pari pondere,terito, ac per fistulam aridum infunde,aut melle rosaceo admixtum.Est item aliud quod mirũ in modum prodesse fertur recipiens aquæ vitæ.ℨ.ij.vini maluatici.ℨ.j.mellis rosacei.ʒ.x.myrrhæ,radicis peucedani tritæ,vtriusque.ʒ.ij.sarcocollæ,aloës, vtriusque ʒ.j.&.ʃ.misceantur & bulliant vnica ebullitione lento igne,& in vlcus infundantur.Sed apud plerosque probatur magis aliud,quod recipit aloës,thuris,sarcocollæ, sanguinis draconis, balaustiarum , antimonij , aluminis, sacchari , cuiusque. ℨ.ʃ. cum succo fumariæ fiant trochisci , quibus liquore aliquo dissolutis vtere.

At dum eò miseriæ fistula deuenerit,vt non solùm calloſa existat,sed virulenta quoque & maligna sit,ad vstionem venire nos cogit rei difficultas & imminentis mali timor.Fieri etenim id solet,vel candenti ferro,vel caustico medicaméto,quorum neutro in fistulis oris vteri vtendum esse cẽseo,sed in ijs tantùm quæ pudendo insunt.Verùm vbi opus est,hac lege fieri debet.Scindes quidem primò vniuersam fistulæ cauitatẽ,sectionem arteriarum cauens: quo facto specillo priùs per fistulam immisso,cuius ductu fistula discindatur,elychinis partem formabis, donec vndique discisla labra disiungantur:altera tamen vel tertia die medicamentũ caustico immittes,vel ferro candẽti,si vrgens fuerit necessitas,partem inures,circũ ipsam positis quæ repellant,ac refrigerent,medicamentis.Facto vlcere,pharmaco vteris mitigatorio,vt oleo cum oui vitello:tandẽ ad ea quæ crustas deijciunt deuenies,velut est butyrum,aut pingue aliquod vel vnctuosum:tũc enim crustis decisis,pus incipit coctum apparere:à quo donec vlcus sanescat,ea quæ superiùs diximus abstergere & ad cicatricem perducere,adhibenda sunt.Hoc vnum tamen in hac curatione præoculis habeto,quòd si affectio ex morbo Gallico originem traxerit,verendum minimè est efficacissima quæque adhibere præsidia; quale illud est quod arsenicum & argentum viuum recipere diximus : verùm si ex alia causa prodierit,mitioribus semper vtendum est pharmacis.

De vteri hæmorrhoidibus. Cap. XXVI.

QVemadmodum(vt ex Hippocrat. lib. de hæmorrhoconstat)cùm humoris alicuius copia ad venas recti intestini decumbit,sanguinem,qui in venis est, calfacit: calescentes autem venæ ex vicinis venulis sanguinem attrahunt,& vbi replentur,interna sedis pars intumescit , & capita venarum supereminent. Sic profectò, pari prorsus ratione in vteri osculo ac ceruice, venæ quæ in has partes desinunt, dum crassiore sanguine vel alio quouis humore,adeò(citra debitum & statutũ menstruationis tempus)replentur,vt intumescãt,eminentias non paruas ani hæmorrhoidibus persimiles efficiunt;quas vteri quoq; hæmorrhoides plerisque authorum appellare placuit.Has quidem his vteri partibus accidere scimus in quas vasa desinere contingit,in quorũ osculis nimio humore, eoque fæculento,crasso & efferuescente turgẽtibus,prædictas hæmorrhoides fieri certũ est,maximèque in vteri collo aut osculo id vitiũ accidere, vt ex Cleopatra, Moschione & Paulo euidẽter cõstat:licet Ætius rarò vtero accidere referat,ac rarissimè pudẽdo.Hæc itaq; est huius affectus natura,cuius effigies vt cæterarum est

hæmorrhoidum, vel ficus aut mori, prout sangu inis est conditio, & venarum quæ tument, magnitudo. Harum sanè hæmorrho idum quasdam constat esse dolētes, exacerbatas, ac mali moris: quasdam verò mites & citra dolorem: item alias cæcas per aliquod tempus, aliasque fluentes semper.

Proficiscitur quidem hæc affectio ex varijs causis: primum quidē ex rhagadijs, condylomate, aut alia vteri excrescentia, vbi ad eam temporis tractu crassus fæculentus ve humor cōfluxerit. Item ex inordinato sanguinis menstrui ad vteri inferiores venas fluxu: nam si ante debitum tempus huiusmodi venæ repleantur, fit facilè, cùm sanguinem susceptum non profundant (quia nōdum tempus excretioni aptum est) vt ibidem incalescat, fiatque crassior, ita vt permeare venarū oscula non possit, ac ex consequenti eadem in tumorem prædictum eleuet. Quapropter dū vitio sanguinis venarū superiorum partium vteri sanguis in eodem plus iusto immoratur, innumera alia vitia, quæ hucusque retulimus, succrescunt, dum verò ad venarum oscula ante debitum tempus confluxerit, & ibidem præpediatur, vitietur q;, hæmorrhoides & menstruorum suppressionem, aut inordinatos fluxus proficisci certum est.

Signa. Cùm huiusmodi hæmorrhoides in duplici sint differentia, dolorosæ nimirū, & indolentes, omnium signa recensere oportebit, si priùs commune pleriſq; esse dixerim, sanguinē plurimū fundere, eūque per inordinata & breuissima interualla: aliquando verò per longiora: nonnunquā verò (licet rarissimè) per statuta tempora. Habent quoque fœminæ sic affectæ colorem fæculento sanguini, aut humori peccanti persimilem: aliquādo pallor vniuersas apprehendit ex frequentibus sanguinis vacuationibus: quas quoque esse lassitudine, tensione, ac imbecillitate non leui affectas cōperimus. Itē dolorosas & excrescentes cōprehendes ex dolorifica, cruenta, ac subrubra excretione: in remissione verò fluunt citra dolorem liuida & fæculenta. Earū quoque causam dignosces, quia si sanguis fæculentus & crassus fuerit, mori ac ficus formā hæmorrhoides obtinere certū est, in quibus sanguis difficulter aut rarò funditur: at si pituitosus extiterit, vuæ quidem aut vesicæ formā suscipiunt: si verò aduſta flaua bilis & crassa, virulentiā ex se cum fœtore & dolore maximo perfundent. Cæterùm intueri potest affecta pars & conspicua effici instrumento apud chirurgos huic vsui parato, quod matricis speculum appellant.

Curandi ratio. Est quidem tā difficilis & varia apud priscos authores huius affectionis curandi ratio, vt si rem diligentiùs consideres, nō possis eos audaciæ nomine non accusare. Quippe omnes, primo ferè statim curationis accessu, hæmorrhoides in totū abscindentes, aut subtus in earū radicibus scarificantes, donec ipsæ emortuæ spōtè decidant, in nō leue discrimen laborātes deferunt. Quā sanè audaciā, ne dicā temeritatem, à Moschione & Cleopatra summè damnatā reperio, licèt ipsi quoque scissioni manus adhibeant. Attamen vera medendi ratio, & qualis futura sit circa huiusmodi affectum diligentia, ipsius affectus natura & conditio euidenter monstrant: scio tamen non deesse, qui sicut hæmorrhoides ani, curare doceant. Considerare tamen in primis oportet, dolorosæ ne sint, an dolore carētes: nam si primū, dolorem mitigabis sanguine sufficienter misso, si plenitudo subsit ex brachio, post modū tamen ex talo, maximè si menses defecerint, & hæmorrhoides nullum sanguinem profuderint. Deinceps verò insessionibus vteris ex malua, hordeo, fœnugræco & oleo amygdalarum dulcium factis: cui vsui conficies vnguentum ex butyro recenti, vel vnguento rosaceo diu in mortario plumbeo agitato: item ex muci-

mucilaginibus seminis citoniorum, aqua plantaginis & rosarum extractis, & in eodem mortario validè commotis. Si tamen dolor plurimùm vrgeat, hoc vnguento vtitor, quod recipit butyri recentis. ℥.j. vnguenti populeonis. ℥.ß. olei rosacei. ℥.ß. vitellum oui recentis, misce. Conficies item aliud ex nuper dictis, cui adde croci. ʒ. ß. opij. g.x. misce & vtere: tādem adhibebis aliquod ex ijs quæ superiùs ad vteri ardorem, pruritum aut inflammationem diximus.

Verùm si hæmorrhoides dolore sint carentes, aut iam mitigato, diligenter exquirere opus erit, an sanguinem aliquem fundant, vel siccæ & tumentes existant. Si primum, iterum medicus cōsideret, an sanguis ille qui fluit, modicus fuerit, quo nullum est præstantius beneficium: vel immodicus, ita vt periculū aliquod vel pleurios hæmorrhagiæ, vel mali corporis habitus immineat. Quo tempore diligēter sanguinis profusioni prouidendum est, primò sanguine misso ex brachio partitè & per interualla, ne facto subitò retrocessu, in principalius membrum irruat, vel facta copiosiore vacuatione vires ocyus labantur. Mox tamen ad ea quæ sanguinem sistunt veniendum est, cuius naturæ existunt alumen, cortices thuris, pulueres rosarum, myrtilorū, sanguis draconis: quæ omnia albumine oui excepta, vel cum atramēto sutorio admixta, summopere prodesse cōstat. Nec placet quidem hac in parte eorum sententia, qui inurere iubent partem illam: quippe os vteri ægrè id perferre poterit, nisi periculo admodum vrgente: quo tempore dorso & eidē parti frigidiora & astringentia priùs adhibenda esse cōsulo, velut est bolus armenus, balaustium, foliū mali cidonij, vel puluis eius, sanguis draconis, acatia, hypocistis, ex quibus fieri possunt vnguenta, pulueres, aut sacculi, parti affluenti adhibiti. Neque minoris momenti est, ipsas hæmorrhoides illinire medicamento, quod recipit gūmi prunorum, cortices mali granati, gallas, acatiam, hypocistidem: quæ omnia vino dissoluantur. Potiones etiam porrigere oportet, quas sanguinis profusioni cōferre dictum est. Item prodest eo tempore partes superiores fricare, ligare, ac cucurbitulis ad eas sanguinis impetum euocare.

Quòd si tumētes & siccæ extiterint hæmorrhoides, vel per lōgissima interualla sanguinem fundentes, consideret tunc prudens & diligens medicus, an sanguinem habeant ibidem concretum, an verò carnosam quandam substantiam, fungosamq; ex vitioso sanguine genitam: nam si primum sit, eas rescindere, vt veteres iubent, temeritate plenum esse existimo. Inquit enim Moschio. Antiqui ergo, quib⁹ tollere eas placebat, aut chalastico eas illiniebāt, aut ligno constringebāt aut bases earū scarificantes, sic puluerē apponebant, vt paulatim emortuæ ibi caderent: quæ omnia præsidia & pleraq; alia eius naturæ nos reprobauimus, quòd feruor exinde nimius emergat, & ex consensu vicinitatis periculū nasci possit. Cui sanè voto ego quoque assentior, ac existimo, nō solum id periculum præsto esse, verùm & incompescibilem fluxum. Nam cùm hæmorrhoides vniuersi corporis extremum sint, & oscula vasorum, necessum subinde est, his rescissis maximam & incōpescibilem fieri hæmorrhagiam. Quamobrem in ijs, quæ adhuc sanguinem continēt, præsidia, citra chirurgicam manum solùm adhibenda esse cēsemus, ea nempè quæ hæmorrhoides exsiccare nata sunt, velut est acatia vino austero trita, aut terra lemnia cū aceto illita, puluis spartę parellæ, aut ligni guayaci subtilissimus cū melle, puluis tha barbari cum vino nigro. In qua re consulit Ætius ad merè frigida peruenire, velut est succus mandragoræ aut cicutæ: quibus ego vti non auderē, nisi aut alijs admixtis, aut in paruissima quantitate. Quem vsum tutiùs præstabit vnguentū, quod recipit difriges. ʒ. iiij. ceruſæ, spumæ argenti, plumbi vsti & loti, singulorum. ʒ. iij.

excipe melle,& abluta priùs vino parte, illini. Quòd si frigidis vti necesitas non compulerit,exsiccare eas placebit,magis quàm nimis frigidis constringere,præsti to fortasse maiori damno.Resiccat quidem huiusmodi hæmorrhoides oleum de semine lini cum oleo de nucleis Persicarum, vel pini combusti in plumbeo mortario agitatum. Confert etiam incredibili quadam efficacia oleum de fructibus momordicæ,quam balsaminam appellant.Præstat eũdem vsum,vt refert Gal.lib. de theriaca ad Piso.theriaca vino liquata,vel frequens vini albi ablutio, aut sacculus ex camemalo & semine lini,vino austero aut nigro,calens ibidem sæpe appositus:item puluis qui recipit corticis nucis aut quercus,spongiæ,aristolochiæ maioris æquas partes: quæ omnia exsiccata & in puluerem redacta loco melle illito insperge. Verùm si efficaciori adhuc opus fuerit auxilio, id confice quod recipit foliorum vitis & ficus,ana.m.j.viridis æris.ʒ.j. quæ in vase aliquo pone & in furno desiccari sinito, donec puluis fieri possit: quo locus oleo de semine lini madidus aspergatur.Neque parum profectò conferre videntur insessiones ex ijs quæ resoluendi vires habeant,sicut balneum ex aqua sulphurea & aluminosa. Prosunt etiã alia non pauca,quæ ani hæmorrhoidibus prodesse scimus.

Vērùm quando eò miseriæ deuentum sit,vt in fungosam ac fictitiam carnem, totam illam excrescentiam degenerasse comperiamus,maioribus auxilijs,ijs quæ mox diximus,priùs tentatis,ad sectionem veniẽdum esse consulit affectus natura: quippe in hac sola hæmorrhoidum dispositione ac statu, sectionem esse proficuã ac tutam existimo.Antè tamen non erit ab re medicamentis excrescentẽ carnem conterere:cuiusmodi est,quod recipit calcem viuam,ac mellis quãtum sit satis vt formetur massa,quam in furno exsiccari permittito, donec facilè in puluerẽ redigi possit,postea melle admixtum super partem insperge: primò tamen accessu aliquid ex mitioribus pharmacis adde,donec cõperias quid ferre possint affectio & mulieris conditio. Succus etiam rasi barbati cum oleo de semine lini parti appositus fertur plurimùm prodesse. Si tamen hæc sufficere non videantur, sicut condylomata excidẽda esse diximus,has quoque hæmorrhoides abscindere necessum est.Mox quidem,vt prædicto cap.diximus,vlcus curare oportebit,præcauentes semper,ne sanguis impetu ruat, exhibito ex astringentibus & resiccãtibus aliquo medicamento.

De vteri calculo. Cap. XXVII.

IN vtero calculos generari inter alios recenset Ætius: sed primus omniũ Hipp.lib.de sterilibus,refert ex pure in vtero cõcreto callum fieri:inquit enim.Festinare itaque oportet ad expurgandum,priùs quã pus in vteris in callũ cõcrescat.Sed clarissimus adhuc idẽ author lib.5.popu.inquit. Famula Dysiridis in Larissa cũ iuuẽcula esset,vbi venere vteretur,fortiter circũ circa dolebat,aliâs autẽ sine dolore erat:cõcepit autẽ nũquã,& cũ sexaginta esset annorũ, dolebat à meridie,velut ex partu vehementer laboraret. Hæc cùm ante meridiem portum edisset multum,postquã dolor ipsam corripuit vehementissimus,& priores omnes excedẽs;exurgens asperũ quoddã in vteri ore deprehendit,posteà cũ ipsa in animi deliquiũ incideret,alia mulier immissa manu expressit lapidẽ asperũ magnitudine verticili fusi,& sanata tũc statim. Ex quibus sanè

sanè locis euidenter constat,vteri calculos non esse solutos ac liberos, quales vesica generat:nam cùm vteri cauitas & osculum tam grande existat,& singulis mensibus tanta sanguinis copia fluat,perdifficile est credere calculos solutos ibidem immorari posse. Quod etiam constare arbitror,quia certum est eos quoque in vteri ceruice adnasci,vt ex Ætio scriptum inuenimus.Talẽ ego vidi in D.Gregoria Lasso quæ vxor fuit Francisci de Menchaca: hæc quidem cum 70.esset annorum cruciatibus vteri & renum cum sanguinis & puris fluore vexabatur: tandem proiecit tofaceam quandam substantiam oui instar albam & solidissimã,quæ proculdubio æmulabatur eam quam hic depingit Ætius. Ob id quidẽ velut tofacea & callosa substantia vteri tunicis aut collo proculdubio adnascuntur duri,diuersæ magnitudinis, & qui non hinc inde mouentur, sed simplici quadam vnione ab excremẽto eorum alitioni apto, incrementum susceptant, & tunicis aut collo adhærent. Quam sanè adhærentiam euidenter ostendit sententia illa Hippo. lib.de steril. siquidem refert ex materia callum in vterum concrescere, ac confirmat diuturna lapidis mora in vtero famulæ Dysiridis,quod erat perdifficile, si solutus vagaretur per vterum lapis.Vtcunque tamen sit, morbus est in numero adaucto,vel in contentis præter naturam.

Causam verò existimo esse,crudum, crassum & fæculentum humorẽ in aliqua vteri parte ex eius imbecillitate genitum,aut paulatina congestione alitunde transmissum.Cuius equidem,potissima causa est,lentor prædictorum humorum, quos neque coquere,neque discutere valet vteri calor:non quòd debilis ac remissus existat,sed quòd ex intẽsione ac vitio tenue digerat citra coctionem,& crassum in tofaceam naturam cõmutẽt.Generat tamen huiusmodi extuberãtiam, quia cùm inutiles sint huiusmodi humores, eos quidem trudere ac expellere nititur,qui cũ viscidi sint & glutinosi, tenaciter adhærent, cùm difficulter sit crassa permeare ac delabi:quo fit,vt in porositatibus alicuius partis vteri permanentes,prædicto modo accrescãt, & aliquando in magnam profecto quantitatem, natura indies magis ac magis ad partem mittente.Ex quibus constare arbitror,non lapidem,qualis vesicæ est,sed tofaceam substantiam re vera esse:quam natura valida nonnunquam separat & foras trudit: aliquando verò ibidem morari permittit,& multorum malorũ causa existit,medicis fortasse ob rei nouitatem causam ignorantibus. *Causa.*

Cùm verò hi lapides in vtero præsunt,grauatiuus in ipso,cæterùm leuis petsentitur dolor,& exacerbatur maximè ipso compresso:menses inordinatè prodeũt,fœmina nequit concipere,& ad tactum aliquando cognoscitur. Qui verò vteri collo insunt, maiores inferunt dolores ob compressionem vicinarum partium:qui tamen aliquando adeò crescere solent,vt grauissimam in vtero & partibus vicinis inferant molestiam: maximè cùm certo quodam modo ac situ fœminæ decumbũt aut sedent,ita vt vteri collum torqueri ac comprimi contingat. Aliquando verò instrumento,speculo appellato,hos lapides facile est intueri. *Signa.*

Ex affectionis natura & conditione proficiscitur,& ex Ætio constare videtur, nullam aliam prodesse curandi rationem,quàm eam quæ docet tofaceam illã substantiam radicitus euellere:ob id consultissimum est,facta leui purgatione & iniecto clystere,quo aluus eluatur,lapidem extrahere. Ponit autẽ idem author extractionis modum,quem ego proculdubio cæteris esse securiorẽ arbitror:iubet enim digitis largioribus sinistræ manus in fœminæ anum immissis, dextra ventrẽ comprimere,donec calculus extrorsum pelli cogatur. Cum hoc tamen calculus qui in abdita vteri sede reconditur,curatu existit difficillimus:nam cùm rationi consonũ *Curandi ratio.*

sit, eos vteri tunicis esse adhærescẽtes, vt superiùs diximus, difficillimũ sanè erit sola manus cõpressione euelli. Ob id quidẽ necessum erit, cõpresso sinistra manu lapide, dextra tantã vim in ipsum imprimere, quæ sufficiat vt paulatina facta euulsione, lapis ipse procidat: quo facto, facillimũ erit ipsum deinceps ab vtero pellere.

Antè tamen quàm id opus moliaris, operæpretiũ est, si rem ex voto fieri cupis, exteriùs fomenta & blandas inunctiones vtero admouere, quales ex butyro, oleo amygdalarũ dulcium, mucilaginibus, ac iure pingui carnium parari solent. Intus verò idem opus molieris per iniectiones decoctionis herbarũ emollientiũ, ex butyro, & oleo amygdalarum dulcium, quibus vnio to facęę illius substantiæ tenuior ac mollior facta, faciliùs & indolorosiùs euulsioni ac tractioni cedat. Verũ si lapis in vteri collo extiterit, faciliùs rẽ facies: nã aperto vteri osculo instrumento aliquo ferreo, haud difficulter comprehenditur, & paulatim, sicut vesicæ lapis euellitur, aut scalpello resecatur. Quibus factis in vterũ proijcies ea, quæ recẽtibus vlceribus proficua sunt, ne sanguinis fluxio iusto copiosior concitetur: quibus admiscebis quæ magis astringant, ac postmodũ quæ siccẽt, donec partẽ cicatrice obductã esse cõperias. Deinceps tamen prouidendũ est ne fœmina incautè viuat, sed instituto optimo viuendi modo in victu ac reliquis vitæ vsibus, curandum est, ne iterũ affectio reuertatur: quod facilè solet fieri, maximè si cibis vratur crassis, vel potibus largioribus frigidioribusque, ita vt cibi iterum recrudescant. Quamobrem donec habitus morbosus ad pristinũ statum redeat, hoc viuendi instituto vtendũ est, bisue corpus in anno purgandum, ne clam crassus ille habitus iterum succrescat.

De vteri vermibus. Cap. XXVIII.

NON satis inter grauissimos authores constat, an lumbrici alio in loco, quàm in intestinis generari possint, ob loci ac materiæ apparatum & commoditatem. Verùm quia ex Cleopatra & Prisciano constare scimus, in vtero aliquando reperiri, disputatione videtur dignum (quantum rei institutum patitur) an ibidem fiant, an aliunde in vterum permeent. Primum itaque experimento credendum censeo, quod docet in vesica vrinæ generari paruos, rotundos & albos lumbricos. Quod etiam vnica ratione videtur posse probari: nam si materia eadem & efficiens causa ipsissima in loco intestinis simillimo reperiatur, non capit intellectus, cur nõ possint in eâdem parte lumbrici fieri, tempore non deficiente. Quippe si causa est putridus humor, vt ex Galen. testimonio constat (quã sanè putredinẽ, non quamuis sed subiectam crassæ, crudæ & pituitosæ materiæ censemus: vel profecto eandem materiã putredini obnoxiam) vbi hæc pręfuerit, fieri quoq; lumbricos necessum erit. Atqui cùm hæc etiam in vtero & vesica reperiantur, mirum videri non debet, si ibidem pari ratione insint. Sed dices, quî fit vt tam rarò extra intestina appareant: id profecto accidit ob vteri grandes & apertos meatus, qui non permittunt tãdiu ibidem huiusmodi humorem immorari, quamdiu par est, vt lumbrici ex eo gigni possint: & quia in vesica acris & bilioſa vrinæ substantia, eaque copiosa immoratur, quæ aut putredini obsistit, aut vesicam à prædictis recremẽtis repurgat. Cõstat igitur quatenus ad materialem attinet causam in vtero posse lumbricos fieri. Efficiens verò causa cùm calor sit, constat, si consimilis in vtero reperiatur, eosdem quoque ibidem

ibidẽ fieri posse. Ex ijs enim quæ ab authoribus & rei natura desumpsimus, euidenter colligitur, duplicem prærequiri calorem in prædicto opere: alterum putredinosum & spurium, quem necessariò humori pituitoso & crasso inesse oportet: alterum verò naturalem & copiosissimum, qui author sit generationis. Ex quo elicimus, pueros hoc malo frequentissimè affici: quòd ex ciborũ ingluuie frigidis, crassis & pituitosis succis scateant: quos equidem, dum plurimũ crescunt, calorem præter naturam concipere est opus: quam dispositionem nacti (nam anteà, etiam si eadem habeant excrementa, lumbricis minimè infestantur) eò quòd pueri plurimũ habeant calidi innati, promptissimè lumbricos gignunt. Ad rem igitur: si vterus natura iusto calidior plurima ex his recrementis susceperit, comprehensaq; diu obtinuerit, donec putridũ calorem concipiant, rationi consonum videtur prædictos quoque lumbricos ibidem generari posse. Si quis tamen dixerit, non posse quantum sat est eo loco immorari excrementa, expendat primò plus præstare ad retentionem crassitiem ac visciditatem humorum, quàm iuuet ad expulsionem vteri commoditas: præterquàm quòd quantitas non est tam copiosa, quantum ea quæ intestinis immoratur: neque rursus id malum accidit, nisi ijs fœminis, quæ vias vteri habent naturaliter angustas, & ipsum vterum præter naturam calidum. Ex quibus causis prodit, vteri lumbricos aut paruissimos esse, aut eis, quos ascarides appellamus, persimiles: quos prope pudendum adnasci rationabilius est. Cuius sanè rei testis etiam est Hippoc. lib. 2. de morb. mul. per hæc verba. Si in pudendo mulieris, aut intestino recto ascarides nascantur, viticis folia ac semen cum fellis bubuli obolo permisceantur. Ex quo decreto euidenter constat, lumbricos quoque in vtero fieri posse, maximè tamen in eius extima parte & collo, recto intestino simillimos: idque ob copiosam pituitam rugis & vteri osculo inuiscatam, accedente nimio vteri calore. Sed Priscianus & Cleopatra euidenter docent ex intestinis in vterũ lumbricos migrare: quod etsi aliquãdo fieri possit, non ob id negandum est prædictis partibus posse quoque adnasci.

Signa.

Nec difficile admodùm est hos vteri lumbricos nosse: quippe dum adsunt, prurit natura, & venter ac totum corpus inquietudine molestatur, inundat vteri osculum & pudendum nimia pituita, non quòd ibidem sua sponte sit, sed quòd ex lumbricorum pruritu ac dolore, aliunde in vterum confluat. Sudant plerunque huius modi fœminæ, forsitan ex molestia: gracilescunt etiam & impotentes ac imbecilles fiunt. A somno quoque frequenter excitantur, & tumultuosè dormiunt, ac nõ rarò contremiscunt. Item aliquando inter menstruas purgationes ipsos lumbricos excerni conspicimus, & aliquando pudendo adaperto videntur conspicui. Præterea, sic affectæ febribus inordinatis maxima ex parte corripiuntur, & multa alia signa accidunt, quæ lumbrici intestinorum accersere solent: quæ sanè ob id consultò subticeo.

Curandi ratio.

Vniuersalem medendi rationem in proba victus institutione & optimo viuẽdi studio, sitam esse dubitabit nullus: ob id cibaria adhibenda sunt, quæ facilis & optimi nutrimenti sint, ac facillimæ coctionis & exsiccantis naturæ: ita vt in totũ cruditas præpediatur, ac distributio ad singulas partes facilè fiat, & insit quoque in alimento vis & efficacia exsiccandi crudos & frigidos humores. Potũ verò sic affectis institues ex decocto radicis chinæ, vel smilacis asperæ, anisi, vel cinnamomi: tandem eius, cui vires insint exsiccandi, roborandiq; ventriculũ & viscera omnia.

Verùm quia nõ sat est, victum commodè instituere, ni deinceps ad morbosum apparatum, & genitos iam lumbricos curandi quoque rationem conuertamus,

ob id vniuersum corporis habitum exsiccabis mollibus frictionibus conuenienti exercitio: tandem ipsum paulatim purgare oportebit ijs quæ pituitam & crudos succos purgare nata sunt, qualis naturæ est agarici infusum, syrupus ex infusionib⁹ rosarum Persicarũ, pilulæ mastichinæ, de hiera simplici Gal. de agarico, de aloë, electuarium Indum, & alia non pauca quæ superiùs diximus, & quæ etiã amarorem præter purgandi vim obtineant, vt commodiùs pituitam abradere & abstergere possint. Quo facto, quia huiusmodi lumbricos medicamento per os sumpto, non est ita facile interficere, ac eos qui in intestinis sunt, necessum quidem erit per vterinos clysteres ea in vterum infundere quæ pituitã abstergant pariter & lumbricos ibidem adhærescentes. Fiunt autem tales ex aqua & alumine cũ absynthij succo, aut abrotani, vel eorum decocto, & menthæ, calaminthæ, dictamni & pulegij cum melle: item ex aqua lupinorum cum hyssopo & melle, vel ex decocto mercurialis cum melle, absynthio, & aliquo ex suprà dictis: quibus si addideris aloës aliquid, vel aliud amarum, & abstergens, proderis maximè.

Exteriùs autem vteri regioni adhibebis cataplasma cõfectum ex lupinorum farina in hydromellite decocta: itẽ aliud facito ex melãthio & lacte muliebri. Huic quoque affectioni suum præsidium scripsit Hippo. lib. 2. de morb. mul. dicens: Si in pudendo mulieris, aut intestino recto ascarides nascantur, viticis folia ac semen cũ fellis bubuli obolo permisceantur. Quo loco alia etiam recensẽt auxilia huic vsui non minus proficua. Sed vtile quoque est illud auxilium quod paratur ex vtraque mentha, & absynthio, ac Persicæ folijs contusis, adiecto aloës puluere, lupinorum farina, & mica etiam panis torrefacti cum decocto lupinorum & melle. Pari etiã vtilitate fit aliud ex absynthij ac persicæ folijs, felle taurino, aloë, ac farina lupinorum, adiectis oleo absynthij & oleo amygdalarum amararum, & efformato cataplasmate cum oxymellite. Denique proderunt reliqua auxilia alijs partibus hoc malo vexatis vtilia: habet tamẽ hoc vnum lumbricorum vteri curatio, quòd ore sumpta medicamenta, quæ lumbricos interimere habeant, nequaquã admittũt, quòd iecur prætergredientia malum aliquod grauius haud difficulter moliri possint. Quod profectò in curatione lumbricorum qui intestinis adnascuntur, accidere ita facilè, est impossibile.

Et huius libri hic esto
finis.

LAVS DEO.

DE STERILIVM ET PRAEGNANTIVM AFFECTIONIBVS.

LIBER TERTIVS.

CVM mihi in animo fuerit, hoc vno volumine omnes fœminarum affectiones recensere, & curare: nulla alia scribendi ratio commodior visa fuit, quàm ea, quæ claro & distincto ordine, affectiones cuique fœminarum statui & conditioni proprias & peculiares complecteretur ac differeret. Ob id profectò tertium hunc librum sterilibus ac prægnantibus tãtùm dicare studui. In cuius prima parte sterilitatem, eius rationem, & causas ad vnguem exequi institui: nec non quales sint morbi, qui ipsam veluti manu faciant: ac rursus quales sint ij, qui eandem perpetuò sequantur. Pari prorsus ratione in secunda eius parte curabo vteri gestationis causas & modum expendere: atque etiam quales affectus ipsis prægnantibus comites sint: & insuper si quis alius ex grauioribus superuenerit, quali methodo & prouidentia vtero gerentes tractare præcauereque oporteat. Quæ omnia si exactè ac diligenter expenderis, mihi non est dubium, quin maximam tibi & laborantibus vtilitatem sis allaturus.

De sterilitate in genere.

Cap. I.

QVantum naturæ interfit, fœminas mareſque fœcundos esse, ac prolem procreare posse, nemo profectò ambiget: nititur nãque ipsa maximè suum opificium immortale construere: id verò cùm non posset ob materiæ caducitatem & corruptibilitatem, noua quadam mirabiliq; ratione inuenta, loco vnius animalis, ne species perirent, nouũ aliud effingere instituit, noua prole reficiens quod quotidie caduca naturæ conditio perdit. Prouida etenim natura & suæ conditionis gnara, quæ corruptibilis erat & caduca, omnibus rebus, nitẽs sui generis perpetuitatem tueri, insitam quandam generandi potentiam tribuit, qua perpetuum fieret in specie, quod in individuo fieri nequibat. Cui sanè operi perficiendo, distinxit omnia quæ per propagationem fiunt, in marem & fœminã, deditque vtrique semen prolificũ & instrumenta generationi idonea. Sic profectò emolumẽtum maximum dulcissimumq; mortalibus præstat, quod est, amabilis sobolis continuatio, cuique iuxta naturam suam simillima. Propter quam etiam feræ & belluæ, pisces atque aues pugnant, & in laboribus gaudent & delectantur. Fuit enim sterilitas antiquitus tam detestabile malum, vt Platonem scripsisse cõstet. 4. de legum latione, fœminam sterilem ablegandam esse à matrimonio, quòd esset cum ea inane, & irritum matrimonium. Sic quoq; olim obstetricũ

officium antiquitatem extuliſſe,ex Platone in Theæte.conſtat: illæ enim tãquam pronubæ in conficiendis nuptijs,in conſiderandis coniugijs,quam cuique ad amabilem filiorum procreationem iugare oporteret,optimè callebãt: haud ſecus quã peritus agrorum colonus,qui qualem agrum quod ſemen expoſcat,probè intelligat.Quamobrem.5.aphoriſm.57.Hippoc.dixiſſe cenſeo.Si mulier non concipit, ſcire autem velis an conceptura ſit,&c.quaſi probans ad coniugium qualis fœmina ſit apta.Atque cùm crebrò in aliquo ſtemmate,ad quod regni, poteſtatis aut imperij,vel reliquorum bonorum dignitas ſpectatur,hæres deſideretur, ob virorum, ſed frequentiùs vxorum ſterilitatem, ne tanta dignitate ſtemma quoduis priuetur, peculiari diligentia curandum eſt,id naturæ exitium,quantum ipſa permiſerit,auferre. Verùm ne quis(vt frequenter fit) in fœminas omnem culpam regerat,inutiliterque illis, non citra maximum damnum præſidia adhibeat: ſcire oportet, non minùs ſteriles eſſe pleroſque viros,quàm fœminas ipſas.Quamobrem vtriuſque ſterilitatis ſeorſum meminiſſe,erit operæpretium.Antè tamen ſcito,quòd præter ſterilitatem quæ ſic affectæ ſunt fœminæ, grauiùs à quouis morbo premuntur, quàm quæ pepererunt. Inquit enim Hippocrat. lib. 1. de morb. mul. Si verò etiã affectio aliqua mulieri quæ iã peperit accidat, vt mẽſes venientes probè purgari non poſsint, faciliùs dolorẽ fert,quã ſi non peperiſſet. Aſſueti enim ſunt vteri, & corpus idoneũ vt impleatur, vtpote in vẽtre habenti,& ſimul multa amplitudo in corpore eſt.Ex qua ſententia euidenter conſtat, quanti momenti ſit ſterilitatem remouere:tũ ſanitatis tuendæ gratia,tum verò ob rationes à me nuper adductas.

Ante tamen quàm ſterilitatis naturam & differentias patefaciam,neceſſum eſt docere vterum in conceptionis munere tria exequi officia.Primum quidem ſemẽ ſuſcipere à viro facilè & auidè tenetur.Secundum,ſuſceptum continere, foueregꝫ rectè vſque ad fœtus perfectionem.Tertium verò quã facillimè ipſum pellere poſt integram maturitatem & perfectionẽ. Sic profectò primo officio aſsiſtit vis vteri attractix:ſecundo retentrix:& tertio eius expultrix.Quæ ſanè potentiæ,non ſunt hæ quibus vterus alitur & alicit ſibi alimẽtum, aut excremẽta ex alimẽto reſidua pellit,ſed aliæ quæ huic mẽbro ad prædictũ concipiendi miniſteriũ præſtita ſunt. Sic in vnoquoꝫ horũ munerũ tripliciter quęuis harũ facultatũ poteſt aberrare:nã aut nihil,aut diminutè,aut praue ſuũ munus exequitur. Verũ vtcunq; ſit,vno è tribus modis,ſeu vna è tribus cauſis id fieri cõperimus:nã aut vitio ſit vteri,quòd ſiccior vel humidior redditus ſit,vel quouis alio affectus damno:aut ſeminis vtriuſq; vel alterius, cùm neceſſum ſit ex vtroque in conceptu fieri vnum, & adinuicem coagmentari, eſſeꝫ veluti agens vnum:aut vltimò vitio ſanguinis menſtrui.

De fœminarũ ſterilitate

Eſt igitur ſterilitas vitiũ vteri,quatenus inſtrumentũ eſt,concipiẽdi officio dicatum.Succreſcũt equidẽ vtero,quatenus generationis eſt inſtrumentũ,tria vitiorũ genera,iuxta celebrẽ illã ſympthomatũ diuiſionẽ,quã Gal.adducit lib.de diff.ſympto.Quippe vitiatur cuiuſuis inſtrumẽti actio,aut ablata ex toto operãdi potẽtia, aut diminutè agẽte,vel corruptũ & mõſtruoſum progignẽte effectũ. Sic profectò ex fœminis quædã omnino nõ concipiunt,quas peculiari nomine ſteriles appellat Hipp.De quarũ etiã ſterilitate ſic locut⁹ eſt Ari.li.2.de gene.ani.c.5.Nã & à primo ortu naturæ,locis ad coitũ incõmodis læſis, ſteriles & mulieres & viri redduntur, vt alteræ nõ pubeſcant,alij nõ barbeſcant.Aliæ rurſus ex fœminis concipiunt quidem,ſed fœtum perficere nequeunt,quibus neceſſariò contingit abortire: eſt ſanè hæc diminuta vteri actio.Pleræqꝫ inſuper cõcipiunt quidẽ & continent, cæterùm mon-

monſtroſum quid in vtero gignitur, qualis naturæ exiſtit mola à medicis appellata.

Primum ſanè ſterilitatis membrum, quod in genere abolitarum vteri actionũ (potiſsimùm earum quæ illi, vt concipiendi inſtrumẽtum eſt,referuntur) cõſiſtit, quadruplicem ſterilitatis ſpeciem complectitur:nam mulieres ſteriles fieri cõſtat, primò ex ingenito ſibi vitio & naturali quodam defectu à primæua conſtitutione contracto, quod emẽdari arte aut ingenio minimè poteſt:quarum meminiſſe Ariſtot.loco nuper citato conſtat.Quam equidem ſterilitatis ſpeciem nouiſſe plurimùm confert,ne ſi eam inſcienter curare ſtudueris,ipſa non curata, in incurabiles affectus fœminam deferas.Quod proculdubiò frequentiſsimè contigiſſe conſpicimus,vt Hippocrat.ipſi accidiſſe conſtat,qui vt ipſe.5.lib.popu.refert, ex catapotio ad ſterilitatem auferendam exhibito,mortem fœminæ inopinatò compara uit:ob id profecto huius ſterilitatis cognitionem & prouidentiam obtinere oportet,antequàm curationem aggrediaris.Alia rurſus ſterilitatis ſpecies eſt quæ non abſoluta(vt præcedentem eſſe diximus)ſed per collationem fœminæ ad proprium virum exiſtit.Cuius profectò ſortis haud paucas reperies ſterilitates,quas ob id nihil commodi ex præſidijs capere conſpicimus,ſed conantes ſterilitatem in fœmina curare,aut nihil proſumus, aut maius aliquod malum efficimus.Cuius ſanè curationem non à nuda ſterilitate, ſed ex collatione facta inter virum & fœminam (quantum nimirum quiſque ab altero diſsideat cognoſcẽtes) aggredi oportebit. Tertia verò ſterilitatis ſpecies ex morboſo aliquo affectu proficiſcitur,quæ aut ætate mutata,aut medicorum diligentia,vel vtroque modo auferri poteſt. Pleræque enim ex ijs quæ in iuuenta non pepererunt, in conſiſtente ætate fœcundæ factæ ſunt.Quarta denique & vltima eſt earum fœminarum quæ pepererunt quidem, verùm à primo aut ſecundo partu ſteriles effectæ ſunt. Quarum omnium meminiſſe ſeorſum,erit operæpretium,initio ſumpto à cõmunis ſterilitatis cognitione: nam poſteà iuxta cuiuſque cauſam peculiaria monſtrabo ſigna.

Sterilitatis in genere ſigna & probatio.

Multa ſanè ſunt quæ fœminarum ſterilitatem monſtrare poſſunt, & in primis natiua & naturalis cuiuſque fœminæ temperies,aut totius corporis intẽperamentum,vel vteri habitudo.Cuius gratia Hippocrat.dixiſſe cenſeo.5.aphoriſmor.46: Quæcunque præter naturam craſſæ non concipiunt vtero, ijs omentum os vteri comprimit,& priùs quàm extenuentur,non concipiunt.Quod etiam de nimium extenuatis & gracilibus ex eodem authore probari poteſt.Ob id quoque Hippocrat.dixiſſe conſtat.Quæcunque frigidos & ſpiſſos vteros habent, non concipiũt. Et idem refert de humidis & ſiccis eãdem ſententia.Sed clariùs lib.de natu. mul. eadem verba refert dicens:Si os vterorum cõcludatur,fortè fit velut groſſus ficus, & ſi digito contigeris,comperies durum & contractum,& digitum non intromittit,& menſes occultantur,& genituram non ſuſcipit. Quæ ſigna communia exiſtunt his,& illis,quas craſſum & ſpiſſum habere vterum dixerat. Sed frigidorum vterorum recordatus eſt lib.2.de morb.mulie.dicens:Cùm verò perfrigeratur vterus,& onus inſitum eſſe videtur,& color non eſt clarus, & compactus eſt vterus. Qua ſententia de morboſa frigiditate & extrinſecus accepta,videtur loqui. Sed ſterilitatem nõ minus venaberis ex mulieris ipſius voce quæ aut aſpera,craſſa, vel rauca futura eſt.Idem quoque oſtendit fœmina, quæ pilos habet circa pudendas partes craſſos, nigros, & hirſutos,quales viragines obtinere ſolent: maximè ſi in mento nonnullos habuerit,moreſq; ac robur nanciſcatur virile.Sic quæ calidiores & hirſutiores exiſtunt, non concipiunt. Pari prorſus ratione ſteriles exiſtimare

oportes

oportet eas quæ in membro aliquo principe insigne malum aut vehemens intemperamentum perpetiuntur. Sterilitatem monstrat inordinata menstruorum fluxio, diminuta, vel supra modum copiosa. Fœminam prætereà esse maximis laboribus deditam, infœcundam sterilemque fore euidèter constat. Item ea quæ strictum habet ventrem, & coxarum ossa plurimùm coniuncta, sterilis censenda est: sicut quæ salacissima, nigrioris coloris, & pilosi corporis extiterit: vel membrum aliquod princeps admodum calidum obtinuerit. Quibus exactè in fœmina pensatis, quia frequenter accidit non semper sufficere ad integram sterilitatis cognitionem, vsque ad experimentum & probationem deueniendum esse consulunt authores omnes.

Primus omnium Hipp. mulierem pānis vndequaque circumseptam thuris, styracis, sylphij, aut cyphei suffumigio subter suffire iussit, & in Apho. ac si odor tunc videatur per corporis meatus internos ad nares & os permeare, tunc mulierem nō sterilem ex se ipsa iudicabis. Et lib. de steril. netopum vnguentum lana exceptum & pessi figura efformatum, ac in vterum per obstetricem immissum, id experimentum etiam ostendere refert, si subdita, per os manè olfecerit, fœcundā fore & concipere posse affirmat. Ac subdit. Caput allij derasum & purgatum integrum ad vterum exponat, & si per os postridie olfecerit, concipere poterit. Sic profectò cùm oculi spermaticis, vt ferunt, à cerebro poris, affines, qui adeò coitu alterantur, afficiunturque, vt genituram emissuri, plerique conniuere vel nictari euidenter cogantur, eò fit, vt illitis eorum angulis cum croco, fœcunditatē, & an seminales pori obstructi sint, experiri possimus. Id quod Plinius fieri posse testatur, dicens: Fœcunditatis in fœminis prærogatiuam accepimus, inunctis medicamine oculis saliua infici. Quod etiam Aristot. 2. de gener. anim. cap. 5. docuisse constat: à quo censeo Gentilem mutuatum fuisse fen. 3. 3. Auicen. tract. 1. cap. 1. Inquit enim Arist. Mulierum fœcunditatis probatio suffitu fit, vt odores subeuntes vterum, efferātur ad locum spirandi, & afficiant halitum: atque etiam illitu, aut colores oculis impositi, saliuam oris inficiant: nam nisi hæc ita fiant, meatus corporis, per quos excrementum decidit, obstructos & obcæcatos esse significatur: sedes enim oculorum maximè omnium capitis locorum seminalis est: quod patet, quia sola ipsa per coitum venereum manifestè minuitur & languet: causa est, quòd natura genituræ similis cerebro est, & aquosa vtraque. Verùm inter probationes potissima est quæ de galbano scribitur, quem si igni emollitum, sericoque inclusum muliebris vteri stomacho nocte indideris, & caput mulieris purè lotum, linteolo, & reticulo inodoratis tamen obligaueris, manè si vertex mulieris galbanum redolet, mulierem probè purgatam & esse fœcundam ne dubites. Idem experieris, si parum balsami aqua admixtum bōbace exceptum, in vterum immiseris, femorique alligaueris, quod si tunc vterus traxerit, fœcunditatis est probatissimum signum. Prætereà fœminam probat pessus ex aristolochia cum melle impositus in ceruice vteri, ac si saliua dulcescat, fœcunda proculdubio censetur. Cuius sanè sortis alias non paucas reperies probationes apud Hippocrat. lib. 1. de morb. mul. quas breuitatis studio prætermitto, consulens harum omnium sterilitatū, ei minimè esse curatrices manus adhibendas quæ ex natiua sorte, & ab stricta viarum structura proficiscitur: neque rursus ei quæ ex habitu impensè calido ita vt semen conterat, aut ex nimis frigido, qui genituram extinguat, principium sortitur, ne nimium curationi frustrà innitentes, mala quæ superiùs retulimus inopinatò eueniant. Ob id ea vitans pericula supersedeo ab sterilium quæ tales natura existunt, curatione, diuidens reliquarum medellam in quatuor potissima capita: quorum primum fœminæ sterilitatem tractabit, facta collatione ad virum: secundum quod maius faceſsit negotium, sterilitatem morbosam: tertium verò sterilitatem ad tempus, hoc est, de fœminis quæ pepererunt, sed parere ante tempus desierunt: quartum porrò & vltimum de virorum sterilitate, ne fœcunditati quicquam deesse videatur.

De fœminæ sterilitate per collationem ad virum.

Cap. II.

CENSEO quidem plerasque fœminas, facta collatione ad viros quibus cōiunguntur, steriles esse potiùs, quàm absolutè & morbosè: quod Stoici, vt memorat Gale. lib. de historia phi. statuerunt: quorum sententiā sequutus est etiam Lucretius. 4. de natura, docēs plures fœminas steriles euadere, quòd viris non conueniant. Quas cùm medici nulla distinctione facta, curare aggrediuntur, in veram sterilitatem, aut grauius aliquod malum delabi antè cogunt, quàm quid vtile ex inconsideratis auxilijs præstare possint. Ob id primò hoc distinxisse oportebit: nam quemadmodum in omnibus quæ è terra nascuntur, non quoduis ex quauis terra nasci, aut augeri potest, sed determinatum statutumque est vnumquodque semen peculiarem terræ conditionem sibi exposcere, esseq; terrarum plerasq; quæ quibusdam seminibus proficuæ & necessariæ existūt, alijs verò inutiles, & omnino contrariæ: ita prorsus in hominis generatione cōtingere censendū est. Nam licèt fœmina suapte natura fœcunda existat, prærequirit tamen semē sibi congeneum & affine, citra quod genituram procreare nequit: id quod de viris etiam subaudiendum est pari pensu. Quid enim præstat fœcundum præbere semen, si fœminę vterus longissimis interuallis à suscepti seminis natura distat. Quamobrem dictum est ab Hippocrat. eisdem rationibus vteri fœcunditatem, quibus agricola sui agri fertilitatem, metiri. Nam vt seminis fœcunditatem frigiditas & agri spissitudo, vt emergere non possit coërcet: sic per angusta frigore inspissanti vteri vasa, ad incrementum embrionis, non nisi sanguis, isque serosus perlabi potest, quibus nec secundæ aut cotylidones cum vmbilico formentur, adnasci possunt, ac perinde in vteris humidis genituræ, vt in paluſtri solo cerealia extinguūtur & suffocantur: & vt in agro sicco & calido defectu alimenti semina marcescunt, sic arida vteri caliditate prolifici seminis humorem insumi & aduri par est. Necessaria igitur est commensurata materni vteri, & virilis seminis temperatura: nec tamen inficiabimur (vt paulò inferiùs latiùs probabo) dispares in qualitatibus vtriusque coniugis intēperaturas mutua actione corrigi, & fœcunditati non semper & vtcunque obsistere. Conspicimus enim non rarò viduas in primò coniugio steriles, alteri verò marito nuptas, fœcundissimas fieri. Cuius euentus causas & probationem ad vnguem exequi oportebit, vt cuiq; pro exuperantia vel defectu, in quo dissidium consistit, proficuum præsidium adhibere possimus.

Probatio an fœmina vel mas sterilis sit.

Primum quidem omni arte exquirendum est, cuius nam sterilitas sit, viri ne, an mulieris. Quod licet multi ex vulgato quodam experimento indagare conentur, non tamen ex toto vitio caret probatio illa. Nam vir etiam si vxorem cum priore

Ee marito

marito fœcũdam implere non posit,aut fœmina,si ex marito cũ prægressa vxore fœcundo non concipiat,nõ ob id eos existimare oportet steriles esse. Fieri enim potest,vt priùs iuncti temperati fuerint,aut contrario præditi tẽperamento, & ob id fœcundi:nunc verò vidua fœmina aut vir iungantur intemperato dissimili gradu aut modo,ita vt omnino generationi obsistant,& sic infœcũdi supersint: quòd fœmina quæ fœcunda erat anteà,nequeat commutare noui mariti semen ob disparitatem,alioqui sua sponte prolificum. Quamobrẽ certius signum iudico quod Auic.fen.21.tracta.1.cap.9.adducit desumptum ex Rasio. 22. conti. nimirum, vt proijciantur vtriusque semina super aquam,ac quod supernatauerit,sterile iudicetur,licet semen mulieris colligere sit difficile & suspectum. Sed aliud eiusdem authoris facilius videtur, scilicet non ita certum, nempe cuius vrina super radices lactucæ sparsa,aut plantam tenerrimam,ipsas exsiccauerit,eiusdem sterilitas censetur. Tertium quidem ex Galen. acceptum non minoris est momenti. Sumantur(inquit)fabæ & grana tritici ac totidem hordei,& ponantur in vase,& totidem grana in altero,& super illa mingat alter coniugum, & si post septem dies nascantur, is cuius erat illa vrina,fœcundus existimabitur:infœcundus verò, cuius grana non nascuntur. Quam etiam probationem monstrat malua quæ non arescit post mictum viri aut fœminæ:quòd si vrina iniecta arescat,sterilitatẽ cuius erat vrina, monstrat. Idem iudicium elicies,si vir dies circiter nouem aut plures vrinam emittat super furfures vase aliquo coctos,& mulier pari ratione in aliud vas,& in cuius vase vermes citiùs nascuntur,eiusdem profectò sterilitas est. Sed maximè id cognosces ex totius corporis temperamento,nam steriles sunt mulieres viragines,& viri effœminati:item plerisque menstrua desunt:alijs semen profluit exile,frigidũ, ac fluxui paratissimum. Quippe infœcundum semen est tenue:fœcundum verò, quod grãdinis speciem refert. Docet quidem Auicen.fœcundum viri semen debere esse album,tenax,splendidum,ad quod accedunt muscæ & comedunt ex eo, & odor eius est vt odor florum palmæ & iasmini, scilicet valde suauis. Est etiam infœcundum puerorum & valde senum:item virorum à primo exortu impuberum. Sic enim fœminæ steriles sunt quæ pubem & pudendi sinum habent glabrũ, vel nimis hirsutum. Quod etiam comperies ex veneris appetentia cita, tarda, remissa,intensa:item ex seminis emissione lenta, vel celerrima: à seminis quoque consistentia,quantitate,qualitate,& à plerisque alijs quæ in causarum expositione latiùs docebo. Interim tamen scito,viros fœminis satisfacere nõ posse,nec fœcundos esse,qui natura timidi,actus exercent muliebres, voceque fœminas referunt: pudenda pilis nudata habent,aut barba exiles & pauciss imos nanciscantur pilos: nam cùm huiusmodi gelidam testium sortiantur temperaturam, minimè poterunt generationi inseruire.

Is item sterilis censendus est,qui plurimis fœminis deditus ex nullo concubitu fœtum produxit. Mulierem etiam sterilem dicendam censeo,cuius crassa vox est, pilique multi & duri & rigidi pubem obsepunt, mistacem mentumque barba circundat, quæ etiam plurium virorum amplexus experta, nunquam vtero gessit. Refert quoq; Hipp. hæc verba lib.2.prædict. Ex mulieribus quę magis ac minus in vtero concipere solent,ita considerationẽ facere conuenit. Primũ quidem specierum:paruæ enim ad conceptionẽ præstantiores sunt maioribus,tenues crassis, albæ rubicundis, nigræ liuidis. Quæ itẽ venas conspicuas habent, meliores sunt, quàm quibus non apparent:carnem autem vberiorem habere aniculæ malũ est, mammas autẽ tumidas ac magnas,bonum:atq; hęc quidẽ ad visum exposita sunt.

Verùm

Verùm interrogare oportet etiam de menstruis purgationibus, an omnibus mensibus compareant, & an copia satis magna, & æquales in singulis temporibus, & in eisdem mensium diebus: sic enim has fieri optimum est. Locum verò in quo conceptio fit,sanum oportet & siccum ac mollem esse. Sit item nec retractus nec pronus,neque os ipsius sit auersum, neque conclusum, neque euersum. Fieri enim non potest, vt conceptio fiat, quodcunque tandem talium impedimentorum affuerit. Quorum omnium rationem habere oportet, vt prudens medicus cuique iuxta indigentiam id præsidium adhibeat, quod profuturũ intelligit.

Causæ sterilitatis vtriusque coniugis.

Ex omnium authorum decreto cõstat, potissimam sterilitatis per collationem causam esse, vtriusque coniugis dissidium in naturali & proprio temperamento. Nam cùm diuersa,quæ vnum constituũt,certam quãdam proportionem sibi adseruare teneantur, vt ex eis tertium aliquid fieri possit, vbi hæc proportio non reperitur, neque vtriusque seminis vnio fit, perdifficile quidem est ex eis vnum constitui. Ferunt quidem multi temperatum virum in temperata muliere optimè & fœcundissimè generare. Alij rursus existimantes similia inter se non posse agere, censent neque eos qui eiusdem sunt temperiei, neque qui temperata fruuntur commoderatione, posse vsquam generare: ex quo proferunt fœcundiores esse qui contraria constant temperie. Fulciunt quidem omnes suam sententiam verbis quibusdam Galen.lib.5.Aphorism.63.quæ in hunc modum se habent. Tam mulieres,quàm viri,si temperie quatuor qualitatum potiantur, generant, quamuis temperie illa priuatis commisceantur,intemperati verò nunquam generant, nisi contraria intemperie præditis iungantur,vtpote calidi frigidis,humidi siccis,& sic de singulis. Quam equidem sententiam sic expositam constat difficilem esse, & sibi aliquo modo contrariam. Nam si verum esset,intemperatos solis intemperie eorum naturis contrarijs copulatos gignere,quî poterũt temperatis iuncti generare, vt prima pars sententiæ Galen.profert? Neque sat erit dicere,temperatas naturas intemperatis quibusuis contrarias existere:quoniam idẽ author paulò inferiùs satis manifestum facit: sed de ea loquitur contrarietate quę inter vtraque extrema, non inter alterum extremorum & medium posita est. Quamobrem placet magis interpretatio Mercurialis lib. variarum lectionum: nimirum, quòd temperati, si temperatis misceantur, semper gignunt: intemperati verò, tunc solùm, quando contrarijs suæ temperiei copulantur. Quod etiã Lucretius his carminibus probat.

Vsque adeò id magni refert, vt semina possint
Seminibus commisceri generaliter, apta,
Crassaq; conueniant liquidis, & liquida crassis.

Ex quibus ego hanc infero rationem,nempe temperatam vtriusque coniugis naturam fœcundissimam esse, fœcundam quoque intemperatam vtriusq;,dummodo non sit distemperantia in extremo,& vehemens: quippe tales infœcundi existunt omnino. Item infœcundi ratione intemperamenti fiunt, qui similem obtinent temperiem,si ambo calidi sint,siue frigidi,humidi ac sicci:nam eorum semen nullam,cum simile sit,præstat actiuitatem: quam ad generationem prærequiri probat Galen. lib. de natura humana. Quòd si quis dixerit, temperata

corpora eſſe ſimilia,& ob id debere eſſe infœcunda, expendat numeris non paucis diſtare temperatum fœminæ corpus à viri corpore temperato:nam iuſtitiale cuiuſque ſexus temperamentum, multis numeris ab alterius temperatione diſſidet,& ſic diuerſa quodammodo ſunt temperata viri & mulieris corpora,quantum ſat eſt ad fœcunditatem. Quapropter temperatum intemperata ob hanc diuerſitatem generare optimè poterit, quod ſimiles neque ſummè contrarias habentibus intemperantias, accidere minimè poterit. Hanc ſanè ſententiam Gale. loco citato his verbis ex Hippoc.probat. Primum itaque neceſſarium eſt generationem huius non proceſsiſſe ab vno:quo nã enim pacto,quod vnum eſt,generare aliud poteſt,niſi cum aliquo commiſceatur?deinde neque miſcentur, neque generant,niſi ſint eiuſdem generis,eandemq; habeant facultatem, neque ſimilia nobis efficientur:rurſus niſi calidum frigido,& ſiccum humido,modo & æquabilitate reſpondeat,ſed alterum alteri longè præſtabit,& valentius infirmiori, nihil generabitur. In qua ſanè Hippocrat.ſententia Gal.inquit citra vllam aduẽtitiam opem nondifferret fœtum,ne in paucos quidem dies, quin è veſtigio expullularet:non enim ex ſe ipſis tantùm obtinent ſemina,vt producant,ſed externum deſiderant auxilium.Quas ſanè actiones neque à ſimilibus,neque à ſummè contrarijs fieri poſſe certum eſt. Ob id cenſeo Hippocr.dixiſſe.5.Aphoriſmor.62. Quæcunque frigidos & ſpiſſos vteros habent, non concipiunt. Et quæcunque præhumidos habent vteros,non concipiunt : nam extinguitur genitura. Et quæcunque ſicciores feruidioreſque: nam alimenti difficultate tabeſcit genitura (quaſi excedentes intemperantias damnans)Et quęcunque ex vtriſque mediocrẽ habent temperationem,hæ fœcundæ ſunt.Subdit huius rei rationem Gale.lib. 1. de natu.hum.ac transferens eandem doctrinam, quam de temperamento totius corporis retulerat,ad temperationem vteri, partium genitalium & vtriuſque feminis,inquit.Nam de vteri temperamentis quæ dixi, hæc quidem de genituræ temperamento intelligi debent,vt quæ nunc iuſto eſt humidior,aut algidior,nũc ſiccior vel feruidior. Eſt autem vtero ſicciori familiaris humidior genitura:humidiori ſiccior,æquè vt calidiori frigidior,frigidiori calidior.Itaque minimè poteſt ex duobus coẽuntibus aliquid gigni, ni mutua inter ipſa familiaritas ac mediocritas,ex attemperatione vnius cum altero ex coẽuntibus prodeat.

Sed ne huius præſtantiſsimæ cauſæ(quæ coniugium frequentiſsimè ſterile efficere habet)varietate,rerum integram cognitionem obſcuremus,præter cõmune totius fœminæ & vteri temperamentum,à quo id proficiſci diximus, pudẽdarum quoque partium varietatem ac mutuam intemperiem docere oportet,vt conſtet cuius coniugũ vitio ſterilitas prodeat.Qua in re expendere priùs oportet teſtiũ, viri,& fœminæ naturã,deinceps pudẽdi virilis vitiũ,collatione facta ad vteri ſinũ, & vltimò ſeminis vtriuſq; differentias:nam de morboſis diſtemperãtijs & affectionibus,ſequenti cap.diſputabo.Penis igitur virilis,vel longitudo conuenienti maior,quæ vterum plurimùm feriat,ſterilem efficit concubitum:item eiuſdem breuitas quæ nondum os vteri attingere poſsit,inanem efficit ſeminis emiſsionem:non enim recipitur in vtero,ſed à pudendis ocyſsimè prolabitur.Eãdem ratione virile membrum latius,aut craſsius quã par ſit,vel ſuſtinere fœmina nequit, vel adeò os vteri aperit,quòd hiare ipſum faciat,donec ſemen procidat,vteri oſculo nequeũ ſe comprimere præ dolore & extenſione nimia.Item viri ſemiſpadones generare nequeunt:vel qui nimis obeſi ſunt,quia in vterũ eiaculare ſemen non poſſunt, quòd ventroſi nimiùm exiſtant. Præterea viri teſtes conferre ad vteri & teſtium fœminæ

fœminæ temperiem: nam ſi calidiores exiſtant, ſemen exuſtum & infœcundum emittunt:item frigidi ſterile progignunt,frigidum,ac maximè labile. Quę ptocal dubio omnia ad fœminam transferenda ſunt, quippe ſteriles exiſtunt,quibus os vteri hiat, aut clauditur plùs quàm par eſt, illud quidem ſemen reijcit: hoc verò non admittit. Item ſi meatus ſeminarij naturaliter in obliquum tendunt: vel pudendi os nimis ſtrictum ſit,vel plurimum patens & grande. Vterus pari ratione ſupra modum calidus ſemen exurit, ſicut frigidus ipſum extinguit: quod pari lege de teſtibus ſubaudiendum eſt. Quibus cauſis alia non minoris momenti accedit,cùm videlicet vteri os in coitu dolitat,& ſanguis proſilit: cuius affectionis Hippocrat. meminiſſe conſtat,lib. de ſteril. per hæc verba.Si verò à coitu imum ventrem dolet,& ſanguis recens ipſi appareat, lini ſemen tritum & muſcum mollem, & adipem anſerinum mixta molli lana excepta imponito. Eſt enim vteri officium non ſolùm ſanguinem purgare & copioſum habere, ſed ſemen ſuſcipere,attrahere,vndique complecti,& ex eo aliquid parentibus ſimile efformare, & formatum retinere, & opportuno tẽpore pellere, in quibus ſi defecerit,ſterilis cenſendus eſt.

Sed in ſemine coniectare quidem oportet qualitatem,quantitatem,& ſubſtantiam,ac excernendi tempus.Semen igitur tale eſſe oportet quale depingit Ariſto. lib.3.& 7.de parti.ani.& 7.de gene.anima.dicens.Semen generationi aptum ſit album, ſplendidum,globoſum,florum ſambuci modo odorum, quod in aquam iectum,fundum petat.A viro tamen infœcundũ excernitur ſemẽ, cùm feruidum fuerit,& veluti torrefactum, vel frigidum, tenue & aquoſum,quale decrepitorum eſt,& eorum qui aquæ nimis ſunt potatores, vel quaſi puerorum,aut ebriorum, & helluonum,ac pituitoſorum,aut acrius & ſiccius, quod infœcũdum exiſtit:niſi moderatiſsima, aut appoſita ſeminis fœminei natura fœcundum ex attẽperamento reddiderit. Sit præterea moderatum,nam parcius generationi non ſufficit,copioſius ægrè concipitur,& malè à mulieris ſemine nutritur aut refouetur.Quas etiã conditiones in fœmineo ſemine ſpectare opus eſt. Sic etiam in fœminis viæ ſeminales anguſtæ,quæ impediunt quominus debito & æquali tempore ipſum in vterum decidat,non parua ſterilitatis cauſa eſt:ſicut ſemen in vtero diu retẽtum priùſ quàm ab ipſo vndique concipiatur: reſoluuntur enim ſpiritus & calor,& inutile fit.Sterilem quoque hac lege efficit concubitum excretio ſeminis cuiuſque coniugum ante tempus & paritatem facta: nam quod receptum primò eſt,vel ante prolabitur,vel quod vltimò emittitur,nõ ita auidè amplexatur vterus:vt conſtet quãtum errent qui cenſent ſemine à viro in balneum proiecto, fœminam,ſuſcepto illo in balnei ingreſſu,concepiſſe.Præterea ſterileſcit concubitus,ſi coitus coitui accedat,& maximè ſi concubitus coactus fuerit:quod potiſsimè contingit in ijs qui inuiti ſine amore iunguntur:voluntarius verò & iocundus fœcundiſsimus exiſtit, niſi nimium ſit ardens.

Coniugum præter hæc omnia ætas incommoda immaturaque ſterile efficere euidenti obſeruatione comperimus:nam ætas maris annis duodecim (quod multi tenent,ego tamen non probo)fœminæ quatuordecim minor:& illius annis ſexaginta,huius verò quinquaginta maior, rarò fœcunda exiſtit, aut malè fœcunda:vt ex Ariſt.4.de parti.ani.euidenter conſtat,licèt aliquando contrarium accidiſſe ſcriptum ſit.Et Hipp.fateatur,lib.2.popu.par.2.ſex.18.de coriarij vxore, quæ cùm iam eſſet menſtruis orbata,& multos annos habuiſſet,filium conceperat,non ſine magna multorum admiratione.

Ætas enim conceptui aptior, multis decem & octo annorum probatur: ego quidem decimumquartum quàm legitimum esse terminum legitimæ conceptionis censeo: licèt vt dictũ est, fœmina antè posit cõcipere, debiles tamen fœtus, & cum periculo aborsus. Cæterùm plures ex ijs quæ ante hoc tempus nubunt, sterilescunt prorsùs, si vterus sit valde imbecillus, diruptis vasis & vtero nimium excalfacto: idque maximè si virile membrum magnum sit, & puella partu vel semen viri vitiosum. Quod etiam sentire videtur Plato loquens de nuptiarum tempore lib. 6. de legibus, dum in masculis à trigesimo ad trigesimum quintũ, in puellis à decimosexto ad vigesimum, coniugium præcipit. Quo profectò fit, vt quæ aliter faciunt, à primo partu steriles euadant, ac malè in genitalibus afficiãtur, & plerunque sic geniti parum mente valeant. Vnde non mirum est, si monstrosi aliquando principes, & magnatum primogeniti, aut non plurimùm vitales & firmi nascantur: nam ob imperium & maioratum vel pueri puellis adiunguntur, aut senibus puellæ. Sed in hac re paulò diligentiùs sententiam proferre oportebit, quod multis vsibus proficuum fore arbitror, tum iuris peritis, tum etiam parentibus qui filias student viro committere. Primò itaque ætatem viro maturam, aut in viro aptã ad fœminam, annorum numero non esse metiendam certissimum est, apud viros strenuos & in bona philosophia peritos, nam robur ad actiones potiùs ex temperamento comparatur, quàm ex tempore: quod qui ignoratunt, in mille errores delapsi sunt: sic enim Plato, & alij virum & fœminam non esse coniugio cõmittendos ante trigesimum annum, & in fœmina ante decimum octauũ. Quos equidẽ authores arbitror magis robori cõparando studuisse, quàm mẽsos esse ætatem coniugio aptam: alij vero ætatem fœcunditati aptiorem exquirentes, in viris scripserunt. 18. annum prærequiri, & in fœminis. 14. Sed sanctè & piè sacri canones statuerunt ad matrimonium ptærequiri in viro pubertatem, hoc est. 14. annum, & in fœmina. 12. nam sedandæ concupiscẽtiæ muneri, quòd matrimonij alter est vsus, sat erat eam ætatem seligere quæ ad virum citra noxam salutis, aut fœcunditatis in fœmina sufficiens esset, nam eo tempore, iam vt inquit Aristot. frattare fœminę vbera incipiunt, & semen ob acutiem & maturitatem ad coitum excitare, & maiori ex parte. 12. annorum fœminæ, viros perferre innocuè poterunt, licet aliquæ ob peculiarem compositionem id non valeãt. In qua item re arbitror alias quoq; esse & in vndecimo & circa ipsum quæ optimè virum perferre poterunt, maximè si temperamento sint calido, colore nigricante, aut ex albo & rubro mixto, corpore robusto, & conditione lasciua & ad venerem prona, in quibus nulli dubium est, complexionis conditionem ætatem supplere, siquidem ætas potiùs hac lege quàm annorum numero circunscribenda est. Quæ omnia in fœminis & viris obseruare oportet.

Obesitas eodem modo alterius, & magis vtriusque, inanes efficit concubitus, quia generatiuæ partes statutũ & naturalem locũ attingere nequeunt, & sanguis in his, qui natura crassi sunt paucus, & in adipẽ cõsumptus, & sic semine & sanguine mẽstruo carent, & parum subinde appetunt, & rarò coëunt. Verùm licèt fœmina pinguis crassáque existat, non ob id protinus sterilis censenda est, etiamsi Hippocrat. 3. Aphorism. asserat crassas fœminas non concipere: nam eo loci Hippocr. intelligit de ijs quæ præter naturam pinguescũt. In reliquis enim quæ natiua temperie crassescunt, solet natura, si non fuerit læsa, sic cuncta construere, vt non lædantur necessariæ operationes. Consimilem huic sententiæ adduxit Hippocra lib. de locis, aqua & aëre, dicens: Mulieres autem pinguedo carnis & humiditas steriles facit,

facit, præ quibus vteri earum genitale semẽ arripere nequeunt. Cuius dicti rationem quærens Vesalius lib. de fabr. corp. hum. cap. 4. arbitratur, id esse intelligendũ de pinguedine & obesitate præter naturam, cuius sententiã probo: vidimus enim pleraſque pingues, fœcundas esse, quas non ex morbo & præter naturam, sed à natiua sorte sic factas arbitramur: dummodo menstrua copiosè profundant, alioqui infœcundas arbitror, quòd multum sanguinis in pinguedinem conterant, adeò vt fœtui alendo desit conueniens sanguinis vbertas, vt alibi fusiùs dictum est. Ex macilentis tamen pinguioribus factis, vix vllam concepisse reperies, nisi corpulentia moderata sit, vt intelligenda est Hippocrat. sententia. 5. Aphoris. Probat nostrã & illius viri sententiam Hippocrat. lib. de superfœtatione dicens: Mulier quæ præter naturam crassa est ac pinguis & pituita repleta, non cõcipit hoc tempore: quæ verò ex natura talis est, horum gratia concipit, si non aliud quoddam ipsam impediat: Qua sententia euidenter nostra constare videtur. Neque obstet me anteà dixisse, magis carere sanguine obesa corpora quæ talia sunt naturaliter, & ob id semine priuari & sanguine menstruo: illud quidem dictum est facta collatione ad corpora præter naturam obesa, sed vtraque conceptioni inepta, minùs tamen quę natura sunt crassa, & magis quæ præter naturam: non quidem quòd sanguis deficiat, sed ob incrementum omenti, quo vterus comprimitur, vt semen neque susci pere neque aptè cõplecti possint. In quibus verò crassitudo naturalis est, membra interna non habent hanc deformitatem, & ob id non sunt conceptioni hac ratione ineptæ neque quòd sanguis deficiat, quia tantum habent, quantum sibi proficuum fore existimauit natura rectè operans. Ex quibus constat habitum præter naturam tenuem, & crassum steriles esse. Vter verò magis, ab Hippocrat. monstrãtur. 2. prædict. dicente, tenues crassis esse fœcundiores. Est quoque huius disparitatis inter coniuges causa animi affectio vehemens, quæ procul dubio vitalem firmitudinem & calorem imminuit, ac spiritus dissipat: quo fit, vt vtriusque coniugis immoderatus labor sterilitatem efficiat. Item eundem effectum præstat aër calidior, pestilens, victus tenuior, balneum ieiunis immodicũ, gonorrhea, venus immodica, vel vita admodum sedentaria & otiosa, ac epulis plena, & tandem omnia quæ vel sanguinem aut semen imminuant, vel optimam eius ac moderatam temperiem euertant. Sic aëris vel cœli status aut regionis, calor vel frigus inclementes sterilitatem quibusuis viris ac fœminis accersunt: ijs maximè, quibus ex toto contrarij existunt, vel adeò similes, vt intemperamentum adaugeant. Atque hæc de causis dixisse sit satis.

Signa causarum.

Primò quantùm distet temperamento, vel conueniat alter coniugum ab altero, diligenter nosse curabis. Sic calidum viri vel mulieris temperamentum cognosces, qui a calor in cute & carnoso genere tactu facilè percipitur: & ob id huiusmodi corpora promptè calfiunt, & refrigerantur tardè. Rubor ité in cute adest, adipis inopia, pilorum copia & capillorum nigrities. Verùm si corpus calidius fuerit, hirsutius erit, siccius, durius, gracilius ac nigrius, & ad actiones non leuem obtinebit promptitudinem: aderit huic etiam vigilia, agilitas, iracundia, & reliqua quæ methodo nostra scripsimus calorem attestari. Frigidum quidem corpus monstrãt frigiditas tactu percepta, refrigeratio prompta, calfactio tardissima, cutis albicans, liuida, plumbea, pilorum nuditas & glabricies, capillus etiam aureus remissus. Veruntamen si corpus frigidius fuerit, albũ erit, molle, obesum & debile: quòd si prædictis adiungatur actionum omnium tarditas, certius erit signum. Siccum corpus tale esse constabit, si durum sit, gracile, ægrè mobile, & facilè à siccatibus offensum.

Sic profectò humidum corpus erit carnoſius,mollius,cui etiam erit læſio prompta ab humectantibus,ſubditum fluxionibus,ac multum ſpuēs. Prætereà potiſsimam ſterilitatis rationem,cùm anteà ad pudenda viri & fœminæ reducendam eſſe dixerim,ob id quidem quantum diſtent à media temperie vtriuſque aut alterius partes perdiſcere oportebit.

Viri itaque teſtes calidiores,oſtendunt in venerem ab adoleſcentia propenſio cùm ſubito penis rigore,ac ſubita etiam ſeminis excretione:quod proculdubio ſemen fœmina in vtero ſentit calidius,acrius & mordax. Ipſi quoq; teſtes calidi ad tactum exiſtunt,& perſentiunt à calidis promptè offenſam,& modico frigore gaudent.Item partes genitales proximæ ad vmbilicum & femora celerrimè pilis veſtiuntur. Quòd ſi calidiores ſimul & ſicciores ſint, præter dicta ſigna,ſemen quoque craſsius excernunt: ſi verò calidiores & humidiores,venerē minùs prædictis appetunt,& vſu eius minùs læduntur . Si verò multò calidiores ſint & humidiores,ſemen habent largius,ſed partes genitales minùs hirſutas: hanc quidem teſtium temperaturam inſignis ſalacitas & totius corporis ſiccitas ſequitur. His proculdubiò omnino contraria ſigna exiſtunt,dum teſtes frigidi ſunt: quòd ſi cū frigiditate humiditas quoque præſit,penis tardè aut rarò erigitur, venerē tardiùs exercere incipiunt, ac parum ea delectantur: ſemen item tenue eſt,aquoſum,& tardè in coitu excretum, ac frigidum à fœmina ſentitur, & infœcundum exiſtit, aut fœminas maximè generat . Partes etiam pudendæ & his vicinæ aut glabræ ſunt, vel pilos, eoſque tenues, tardè emittunt. Id quoque atteſtantur arteriarum pulſus tardi,& vrina colore remiſſa:cuius ſanè rei plura leges cap.de virorū ſterilitate.

Fœminæ quidem vterum viro ac eius teſtibus eſſe ſimilem aut diuerſum, vel aptum ad ſeminis virilis moderationem,cognoſcere quoq; oportet.Sic vterum calidiorem,præter totius corporis adducta ſigna,pudendarum partium calor maximè oſtendit. Item fœminæ audacia,iracundia,ſitis inexpleta,ad omnia promptitudo,pulſus celeritas,& vrina flaua,menſes pauciſsimi,craſsi,calidi,flaui,& ex aduſtione nigricantes,cum dolore & morſu frequenter exulcerante prodeuntes:quibus etiam adeſt ſalacitas inexpleta,celeris excretio ſeminis , quod etiā calidius & titillans ipſa percipit in exortu:pili in pectine & cruribus citò nati,multi,craſsi,flaui,nigri. Vterum inſuper eſſe frigidiorē oſtendit cōrpus reliquum,præſertim imæ & pudendæ partes,anguſtia imi ventris & ſtupor, menſes ob craſsitiem à frigore concretam ſuppreſsi , rari , tardi , crudi , albi, aut albicantes : interdum fluxiles & aquoſi à liquidiore pituita, veneris odium , ſeminis pauci aut frigidi excretio tarda,& voluptatis expers: os vteri contractum & ſpiſſum:pili in pube & cruribus tardi , rari, exiles, pallidi, aut albicantes. Quòd ſi his humiditas accedat, corpus reliquum erit molle & tactu frigidum : fluxus muliebris , aut ſaltem perpetua vteri humiditas,& in coitu maior,ita vt viro fiat moleſta & ingrata : vteri etiam facultas retentrix ob humiditatem imbecilla , ita vt ſi concipiant, facilè abortiant.

Verùm ſi ſiccitas frigiditati adiungatur,menſes aderunt pauci,tardi & craſsi, ſemen paucum,coitus appetentia,quàm proximæ maior:collum vteri & etiam os in coitu ſiccum,& ob ſiccitatem à frigiditate auctam rhagadijs obnoxium.At contrario prorſus modo omnia accidūt ſiccitate prævalente,pauens etenim erit menſium fluxus, os ſiccum,labra ſciſſa,coitum appetunt,velut terra ſicca rorem,facilè iraſcitur fœmina ſic affecta , corpore tenuis eſt , & in actu venereo ferè nihil ſeminis

minis excernit.Ex his proculdubio ſignis deprehendes qualis interſit differentia inter virum & fœminam,vt diſcas quemuis ad alterius naturam cōferre. Reliqua verò quæ in vtroque diſparitatem efficere habent,vt ætas,tempus & regio,ac reliqua, facilè citra alia ſigna tu ipſe cognoſces.

Cùm coniugum alter alteri non conuenit,temperamenti ne totius,aut genitalium vitio ſit,primò expendendum eſt. Ac ſi totius corporis intemperiei ratione diſsidium ſit,animo diligenter euolues,vtra temperaturarum ſuapte natura à fœcunditatis ratione diſtantior exiſtat,quam protinus ad aliam comparabis, reduces & moderabis alterius temperie adſeruata,ſiquidē inculpatior exiſtit. Sic profectò cùm fœmina vel vir,calidior bilioſiorve altero extiterit,ita vt fœcūditati officiat,tantum huiuſmodi corpus temperandum eſt,quantum ad mediocritatē vel paulò ſuprà reducendum ſat ſit.Id profectò facies tribus potiſsimùm præſidijs: victu nimirū frigido,& potu aquæ vel dilutiſsimi vini,quibus ſenſim & paulatim ac citra corporis alterationem ipſum immutari comperiemus:quod pari lege ſubaudiendum eſt de alijs rebus non naturalibus. Secundò ijs medicamentis quæ humorum calidorum exceſſum frænent & attemperent. Huius cenſus eſt ſanguinis detractio bis,ter ve in anno facta:ac ter aut quater expurgata flaua bile infuſo aliquo rhabarbari ex aqua lactis caprini,vel aqua cichorij,manna, vel caſia fiſtulari exhibita,vel ſyrupo ex infuſionibus violarum ſuperbibito decocto hordei: quibus ſuperabundans ſuccus euacuetur,tepeſcantque quodammodo calida viſcera. Vltimò tamen corpus ſiue viri ſiue fœminæ temperabis,intus quidē decocto hordei cum ſaccharo,ptiſana,fare,ſero lactis,aqua cichorij,borraginis,& acetoſæ cum ſaccharo, vel lacte caprino,aut aſinino,atque alijs cibarijs omnino frigidis,dū modò refrigeratio morboſum quid non pariat.Exteriùs verò idē facies inunctis renibus & dorſo vnguento roſaceo,vel refrigeranti Gal.cum modico reſumptiuo,vel vnguento de cucurbita,aut de lenticula paluſtri cū butyro recenti vaccino . Prætereà frequētibus aquæ dulcis balneis:quæ tanquam peculiare & proficuum auxilium ſummoperè probo.Tandē corpus omni arte refrigerabis, lentè tamē paulatim & cautè,ne vltra id,quàm par ſit & conueniat,refrigeres.

Curandi ratio.

Pari quoq; ratione ſi alter coniugum iuſto frigidior extiterit,ita vt vnius calor frigiditatem ſeminis alterius remittere & contēperare non poſsit , prædictis tribus auxilijs immoderantiam corrigere oportebit,donec ad eam tēperiem corpus deueniſſe conſtet,quæ fœcunditati ſufficiat. Sic primùm victu calido & ſicco corpus ſic affectum reficito, additis aromatis & calidis ſpeciebus , quantum ſat ſit, vt frigiditatis exceſſus retundatur.Vinū ſic affectis largiri poteris,& maximè ex ijs vinorū generibus quæ aut cocta aut calidis rebus cōdita,corpus calfacere nata ſint: cuius cenſus eſt Hippocras appellatum,vinum quidē aromatis conditum . Quòd ſi vinum renuerint,vel id corpus non tulerit, aquam caryophyllis , cinnamomo, aniſo,fœniculo,& corticibus citri incoctam præbeto.Cui vſui maximi momenti eſſe probaui eam quæ radice chinæ,ſmilace aſpera,aut ligno guayaco incoquitur, præſertim ſi humiditatis præſit ſuſpicio.Huiuſmodi etiam corpora plurimum exſiccari conuenit,ne præter frigidam temperiem frigida quoque excrementa ſuperabundent. Cui vſui perfricabis totum corpus ſummo manè linteis mollibus, donec cutis rubeſcat. Item præparata pituita,ipſam pharmaco purgabis ter quaterue in anno:quo facto,dianiſo,diacimino,aromatico roſaceo , vel diarrhodone cum vino albo veteris.Quem vſum præſtat inter reliqua pharmaca,theriaca cum vino ſumpta ſummo manè,aut aqua theriacalis arte chimica extracta. Sed quod

maioris

maioris eſſe momenti in hac re ſcimus,eſt vſus balneorum ſulphureorum: dummodo plurimum ſudoris non alliciant, ſed ea tantùm mora in eiſdem facta, quæ ſatis ſit corpori calfaciendo. Verùm ſi cum frigiditate ſimul humiditatem quoque abundare comperiamus, copioſiùs eiſdem balneis ſudare oportebit, aut ſi mauis, ex decocto ligni guayaci,vel ſmilacis aſperæ: à quibus iterum oportet vti eis quæ poſſe intus corpus calfacere ſuperiùs diximus, donec ſenſim & paulatim ac citra maximam alterationem corpus ad meliorem ſtatum commutemus.

Partes verò genitales eâdem lege & reducendi ratione contemperabis: in viro quidem,vt cap.de virorum ſterilitate copioſè reperies: at in fœmina,ſi caliditate polleant prædictæ partes,balneis aquæ dulcis vteris,inunctionibus frigidis,& purgationibus bis in anno factis,maximè bilioſorum humorum, & proba victus ratione ac refrigerante exhibita. Præter quæ omnia,ea adminiſtrabis quæ cap. de vteri diſtemperie proficua eſſe diximus,& ſequenti cap.dicturi ſummus: hac vna ſola præmiſſa differẽtia in reductione vteri intemperati ad meliorem ſtatũ, quòd dum natiuam ipſius temperiem ad manſuetiorem mutare nitimur,ſenſim paulatimque & longo temporis tractu quamuis temperaturam moderari oportebit: at verò cùm intemperatus fuerit vterus, audaciùs ipſum corrigere, mutare, aut temperare oportebit. Cuius operis ſuperiùs auxilia adduximus, & obid hac in parte ſubticeo, ſolùm recenſens id præſidium, quod Hippoc.lib.de ſterili.ſcripſit proficuum eſſe ijs quibus ſemen protinus decidit ob vteri laxitatem & humiditatem: inquit enim. Si vteri genituram non contineant,plumbeum lapidẽ, qui ferrum ad ſe rapit,leuiter terito,& in linteo alligato, quo in muliebri lacte tincto ſubductitio vtatur.

Quòd ſi exactè totius corporis vel genitalium partium temperiem ad neceſſariam reduxeris,facile eſt ſeminis alterius vel vtriuſq; vitium corrigere:nam ſemen abundare vel deficere rarò accidit,niſi totius corporis vel teſtiũ vitio. Quamobrẽ non oportet eadem hic repetere,præterquam quòd ſequenti cap.ſeminis vitia ſpecialiùs corrigere ſtudebo. Sed recenſebo hac in parte præſidium ad ſemen augendum & fœcundum efficiendum, ſi non ſunt mendaces priſcorum libri: nam ſcriptum reperio in omnibus fœminarum vitijs, & in hoc maximè, prodeſſe hortenſem ſaluiam, ſi mulier plantæ huius heminam cum modico ſale quarto à ſecubitu die potauerit, deinde viro poſt horæ quadrantem ſeſe commiſcuerit. Hinc autem ferunt in Copto Ægypti poſt ſæuas peſtilentias ab ijs quæ ſuperfuerunt ad eius ſuccum bibendum coactas fuiſſe,plurimoſque inde fœtus produxiſſe.

Si tamen immatura ætas ſterilitatem adduxerit,curatrices manus minimè adhibebis,negotium omne ætatis mutationi committens.Interim tamen abſtinentiam à venere imperabis,ne is qui natu minor fuerit,coitu nimio impotẽs ita fiat, vt fœcundum ſemen deinceps efficere minimè poſsit. Fœminas verò ſeniores nullo auxilio fœcundas efficies, præſertim ſi menſtrua præ ſenio defecerint: viri quidem ſenes generare poſſunt, cæterùm non ita facilè, quorum curationem cap. de virorum ſterilitate docebo. Intereà verò expendat medicus calidis & aromaticis ac vino præcipuè cocto, aut aromate aliquo condito eorum ſemen calfaciendum coquendumq; eſſe: quòd item facies,ſi coitum præceperis ex longis interuallis,idque maximè fœmina eum auidiſsimè amplexante ac deſiderante.

Quòd

Quòd ſi ex inordinato coitu ſterilitatem proficiſci cognoueris, ab huiuſmodi immoderantia coniuges abſtinere imperabis.

Obeſos autem coniuges omni arte macrafacies,victu nimirum tenui, exſiccante,aut rebus ſiccis cõdito, frequenti exercitio ac labore,potu parciori ex aqua ſmilacis aſperæ,aniſi,cinnamomi vel alterius rei calidæ & ſiccæ:frictionibus item fortioribus ſummo manè & per vniuerſum corpus factis.Sudore proculdubio corpus conteritur,abſumiturque pinguedo,potiſsimùm ex decocto ligni guayaci, vel radicis chinæ,aut ſmilacis aſperæ:item confert frequentiſsimus vſus ſyrupi ex decocto radicis chinæ cum multo aniſo. Sed efficacius eſt auxilium balneum ex aqua ſulphurea,quo certum eſt corporis pinguedinem conteri & euaneſcere. Vtantur etiam aniſo leuiter torrefacto ante prandium & cœnam,vel tabellis ex aniſo, cimino & cinnamomo,amygdalis toſtis,aromatico roſato cum vino,& alijs quibus inſit efficacia exſiccandi & humiditates ebibendi. In hac tamen curatione hanc methodum ſcripſit Hippocrat.lib.de natu.mul.Hanc attenuare oportet,& pharmacum inſtà purgans bibendùm dare,& ad vteros apponere quæ purgent ipſos, & flatus inducant. Quam ſanè curationem (licet primò acceſſu videatur difficilis)ſummo eſſe habendam pretio exiſtimo:nam extenuare corpus anteà non poteris,quàm dum crebriùs corpus & vterum purges:qua purgatione, omnem humoris diſcuſsionem & exſiccationem intelligendam eſſe arbitror. Neque contemnendum eſt verbum illud (& flatus inducant) nam proficua eſſe vtero remedia ea credendum eſt quæ quodammodo vterum dilatent,diſtendãt, & compreſſos præ pinguedine & omẽto meatus patentiores reddãt:quod proculdubio exiſtimo fieri per ea quæ flatus inducunt,quippe qui partem,vbi præſunt diſtendere ſunt nati.

Quòd ſi ex alijs cauſis,quas anteà diximus,aliquã præeſſe cognoueris velut eſt aëris aut regionis inclementia,abſtinentia & inedia,potus aquæ,animi affectio, & aliud his ſimile,malo ocyſsimè ſubuenies facta in contrarium mutatione:ita vt omnino corpus ad contrarium ſtatum ei qui ſterilitatẽ inducebat, mutationem ſenſim & paulatim factam ſubeat.

De ſterilitate morboſa. Cap. III.

INter fœminas, plurimas proculdubio reperies ſteriles quidem,non tamen ex propria conditione & natiua ſorte,neque per collationem ad virum, cui coniunguntur: ſed ex morboſa aliqua cauſa quæ ita fœminam ipſam & generationi dicatas partes diſponit & afficit, vt etiam ſi cuiuis viro quantumcunq; fœcũdiſsimo adhæreat, concipere minimè poſsit,donec affectum abſtuleris. Quod profecto Ariſtot.lib.2.de gener.anim.cap.5. ſcripſiſſe his verbis conſtat. Nam & à primo ortu naturæ locis ad coitum incommodis oblæſis,ſteriles & mulieres & viri redduntur. Qua ſententia de natiua ſterilitate videtur loquutus fuiſſe. Verùm ſubdit eodem loco. Alijs in proceſſu ætatis idẽ accidit affectus,aut propter corporis nutritionẽ plenioré, aut ex morbo:viris humidum frigidumque emittitur ſemen:mulieribus purgationes vitiantur. Quæ vitia & eorum cauſas expendiſſe oportebit, vt cuiq; peculiare auxilium adhibere poſsimus.

Cauſas

Causæ. Causas igitur omnes quatuor numero ac genere esse diligenti obseruatione & multorum authorum lectione comperimus. Prima quidem in se complectitur omnes causas externas, quæ prauè afficientes instrumenta conceptioni seruientia, omnino fœcunditatẽ auferunt. Secunda corporis vniuersi & vteri vitia continet, quæ varia admodum sunt, & huic malo efficiendo efficaciſsima. Tertia seminis fœminei defectum complectitur, quo frequentiſsimè fœcunditas impeditur. Quarta verò & vltima ad sanguinis menstrui deprauatam fluendi naturam & rationem refertur. Quæ sanè vitia nisi primò ratione & methodo correxeris, non solum nihil in curatione proderis, verum obesse sæpiſsimè comperies: ob id cuiusque causarũ generis seorsum meminisse oportebit, & cuique propria signa, & curandi viam ac materiam scribere, initio sumpto ab externis causis.

Ante tamen quàm causas & curationem aggrediaris, scito sterilitatem ex magnis vteri vlceribus incurabilem esse: item eam quæ natiua est, vt Ariſt. adstruit. 2. de gener. anim. cap. 4. Quod sanè arbitrandum est dixisse de magnis causis, non de paruis, quantumuis naturales sint, vt insinuauerat Galen. 5. apho. 62. Quo sensu dixit Zoarus. lib. 2. tra. 5. cap. 1. sterilitatem naturalem hominii incurabilem, soli Deo esse curatu possibilem. De parua verò dixit Sirenus medicus, naturam potẽte medicamine euictam sæpe fœtũ dare. Scire etiam incumbit, steriles diutiùs, cæterum morbosiùs viuere & iuuenes semper apparere, hoc quidem quia carent laboribus partus & gestationis: illud verò quia minus à recrementis purgantur vt fœcundæ in partubus: quod egregiè docuerat Auic.

Causæ externæ. Inter causas, quæ fœminæ alicui occurrere possunt, inferreque concipiendi impotentiam, eæ potiſsimæ sunt, quæ vel ad qualitates reducuntur manifestas, vel ad occultas. Qualitates quidem manifestas, ad tempus, ad regionem vel ad medicamentum optimè reduces. Quippe frigidiſsimum tempus, frigidiſsimam regionem aut calidiſsimam nulli est dubium excederitem posse in vtero distemperiem efficere, quæ deinceps sterilitatem inferre nata sit, quod de Scitharũ & Septentrionalibus populis docuerat Hippocra. Pari ratione de animi pathematis conijcere licet, nam triſtes & plorantes fœminæ rarò concipiunt: sic frequens cõgreſſus, quia vel semen semper non emittit, vel quia nõ detinetur ob vteri osculi lubricitatem, vel frequentem motum vt Lucretius pròtulit. Sic profectò medicamenta non pauca ob excedentem qualitatem, vtero imposita sterilitatem inducunt, velut ruta, vinum dulce, & pleraque medicamenta calida citra indigẽtiam adhibita: pari etiã pensu ob frigiditatem camphora, vel nenufaris flos idem malum præstat. Itẽ quæ plurimùm vteri os emolliunt, vt althææ radix, aut quæ plurimùm indurant, vt omne terræ genus, vel quæ nimis os vteri aperiunt, vt abrotanum, aut inspiſſant & refrigerant, vt semperuiuium & cicuta, vel adurunt, vt calx, vel putrefaciunt, vt auri pigmentum, vel attrahũt, vt pulegium, aut mordent & irritant, vt acetum, sinapis, & vrtica: hæc enim sterilitatem quoque inferunt. Quorum omnium notitiam ex relatione facilè consequeris. Sic curationem his omnibus præscribes, vel mutata regione in statum cæli omnino fœminæ contrarium, vel plurimùm similem, qui eius temperamentum versus aliquod extremorum adaugeat: vel adhibitis medicamentis, ijs quæ sterilitatem posse inducere diximus omnino contrarijs. Quæ sanè ob id silentio prætereo, quia facillima sunt & plerunque sua sponte curantur.

Causæ occultæ. Sunt quidem haud pauca (præter diuinam voluntatem) quæ occulta quadam & peculiari proprietate citra euidentem qualitatem, sterilitatem inducunt: velut est sterilis aliquis astrorum aspectus, qui fœminam in exortu aspexit, infœcundamque ob occultum aliquem influxum efficit. Maleficia item & incantationes, quibus sacrilegi quidam histriones, homines, fœminas ve (vt ferunt) magicis incãtationibus ligant. Prætereà veneni assumptio, quo membrũ aliquod princeps perdi contingat. Item turpis aliquis aspectus, vel odium inter virum & fœminam, aut desiderium nimis ardens. Prætereà reperies non pauca medicamenta, quæ suaptè natura aut superstitione aliqua adiuncta, sterilitatem quoque afferunt: quorum profectò hac in parte melioris gratia meminisse non placet, ne quis imprudenter audacter ve, & citra Dei optimi maximiq; timorem, eis vnquam vtatur.

Prædictarũ causarũ signa & curatio. Nosces ex peculiari cæli influxu sterilitatem proficiſci ex priuatione aliarũ causarum quæ euidenter ipsam inducunt, maximè si natalitia eiusdẽ fœminæ expenderis, ac repereris natam fuisse sub signo aliquo ſicco, frigido & sterili. Cui profecto medeberis, si concubitum iusseris prædominante astro fœcundo, & prædicto contrario: nam id tempus, in quo luna viget in signo fœminino ac prolifico fœminis sic affectis fœcundum exiſtit. Præterquam quòd alimentis & contrario vitæ instituto natiuam illam ſiccitatem & sterilitatem compescere quoque tentandũ est. Dignosces prætereà regionem & cæli statum, peculiarẽ fœcunditatẽ influere, eo quòd sterilitas eo tempore, ea ve regione pleriſque fœminis communis exiſtit, vel ipsa fœmina in alia regione fœcunda erat. Cuius medella erit regionis mutatio, vel vsus eorum medicamentorum quæ ex toto sint contraria regionis temperamento, qualia ex ante dictis & ijs, quæ inferiùs referam, facilè colliges. Venenũ quidem fœminam sumpſiſse, licet faciliter perpendi non possit, cum hoc tamen consequeris ex ijs accidentibus quæ præcesſisse tibi relatum fuerit, & ex præsenti alicuius principis membri vitio: quippe in huiusmodi, semper aliquod accidens supereſt graue & alienum à communibus, ita vt facta coniectura venari possis ex venenosa aliqua substantia, vel qualitate reliquum fuisse. Cui si veneni naturam assequaris, auxilium præstabis per ea alexipharmaca, quæ è directo ipsi respondere possint, sin aliter, per communia: tandem ea peculiariter adhibebis medicamenta quæ aduersa sint ei qualitati, quam in corpore reliquiſſe venenum cognoueris. Dilectionem verò maximam aut odium, nimiam ve in venereis delectationem aut appetentiam, vel deiectam sensibilitatem ex relatione facilè perdiſces. Quibus medeberis, dum odio se habent, per ea quæ venerem excitent: sicut ijs, quæ deiectam habent veneris appetentiam, quorum auxiliorum siluam paulò inferiùs hoc cap. reperies. Ijs verò quæ nimia delectatione amplexantur, per ea quæ calorem genitalium partium refrigerare, saltem moderari habeant, qualia etiam hac in parte scribam.

Cæterùm steriles ex maleficio cognoſces ex priuatione signorum aliarum causarum, ex præcedente aliqua occasione suspicãdi maleficium aliquod præceſsiſse: & eo quòd coniuges se adinuicem diligentes, coire tamẽ nequeũt: aut cùm anteà amore mutuo afficerẽtur, nunc verò citra euidentem causam odio se habet increbili. Quod sanè multis modis contingere posse scriptum reperio libr. appellato malleus maleficarum. Primò quidem, si vir priuetur generatiua potentia cũ propria vxore, cum alijs tamen vim obtineat & efficaciam. Item secundò, cùm vxorem habet exosam, nec potest ipsam cognoſcere. Prætereà tertiò, si nõ habeat exosam, velit tamen agnoſcere, cæterùm membri vigore careat. Quartò, etiam si vigorem habeat membri, cum hoc tamen non habet excisionem seminis. Quorum omnium curandi ratio sanctæ Eccleſiæ & sacerdotibus omnino committenda est: nam cùm vt plurimum ad maleficium quoduis diabolica vis concurrat,

ob id quidem ſancitum eſt in ſacroſancta Romana Eccleſia èxorciſmis huic rei peculiariter dicatis vtendum eſſe. Quibus æquum eſt profectò per peccatorũ confeſsionem & pœnitentiam ſubuenire: ſic quidem ieiunium, eleemoſyna, cõtinuæ orationes & ſacrificia accedant protinus oportet: quæ proculdubio exiſtimo potiora eſſe præſidia. Quamobrem ab alijs quæ ſuſpectione & ſuperſtitione non carent, ſupersedendum eſſe firmiter arbitror. Verùm ſi qualitas aliqua manifeſta in maleficijs apparuerit, pharmacis aduerſus eam operantibus tutò & vtiliter vti poteris: qualia verò ſint, mox plura referã, ſi priùs dixero dictũ eſſe à viris doctis abrotanum oleo illitum, & vino ſumptum frigidis ex maleficio non parum prodeſſe: reliquis verò opitulatur radix aſparagi cum vino dulci decocta commãducataq; ſicut & hortenſe allium, vel ſatureia, aut ocymum hortenſe, & cardus quoq; hortenſis vino generoſo præmaceratus. Atqui ſi ex vi & efficacia alicuius medicamenti, vel alterius rei ex occulta proprietate operantis ſterilitatem proficiſci cognoueris, facta diligenti interrogatione quibuſnam fuerit vſa medicamentis vel alijs rebus mulier, ex relatione diſces, cui ſit reijcienda ſterilitatis culpa. Sunt etenim plurima, quæ ſterilitatem inferũt quæ ſubticere hac in parte ſtudui, ne quis prece vel pretio ſeductus, eis prauè vtatur: ſat enim eſt noſſe plurima alia eſſe quæ inductam ab his ſterilitatem auferunt: qualia mox referam, ſi priùs dixero hanc eſſe vtendi legem & rationem, nempe, ſi ex medicamento vel alimento ſupererit in corpore qualitas aliqua euidens, ex eis, quas hic referam, id eliges, quod aduerſus illam qualitatem pugnare natum ſit. Verùm ſi citra introductionem manifeſtæ qualitatis, ſterilitatem præſtiterit, id quoque adhibebis auxilium, quod nulla qualitate euidente polleat, id tamen poſsit. Habeant equidem experimenta hæc præterquam quòd primò & per ſe his occultis cauſis aduerſentur, vt euidentibus qualitatibus non noceant, potiſsimum ſeruata qualitatum contrarietate. Quapropter cordatus medicus hæc expendat ſuſpiciatq́, vt ſibi comparet materiam cuique cauſæ proficuam & propriam, ac multis quoq; communem.

Primũ ſanè experimentũ eſt, ſi fœmina inungat pudẽdũ ſucco ſatyrionis, ſparſo puluere leporis cõbuſti: idẽ præſtat ſuffumigiũ ex trochiſcis myrrhæ, ſtyracis liquidę, galbani & baccarum lauri. Ex vſu etiam eſt, fœminã teſtes gallorũ comedere, & vterum balſamo inungere: paſtinaca quoque ſilueſtris idẽ præſtat comeſta, vel ſemen eius in potu duorum menſiũ ſpatio. Confert theriacæ vſus ijs quæ ex frigiditate non cõcipiunt: quibus etiam prodeſt vinum Hippocras appellatum: ſemen ſeſeleos confectum, aut ficus aridæ cum folijs abietis: genitale arietis vel tauri coctum & comeſtum: teſtes cerui in puluerem redacti: ſemen vrticæ. Præterea potus lactis vaccini: oua perdicis: fimus accipitris cum mulſa: limatura eboris tribus diebus exhibita cum eâdem mulſa: ſanguis leporis cũ eius coagulo, & puluis artemiſiæ. Prodeſt & potus ex. g. x. diamuſci cum vino calido, in quo bullierit raſura eboris & cornu capræ: ſic & vinum ex floribus roris marini factum. Abluere item partes pudẽdas cum aqua meliſſæ ex vſu eſſe fertur: ſicut ſuffumigiũ ex lilio in forma polentæ cum thure mixto, vel factum ex limatura cornu capræ cum oleo de ſpica: cui vſui aliquando prodeſſe ſcimus puluerem baccarum lauri, vel ex aſphalto, fimo leporis, ruta ſicca & melle, aut facto ſuffumigio ex ligno aloës, vel addita eboris raſura, aut puluere vteri ſuis. Peſſarium item eundẽ vſum multi præſtare dicunt ex mẽtha ſicca, myrrha & cera, vel ex limacibus cum croco, aut ex coagulo & ſtercore leporis cũ melle: ex felle itẽ taurino & adipe aut butyro, vel ex felle caprino cum

cum oleo roſaceo & cumino. A coitu etiam conferre fertur pudendũ obturare peſſario ex lana confecto & ſucco myrti madido: & eâdem ratione naſcale factum ex croci, ſpicæ, pinguedinis gallinæ, gummi, olei de ſpica, ſingulorum partibus æqualibus cum cera. Item quatuor horis ante coitum teneat aliud peſſariũ ex croco, myrrha, ſpica, ſepo, galia, terebinthina, maſtiche, & oleo de ſpica cum pinguedine gallinæ & lana confectum. Præſtat idem beneficium peſſarium ex ſatyrione cum melle, vel ex ſtercore vulpis cum oleo roſaceo & lana, aut ſuccus mercurialis cum lana: item aliud factum ex oleo de ben, de bdelio, & balſamo, vel aliud ex nuce cupreſſi, baccis lauri, galia, amomo, & cera, aut ex oleo de bdelio & melle: aliud item ex medullæ cerui, hyſſopi viridis, butyri, ſepi capræ, ſtyracis liquidæ, meliloti. ana. ʒ. vj. olei de ſpica. ℥. j. galliæ, maſtichis, ſpicæ. ana. ʒ. j. cum oleo roſaceo fiat peſſarium. Confert & aliud confectum ex fœnugræco cum adipe anatis: vel ex muſeo diſſoluto oleo roſaceo, aut ex trifera magna cum ſucco artemiſiæ, vel ex eiuſdem artemiſiæ ſucco cum myrrha. Sumere quoque per os theriacam cum limatura eboris, conferre maximè plures ex authoribus profitentur: ſicut electuarium ex flore roris marini, & potiſsimum ex flore ſtœchados cũ melle, aut electuariũ de pudẽdo tauri cum mentha & melle facto. Puluis etiã prodeſſe fertur teſticulorũ cerui viſco quercino addito factus, ſicut puluis ex artemiſia cũ ſaccharo ſummo manè ſumptus, poſteà facto ſuffumigio ex calamintha. Præterea coagulũ leporis comeſtũ, vel vterũ eiuſdẽ aſſatum & comeſtũ plurimũ prodeſſe ſcriptum reperimus. Itẽ à purgatione ſumat fœmina duo oua ſorbilia nepeta plena, cũ modico vino, ac poſtmodũ cum viro coëat. Vtatur etiã balneis ex decocto ſpicæ, florũ camemali, meliloti, polij, ſeſeleos: poſtea ſuffumigiũ ſuſceptet ex opopanaco cũ balſamo. Proſunt intra vterũ immiſſæ pilulæ filo appenſæ, cõfectæ ex gentiana, croco, & folijs myrti tritis cũ pilis arietis & oleo ſeſamino formatis. Itẽ ſubijcere oportet peſſariũ ex lana, & teſticulis vulpis, ac felle galli, quo facto fœmina bibat limaturæ eboris cum vino ʒ. ß. Præter quæ omnia, & alia, quæ conſultò prætereo, refert Plí. (ſi verũ eſt) ſterilitatem mulierum emendare hyænæ oculum glycirrhiza & anetho ſumptum in cibo. Sũt qui florem cratæogoni bibentes mulieres, intra quadrageſimum diem concipere, tradant. Quibus itaque omnibus vti poteris facta priùs hac cõſideratione, quòd ea, eis quæ nullam habuerint euidentem qualitatem, quæ ſit cauſa ſterilitatis adhibeas: quæ verò aliqua pollent, ijs tantùm, quæ illi è contrario reſpondeant.

Primò tamen ante cauſæ alicuius conſiderationem conijcies communem vitæ inſtitutum pleriſque ſterilibus proficuum. Nam primò in omni ſterilitate aër eligendus aut efficiendus eſt temperatus, & ob id Hippocra. lib. de ſuperfe. dixit vernum tempus conceptui eſſe aptiſsimum. Sic ventorum incurſus vtilis eſt, vt aquilonarium, quemadmodum dixit Ariſtot. 7. Polyti. ca. 16. ſicut auſtrina conſtitutio incõmoda: cuius etiã ſententiæ fuit Empedocles vt refert Clemẽs Alexãdrinus li. 6. ſtromaton, nam cùm auſtrinus quidam vẽtus Agrigantinorũ fœminas infeſtaſſet, eas ſteriles reddidit: quod animaduertens Empedocles reeluſo aditu venti, eas fœcundas effecit. Pari quoque ratione ſomnum & vigiliam moderatam eſſe oportuit, ita & animi pathemata. Qua ratione cẽſeo dictum eſſe adulterinos filios omnes malè morigeratos eſſe, quia ex parẽtum perturbatione in animo, aut fœminæ non concipiunt, aut eos mali moris pariunt: ita & ſapiẽtum filios omnes eſſe ſtultos maiori ex parte, propter parentum animos magnis rebus detentos & occupatos. Ita quoque habenda victus & potus ratio eſt, ne videlicet fœmina ebria ſit, vinoſa, aut prauis nutrita cibarijs: nam & frigidæ aquæ conceptũ remorantur,

& ex cibarijs plurima, velut fabæ vt ſcribit Clemens Alexandrinus 3. ſtromat. & eã ob id vetuiſſe Pythagoricos, vt refert Theophraſtus lib. de cau. plantarum: quorũ omnium ante cauſæ propulſionem habenda prouidentia eſt.

Cauſa interna.

Cauſas quidem ad quas potiſsimum referri ſterilitatem apud viros doctos & cordatos conſpicimus, vel corpus eſt vniuerſum, aliquo morboſo affectu deiectũ, cuius hac in parte meminiſſe non eſt in animo, ſed ipſum ad proprium cuiuſq; mali caput relegare, vel vterus ipſe alioqui officina & receptaculum genituræ, vel ſeminis quidem alterius, vel vtriuſque vitium aliquod, aut ſanguis menſtruus certa quadam ratione vitiatus: in quorum expoſitione & medella ab vteri vitijs initium ſumam, ſi prius de nimia obeſitate & gracilitate aliquid dixero.

Obeſitas quidem multis modis & viris & fœminis infœcũda exiſtit. Primò quia & ſeminis & adipis eadem eſt materia: non quidem vt multi arbitrantur, quòd frigida ſint obeſorum corpora: hinc enim fit, vt ſalaciores venerique nimium indulgentes, exſuccati & graciles videantur. Idem probat quoque caſtratio, quam in animalibus vt pinguefcãt, molimur: dum enim teſtes è venis haurire deſinũt pinguẽ tenuem & aëream ſubſtantiam, tota in adipem cõuertitur: quæ ſanè ex nimio coitu facile euaneſcit. Præterea in viris obeſitas breuiorem efficit penem: & ob id eos ſteriles reddit: in mulieribus verò omentum craſsius conceptionis ſpem adimit, vt mox ſcribam, & ex Scitharum fœminis Hippocra. lib. de locis, aqua. & aëre, refert. Nimia item pinguedo mulierum fœcũditati obeſt, quia multus in ea gignẽda ſanguis abſumitur, ita vt quod ſuperſt, alendo fœtui non ſufficiat. Præterea quæ obeſæ ſunt lunares purgationes minutiſsimas habent: quod Scithis vitio verterat Hippocr. & quia ocioſam vitam degebant, nimium eſſe ſteriles dixerat: ancillaſque earum quòd vitam agebant laborioſam, fœcundas. Quibus rationibus addi poteſt, huiuſmodi fœminas carnoſum & pinguem adeò vterum obtinere, vt iuſtum ſpatium in locellis fœtui continendo non reliquatur: præterea venter prominentior ſterilem vtrumque facit. Inquit enim Ætius tetra. 4. ſer. 4. cap. 26. Hoc velut maximum negligendum non eſt, nec viri nec mulier pinguem habitum acquirant: tales enim inepti ſunt ad pueros gignendos: nam nec pudenda inter ſe adaptare poſſunt, & viri parum ſeminis emittunt, & mulieribus pauci menſes feruntur, cũ maximà alimenti pars in pinguedinem trãſeat. Nec verò credendum eſt obeſitatem ſemper conceptui eſſe impedimento, ſed cùm à primo ortu obeſitas non prodit, vt Scitharum fœminis accidere Hippocra. lib. de locis retulerat. Sic profecto de tenuitate vteri non habitus ſtatuendum quoque eſt: nam in tenuitate minus cõſeruatur vis caloris, tum vteri, tum ſeminis. Quibus præterea cauſis addit Ætius alias, nimirum ſi mulier nimis procera ſit, quia in corporis mole conteret ſeminis materiam, ſi nimis parua, ſi lumbos & ſuperiorẽ vẽtrem anguſtum habeat, ſi mãillas tenues & anguſtas: cum hoc tamen ſtatuit Hippocr. 2. prorre. paruas aptiores eſſe ad conceptum proceris, tenues quàm craſſas, & albas rubicundis. Quæ vitia ſanè vitabis, ſi vtrunque macrefeceris.

De vteri vitijs.

Vterus quidem ſterilis efficitur vel ſubuerſa natiua temperie qua mille congregat excrementa ac flatus, quibus ſemen non rarò propellitur: vel ſubuerſo appetitu, ita vt vel nihil appetat, aut nimio appetitu excandeſcat: tertiò mutata propria figura, vel laxiori conſtrictiori ve facto: vltimò ſterilis fit mutato peculiari & nati uo ſitu, vt dixerat Hippocrat. 2. prorreticorum. Dimitto quoque hac in parte vlcera, & cætera, quæ ad chirurgi officinam pertinent, quorũ lib. præcedenti meminimus, & alia quæ viri acceſſum doloroſum efficiunt: nam & id quoq; ſterile eſt, vt

vt refert Hippocrat. lib. 5. popu. in hiſtoria famulæ Diſiridis. Quod verò fœminis frequentiſsimè accidere conſpicimus, proculdubio eſt vteri intemperamentum, quemadmodum ab Hippoc. & Galen. ſcriptum reperimus. 5. Aphoriſ. 62. Quippe referunt benè temperatos vteros ad cõceptionem eſſe idoneos: malè autem temperatos, ſi parum à bonitate recedunt, difficulter concipere: ſi verò nimium, mulieres ſteriles fieri: & ob id eas eſſe fœcundas ſine ambabus bonis temperaturis eſt impoſsibile. Inquit enim Galen. in comm. Appello autem bonas temperaturas, mediocres, ſcilicet tum ex calidi & frigidi, tum ex humidi & ſicci commixtione: cùm fieri poſsit, vt ſecundum vnam oppoſitionem benè temperatus ſit vterus, ſecundum alteram verò malè. Quapropter cenſeo Hippocrat. dixiſſe: Quæcunq; vtero ex vtriſque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ ſunt. Quam quoque ſententiam adduxerat idem Hippocra. lib. de natu. hum. per hæc verba. Si nõ calidum ac frigidum, ſiccum & humidum moderatè ac æqualiter inter ſe haberẽt, ſed alterum alterũ multum præcelleret, & validius debiliori præſtaret, non poſſet fieri generatio. Verùm inter prædictas intemperantias quæ ad calidum & humidum inclinãt, ſucceſſu temporis haud difficulter corrigi poſſunt: quæ verò ad ſiccum & frigidum, nequaquam, ſed poſt iuuentam fiunt deteriores ni maxima diligentia correxeris. Præter dictas intemperantias aliam etiam annumerat Hippocrat. li. de mor. mul. putredinoſam, ſpurcã & adeò vitioſam, quòd omnino ſuſceptum ſemen corrumpat & in putrilaginem mutatum propellat. Sic enim inquit adducens ſimul huius mali præſidium & ſigna. Ergo in quibus ſemẽ viri remanet, intuſque putreſcit, & tumultum infert, ſemen atriplicis agreſtis aut eius ſuccum cum melle dabis delingendum, aut quidem cum cumino. Cæterùm ſi quando ſemen viri erit fœdi odoris, inde conceptio nunquam conſequetur: portulacam attamen cum anſerino adipe commiſcere oportebit ad ſupponendum. At quibus ſemen viri putrefactum excidit ſexto aut ſeptimodie à concubitu, amborũ vitio mulieribus id euenire eſt veriſimile. In qua etiam ſententia pulchra & vtili cenſura deſcribit alia vitia vteri, quibus vel ſemen putreſcit vel alijs modis vitiatur, vt quis facilè poterit inſpicere. Itaque primò docet ſigna quibus ſemen putreſcere comperiamus, nimirum murmur ipſius vteri, cùm ſignum ſit flatus ex putrilagine elati, quod ſignum eſt deploratæ conceptionis. Quod iubet inhiberi atriplicis ſemine vt ipſe refert: verùm ſi iam putredo perfecta eſt, ne quid deterius ſuccreſcat, portulacã, & adipem anſerinum immittere in vterum iubet prohibendæ putrilaginis gratia, hoc eſt, ne vtero adhæreat quid ex ea vitioſum atque corruptum. Illud verò quod refert vtrique parentum cùm poſt ſextum diem putridum excernitur ſemen, credibile eſt ad vniuerſi corporis & vteri vitium referendum eſſe exbile, pituita, aut quouis alio vitioſo ſucco redundante, vt in eâdem oratione paulò inferiùs ſcribit, quo cõſtet qua medicamentorum ſorte agendum ſit cum illis. In qua re primum docet vterum odoramentis & boni odoris ſuffitibus roborare, poſt ipſius per peſaria, & totius corporis per vomitum & alui fluxum, purgationẽ, ita vt ſiue humidus, ſiue ſiccus, ſiue calidus aut frigidus vterus exiſtat, ad mediocritatem huic miniſterio (vt mox referam) aptam reducatur.

Calidi vteri ſigna & curatio.

Excandeſcit frequenter vterus præ nimio calore, quo genituram conterit & conſumit, vt Hippocrat. ſcripſit. 5. Aphoriſm. 59. In quo ſanè affectu aliquando ſolus elucet calor, plerunque verò adiunctis flauabile & alijs ichoribus ac ſuccis calidis, quibus non ſolùm calore & ſterilitate afficitur, verùm & alijs ſubinde malis, quorum abundè ſuperiùs meminimus. Dignoſces vtrãque intemperiem, ſimplicem

quidem & cum humore adiunctam,ex corporis ſqualore aẽ ex menſiũm paucitate cum dolore prodeuntium,ita vt pudenda mulieris exulcerent: ſed quæ proderint nigra ſunt,& ob nimiam mordacitatem nullum ordinem ſeruant. Sequitur etiam hanc intemperiem inſignis ſalacitas & totius corporis ſiccitas:quo fit, vt ſemini ſuſcepto accidat id quod ſeminibus terræ commiſsis ſub cane & feruido Sole:quippe hæc non ſolùm alimenti defectu,ſed & æſtiuo calore & nimia ſiccitate contabeſcunt.Cui intemperamento ſubueniendum eſt,non tantùm vt ſterilitatem arceamus,ſed vt maiora mala quæ accidere ſolent,præpediantur.Sic inſtituta ea victus ratione,quæ vim refrigerandi ſanguinem & vniuerſum corpus nata ſit, & pari penſu in reliquarum rerum non naturalium adminiſtratione,diligenter rimari oportet an ſubſit bilioſi mordacis ve ſucci aliquid:quod proculdubio Hippo. docuiſſe cognoſcere lib. de natu.mul. apertè conſtat,dicentem. Si mulierem parere non potentem purgare velis, & fuerit biliosa aut pituitoſa,cognoſces autem vtrum horum ſit, ſi arena ſubſtracta cùm mẽſes fuerint in Sole ſanguinem ſupra fundas, ac ſiccari ſinas:ſi enim biliosa fuerit, ſupra arenam ſanguis pallidus erit:ſi verò pituitoſa velut mucus erit.Cui fœminæ,ſi id iam compereris,ante omne auxilium prouidendum eſt ſanguinem mittere ex baſilica lateris dextri,vel ex eiuſdem lateris manus ſaluatella,vel(quod maioris cenſeo eſſe momẽti) ex talo ſemel aut bis.Quod ſi feceris,omni arte poſtmodũ humoris calorem & acrimoniam retundere oportebit,apozematis & ſyrupis frigidis ac humidis,velut eſt ſyrupus granatorum,bugloſæ,cichorij & borraginis,addito,ſi vterus non renuerit, oxiſacchara modico cũ aquis bugloſæ,acetoſæ,borraginis aut portulacæ. Quibus & alijs, quos ex ſuccis granatorum,aqua hordei & ſaccharo,vel ex ſuccis prædictarum herbarum clarificatis cum aqua portulacæ & ſaccharo conficere poteris aliquid guſtui gratum,& aromaticum addes,velut eſt ſanthalorum, roſarum, aut diamuſci momentum.Probatur etiam pleriſque,& meritò,ſyrupus qui excipit foliorum bugloſæ,borraginis & roſarum rubearum.ana.m.j.violarum,lactucæ,foliorum papaueris albi,intybi,ſcariolæ.an.m.ß.ſeminis intybi & ſcariolæ.ana.ʒ.ß.quatuor ſeminum frigidorum maiorum.ana.ʒ.vj.fiat decoctio ſecundum artem,quæ collo traiecta ſuſcipiat ſacchari.lib.ij.aceti albi.ʒ.j.vini granatorum lib.ß.lenro igne fiat ſyrupus,qui guſtui gratus efficiatur addito ſanthalorum modico.Quibus dum præparatam cognoueris flauam bilem,primò corpus purgabis ex manna,caſia fiſtula, aut ſyrupo ſolutiuo roſarum,vel violarum cum decocto adianti,florum bugloſæ, violarum,prunorum,& tamarindorum,vel cum aqua cucurbitæ.A quibus vel facta vna purgatione, porriges confectionem Hamech ſine ſcammonio & colocynthide,ſero lactis,vel aqua ſtillatitia ex hordeo & portulaca diſſolutã, pondere. ʒ.j. aut ex ipſa confectione cum modico rhabarbaro conficies bolos cum ſaccharo, vel porriges rhabarbari infuſi in aqua lactis,bugloſæ,borraginis,aut cichorij.ʒ.j.& ß.cum. ʒ.iij.ſyrupi violarum ex infuſionibus. Item paulatinis veteris purgationibus ex aqua cucurbitæ aut hordei ſtillatitia,& rhabarbaro.Maiora enim in his adhibere medicamenta verendum eſt: ob id tutius exiſtimaui prædicta repetere, quàm grauiora adhibere.Purgata flaua bile prouidendũ eſt deinceps calido intẽperamẽto:primò balneis aquæ dulcis frequẽtioribus, vel inſeſsionibus ac fomẽtis vtero adhibitis quæ recipiant maluæ vtriuſq; cum radicibus manip.iij.florũ violarum,ſalicis,roſarum,ac nympheæ.ana.m.ij.foliorum vitis, & malorum cotoneorum & vlmi.ana.p.j.fœnugræci lib. ß.facto decocto inſideat mulier ieiuna præcauens ne ſudet.Item ex eodem decocto pudendum ablues, vel ex prædictis herbis ſaccu-

ſacculum conficies:quo facto cubitũ adeat,& antecà ſumat ſequentis medicamẽti aliquid.Excipe friamenti trium ſanthalorum.ʒ.ij.ramẽti eboris,viſci quercini,pudendi tauri,vuluæ leporis.ana.ʒ.j.&.ß.ſacchari candidiſsimi lib.ß.ſaccharũ aqua roſacea,aut hordei liquetur,& formentur quadræ pondere.ij.ʒ.Diebus etiam alternatim interpoſitis,loco prædicti auxilij ſumat mulier aliud pretioſius,quod recipit conſeruæ roſarum.ʒ.j.cõſeruæ florum nympheæ,& florum vtriuſq; bugloſæ. ana.ʒ.iij.pulueris trium ſanthalorum,electuarij de gemmis & diamargaritonis frigidi.ana.ʒ.j.ſeminis mercurialis.ϑ.iiij.ramenti eboris,viſci quercini,pudendi tauri,& matricis leporis.ana.ϑ.ij.miſce & facta confectione cum ſyrupo adianti præbeto cocleare vnum ante prandium à balneo,& tantundem ante cœnam. Poteris quoque fœminam ſuffire paſtillis,qui conficiuntur hac lege:Recipe omniũ ſanthalorum.ana.ʒ.ß.roſarum rubearum,florum nympheæ & violarum.ana.ʒ.ij.ſtyracis.ϑ.j.ambræ.g.x.terantur,& roſacea excepta redigantur in paſtillos.Vtiliſsimũ pari penſu erit,fœminæ dorſum inũgere oleo roſarum,nenupharis & violarũ, aut vnguento roſaceo, de cucurbitis,refrigeranti,vel reſumptiuo:quibus boli alimenti aliquid addere poteris,vel calidi alicuius medicamenti,vt id quod dorſo aut vẽtri adhibueris,impenſè frigidum non ſit:ſat enim eſt vel temperatum eſſe,vel parum à mediocritate recedens,vt optimè conſuluiſſe Ætium cõſtat.Ad pubem verò & imum ventrem ac lumbos refrigerantia eadem adhibeto:quibus addes ſolani,aut vmbilici veneris ſucci modicum,aut lactucæ oleo roſaceo admixto,vbi ingẽs fuerit caliditas.Cui vſui hoc modo appoſitiſsimum parabis medicamentum: excipe foliorum atriplicis,portulacæ & lactucæ.p.ij.coque & piſta,ac adde olei roſarum, violarum & citoniorum.ana.ʒ.j.farinæ hordei.p.j.cum modica hordei aqua fiat emplaſtrum.Vteri oſculo peſſarium etiam appones, quod recipit medullæ cruris vituli,cerui cerebri,butyri vaccini,adipis caprarum,ſeminis mercurialis.ana. ʒ.ß. acatiæ,hypociſtidos,ſanthalorum rubeorum,cornu cerui vſti.ana.ʒ.ij. oleo roſaceo & lana in peſſos excipe. Præterea in pudendum dum ingens fuerit caliditas optimè infunditur aqua hordei,aqua portulacæ,& cucurbitulæ,& vmbilici veneris cum modico roſaceo:quem quoque vſum præſtat lac caprillum. Refert item Ætius,mercurialem vtero,pectini & dorſo impoſitam prodeſſe, & argenti ſpumã ac ceruſam cum aqua tritam:viri autem pudendum vnguento roſaceo aut refrigeranti,dum venere vtitur,inungere oportebit,quo temperatior ſuperſit vterus, ac ſemen ſuſceptum non vrat:quod mirum in modum profuturũ arbitror. Quorum tamen omnium frigiditatem metiri & attemperare oportebit,quantum natura & vterus fœminæ permiſerint.

Frigidi vteri ſigna & curatio

Inter omnes morboſæ ſterilitatis cauſas,frigiditatem vulgatiſsimã & communiſsimam eſſe cenſemus:cui profectò ob id paulò diligentiùs prouidẽdum eſt. Inquit enim Hippoc.5.Apho.59. Quæcunque frigidos & ſpiſſos vteros habent,non concipiunt:qua equidem parte arbitror Hippocr.non quamcunque vteri frigiditatem ſterilẽ eſſe intellexiſſe,ſed eam ſolùm,quæ tanta ſit,vt ſpiſſum reddat vterũ: quam ſanè intelligentiam rationi & Galen.conſonam eſſe conſtat,maximè cùm apertum ſit quinque aſsignaſſe modos,quibus frigiditas ſterilem reddit vterum. Primus quidem eſt,cùm frigiditas per ſe extinguit ſeminis innatum calorem: ſecundus,cùm tantùm vterus à frigiditate cogitur & comprimitur,vt ſemen recipere non poſsit:tertius,cùm venarũ ora occludit,ita vt ſanguis non poſsit in vterum inſtillari ad fœtus alimoniam:quartus verò,cùm ſanguinem efficit aquoſum & nutritioni,aut ſolidorum vel carnis cõpactioni ineptum:quintus,cùm tãtam vterus

ob frigidum temperamentum generat pituitam,quòd humidior, mollior & generationi ac seminis compressioni ineptior fiat. Quapropter censendũ est, minus has fœminas menstruo sanguine purgari. Sed constare iam ex his arbitror,eam frigiditatem sterilem esse,quæ (vt dictum est) spissum reddat vterum,siue in propria substantia,siue ob humorum crassorum & frigidorum copiam. Cognouisse tamẽ ac distinxisse adamussim hos frigiditatis operandi modos oportet,vt pro cuiusque effectu & natura calfacientia quoque adhiberi possint: ne si frigiditas vnum prædictorum vitiorũ inferat,alteri remedia adhibeamus,decepti sola frigiditatis specie. Nam verum cuiusque affectus præsidium non solùm causam respicere tenetur, sed & modum operandi ipsius causæ,vt par in modo operandi & qualitate id adhibeamus. Docet itaque Hippocrat. frigidum intemperamentum nosse lib. 2. de mor. mul. per hæc verba. Cũ verò perfrigeratur vterus,& onus insitũ esse videtur,& color non est clarus,& compactus est vterus. Verùm specialiùs cognosces ex mensibus suppressis,qui incommodè feruntur ob nimiam crassitiem: accedit etiã stupidus sensus circa pectinem,lumbos & crura: quibusdam item crurium impotentia accidit,ac si prorsus perfrigeratæ fuerint, quas venerem minimè appetere, & vteri osculum contractum habere,certum est. Qua in parte dubitandum est, cur fœminæ quibus menses supprimuntur venerem fugiant,cũ dictum sit ab Aristot. 2. de gene. ani. libidinosiores esse? Cui dicendũ est, Aristotelẽ arbitratũ esse fœminas non emittere semen,& loco eius,ac si retineretur,dum menses supprimuntur,fœminas fieri libidinosiores: quod confirmat dicens: Sterilia animalia esse libidini aptiora: quo fit vt signum hoc à suppressione mensium desumptum non videatur verum: nam vel libidinosiores ea ratione fierent fœminæ,vel menstrua nõ deficerent. Dicendum est veram esse Aristotelis sententiam, quatenus attinet ad sterilitatem quæ causa solet esse libidinis: verùm cùm sterilitas ex frigiditate prodit,verum non est,nam plus valet ad arcendam libidinem frigiditas, quàm iuuet ab ea causa menstruorum suppressio & sterilitas. Affectum tamen frigidum esse cognosces,quia semen extingui percipies, quòd vir in coitu pudendum sentiat frigidum,& fœmina non percipiat semen suscepisse. Venarum ora claudi constat ex mensium suppressione vel paucitate,quorum sanguis aquosus existit & decolor,ac debitum tempus anteuertẽs: mucosum esse dignosces,quòd sanguis crassus sit,subalbidus & mucosus.

Quibus cognitis,talem opus est instituere medendi rationem,quæ non solùm calfaciendi vires habeat,sed quæ cuique etiam agendi modo respondeat, contrarieturq;. Nam dum semen extingui cognoscimus,quæ caliditate polleant, ipsamque frigiditatem compescant,citra aliam operationem adhibẽda sunt, donec innata vteri caliditas sopita & veluti extincta ad natiuum redeat temperamentum. Dum verò frigiditas præ vteri conclusione semen non admittit, non solùm quæ calfaciunt adhibenda sunt,sed quæ dilatare & aperire partes possunt,qualia esse credimus vaporosa omnia. Sic dum venarũ ora concludi sentimus,eadem sed lentiùs & diutiùs adhibere oportet. Cęterùm si frigiditas sanguinem aquosum pariat, calida,resiccantia & euacuantia proficua sunt: dum verò pituitosum & crassum, calida,quæ attenuent,abstergant & repurgent. Quæ omnia si exactè animaduertas, nil mirum si sæpius quàm alijs prosperè successisse rem comperias. At quia plerunque huiusmodi frigiditatem sibi comitem habere non paruam frigidi humoris copiam scimus,ob id ante omne opus frigidos,crudos,pituitosos & aquosos succos,non tantũ victu exsiccante & calido,verũ & medicamentis minuere necessũ erit.

erit. Primum itaque cibarijs omnibus admiscebis quæ aluum citare possunt calida & acria,vt fœniculum,anisum,gnidium,apium,smyrnium, crithmum, & alia consimiles vires habentia. Potus etiam probatissimus est aqua decoctionis similacis asperæ,radicis chinæ,caryophyllorũ,cinnamomi aut anisi. Deinceps verò lentè & paulatim prædictos humores præparare curabis,melle rosaceo,syrupo de mentha,de absynthio,de radicibus & borragine cum modico oxymellite, addito decocto rubiæ maioris,radicum bruscі,asparagi,graminis,nepetæ,gallitrici, sampsuci,origani,calaminthæ,pulegij cum seminibus calidis,& modico sabinæ,& ex eisdem facto interim syrupo: vel decoctũ parabis ex betonica & pulegio,melissa, vel maiorana,cauens in omnibus his medicamentis acetum: nam hac ratione inter dixit Auicen. oxymellitẽ: quod etiam vetuit Zoarus lib. 2. tract. 5. cap. 1. Tandem omni arte curabis pituitosum humorem euacuare ijs quæ millies iam diximus. Scias tamen interim id fieri posse agarico,syrupo ex infusionibus rosarum, cartamo,electuario Indo,catholico,pilulis mastichinis, alephanginis, & ijs similibus. Quòd si aquosus sit humor,prædictis addes vel rhabarbari,vel hieræ simplicis Galen. aliquid: cui vsui pilulas ex rhabarbaro,agarico,cartamo & mastiche efformare poteris. Laudo tamen purgationes fieri viginti diebus à mẽstruatione,vt menses puriores & copiosiores prodeant. At si per epicrasim purgare libuerit,vtile quoque erit, huic vsui pilulas potrigere quæ recipiunt xylobalsami, carpobalsami, cinnamomi, sileris montani, asari, mastichis, seminis anisi, fœniculi, macis, croci. ana. ℈. j. calami aromatici, squinanti, spicæ, ana. g. x. myrobalanorum, turbit. ana. ʒ. ij. aloës ad pondus omnium, cum succo fœniculi fiat massa. Attamen si ex indebito vitæ instituto vel ventriculi vitio, aut totius corporis frigido habitu,vterum prædictos succos suscipere aliquando comperias,probatissima mihi videtur ea purgandi ratio quæ per vomitum fit,exhibito origani aut thymi decocto.

Purgato quidem altero aut vtroque modo sufficienter corpore, ea potui aut esui porriges medicamenta,quæ præter id quod humorũ reliquias conterere habeant,totum subinde corpus & sanguinem ipsum calfaciant. & siccent: eoq; magis,quo aquosior extiterit menstrualis sanguis. In primis itaque administrabis. ʒ. ß. vel. ℈. j. triferæ magnæ sine opio ex vino,pliris cum moscho,diambræ,diasatyrij,ramenti eboris,seminis mercurialis. ana. ℈. ij. coaguli leporis & matricis eiusdẽ. ana. ʒ. ß. sacchari albi. lib. ß. liquore stillatitio apiastri & aquæ buglosæ saccharum dissolue,& adde conseruæ corticum mali citri. ℥. j. conseruæ florum sthœchados. ℥. ß. atque in quadras redige pondere. ij. ʒ. quas ieiunæ præbeto: sumat etiam ex confectionibus, quas præcedenti capite huic vsui proficuas esse diximus, inter quas probatam reperio,quæ recepit zedoariæ, doronici,galangæ. ana. ʒ. ij. ß. ligni aloës,cinnamomi, caryophyllorum. ana. ʒ. j. ß. spicæ. piperis longi, ana. ʒ. j. satyrij. ʒ. ij. castorei. ʒ. j. moschi,ambræ. ana. g. vj. fiat secundùm artẽ mixtura,cuius fœmina quatuor diebus ante viri accessum summo manè capiat. ʒ. ij. cum vino odorato. Huius etiam efficaciæ est theriaca,aut diasaluia,vel diamoschus. Confert non minùs à purgatione castoreum,cuminum,pulegium,anisum,iuniperi fructus in puluerem redigere,& cum xyloaloë & saccharo tabellas efformare,vel conditum cũ melle addito modico vino albo. Præstat & mercurialis cum castoreo,aut. ʒ. j. ecleg matis diabræ,vel diamusci,seu de xyloaloë cum vino,aut aqua florũ cinnamomi, vel citrangulorum. Quo sanè facto,mox omni arte corpus calfacere, & exsiccare opus erit: primò quidem balneis naturalibus ex sulphure,quæ summopere esse vtilia

vtilia diutino experimẽto didicimus,vel alio arte parato ex prædictis medicamentis.Ex vſu non minus eſt ſudorem euocare decocto ligni guayaci, ſmilacis aſperæ, aut radicis chinæ,quod etiam multis profuiſſe ſcimus:ad quod quidem auxilium confugiendum eſſe in pituitoſis & albis fœminis arbitror.Verùm ſi ſudare renuerit,ſyrupum ex decocto ligni guayaci cum floribus ſthœchados & ſemine maſculæ mercurialis,noctuq́ue per dies triginta porriges,quẽ magni vſus fore,certo ſcio. Quòd ſi hæc non ſatis ſint,ad fomenta & encatiſmata veniendũ eſſe conſulit neceſsitas & rei ratio:præſtabis quidem vaporẽ per infundibulum,fœmina vndique cooperta,ne in aërem ſpiret:item proſunt balnea aquarum ſulphurearũ,aut nitroſarum,vel ex decocto artemiſiæ vel meliſſæ.Euaporationes hoc modo cõficito: cipe artemiſiæ,betonicæ,chamædreos,chamæpythios,chelidoniæ,gallitrici,foliorum lauri,maluæ,maioranæ,nepetæ,meliſſæ, camemali, meliloti.ana.m.j.carui, cimini,ſileris montani,aniſi,ſeminis lini, anethi, fœnugræci. ana.ʒ.j. fiat decoctio quæ pro balneo etiam naturali adminiſtrari poteſt.Sed probatior mihi videtur fotus,qui fit ex aqua calida,in qua priùs decocta artemiſia,ſaluia,ruta,cuminum,pulegium,ciperus,iuncus odoratus,acorus,& reliqua ſemina odorifera.Verùm in his & ſuffitibus non oportet diu immorari, ne maior in pudendis concitetur calor, quàm par ſit:ſat enim erit frequentiùs his vti.Quem quoque & longè præſtantiorem vſum,in frigidis,obſtructis,& menſtruis carentibus vteris præſtat ſuffitus Hippoc.lib.1.de morb. mul.tantoperè commendatus qui ex vrina vetuſtiore,in qua extinguãtur duo vel tria chalybis aut ſcoriæ ferri fruſta,mirabilis profectò eſt efficiæ.Cataplaſma quoque ex his omnibus confectum & pubi appoſitum magni eſt momenti,quòd vterum calfaciat & roboret.Suffitus etiam parari poſſunt ex calidis odoratis,vt caſsia,cinnamomo,coſto,aniſo,thure,myrrha,ſtyrace,& alijs ex his compoſitis,quæ recipiant pilularum cupreſsi,maſtichis, thuris, ladani, baccarum lauri,bdelij,ſtyracis.ana.ʒ.ſ.ambræ griſiæ.℈.j. miſce & per infundibulum ſuffitũ ſuſcipiat.Aliud etiam conficies,quod recipit ſtyracis.ʒ.ſ.agalochi, ambræ. ana.ʒ.ij.balſami.ʒ.j.moſchi.℈.j.confice paſtillos.Item aliud recipit ladani puri.ʒ.iij.ſtyracis.ʒ.j.&.ſ.caryophyllorum,agalochi,ſabinæ ſiccæ.ana.℈.j.ambræ & moſchi,ana. g.x.fiant paſtilli.Idem beneficium præſtant alipta muſcata,gallia muſcata,& reliqua ſuffumigia,quibus fœminæ vtuntur ad conciliandum gratum odorem. Studebis etiam his factis ſenſim vterum purgare,calfacere, & roborare peſſarijs quæ recipiant artemiſiæ,ſabinæ,maioranæ,dictamni,abſynthij.ana.ʒ.j.aniſi,ameos,rutæ,corticis thuris.ana.℈.j.quæ omnia in minutiſsimum puluerem redacta ſucco mercurialis excipe,& raro panno in locellos nocte immittito: quibus addere aliquando oportebit oleum momordicæ,vel idem oleum bombace exceptum , & vtero impoſitum,quod incredibili efficacia prodeſſe ſcimus.Aliud item cõficitur quod recipit macis,bdelij,galliæ muſcatæ.ana.ʒ.j.pulueris hieræ.℈.ij. cum ladano confice peſſarium:cui adde agarici modicum.Quam proculdubio curationem ſi quis diligenter examinet,reperiet vniuerſam ſcriptam eſſe apud Hippoc.lib.2.de morb.mul.per hæc verba.Cùm verò perfrigeratur vterus,& onus inſitum eſſe videtur,& color non eſt clarus,& compactus eſt vterus. Cùm ſic habuerit, purgare oportet cum eo quod pituitam ducat,& extenuare,ac frequenter vomere.Lib.tamen.2.pop.par.6.text.34.huic ſubueniens ſterilitati,inquit: Vt mulier in vtero habeat,polypos ſuper flamma aſſatos quàm calidiſsimos & plurimos ſemiuſtos edendos dare,& nitrum Ægyptium & coriandrum,quibus ſanè tantum in hac cauſa vtendum eſſe arbitror.

Ve-

Verùm vt res ex voto ſuccedat,non vtcunque adhibenda ſunt prædicta auxilia,ſed hac limitatione præhabita,quòd inter vnum & aliud auxiliũ vel vomere, vel leui aliquo pharmaco corpus purgare ſtudeas:aut adhibito catapotio ex hiera, ex maſtiche,ex agarico,vel ſyrupo ex decocto guayaci cũ ſena, vel ex ipſa foliorũ ſenæ infuſione cũ melle,aut ſaccharo facto. Præſtat itẽ puluis ſenæ cũ ſaccharo & ſucco melliſſæ in tabellas formatus.Præterea prouidendum eſt,vt ex prædictis auxilijs vnumquodque iuxta effectum à frigiditate inductum adhibeatur: quippe ſuffitus ijs maximè proſunt fœminis,quibus ob frigiditatẽ menſtrua vel nulla vel diminutè prodierint,præſertim ſi aquoſa humiditas adiungatur.Suffitus aromatũ (inquit Hippocrat.)muliebria educit:at euaporationes ijs,quibus os vteri & oſcula venarum ipſius frigore conſtipantur,ita vt ſemen ſuſcipere non poſsint: omnia tamen hæc peculiare hoc habent,vt frigiditatem vteri compeſcant,quo minus ſemen extinguatur. Sed quæ vterum purgant peſſaria illis tantùm ex vſu eſſe cenſeo,quibus pituita aut aquoſus humor in vtero abũdat:quod quidem cautè agendum eſſe arbitror,licet authores liberè colocynthide & alijs grauioribus vtantur. In qua ſanè re ſcriptum reperio,& à viris doctis nõ leuiter laudatum,peſſarium de allio hortenſi:referunt enim allijs cum oleo de ſpica tritis , & in rarum linteolum oblongi ſacculi modo conformatum,intruſis,ac in vuluam profundè pulſis,& dũ licebit,excluſis,ceſſantes menſes(quod pituitoſo vtero non rarò accidere conſpicimus)potenter moueri,& vterum mira voluptate affici ac repurgari,vt hinc facta ſit via nonnullis ad conceptum longo tempore deſperatum.Pari quoque vtilitate probatum eſt prodeſſe,illud quod recipit ambræ partes duas,limaturæ eboris partem vnam,ligni aloës partem ſemiſſem,quibus ſubtiliter in puluerem redactis cum modico cibeto fiant pilulæ,quarum ſumat.ʒ.põderis.iij.ſ.tertio quoque die, maximè ſi vmbilico apponatur emplaſtrum ex ambra & theriaca. Eãdem etiam intentionem complent & purgationes,& balnea,& ſudores,& medicamẽta quæ humorum reliquias conterere,anteà dixímus.Sed cùm ſatis non ſit ad fœcunditatem conciliandam,hæc omnia præſtitiſſe, ni vterus ad antiquum vigorem redierit:ob id ventris inferioris regionem & vteri locum in lateribus iuxta inguina inungere primò opus erit,oleo momordicæ,balſamo,oleo de ſtyrace,naphæ,liliorum alborum,de baccis lauri,de angelica,de cinnamomo cum muſco,& alijs quę calida ſint & gratum odorem ſpirent.Præterea fomentis æqualẽ vini portionem addes:cataplaſmata item conficies ex pulueribus prædictarum herbarum & ſeminum cum aromatis,vino,& oleis prædictis,quæ iuxta inguina adhibẽda ſunt. Sed vmbilico & eiſdem partibus emplaſtrum quoque affigito prædictis viribus prædictum,quale eſt quod recipit ladani depurati.ʒ.ij.thuris,ſtyracis liquidæ.ana.ʒ.ſ.ſpicæ nardi,caryophyllorum,ambræ griſiæ.ana.ʒ.ſ:ceræ quantum ſit ſatis vt fiat emplaſtrum cum oleo liliorum,nardino,& balſamo.Aliud quidem recipit emplaſtri ceronei.ʒ.ij.ladani puri.ʒ.j.&.ſ.galliæ muſcatæ,aliptę muſcatæ,pulueris cinnamomi & baccarum lauri.ana.ʒ.j.excipiantur omnia oleo ex angelica , & conficiatur emplaſtrum. Parabis etiam aliud efficacius,ſi exceperis ſtyracis calamitæ.ʒ.j.ambræ.ʒ.j.myrrhæ,thuris,caryophyllorum,ligni aloës,cinnamomi, nucis muſcatæ, nucum cupreſsi,& ſeminis angelicæ.ana.ʒ.j.&.ſ.cum cera,ladano, terebinthina, belzoino,& tecamacha Indorũ,aut caranna fiat emplaſtrum: quod etiam ex eâdẽ tecamacha vel caranna cum balſamo & theriaca vtiliſsimum conficies. Roborãt quidem vterũ quæ cap.de eius imbecillitate diximus,ſed maximè id quod recipit pulueris granæ & caryophyllorum.ana.ʒ.j.ſ.pulueris roſarum, coralli, ſanguinis draco-

draconis.aña 3.j. pulueris mastichis.3.ß. diambræ & diamusci.ana.ʒ.j. fiant depurati & ceræ.q.s.vt fiat mediocris consistentiæ emplastrum:inungendi pectinem & os vteri odoratis,quo auidiùs semen accipiat vterus.Quibus omnibus factis si adhuc fœmina semen non retinuerit, mirum in modum multis profuisse scio viro accedere,pudendo inuncto cibeto,aut quòd vir membrum virile inungat prædicto cibeto,quo penitiùs permeet: cálfacit enim vterum & ipsum semen auidiùs complectitur.Quibus sanè ea moderatione vteris,vt ne vterum vltra debitum calorem moueas,aut præ timiditate nihil efficias,sed ea prudentia rem moderaberis,vt neque noceas,aut frustra & inutiliter labores.

Humidi vteri signa & curatio.

Humiditate nimia vterũ laborare,& obid non concipere cognoscẽs ex fœminæ habitu molli,pingui,& subalbido:ex præcedenti victu humido,aquoso,ac potu immodico,ex vita quoq; sedentaria & otiosa: ex largioribus itẽ mensibus ijsque aquosis,tenuibus,& ichore plenis.Præterea ex pudendo nimis humido, ac madore pleno,ex nulla vel obscura veneris appetẽtia,nulla etiam delectatione in coitu. Quæ sanè omnia mira quadam breuitate Hippocrat.lib.2.de morb.mul. complexus est dicens:Si verò non conceperit,seu secũda aut tertia die exeunt ea quæ à viro emissa sunt,fluentia cum multa humiditate:manifestum est quòd vteri sunt humidiores. Ad quam sanè causam,vteri laxitas & nimia apertio,reduci potest: sed placet in suum differre locum,& ad institutum redire. Quatuor igitur modis conceptum humiditas nata est impedire:primo dum vterus nimia humiditate luxuriat,& viri genituram suffocat extinguitque,vt ex Hippocrat.constat.5.Aphorism.62.Sed fieri id censeo non à sola humidi qualitate,verùm à copia etiam materiæ per se genituram suffocantis:non enim datur humida intemperies euidẽs sine præsente materia. Namque cùm ignea seminis vis aquæ vbertate extinguatur,necnon cùm mulieris semen nimis aqueum sit & pituitosum,fit facilè vt materno siue innato spiritu orbatum & impotens factum hiet vterus & procidat protinus. Hoc proculdubio cognoscẽs, quia retento adhuc semine & non prolabente protinus fœmina concipit. Secundo humiditas genituram perdit,quia lubricitatem vterus ex humidi vbertate non paruam contrahit, qua facillimè semẽ susceptum prolabitur:quod percipies ex fœminæ relatione.Tertio verò, quia humida vteri intemperies non permittit fœminam semen fœcundum generare, sed aquosum,præhumidum,labile,& generationi omnino,velut aqua,ineptum: nam testium & vasorum fœminæ vis nimia humiditate obruta,nequit quãtum par sit, semen coquere ac perficere.Id proculdubio cognoscẽs ex seminis fœminei tenuitate:nam mox à coitu procidit & tenue atque aquosum apparet.Quarto verò & vltimo id malum humiditas affert,quòd robur & firmitatem ipsius deijciat, ac veluti paralysim in ipso moliatur:cuius ratione susceptum semen non complectitur vterus,nec ipsius osculum ea vi & efficacia clauditur quæ sufficiat ipsum continere:cùm(vt refert Hippocrat.)necesse sit os vteri ita claudi, vt nec specilli acumen admittat,quod sanè vitium pleraſque fœminas perdere certum est. Dignoscẽs autem id priuatione aliorum signorum:præterquam quòd hæ fœminæ propter vteri oris apertionem & laxitatem,nullam sentiunt in coitu delectationem, & madore nimio affectas semper partes pudendas habẽt.Dubitatione quoq; dignũ hac in parte iudicatu,quî fieri possit,q̃ nõ rarò cõtingat fœminã hydrope affectã simul cõcipere,citra fœtus aut seminis corruptionẽ: sed id facilè solues,si expenderis cũ hydrope vteri minimè posse fœminã concipere,cum hydrope vera posse quidẽ, quia aqua potiùs est inter omentũ & peritoneũ, quã q̃ fœtũ aut vterũ attingat.

In

In curatione quidem licet communi quadã indicatione quæ ad siccitatẽ vterũ reducat,omnes humiditatis actus conueniant:vt Hippocrat.docet lib.2. pop. par. 3 tex.28.dicens:Humiditas per exeuntia,victus ratione siccissima:nihilominus tamen peculiarem quæuis agendi ratio exposcit siccandi materiam & curãdi rationem.Nam quæ suffocat humiditas,maiorem expostulat vacuationem: quæ lubricum reddit vterum,maiorem cum exsiccatione abstersionem: quæ imbecillam reddit coquendi & conficiendi semen potentiam,præter exsiccationẽ roborantia & coquentia pharmaca exigit:quæ verò paralysim infert,& os vteri laxũ & molle reddit,quæ astringendi,roborandi & firmandi vterum vires habent cũ exsiccatione desiderat.Referam inprimis quæ siccitate esse proficua in communi scimus: deinceps cuique sympthomati & affectui ex ijs,quos retuli,peculiaria scribã pharmaca.Sed referam ante omnia vniuersalem medendi rationem quam huic affectioni scripsisse Hipp.constat lib.1.de morb.mul.per hæc verba. Si verò humidior fuerit,tales vteri,nullo ex his opus habent,sed vice versa,neque cõtrectare,neque lauare recente motu facto oportet,neque suffire:nam ad periculum hæc procedere solent.Et si magis quàm pro natura fuerint humectæ,siccare sanè ac suffire oportet:si verò biliosa in ipsos confluant, medicamentum dare, quod bilem purgat: si verò salsuginosa,lac asininum & vinum & alia auxilia.Morborum porrò vires considerare oportet,& causas, ex quibus morbi fiunt exquirere, atque sic ad alia procedere,& morbos circa locos curare:& quæ quidem ob causam osculorũ hiantium prohibentur,vt ne detineant in vẽtre horum oscula præparare, vt probè deducta sint.Cùm verò humiditas prohibuerit hanc inspicere, vt ne impediat totis mulierum negotijs expensis,siue ex toto corpore quid moueri videatur,siue ex ipsis vteris,siue ex vtrisque.Vteros autem sic curare oportet:imò sicciores quidẽ tanto magis bono succo,quantò sunt sicciores huiusmodi humiditate,vt pingues magis fiant,quàm graciles. Humectos verò & madidos siccare ita,vt relinquas, quo humidi sint,& non valde siccentur:excessus in his valde sunt vitandi. Concipit autem in ventre neque ea quæ humiditatem habet, neque quæ siccata est nisi quid horum in veteri natura fuerit.Placuit quidem ad verbum Hippocrat. sententiam transcribere,vt quæ prudentiam in curatione & veram medendi rationẽ, & metas etiam operandi adamussim doceat:quam sanè curaturo expedit præ manibus perpetuò habere.Itaque si cognoueris semen præ nimia humiditatis copia suffocari,eũ vitæ modũ institues,qui exsiccare quantũ sat sit,possit, exhibitis sicciori-bus cibis & vino,vel decocta aqua aromatis & calidis seminibus, vt anifo, cinnamomo,radice chinæ,aut smilace aspera.Vtatur quoque fœmina laboriosis exercitijs,lentè tamẽ factis,& frictionibus etiã,maximè superiorũ partiũ.Qua vitæ institutione habita,præmissa tamẽ leui purgatione,quãta sat sit vt corpus citra noxam exerceri possit,vacuare ipsum deinceps copiosiùs opportunũ erit.Primò quidẽ per ea pharmaca quæ pituitam & aquosos humores expurgare nuper diximus, idque confertim primò, deinceps autem per epicrasim, exhibitis pilulis de agarico, de mastiche,alephanginis,de hiera:vel ijs quæ cõficiuntur ex rhabarbaro,agarico, & aloe,vel ex pulueribus hieræ simplicis cũ pulueribus radicis chinæ & rubiæ æquis portionibus.Quod item facies infuso aliquo agarici,aut syrupo ex guayaco,radice chinæ,& agarico cum melle & saccharo cõfecto:cuius descriptio talis est: excipe decoctionis maioris ligni guayaci,& radicis chinæ. lib. 1. agarici trochiscati, ligati & expressi. ʒ.iiij. foliorum sennæ. ʒ.ij. sacchari & mellis quantum sit satis vt fiat syrupus.His factis,semel aut bis in hebdomada vomendum est,præsertim si

totum corpus aut ventriculus vtero causam præstiterit. Quod præsidium, si fœmina non recusauerit, prætermittendũ non est tanquã summè vtile & proficuum.

Prætereà has fœminas sudare non minus, quàm prædictas coges, maximè ex decocto radicis chinæ cum aniso & ligno aloë: quod sanè inter cætera auxilia peculiares vires habere, experimento & ratione didicimus. Quòd si fœmina iecur habuerit calidius, aut timueris calorẽ succendi plus iusto, decoques radicem chinæ, aut similacem asperam stillatitia aqua chicorij, borraginis aut buglosæ.

Quo facto, si opus fuerit, ad naturalia balnea, eaq; sulphurea confugies quæ cõstãt sæpissimè profuisse. Tandem si plurimũ humiditatis præesse cognoueris, tanquã vltimum præsidium consulo fontanellam in altero crure aperire, per quam paulatim vteri humiditas dilabatur. Interim tamen studendum est topicis auxilijs vterum ipsum exsiccare fomẽtis videlicet, primò siccis ex artemisia, cinnamomo, anetho, camemalo, hyssopo, menthastro, semine & radice angelicæ, baccis lauri, caryophyllis, & nucibus cum diambra & diamoscho. Inunges quoque vniuersam vteri regionem oleis & vnguentis, ac emplastris quæ nuper diximus: pessaria tamen hac lege facito: excipe macis, bdelij, galliæ muscatæ. ana. ʒ. ij. agarici. ʒ. j. puluerís hieræ. ʒ. ij. cum ladano fiat pessarium. Suffumigium id parabis, quod recipit ladani puri. ℥. ℈. styracis calamitæ. ʒ. j. ligni aloës, sabinæ siccæ. ana. ʒ. ℈. ambræ. ℈. j. musci. g. iiij. misce & fiat suffumigium. Cui consimile parabis, si exceperis styracis. ℥. ℈. ligni aloës. ʒ. ij. balsami & ambræ grisiæ. ana. ʒ. j. musci. ℈. j. fiant suffumigia. Prodest etiam aliud ex bistorta, xylobalsamo, nepeta, melissa, & ladano. Sed in hac potissimùm causa paratur vtilissimum, quod recipit ambræ, styracis. ana. ʒ. iij. myrrhæ, mastichis, thuris, caryophyllorum, ligni aloës, cinnamomi, nucis muscatæ, nucum cupressi. ana. ʒ. j. & ℈. cõficiatur massa cum ladano, addito angelicæ semine, ex qua pessaria, suffumigia, & emplastra pro matrice efformare poteris.

Quibus porro factis, ad ea medicamenta veniendum est quæ & causam elidãt & proprietate quadam conceptui adminiculo sint, quale est quod recipit testiculorum verris desiccatorum, limaturæ eboris, seminis seseleos, vteri leporis, & coaguli eiusdem. ana. ℥. ℈. fiat puluis, quo vtatur manè & cum iure pulli. Et semel in hebdomada pessario hoc vteris, quod plurimum vterum purgare scimus: excipit quidem castorei, agarici, mastichis. ana. ʒ. ℈. colocynthidis. ℈. ℈. bulliant in vino albo & post colaturam adde mellis quantum sit satis, vt fiat lento igne pessarium, quod insperge puluere nucis vomicæ combustæ. Verùm si humiditatem cognoueris lubricum reddere vterum, præter dicta medicamẽta ea adijcies, quæ abstergendi vires habeant: cui vsui conficies clystere, quod recipit thuris. ʒ. ij. aluminis. ʒ. j. nucum cupressi puluerizatarum. ʒ. j. ℈. vteri ceruæ in puluerem redacti. ʒ. ij. mellis optimi. ℥. iij. bulliant omnia in vini albi lib. 1. &. ℈. ad consumptionem medietatis, cui adde theriacæ. ʒ. j. & fiat colatura. Parabis etiam clystere ex decocto ligni guayaci, radicis chinæ, & similacis asperæ cum melle, quod mirũ in modum abstergere & exsiccare natum est: vtitor etiam pessarijs & suffumigijs supradictis, ac post modum confectionem hanc sumat fœmina tertio quoq; die cũ modico vino: recipit quidem caryophyllorũ, cinnamomi, galangæ, zingiberis, xyloaloës. ana. ʒ. j. nucis muscatæ, zedoariæ, seminis ocymi, spicæ, croci. ana. ℈. j. ossis de corde cerui, rasurę eboris, & margitarũ. ana. ℈. ij. ambræ. g. x. musci. g. iij. sacchari quantũ sit satis vt cũ aqua rosacea fiant tabellæ, quarũ. ʒ. j. porriges. Ex quibus medicamentis dempto sacchar ̃o, & additis styrace & ladano emplastrum conficies, quod

quod experimento didicimus vterum maximè calfacere, exsiccare & roborare: & ob id eo vtimur, vbi ex humiditate testes & vterum malè affectum & tenue effundunt semen.

Verùm si ex vteri laxitate, & oculi eiusdem resolutione ocyssimè semẽ prolabatur, præmissis vniuersalibus auxilijs, quæ retulimus, & quæ mox diximus, peculiares exsiccandi & calfaciendi vires obtinere, ad ea quæ astrigendi & roborandi efficaciam habeant, confugies: quale est quod recipit rosarum rubearum. ʒ. ℈. thuris, mastichis, myrrhæ, sanguinis draconis, boli armeni, myrtilorum. ana. ʒ. j. &. ℈. styracis calamitæ. ʒ. j. ladani. ʒ. ℈. ambræ, musci, spicæ nardi. ana. ℈. j. formentur trochisci ad suffumigia paranda, vel emplastrum vmbilico & imo ventri apponendum. Cuius naturæ aliud efformabis, quod recipit ligni aloës, cinnamomi. ana ʒ. j. &. ℈. caryophyllorum, cyperi, nucis muscatæ. ana. ʒ. j. radicum bistortæ, angelicæ, ana. ʒ. ℈. gallarum & aluminis. ana. ʒ. v. musci. ℈. ℈. ex quibus item coctis fœmina, si euaporationem susceperit, mihi non est dubium, quin maximum sit consequutura beneficium. Quem quoque vsum præstabit euaporatio ex decocto ligni aloës, radicis chinæ, aut ligni guayaci: item ex eisdem suffumigium aut clystere. Cæterùm ab his omnibus cauendum proculdubio est, mensibus instantibus. Confert insuper post menstruam purgationem, per metranchitam injcere in vterum clystere, quod recipiat galbani puri. ʒ. iij. lactis caprini. ʒ. j. & ℈. bulliant, & facta colatura infunde. Cui consimile aliud efficies, quod recipit hyperici, radicis peoniæ, vel seminis eiusdem & angelicæ. ana. ʒ. j. myrrhæ, carpobalsami, gallarum, balaustij. ana. ʒ. ℈. tusa bulliant in lib. ij. aquæ ad consumptionẽ medietatis. Nec difficile erit euaporationes varias, suffitus, emplastra & pessaria huic vsui idonea efformare, si quis exactè expendat quæ hucusque diximus.

Siccitatis vteri signa & curatio.

Siccitatem quidem summè esse sterilẽ euidenti argumento ex terra desumpto probari potest: nam quid persimile fœminis sicca intemperie laborantibus accidere cõperimus, quale arenæ, argilosæ terræ, aut petrosæ accidit, dũ illis semina committimus: dixerat enim Hipp. lib. 5. aphor. 62. Et quæcunq; siccos magis & aduentes: nam ex defectu alimenti corrumpitur, dissipaturque facilè semen: in sabuloso enim loco nihil feliciter nascitur, sed semen ocyssimè contabescit. Duplici quidẽ ratione sicci vteri concipere nequeũt: prima quidem, quia seminis substãtiam ebibunt & conterunt, terræ siccissimæ instar quæ vberrimas pluuias confestim depascitur: secunda verò, quia susceptο semini nullum præstant alimentum, vel quàm parcissimum, quòd fœminæ sic affectæ sanguine careant: quo fit vt facilè id vitiũ cognoscas, quia per menses nihil instillat, vel exiguum aut crassum. Corpus item sic affectarum hirsutius & siccius existit, ac pilosum, aut citra pilos, si frigiditas accedat. Os item vteri siccum, labra scissa, ad tactum dura, nulla humiditas instillat, & coire plurimùm appetunt.

Erit igitur duplex curandi ratio, altera quæ madidum & mollem reddat vterũ, quominus semen conterat & ebibat: altera verò quæ humidum ac semine & sanguine menstruo vberem efficiat. Quamobrem primò vniuersum corpus humectare studebimus alimentis humectioribus & optimi ae multi nutrimenti, & tandem ijs quæ aqueo humore abundant. Qua in re opus est vti carnibus auiũ aquatilium, piscium non saltorum, & auium domesticarum, ptisana & lacte nutritarum: carne item testudinum, limacum et ranarum, fructibus horarijs, melonibus et similibus quæ multam substantiam aqueã præstant, dum modò eorum vbertas

tanta non sit,quæ corrumpi periclitetur. Quo facto,amylo,pulte,farre,ptisana, & alijs huius naturæ vti oportebit,donec sanguinis & seminis maior subsit, & ad vterum confluat copia. Postmodum quidem frequentibus aquę dulcis balneis totum corpus humectare oportebit,iuxta Hippocra. præceptum lib. 1. de mor. mul. qua parte hæc refert verba. Et siquidem siccior fuerit; balneis pluribus,& obsonijs omnibus coctis,tum marinis, tum carnibus vtatur, oleribus coctis,pinguibus ac dulcibus: vino etiam vtatur aquoso & diluto,hæc enim plerunque faciunt vt humiditas præsit tum in reliquo corpore,tum in vteris,maximè accedente vita sedentaria & ociosa. Prætereà vtero & ipsius regioni fotus ex aqua dulci & euaporationes adhibendæ sunt ex decoctis herbarum humentiũ, velut malua,viola, althea,rosa viridis,semen altheæ,fœnugræci & citoniorum,ex quibus vel balneum,vel fomẽtum, vel euaporationem hac lege conficies: arietum duo capita,quoad vsque caro ab ossibus sponte separetur, decoquenda curato,quibus adde,vt leuiter bulliãt florum salicis,violarum,camemali,maluarum ana. m. ij. altheæ cum radicibus m. j. radicis valerianæ. libr. ß. fœnugræci,& seminis lini. ana. ʒ. iiij. fiat decoctum,quo vtere. Præstat item vterum & dorsum frequentissimè inungere oleo de floribus salicis,amygdalarum dulcium,violarum, de seminibus melonum & cucurbitarum, butyro recenti, lacte & similibus. Vtile quoque est ceratum rosaceum, vel vnguentum ex cucurbitis, aut resumptiuum. In vterum etiam infundes ex prædictis decoctis vel lactis aliquid,olei amygdalarum dulcium, iuris pinguis,aut decocti carnium limaciarum & hordei. Item præstat pessus,qui recipit medullæ cruris vaccini,adipis gallinæ. ana. ʒ. ß. styracis. ℈. j. cum lana confice pessos, quibus adde olei amygdalarum dulcium quãtum sat sit. Verùm vt summatim referam,hoc vnum in curatione hac obseruandũ censui,vt corpus omni arte reficias & humectes: cui vsui præstat hoc medicamentum frequenter sumere, quod recipit sacchari albi lib. j. & ß. amyli. ʒ. iij. in aqua rosacea coquito,& interim adde olei amygdalarũ dulcium. ʒ. ij. ac lẽto igne in eam consistentiam redige, qua tabellæ fieri possint. Ex vsu quoque est lac asinæ calidum exhibere, aut lac caprillum cum modico saccharo & farina leuiter coctum, vel amylum cum lacte & vitellis ouorum,& tandẽ corpus vniuersum velut hecticorum corpora reficere. Vltimò tamen in hac curatione expendes vteri osculum non rarò esse siccitate contractum: cui vsui inter alia præsidia,quæ passim retulimus,confert (multorum sententia) succus porri hortensis, si eidem misceatur adeps anseris,eoque inũgatur post mẽstruam purgationem collum vteri: quod sanè præsidium contractum vterum laxare proculdubio fertur,& fœmina nõ omnino à mensibus purgata viro accedat: nam in alijs sterilitatis causis erroneum sit, id consulere,in hac sola proficuum esse arbitror: quinimo hac sola ratione censeo id consuluisse Hippocra. lib. 1. de morb. mul. dicens. Optimum autem fuerit hac ipsa desinente, & adhuc tamen profluente potiùs quàm penitus cessante. Nam in alijs causis euidentissimum est ipsum consuluisse contrarium, vt constat eiusdẽ sententia eodem li. paulò inferiùs, quæ in hunc modum se habet. Porrò autem mulierem ad virum accedere sub decessionem oportet, aut accessionem mẽstruorũ: quibus constat minimè à menstruis oportere esse, si probè cõceptura est: vt clariùs adhuc dixerat lib. 1. de morb. mu. per hæc verba: Sed etiam sic se res habet, simulatque mulieribus menstrua desierunt, tunc maximè cum viro apperenter congressæ concipiunt. Ratio quidem huius veritatis est, quia quæ sanguine opplentur benæ & saturatæ sunt, genituram non accipiunt, nam vt semen robur suum exequatur, vacuitatem in vtero desiderat, qua & vterus auidiùs ipsum cõplectatur, & noui ac

ac melioris sanguinis præstetur alimentum semini: inanes enim benè & pressiùs continent semen & auidiùs sanguinem alliciunt.

Flatus vteri signa et curatio.

Ex diminuto vteri vel vẽtriculi calore,præexistente ibidẽ humiditate,quã regulare nequit pusillus ille calor,facilè quidẽ in vtero flatus generari assolẽt: quos steritatis esse frequentissimã causam cognouimus,propulso nimirũ ex vtero impetu ipsorũ susceptо semine,vel q; præ distensione apertũ teneant plerunq; vteri ostiũ. Hos quidẽ fœminæ cognoscunt,persentiuntq;: quia silentes & strepentes nõ rarò prosilire per os vteri percipiũt. Prædictis etiã fœminis vẽter inflatur,maximè à cotu,conãte vtero se ipsum claudere,sed mox quod susceperat,projcit. Rugitus quoque adest in inferiore vẽtre,tensio,& nõ leuis molestia,quæ protinus flatu excreto cessant. Huic sanè causæ innitendũ plurimũ esset,vt quæ frequẽtissimè sterilitatẽ pariat,nisi communem obtinuisset curandi rationẽ cũ frigido & humido vteri intemperamẽto. Cum hoc tamẽ duplicẽ hæc affectio sortitur medẽdi methodũ,alteram quæ calori imbecillo ob frigiditatẽ vteri,aut ob suffocationem ex humiditate inundante prouideat,cuius nuper abundè meminimus: alterã verò quæ flatibus prouideat ijs præsidijs,quæ ipsos tenuent,discutiant,ac dissipent,qualia sunt (præter ea quæ dixim⁹) euaporationes,suffitus & sacculi ex ruta,cumino,anetho,aniso, apij semine,costo,cinnamomo,semine & radice angelicæ,& hui⁹ naturæ reliquis. Quem quoque vsum præstãt inunctiones ex oleo,in quo feruerint prædicta omnia,vel lauri baccæ & folia,ex quibus cataplasmata & emplastra parabis,quæ addita prædictis auxilijs calfacientibus & exsiccantibus frigidũ & humidũ vterum maximè attẽperant. Cæterùm frigiditati,humiditati,ac flatibus præualentibus hoc vnũ præsidium scio esse proficuũ,ac non leuibus experimentis confirmatũ, quod recipit nucis muscatæ,rasuræ corticũ mori,rasuræ corticũ nucis, florũ roris marini,ligni cupressi mũdati & in puluerem redacti. ana. ʒ. iij. cuius dosis est. ℈. ij. cum vino odorifero vel aromatis confecto. Confert item sudare decocto radicis chinę facto ex aqua stillatitia buglosi. Item vsus cardus hortensis huic causæ,& vtriusq; coniugis sterilitati ferunt graues authores prouidere,& ad masculorum generationem maximè conducere.

Duritiei oris vterũ signa, & curatio.

Prædictæ quidem intemperantiæ secundis qualitatibus,quas sibi comites asciscunt,frequentissimè vterum afficere solent ita,vt non minùs sterilitate afficiant, ac ipsę per se natę sunt efficere. Proficiscitur etenim à primis qualitatibus durities, quæ vteri officio & naturæ aduersissima existit: quamobrẽ dixit Hipp. 5. aphor. 52. Quibus os vteri durum est,ijs os vteri comprimi necessum est. Constat ex hac sententia hunc affectũ reducendũ esse ad morbũ in via potissimũ: nã hac ratione fœcunditati officit. Sed expẽdendũ est de ea vteri duritie nos hic loqui quæ morbosa est,non quidẽ de ea quæ prægnãtibus accidit: cuius meminerat Hipp. apho. 51. lib. 5. quæ verè durities nõ est sed cõniuentia. Ad hanc proculdubio affectionẽ os vteri pingue reducendum quoque est,quia in vtrisque non suscipitur semen. Sed hæc eadem causa longè diuersa est ab ea,quã mille in locis de omento crasso & crassis fœminis Hippoc. refert,quas esse etiã ad concipiendum ineptas docuit. 5. aphoris. 43. 44. &. 60. & lib. de natu. mulie. ac de sterilibus. Verùm huius affectionis clariùs meminit lib. de locis,aqua & aëre,textu: Lunares purgationes: quod sanè vitium paulò inferiùs curare mõstrabo digerentibus & exsiccantibus auxilijs, vt expressè Hippocr. consulit lib. de steril. per hæc verba. Si verò mulier à pinguedine vteros sibi læsos esse putet ad conceptionem,attenuato ipsam quàm maximè,& ad reliqua gracilem facito. Verùm tamen vteri os durũ fieri est necessum aliqua ex his

causis accedentibus,ob idque claudi,& mulierem non concipere,quòd semẽ non susceptet.

Atqui licet durities posit separari ab vtero concluso,est tamẽ illius signũ,vt dixerat Hipp.lib.de nat.mul.his verbis.Si os vterorũ cõcludatur,spissum fit veluti grossus ficus,& si digito contigeris,comperies durum & contractum,vt digitum non admittat,& menses occultantur,& genituram non suscipit hoc tempore,& dolor habet imum ventrem,& lumbos,& laterum mollitudinem.Item paulò antè hæc verba refert.Si indurati fuerint vteri,os ipsorum asperum fit,& menses occultantur,cùm verò apparuerint,velut arena sunt,& genitura hoc tempore non fit:si verò digito contigeris,asperum fit os vterorum. Qua sententia ostendit conceptui esse impedimentum prædictam vteri crassitiem,sicut anteà dixerat lib. de steril. hæc verba scribens.Os vteri prohibet conceptionem,si auersum,si distortũ,si concluſum,si recens fuerit concluſum.Et eodem lib.paulò inferiùs inquit. Cùm stomachus vteri durus fuerit totus,aut summa parte,& concluſus,ac non rectus fuerit,sed ad alteram coxam auersus,aut ad intestinum rectum inclinatus,aut in seipsum contractus,aut labrum stomachi sibi ipsi incubuerit:vndecunque igitur aut asper fuerit,aut callosus:fit autem durus & à cõclusione & à callositate. Cuius etiã cognitionem adducit eodem lib.dicens.Si os vterorum durum fiat,aut ceruix,ex digiti contactu cognosces. Duritiei quoque causam recenset eodem lib.dicens: Os vteri durum fit,aut dum concluditur,vt nuper adducta sententia in fine monstrauit.Ex quo constat posse concludi,vt in prægnantibus citra duritiem. Verùm si durities accidat vel à callo,vel à scirrho,vel à tumore aliquo præter naturam,vel à nimia frigiditate aut siccitate,quæ partes constringat:longè diuersam esse censendum est à præcedenti.Contingit etiam ex alijs causis,maximè ex adnascenti membrana quadam,cuius meminit Hippocrat.lib.de natu mul. per hæc verba. Si genituram non suscipiat mensibus secundùm naturam fluentibus,membrana ante vteri os excreuit.Cognosces autem hoc,si digitum admoueris; membranæ prætextum contingens. Quibus signis facilè distingues prædictã duritiem ab ea quæ fit cùm epiploum os vteri comprimit,dum propendet præ lõgitudine supra os vteri. A quibus etiam dissidet os vteri dum pingue fit & crassum,sine euidenti duritie.Cuius meminerat Aristot.lib.7.de hist.animalium.cap.3.dicens: Nec verò si crassa sunt oris vteri labra,commodum præstant vsum ad conceptionem. Ex quibus colligitur os vteri vno è tribus modis claudi:vel duritie morbosa vt dictum est:vel quia epiploum procidat supra ipsum,vel quòd labra oris crassescant, aut pinguescant,&ob id cõniueant , quippe aliud est crassescere & aliud adiposum esse:hæ enim fœminæ omnes steriles fiũt, vt Plinius est author.cap.37.lib.11. & Arist.cap.17.lib.3.de hist.animal.

Huic quidem affectioni medeberis iuxta differentiam cuiusque dictarum causarum:nam licèt Hippocrat.indistinctè videatur duritiei remedia scribere, si quis rem penitiùs cõsideret,reperiet vnicuique causæ peculiare auxiliũ dicare, quemadmodum lib.2.de morb.mul.dicens: Si verò obduruerint vteri,osculum ipsorũ durum fit,& clauditur,& menses non prodeunt,sed pauciores & deteriores,& dolor incidit & febris,& rigor corripit circa imum ventrem,& lumbos,& laterum mollitudinem.Cùm sic habuerit,multa calida lauato,& tepefactoria adhibeto, si dolor habuerit,& vteros multo tempore cum aqua decocti cucumeris siluestris foueto,deinde mollitoria apponito,atque hæc per triduum facito:& si ex contactu osculum vterorum molle apparuerit, ex crudo lino tres penicillos suppuratorios indito,

indito,primum tenuem,secundùm paulò crassiorem.Deinde subdit, sed vbi fomentum adhibueris,ex odoratis glandem mollitoriam apponito.Item lib.eodem paulò inferiùs inquit.Si os vterorum non suscipiat genituram, sed durum fuerit ac concluſum,plumbeum penicillum apponat,velut dictum est,per triduum, vbi calida lota est,& mollitorijs vtatur,& supina decumbat,& in aquam calidam insideat,& lanam vnguento imbutam imponat.Ac rursus paulò inferiùs pulchra admodùm & vtilia recenset medicamenta,quæ diligens medicus eâdem parte repe rire poterit.Item lib.1.de morb.mul.inquit.Quibus autẽ statim vbi coëunt,fluunt ea quæ à viro sunt emissa,ijs os vteri clauſum est:curare verò sic oportet:siquidem valde concluſum fuerit,tædis & plũbeis fistulis immissis aperito,& molli fomento ex fœniculo foueto , & subductitijs quæ vteros attenuant & in directum redigunt,purgato.Post purgationes autem & fomenta, ea infundito quæ causæ sunt contraria. Quæ sanè loca, & alia pleraque euidenter monstrant cuique duritiei causæ, peculiaria esse adhibenda præsidia.Hoc tamen in carnosæ seu pinguosę duritiei curatione obseruabis, quod licet Hippocrat.consulat lib.1.de morbis mul. actibus à principio vti vt felleis medicamentis,quibus oscula vasorum aperiantur, cum hoc tamen vt ipsemet consulit satius est vel emollientibus miscere,vt minus mordentia supersint,vel solis vti emollientibus.Nec etiam probãdus est aluminis vsus quem idem author commendat,licet absterſionis gratia id videatur consulere,comprimet enim pressiùs vterum & vasa occludet magis. Sic profectò si tumor aliquis præter naturam causam clauſioni præstiterit,vel callus,curare eo tempore oportet, vt lib. huius operis. 2. abundè dictum est:quippe hac in parte eam duritiem curare in animo est quæ vel ex siccitate vel ex frigore ortum duxit.

Itaque si ex siccitate durities suboriatur,clauſum vterum mollem & laxum reddes,præter ea quæ siccióri vtero prodesse diximus,ijs quæ ex Hippoc.locis citatis attulimus,balneis aquæ dulcis,fomentis herbarum & rerum remollitiuarum , aut lactis aut dulcis olei,vel amygdalarum dulcium:ac rursus ex vnguento quod recipit axungiæ gallinæ,anseris & anatis.ana.ʒ.j.olei amygdalarũ dulcium , liliorum, & selsamini. ana.ʒ.j.&.ß.radicis iridis,altheæ,& assari.ana.ʒ.j. cerę albæ quantum sit satis,vt fiat molle vnguentum. Verùm ne citra methodum in curatione vltra procedas,scito,frigidam duritiem opus esse frænare euaporationibus, & fomẽtis, ac suffumigijs:siccitatis corrugationem balneis,fomentis,euaporationibus,inunctionibus,ac mollibus pessarijs:cui vsui pessaria conficies, quæ recipiant radicũ & foliorum maluæ & altheæ.ana.ʒ.ij.farinæ seminis lini,& fœnugræci.ana.ʒ.ß.adipis anseris.ʒ.iiij.croci & muſci parum,excipiantur in serico lineo,& inuoluta,pessaria fiãt quæ in oleo irino aut de semine cucurbitæ intincta in vterum immittantur.Prodest & pessus ex radice altheæ,axungia gallinæ vel butyro inuncta, vel ex lardo suis sine sale,aut ex pinguedine anseris vel anatis.Cæterùm si duritiẽs fuerit callosa,non plumbeos penicillos,vt Hippocrat.refert,sed ex radice altheæ tres penicillorum ordines efformabis,& minorem primò per noctẽ & diem butyro aut aliquo pingui inunctum appones,à quo secundum eâdem lege,& tertiũ,qui crassior est,apponito,& immorari sinito.Interim tamen partem foueb is , inunges , & omni ingenio emollies:& tandem ad pessaria & subductitia,quæ Hippocrat. consulit,deuenire poteris:corpore priùs purgato per supernam & infernam aluum,ac positis etiam subductitijs quæ præter id quòd emolliant, digerant quoque , extenuent,ac repurgent partem.Quæ profectò in re,securè administrabis quod recipit hyssopi ceroti,medullæ ceruinæ,adipis porcinæ recentis,terebinthinæ, cerę albæ.

ana.ʒ.j.&.ſʒ.aloës.ʒ.ſʒ.butyri,adipis anſerini,leporis coaguli,myrrhæ.ana.ʒ.iiij.caſiæ,nardi.ana.ʒ.j.mellis quantum ſit ſatis vt fiant peſſaria.Sed vtilius longè eſt aduerſus omnem duritiem & concluſionem id præſidium,quod recipit lini ſemen, altheam,fœnugræcum,omnia æquis portionibus in vas nouũ immittemus, vbi oleum dulce & aqua æqua menſura fuerint vt ſemina contegãtur,quæ cùm molli vapore coqui & ebullire cœperint,ſpumam quæ ſupernatauerit,colliges,cui anſerinos adipes & ceram iunges,& peſſarium facies.Eſt & aliud valde vtile,quod recipit ceræ punicæ.ʒ.iiij.maſtichis & ſtyracis.ana.ʒ.j.adipis anſerini. ʒ. iij. butyri & medullæ ceruinæ.ana.ʒ.iiij.miſce & fiant peſſaria.Aliud etiam recipit ceruſæ, medullæ ceruinæ,ceræ punicæ,butyri,olei amygdalarum dulcium,nardini,& glaucini.an.ʒ.ſʒ.reſinæ,thuris,maſtichis,ſpumæ argenti quantum ſit ſatis, vt fiant peſſaria.Conſuluerat quoque Hippocrat.lib.de natu.mulie.vtiliſsimam euaporationẽ conficere hac lege:vinum quàm iucundiſsimum cũ pari aqua temperatum, triũ ſemicongiorum Atticorum menſura,& fœniculi radicis & ſeminis fœniculi quartam partem,& vnguenti roſacei ſemiheminam,hæc in vas nouum fundito,& vinum affundito,vaſis autem operculo perforato,& impoſita arũdine foueto.Quòd ſi ne hæc quidem prodeſſe videantur,peſſaria ex omni gummi genere conficies, additis ijs quæ modicè diſſoluant & digerant partis duritiem,vt Hippocra.conſuluiſſe conſtat lib.de ſteril.his verbis.Si concluſum fuerit aut durum oſculum vterorum,ficum albam expurgato,& nitrum Ægyptium puriſsimum tritũ admiſceto,& ſubductitium facito magnitudine gallæ non magnæ,quod in lana molli vnguentum irinum tinctum apponat per tres aut quatuor dies, prout viſum fuerit. Poſt hoc conducit fomentum odoratum,poſteà verò molli quodam opus eſt ſubductitio,quod ſanioſa maximè ducat:deinde mercuriali,ſi tenera fuerit,cum vnguento roſaceo in linteo ad diem & noctem ſubdat. Si quis tamen duritiem ampliùs emollire ſtuduerit,legat lib.2.noſtrum de præſ.indica.& reperiet. Verùm ſi oris vteri craſsitiem aut pinguedinem(quas non emollitione, ſed extenuatione diſcutere oportet)velit conterere,legat Hippocra.lib.1.de morb.mulie.quo loco reperiet componi pharmaca ex folijs phagi contuſis,ex porris etiam cum modico ſale:item ex oleo vetuſtiori cum cimino & fœniculo ac nitro.Sed ſatius eſt parcio ri vti cibo & copioſiori exercitio quàm topicis vlcus excitare difficulter ſanabile.

Apertionis oris vteri ſigna,& curatio.

Dum vteri os nimium hiat,laxum,apertumue exiſtit, nulli fore dubium arbitror,quin ſic affectæ fœminæ ſteriles eſſe debeant:inquit enim Hippoc.lib. de natur.mul.Si hiarit os vterorum magis quàm ſolet,menſes plures fiunt,& deteriores, & humidiores,& per longius tempus,& genitura ipſam non contingit, neque intus manet,ſed rurſus foras effunditur,& ſi digito contigeris,os vterorũ hians comperies,& impotentia ipſam corripit præ menſibus,& febris ac rigor & dolor tenent imum ventrem & lumbos & laterũ mollitudinẽ(& docens cauſas inquit) Patitur autem hæc,maximè ſi quid in ipſa fuſum fuerit,& corruptũ computruerit:patiuntur etiam ex partu,& aliæ aliter. Eodem quoque lib.paulò inferiùs eadem refert: ſed clariùs adhuc lib.2.de morb.mul.de eâdem re verba faciens ſic ſcribit.Si vteri præter naturam hiarint,menſes plures prodeunt & viſcoſi & frequenter, & genitura intus non manet,& oſculum hians eſt,& fieri non poteſt vt genituram attrahat(& ſubdens cauſas inquit)Morbus autẽ corripit ex fluxu ſanguineo,& fit cùm menſes ſuppreſsi de repente eruperint.Et eodem quoque lib.paulò inferiùs refert. Si os vterorum hiarit ampliùs quàm in menſibus ſolet, menſes ita fiunt plures & deteriores omnes,& liquidiores & per longius tempus:& genitura non attingit, neque manet,ſed rurſus exit,& ferè eadem verba refert.. Quibus ſanè locis conſtant & ſigna & cauſæ plures præter humiditatem, cuius hac in parte meminiſſe non eſt in animo.Cognoſces vlteriùs huiuſmodi affectionem,quòd fœmina in coitu nullam vel leuiſsimam perſentit delectationem, facilè ſemen citra ſenſum pellit,viro ingrata exiſtit,& pudẽdum humectum habet.Fit etiam vteri os molle & hians, vbi leue efficitur & lubricum,vt Hippocrat.refert lib.de ſteril.in principio dicens:Si leues fuerint vteri,contingit autẽ hoc & ex natura quibuſdam, etſi vlcera magnas cicatrices reliquerint:ſi leues igitur vteri fuerint, mulier in vtero non concipit.Quam ſanè affectionem à natura quoque fieri refert, & immedicabilem iudicat,quia ſemen non continent,neque contentum amplexantur,& prorium ante tempus excernunt.

In curatione tamen ſi quis legat Hippocrat.reperiet geminam eſſe medendi viam:inquit enim lib.2.de morb.mul.cum autem magis quàm oportet aperti fuerint vteri,purgatione opus habent,poſt purgationes autem collutionibus & ſuffimentis.Si verò propiores ſint quàm oportet,vomitibus vteri opus habent, & fomento fœtido,donec ad ſuum locum redeat.Ex qua ſententia euidenter conſtat aliam adhuc ſubeſſe cauſam apertionis vteri,nimirum ipſius prolapſionem, cuius paulò inferiùs meminero. Eandem quoque curationem adducit lib.2. de morb. mul.ſed clariùs eodem loco paulò inferiùs dicens:Si verò nõ concluſi fuerint vteri,velut oportet,in aquâ deſideat in qua cocta ſit myrtus,aut lentiſcus, aut vitis, aut oleæ folia,aut roſarum.Diæta verò ſit quæ relata eſt in rubro fluxu. Optimũ verò ipſi auxilium eſt ſitis,frequens vomitus,& prohibitiones balneorum(dulciũ aquarum ego intelligo)Ex qua ſententia euidenter conſtat, hunc affectum curandum eſſe frequenti purgatione,ſudoribus,balneis ſulphureis,ſyrupo ex ligno guayaco,& reliquis quæ ſuperiùs dicta frequenter ſunt.Maximè tamen atque primas tenet in hac,& reliquis(vbi ad vterũ confluit humor quiuis)vomitus ſumo manè factus,ſiue ventre ieiuno,ſiue ſecus.Sed expendendum eſt generale quoddã præſidium omnibus,quibus ſemen ſuſceptum effluit,commune & proficuum: quod ſcripſerat Hippocr. lib.de ſteril.dicens:Si vteri genituram non contineant,plumbeum lapidem,qui ferrũ ad ſe rapit,leuiter terito,& in linteo alligato,quo in muliebri lacte tincto ſubductitio vtatur. Quod ſanè præſidium omnibus cauſis eſſe proficuum,præmiſſa tamen vniuerſali prouidentia,exiſtimo.Cui etiam vſui idonea reperies cataplaſmata,emplaſtra & ſuffumigia paulò inferiùs cap. de ſterilitate ad tẽpus,paragrapho de de articulatione dorſi.In peculiari tamẽ huius affectus curatione præmittenda eſt vniuerſalis illa prouidentia in purgatione & vomitu, quam paulò anteà proficuam eſſe diximus præhumidis vteris. Qua facta vteri os peculiariùs conſtringit fotus,qui recipit radicis biſtortæ,quinquefolij,& cyperi. ana.ʒ.ij.roſarum cum calicibus,corticis mali granati,& balauſtiorum.ana. ʒ.j. ſuberis.ʒ.ſʒ.hederæ.m.j.fiat decoctio in aqua & vino aſtringenti,& quouis die fotu vtatur fœmina.Cui etiam vſui proſunt ſuffumigia,peſſaria, fotus & euaporationes quæ prædicto loco adduximꝰ,& paulò inferiùs dorſo exarticulato dicturi ſumus.Nec minoris momenti eſt quod ſuperiùs diximus,nimirum opus eſſe & ſumoperè proficuum pudendum viri cibero inungere dum fœminæ accedit,quippe tunc auidiſsimè vterus ſe ſe colligit & ſemen continet.

Vitioſi vteri ſitus,ſigna & curatio.

Conſtat ex Hippocrat.decretis inter potiſsimas ſterilitatis cauſas vnam eſſe,& maximè efficacem,oris vteri auerſionem,quod euidẽtiſsimis verbis mõſtrauerat addu-

adducens causas & curationem lib. de steril. dicens: Nunc autẽ ostendam ob quas causas mulieres omnino steriles fiunt, & cur non pariunt antè quam sanẽtur. Causam verò hanc esse dico, si os vterorum omnino auersum fuerit à pudendo, nõ cõcipiunt, non enim suscipiunt vteri genituram, sed statim foras exit. Contingit autem hoc, etiam si os vterorum parum distortum fuerit præter naturam à pudendo. Et si omnino conclusum fuerit os vterorum, neque sic suscipiunt, neque si recèns conclusum fuerit magis quàm oportet. Singula verò relata manifesta sunt: etenim si omnino auersum fuerit, aut conclusum, menses non prodeunt omnino, aut prodeunt violenter cum morbo, si sanguis coëgerit vteros pro more, conuerti. Et si purgata fuerit mulier aliquando os vterorum ipsi à pudendo auertitur. Si verò parum distortum, aut recèns conclusum fuerit, prodeunt quidẽ menses, prodeunt autem violenter & paulatim per multos dies. Multis quidem modis refert Hippocrat. vteri os posse ad varias partes torqueri, & subinde sterilitatem efficere: nam vtcunque siue sursum, siue deorsum, siue ad latera vterus torqueatur, rectà virile semen in vterum nequit ire. Quod sanè dignosces ex tactu obstetricis digitis facto, quo non erit difficile qua vergat parte perdiscere, præterquàm quòd ex dolore in loco ad quem vergit, mille in locis posse cognosci refert Hippocrat. Sic enim inquit lib. de nat. mul. Si vteri ad latus allapsi fuerint, tussis detinet, & dolor sub latus, & vterus durus velut pila insidet, & ad contactum dolet, velut ab vlcere. Et post multa huiusmodi fœminas purgare iubet, & calida lauare, & tepefactoria adhibere. Et subdit paulò inferiùs. Si vteri obliqui fiant, & os ipsum obliquũ sit, & menses ipsi nunc occultantur, nunc priùs apparentes euanescunt, & non similes fiunt, sed deteriores & pauciores, quàm anteà, & genitura non fit hoc tempore, & dolor habet imum ventrem, & lumbos, & coxam, & attrahit ipsam. Cùm sic habuerit, pharmacum infra purgans bibendũ dare oportet, & calida lauare ac fouere. Vbi verò recèns lota fuerit, digito immisso os vterorum corrigat ac dirigat, & odorato rum suffitum admittat, & ex potionibus dato iuxta experimẽtum, quam libenter suscipit. Ex his quæ sic affectæ sunt lib. 2. popu. p. tex. 19. quãdam cum ei coxa doleret, ex vteri recursu ad eam partem concepisse refert, & coxam grauidationis tẽpore non doluisse. Verùm si os vteri commutat (vt docuerat Hippocr. lib. 1. de morb. mul.) constabit facilè quia viri semen protinus à viri discessu elabitur, quasi vterum non ingrediẽs: distinguet autem obstetrix torturam oris vteri (quem etiam efficit) à grauidatione, in qua etiam vteri os conniuet, & à conniuentia, quòd in hac præduritie conniuet, in grauidatione nequaquam: in tortura verò neutrum digito cõparet sed situs mutatio.

Vniuersa tamen curandi ratio in hoc affectu stat in reductione vteri ad antiquã sedem: quod equidem fieri nequit, nisi vel purgatis humoribus, quorum ratione laxatur vterus, vel resiccatis auxilijs topicis, ac sedato dolore, & molliore facta parte, vt indoloriùs ad sedem citra inflammationẽ reducatur. Quam sanè medendi rationem locis nuper citatis & mille alijs partibus adduxisse Hip. euidẽter constat. Itaque primò purgabis corpus, & fomentis ac remollitorijs vteris, tandem digitis obstetricis vterum reducendũ curato, & vltimò eiũdem manibus hinc inde per vniuersum ventrem, versus vmbilicum vndequaq; oleo vteri regionem perfricabis mediocri compressione, donec vterum à parte, cui incumbit, separatũ & in nti quam sedem reductum cognoscas. Postmodum verò ventri adhibebis quæ cal faciendi & exsiccandi ac discutiendi flatus vires habeant: quemadmodum mulier culæ citra vllam rationem, passim solent efficere. Cauebis tamen in hoc opere, ne men-

menstrua instent, vel multorum humorum copia in vtero subsit, ne quid deterius præexistenti malo succrescat. Verũ dum id facere studueris, post id opus, oleis infũgito ventrem rutaceo, liliorum alborum, irino, camemelino, de baccis lauri, supersparsis pulueribus ex eisdem rebus, & aniso, cumino, cinnamomo & similibus: quorum siluam reperies in curatione humidi vteri: itẽ dum os vteri distorquetur, fauiolencium suffitu opus est, vt consulit Hippocrat. lib. 1. de morb. mul. Quo facto emplastra eâdem parte adducta vmbilico, imo ventri & dorso adhibebis, & pudendi ostium firmabis sufficientibus, & alijs rebus quæ exsiccandi vires habeant. Proderit & viri vsus quo melius os distorquetur: quo etiam in vteri oris cõniuentia vti præsidio oportet, ni velis vti tedaceis penicillis, vt consuluerat Hipp. lib. 1. de morb. mul. quorum loco consulo potiùs vti fomentis, euaporationibus, aut metranchitis pinguibus & mollioribus ad duriorem formam redactis.

Menstrui sanguinis vitiosi signa & curatio.

Menstruæ quoque purgationis vitio haud rarò fœminas fieri steriles comperimus: nam siue copia exuberante, aut deficiente: siue ordine profluendi prauo, tempus anteuertente aut remorante: siue vitiosa qualitate aut substantia prodeant affecti, vtcũque sit, semper sterilitatis existit causa. Quippe ex immodico sanguine, quantumuis laudabilis existat, obruitur & confunditur genitura: nequit enim pusilla virtus generans tantum sanguinis principio fœtutæ conficere, vt optimè aduertisse Hippocra. constat lib. de steril. per hæc verba. Venæ enim sanguine plenæ genituram non suscipiunt, & in vteris aliquid inueterati sanguinis inesse necesse est, quod genituram nutriri prohibet. Et paulò anteà eodem libr. adduxerat alium affectum ex copioso sanguine dicens. Si quid ex mensibus in vteris remanens scissuram ac segmentum habeat, quod circa osculum aut paulò penitiùs incalescat, & rursus frigescat, neque sic in ventre concipit. Pari quoque ratione si menses omnino non profluant, credendum est fœminas steriles fieri: nam, vt paulò infeliùs probabo, plerunque concipiunt fœminæ post menstruas purgationes, vbi ab illis fuerint expeditæ: cùm verò eis omnino carent, perdifficile est posse concipere. Conceptus inquit Aristo. lib. 7. de histo. anima. cap. 2. mulieribus à profluuio menstruorum sua natura contingit, & quæ his carent, steriles magna ex parte consistũt. Verùm fieri potest, vt aliquæ etiam sine eorum effluuio concipiant, videlicet quibus tantum humoris colligitur, quantum ijs, quæ purgantur restare solet, quanquam non tanta copia, vt foras possit effluere. Alibi etiam hoc idem refert dicens. Impossibile est concipere sine menstruorum excremẽto, quod anteà redundãs foras profluxerit, aut intus satis sit. Præterea inordinata excretio non expurgat quantum satis est vterum, vt genituram admittat (præterquam quod alimenti inopia arescit non rarò semen) sic inordinati plerunque semen secum deferunt, & ob id genituram prohibent. Inquit enim Hippocra. lib. de sterili. Si verò pauciores quàm debẽt, menses mulieri prodeant, neque sic in ventre concipit. Vteri enim sanguine euacuato genituram non concipiunt præ debilitate. Quas proculdubio causas omnes Scytharũ fœminas efficere steriles recensuit lib. de loc. aqua & aëre dicens. Lunares nanque purgationes eis non eueniunt, quemadmodum est necesse, sed minus & intempestiuè. Et subdit. Vnde necessariò sequitur non multum fœcundam Scytharum gentem esse. Quod de reliquis fœminis pari pensu intelliges. Item mẽses corrupti & vtcunque aliter vitiosi minùs ad concipiendum idonei censentur: primùm si aquei, fœtidi, aut nigri proueniant: deinde si albi, crocei, virides, aut cærulei: si plurimùm fluant, largiori aut breuiori tempore quã par est: & si nõ statuto cir-

circuitu,sed seriùs aut citiùs,aut si omnino non fluant.Cùm hoc tamẽ eæ,quibus menses non fluunt,non omnino sunt steriles iudicãdæ:vidimus enim plures quæ conceperunt nuptæ,cùm virginibus non fluerent menses.Nosces tamen has esse sterilitatis causas,ex signis quæ retulimus lib.huius operis.1.proprijs cap.ad quæ sanè recurres,si veram sterilitatis ex menstruorum vitio curandi rationem ediscere velis.Nam satis mihi est hac in parte docuisse,mensium vitio fœminas steriles nõ rarò fieri:est sanè molestum & tædiosum multis in locis eadem referre.Ob id,cùm ex mensium vitio infœcunditas suboritur,nullam aliam adinuenies potiorem curandi rationem,quàm menstrua ad statutum fluendi ordinem reducere,aut eorũ substantiam corrigere & moderari:quæ omnia prædictis cap. postquã sterilitatis causam cognouetis,facilè inuenies.

Seminis vitiosi signa & curatio.

Inter causas quæ sterilitatem fœminis præstant, potissimam frequẽtissimamq; esse censeo seminis fœminei vitium,quale sufficit generationi ineptum ipsum reddere.Quod equidem tale fieri quatuor modis constat,nimirum dũ aquosius existit ita,vt figuram seu delineationem præ tenuitate suscipere non possit.Id profectò dignosces ex seminis excreti natura & consistentia,ex vteri etiã frigiditate vel humiditate,ex celerrima seminis ipsius citra delectationem excretione. Secundò semen vitiari assolet propter crassitiem immodicã,quam deuincere calor nequit, neque ex eo quicquam præ crassitie efformare.Quod nosces ab ipso semine excreto,& quia fœmina tardè ad coitum excitatur,& subinde parum excernit. Tertiò quidem semen generationi ineptum fit,eo quòd corruptionem seu labem aliquã perpetiatur,siue ex Gallico morbo,siue ex putredine quauis prodeat: vel ex vitio aut morbo aliquo cuiusuis principalium membrorum. Quod videtur insinuasse Hippocr.lib.de steril.reddens rationem,quare semen retentum in vtero non degeneret in conceptum:inquit enim.Si verò genituram continens non prægnãs fiat,id quod multis contingit stomacho vteri præter naturam hiante,menses plures,quàm conuenit,& humidiores procedunt, vt & id quod à fœmina prodit semen,ad fœtificationem non concipiatur,& viri genitura insuper accedẽs corrumpatur:contingunt autem hæc & corpore & vteris ægrotantibus.Sed vitia hęc cognosces ex colore alieno,substantia & odore insuaui,plerũque fœtido, & ex totius corporis ac vteri morbosis signis.Vltimò tamen semen conspurcatur, & generationi efficitur ineptum ex vitio alicuius prauæ substantiæ,qua fœminæ vterus scatet.Quod perpendes ex superfluis vteri purgamentis,quorum meminimus lib.huius operis.1.cap.penult.ac ex vitiosis mensibus,vt ex Hippocrat.constat lib. 1. de morb.mul.Reperies huius mali signa & causas loco nuper citato. Sed præter has causas aliæ insuper reperiuntur duæ genituram vitantes,nimirum seminis paucitas,quæ genituræ non sufficiat,ac vberrima & immodica copia quæ virile semen suffocet & extinguat.Præter numeratas causas addit Hippoc.lib.1.de morb. mul. vnam semini & vtero vitiatis simul communem,nimirum seminis effluxionem ab vtero.Quippe inquit. Enimuerò,si quæ cũ virorũ perfruãtur consuetudine,ne queunt prægnãtes reddi,sciscitari ab illis primũ decet,an ipsis mẽstrua benè respõdeant,necne,& si ferantur,an puruleta ipsa sint,an frigida.Si quidem igitur ita affirmauerint,an semen protinus effluat,an postridie,an perindie,sexto ne an septimo die percontandũ quoque est. Itaque si simulatq; res veneris peracta est,respondent elabi semen,rectum vteri osculum non est, sed distortum, vnde viri semẽ non potest vterus excipere.Quòd si postridie,aut tertio vel etiam quarto die elabi dicat,vterus redundat humore, quo semen ipsum eluitur. Si autem sexto & septimo

septimò putrescit quidẽ semẽ, & putrefactũ excidit. Cui sentẽtiæ addere oportet quòd si septimũ diem excedat, iam non effluxus, sed aborsus dici meretur:atque etiam hęc omnia vitia accidere,dum semen adeò est vitio aliquo affectum ex his quæ memorauimus, quòd omnino vterus ipsum renuat mox,aut paulò post susceptionem,prout vitium magis minus ve naturam lacessit. Quibus constare arbitror,non solum huius profusionis causas,verùm & signa quoque ab Hippocrat. scripta prædicto loco apertissimè fuisse:curationem verò huius causæ antea scripsimus.

His sanè seminis vitijs medeberis,primò aquositati & vbertati ea lege,quã diximus paragrapho de vteri humido intemperamẽto,omni videlicet exsiccationis genere,tam per victum & potum,quàm per exercitia,balnea sulphurea, ac sudores,quàm per alia pharmaca huic vsui proficua. Cui vsui ferũt probatissimo experimento multi,cõferre conseruã ex flore sthœcados,aut ex saluia,vel saluiam ipsam hortensem cõmasticatam. Reliqua verò quæ hîc desunt,reperies varia quidẽ & proficua cap.de sterilitate virorum.Crassiori verò aut pauco semini medeberis per ea quæ aduersus siccitatem proficua esse nuper diximus, & eis etiã quæ omni arte corpus humectent,& vberius ac tenuius semẽ gignant alimẽtis, balneis aquæ dulcis,& medicamentis,ac multis alijs auxilijs quæ referã cap.de virorum sterilitate.Corruptioni autem seminis prouidendum est per ea quæ membrorum principalium affectiones auferant,aut putredinem curent sanguinis detractione,purgatione,& meliori nutritione:tandem ijs quæ per epicrasim corpus euacuent ab excrementis,purgatione,sudore,fontanella,vt iterum corpus probo alimento reficiatur.Cuius sanè affectionis & curationis meminit etiam Hippoc.lib.1.de mor. mul.per hæc verba.Quibus porrò intus manet viri semen & computrescit,& turbationem facit,his atriplicis semen aut succum cum melle,aut cumino delingendum dato.Et subdit apponendam esse portulacam cum adipe anserino, refertque id malum fieri à bilis & sanguinis influxu,quorum ratione curationem instituit. Nam quodammodo diuersum videtur, & diuersam exposcere vacuationem,fœminam proprium semen corruptum vitiatumue effundere,aut virile semẽ susceptum,alioqui sanum,vitiare corrumpereq; & ineptum generationi efficere,vt Hippoc.sententia insinuare videtur.Prouidendũ quoque est vteri excremẽtis,siue bilosa sint siue pituitosa, frequentibus totius corporis purgationibus,vt ex Hippoc. mente nuper retulimus,& rursus eorundem excrementorum diuersione per alia emunctoria,& per ea etiã quæ vterum à prædicta spurcitia vindicant,quorũ non paruam copiam cap.citato adduximus.Præter quæ omnia peculiariter vterum in hac causa purgant pessaria adducta à Theodoro Prisciano,quæ recipiunt opobalsami.ʒ.j.peucedani.ʒ.j.&.ʃʃ.aristolochiæ.ʒ.j.myrrhæ.ʒ.ʃʃ.aloës.ʒ.ij.croci.ʒ.j. &.ʃʃ. medullæ ceruinæ & adipis anserinæ. ana.ʒ.j. &.ʃʃ. ex quibus fiant pessaria, quæ huic vsui maximè proficua experieris.Deficienti quidẽ semini medeberis eo modo,quem docet Gal.lib.5.simpl.cap.23.Quæcunque(inquit)semen aut procreare, aut prouocare possunt,benè nutriant,& flatuosa sint oportet,vt bulbi,cicer,fabæ, polypodes quæ multi seminis edulia sint.Et eodem lib.cap.21.inquit.Seminis affectrices facultates sunt, vt lactis, partim medicamentis tantùm,partim alimentis. In medicamentis, cùm succos pituitosos calfacientes in sanguinem vertimus: in alimentis autem secundùm totius substantiæ similitudinem. Quibus perspectis facile erit vitiosum semen emendare:& materiam ac modum duobus cap.sequentibus abunde reperies.

Verùm quia ſæpe curatione præmiſſa contingit ob coniugum incuriã,& prauã vitæ & victus inſtitutionẽ,non minus ſterilẽ ſupereſſe fœminam,quàm ante curationem erat:ob id ſciendũ eſt quid à curatione agendũ ſit,vt prodeſſe poſsit præhabita curãdi ratio.Hanc ſanè viuendi & ſeſe coniungendi coniuges rationem, pulchrè ſcripſerat Hippocrat. lib.1.de morb.mul.dicens:Non ſat eſſe vterũ & corpus purgaſſe à biliosis aut pituitosis,vel quibuſuis alijs recrementis,ni vterum ad ſemen continendũ amplexãdumque auidè diſpoſueris. Cuius ratione hæc ſcribit verba.At ſuffire bonũ eſt ſemper ante menſtruas purgationes:priori quidem loco ſuffitu ex fœniculo,deinde ex aromatis.Suffitiones autẽ,ſuppoſitioneſque oportet perfici ita conſultò,vt ritè & decenter omnia adminiſtrẽtur,quo tẽpore ferè menſtrua ſolent effundi.Ergo ſi pura ſit & huiuſcemodi eſſe appareant,& vere ſanguinea,tunc accedat ad virũ ineunte mẽſtrua purgatione.Optimũ tamen fuerit hac ipſa deſinente,& adhuc tamen profluente potiùs,quã penitus ceſſante.Cùm autẽ cũ viro rem mulier habere volet, in ſuffitũ vſurpet aliquid ex aſtringentibus,quę in eam rẽ ſolent adhiberi.Et paulò inferiùs ſubdit.Quòd ſi quæ à viro immittuntur mulieri non appareãt externis cruribus & decuſſatim poſitis ipſa quieſcat.Pertutile autẽ eſt eo die à cibis abſtinere,niſi capere ciconem fatuum ex aqua velit.Et tandẽ toto textu alia docet,quæ his conſimilia in cuſtodiã retẽtionis ſeminis proficua haberi poſsint.In qua quidẽ ſententia plura videtur difficilia & vtilia nõ pauca.Quippe illud à ratione alienũ videtur,nimirũ fœminam viro accedere adhuc mẽſibus fluẽtibus,cùm & Gal. & Ariſt.contrariũ videatur, & meritò, vt nos paulò inferiùs latiùs probabimus iuxta Ariſt.mentem qui lib.1.de gene.ani.cap.19.& lib.de hiſt.cap.11.ſtatuit conceptionẽ mulieribus euenire poſtquã menſtrua ſubſtiterunt.Sed his miſsis,præfata ſententia Hippo. fœminã viro diſponit poſt totius corporis & vteri prouidentiã(quã ſeruare omnino oportet,ni velis priùs per ſudores vterũ vlteriùs exſiccare)per fœniculi ſuffitus:poſteà per ſuffitus aromatũ,quib⁹ ſanguis ad vterũ purior euocetur,ac ſi quid permãſerit viſcidũ & craſsũ, perpeſſaria expurgare oportet. At ſi fœmina biliosa ſit, per euaporationes tutiùs diſponetur:ſi verò pituitoſa,per ſuffitus,ac mox viro accedat,& ſi ſemen nõ procidat,quieſcat eo die ſupina iunctis cruribus,& victùs vtatur parſimonia,donec ſeptim⁹ dies trãſierit:cæterũ per triginta dies licet à lecto ſurgat & copioſo vtatur victu,maneat domi,& leuiter ſeſe exerceat.Reliqua verò huic vſui proficua paulò inferiùs leges.

De ſterilitate quæ fit ad tempus. Cap. IIII.

Est quid præter dictas alia ſterilitatis cõditio & natura,quæ neq; in omnibus fœminis,neq; vtcunque reperitur,ſed in quibuſdã ſolũ:neque integra eſt,neque ſemper,ſed ad tẽpus tantũmodo, qualẽ accidere fœminis cõperimus quæ ante maturã ætatẽ & perfectũ tempus nubunt:aut poſt ipſum grandioribus iã factis & penè ſeneſcentibus.Alia etiã ſub hoc genere continetur ſterilitatis ſpecies ijs fœminis ſuccreſcens quæ peperierunt quidem, ſed à primo partu aut ſecũdo vel ſteriles remanſerunt,vel quã rariſsimè cõcipiũt. Quamobrẽ vniuſcuiuſq; ſeorſum meminiſſe oportebit,vt vel præpediatur , quominus cuiquam accidat huiuſmodi malum,vel auferatur,ſi fortè iam adeſt.

De ſterilibus ex ætate.

Docet quidem Hipp.lib.de lo.aqua & aëre,inter reliquas ſterilitatis cauſas, eã fœminis eſſe potiſsimam quæ eximmaturo coitus tempore proficiſcitur.Nãque nuptiarum tẽpus varij variè quidẽ ſcripſerunt. Inquit etenim Moſchio Græcus. Tanto

Tanto quidem tempore,donec purgatione ſuperueniente cum viro coire poſsit, natura & matrix officia adimplere,& repræſentare videantur.Plato verò.6.de legi. in fine ſpecialiùs de hac re ſenſiſſe videtur,dum in maſculis à trigeſimo ad trigeſimumquintum,in puellis à ſexto decimo ad vigeſimum,id eſt,non minor ſexto decimo,neque vltra vigeſimum procraſtinandum.Sed hac in re non laboro in ijs quæ caſualiter euenire ſolent,& ratò,ſed ſolùm mihi eſt in animo docere ,quæ nubunt ante tempus ex arte & natura præfinitum,quale ſterilitatis periculum ſubeant.Itaque quæ ante decimum quartum annum nubũt,qui terminus eſt in pleriſque legitimæ conceptionis(ſed vt mihi ex Moſchione verius videtur, ante quã menſes prodeãt)plerũque aut non cõcipiũt,aut debiles & cũ periculo aborſus manent:nam vteri os efficitur valde debile diruptis vaſis & maximè concalfactis,præcipuè ſi virile membrũ magnũ ſit & puella parua,aut virile ſemen ſenile,aut vitioſum.Alijs quidem ex vi illata à pudendo ſitus vteri vitiatur,& ob id perpetuò ſteriles euadunt.Pari prorſus penſu exiſtimare oportet virgines quæ vel morbo aliquo afficiũtur,vel nimis valetudinariæ exiſtunt.Quippe dũ ſic affectæ deuirginantur nulli certè dubiũ eſſe debet,quin eadẽ mala ſuccreſcant quæ eis, quæ ante decimumquartum annũ,aut menſtrua non fluxerunt,deuirginantur,accidere ſolent. Imbecille enim ſupereſt vteri os,& vterus ipſe totus,vt nec ſuſcipere,nec continere deinceps ſemen poſsit.Præterquã quòd ſic affectis ac valetudinarijs fœminis,dũ ea diſpoſitione deuirginantur,motu & calore ac dolore vteri in coitu primò excitatis,totum id vitioſi humoris quod in corpore abundat,facilè ad vterum allicitur,& obſtructionum,febrium diuturnarum , & maiorum malorum ſæpe cauſa exiſtit:cum plerunque viro accedere non poſſunt citra oris vteri dolorem,& iudicio noſtro maiori ex parte ſteriles euadunt.Cæterũ virgines quæ factæ ſunt grandiores,contrariã prorſus ratione difficulter concipiunt,aut nunquam.Ratio ſanè eſt,quia & vterus induratur,ſemen vitiatur,ac menſtrua mille modis à debito euariant,ita vt omnino videantur eſſe ſteriles,niſi menſtrua ordinatè & copioſè proceſſerint. Quibus ſanè ſterilitatis cauſis præueniendum eſt:primò quidem vtile exiſtimo in puellis rariſsimè fœminam viro accedere , poſtquam ſemel corrupta eſt,donec grandior facta integritatem ac robur ex intempeſtiua deuirginatione amiſſum adipiſcatur. Cui vitam inſtitues vel ſedentariam vel minus laborioſam: victum item optimi nutrimenti:atque etiam pudendũ imperabis ablui mox à primo cõcubitu ijs quæ poſſe aſtringere diximus. Deinceps verò cùm iterũ viro acceſſura eſt,abluat pudenda ijs quæ remolliendi,laxandi & humectandi vires habeant. Poſt coitum autem adhibenda ſunt emplaſtra roborantia, vmbilico & dorſo,donec grandior & robuſtior facta,viri acceſſum citra noxã ferre poſsit.Verũ tamen de valetudinarijs fœminis vulgariter fertur,nil eſſe illis vtilius ad valetudinem recuperandam,quàm viro cõmitti , & ſic multæ deceptæ falſa vulgi opinione,in pericula quæ nuper diximus, deciderunt, malo præexiſtenti non curato. Qua in re coniectari poteſt,quòd ſi affectiones quas fœmina patitur,principium ſortiantur à ſemine vel ſanguine menſtruo retentis aut vitiatis, aliud forſan præſidium reperiri conſtat.Quippe hac via expurgatur vterus , & immunis ſupereſt ab affectionum quæ præerant,cauſis.Verùm ſi ob iecoris,ſplenis,vel totius corporis vitium fœmina laborarit,tantum abeſt vt coitu leuetur,quòd potiùs nouo malo in vtero(alioquiſano)facto,euocatis ad ipſum agitatione illius actus humorib⁹, grauiores efficiãtur affectiones quæ præexiſtebãt,vt experimẽto plerũque didicimus.Si tamen iam nupta fuerit,& aliud fieri non poſsit, cõſummato matrimonio

abſtinendum eſt à viro,donec in priſtinam ſanitatem reſtituta innoxiè poſsit viro accedere:ac ſi quãdo accedere velit,purgato corpore vel aliter præmunito,faciat. Grandiores verò fœminas alio modo tractare oportet:nam balneis aquæ dulcis calidæ menſes euocandi ſunt,inunctionibus,fomentis & inſeſsionibus,ac deniq; ijs omnibus quæ prodeſſe ſicco ac duro vtero dictũ eſt,adhibitis etiam peſſarijs, quæ mediocriter emolliant ac purgent,& quod corruptum ac vitiatum eſt, expellant, admittantque & amplexentur virile ſemen.

De ijs quæ ſemel pepererunt & ſteriles factæ ſunt.

Non minus profectò negotium faceſsit ea ſterilitas,quæ fœminis,poſtquam ſemel pepererũt,ſuccreſcere ſolet: maximè cũ fœminæ corpus primo acceſſu ſanum videatur.Inquit enim Hippocra.lib.de ſteri.Cuicunque verò ſtomacho recto, & molli,& ſano,& probè habente, & in debito loco ſito,menſes non apparuerint, aut pauciores & per amplius tempus,& non ſani, morbum perſcrutati quem vteri habent,& an corpus etiam aliquid conferat,comperies cauſam à qua prægnans nõ fiat.Quòd ſi affectum aliquem compereris,huic præſto eſſe oportet,ne affectio vetuſtior facta,difficiliùs curetur. Sed clariùs adhuc huius affectionis Hipp.meminiſſe conſtat lib.1.de morb.mul.per hæc verba. Si mulier parere nequeat, quæ priùs peperit,nitrum & reſinam & myrrham & cuminum æthyopicum,& vnguentum ſimul terat,& apponat,aut pulegium ſiccum in linteum ſubdat:bibat autem pulegium,vbi dormire volet.Sed rationabiliùs profectò eiuſdem affectionis meminit lib.de ſteril.dicens.Cùm autem mulier non conceperit,priùs cõcipere ſolita,vteri verò viri genituram in ſe ipſis ſuſcipiunt penitus, neceſſe eſt mulierem ſeroſam hanc facere: quandoque enim in vteris pus innaſcitur:pus autem in vteris à tuberculis fit,& ſanè ob hoc genitura viri,quando cum viro coit, vteros non contingit, quò videlicet ipſa viri genitura compingatur: nam pus ipſam diſsipat, vt ne afferatur: mortificat enim pus & putrefacit genituram. Proinde & pus ex vteris expurgare oportet,& tuberculum in vtero ſedare: quò de cætero ne impediat genituram compingi ac afferri: feſtinare itaque oportet ad expurgandum priùs quã pus in vteris in callum concreſcat. Qua proculdubio ſententia enarrare videtur vnam peculiaremque huius vitij cauſam. Si tamen quis rem diligentiùs penſitet, multò plures reperiet cauſas, quibus quæ ſemel peperit fœmina,ampliùs parere nõ poſsit. Quippe contingit ſæpe id malum cauſa defectus alicuius,qui vel ex morbo ac vitioſo apparatu contrahitur,aut natiuus illi ineſt:haud paucas etenim reperies fœminas,quibus ſolùm ſufficit ad ſterilitatem ſemel peperiſſe,etiam ſi partus laborioſus non fuerit:tanta proculdubio eſt in quibuſdam naturalis compoſitionis tenuitas,& potentiarum vteri imbecillitas,vt ſatis illi ſit nouem menſibus vtero geſtaſſe,vt ſuperſit ab hoc labore vterus adeò imbecillis ac labore defeſſus,quòd deinceps minimè poſsit ampliùs concipere,nec ſi concipiat,diu fœtũ continere.Quod ſanè malum fœminis præſtantioribus & illuſtribus,& ijs quæ in otio vitam degũt, frequentiſimè accidere conſpicimus. Idque certiſsimè eſt vitium, quod in Scytharũ fœminas regerit Hippocrat. de lo. aqua & aë. & ſubdit hac ratione earum ancillas,& quæ laborioſam vitam agunt,frequentiùs concipere.Hanc quoque ſterilitatem patiuntur fœminæ & eam commõſtrant,quibus lac in mammis diu durat:quinimo cenſeo eam fœminam non eſſe concepturam toto eo tempore, quo lac in mammis extiterit,& fortaſſe in his ſignum erit conceptus,ſi menſtruis deficientibus lac quoque à mammis euaneſcat aliquo tempore & iterum redeat. In hanc pariter ſterilitatem delabuntur fœminæ, quæ difficulter pepererunt: nam ex laborioſo partu credibile eſt in ijs, quæ admodum robuſtæ non ſunt, vterum adeò

adeò affici,labefactati,diſtendi ac dilacerari,vt præ laſsitudine deinceps concipere non poſsit,aut quam rariſsimè,vt pleriſque contigiſſe ſcimus. Pari item ratione alijs ex aborſu idem malum ſuccreſcit: nam cùm magis in aborſu quàm in partu laboret natura, maiuſque inferatur in vterum damnum exligamentorum ante ſtatutum tempus diruptionem: facilè vterus eam diſpoſitionem nanciſcitur ab extenſione & moleſtia, qua nequeat ampliùs vel tam citò ad priſtinum officium redire, ac ſemen continere & concipere.Alijs quidem eadem ſterilitas ſuccreſcit ex mortuo fœtu: nam præter laborem, quem veluti in aborſu patiuntur, accedit inſuper diſtemperies conſpurcata ac fœda,quam demortuum fœtum poſſe ob viciniam vtero mutuare credibile eſt: bene temperatum enim ad concipiendum debere eſſe vterum,Hippocrat.teſtatum reliquit. Sic proculdubio idem contingere ſcimus ex vteri mola:nam aut deinceps immodicus vteri fluxus ſuccreſcit eo quòd vaſa dirupta permanſerunt,aut nimia menſium ſuppreſsio obſtructis venarum oſculis ex craſſa materia,quæ molæ præſtiterat principium. Verùm præter has omnes cauſas, hanc vnam omni partui laborioſo vel aborſui communem eſſe cenſeo, nimirum, vterum aut eius collum vel retrahi, vel torqueri, vel quatuis alia deprauata figura affectum ſupereſſe,aut fortaſſe prolapſum ita, vt ampliùs concipere non poſsit,ni priùs ad priſtinam ſedem reducatur. Item aliud quoque his ferè omnibus commune eſt,vt coxarum,oſsis ſacri & dorſi,quibus vterum alligari fertur,in laborioſo partu ſeu aborſu articulationes ita extenſæ, aut à propria & natiua ſede prolapſæ ſuperſint,vt minimè vterus deinceps conceptionis officio fungi poſsit.Pari penſu fit ob menſtruæ purgationis defectum, aut fluendi vitioſum modum à laborioſo partu vel aborſu contractum, ſiue id ex obſtructione, ſiue ex diſlocatione vteri fiat,vel ex ſiccitate. Quæ ſanè omnia ſicuti & varias diſtemperies quæ vtero ex his cauſis ſuccreſcunt,conſiderare opus eſt,ſi velis ſterilitatem remouere.

Inprimis ſi fœminæ natiua conſtitutio delicatiſsima fuerit, ita vt præ vno partu deiecta,vterus nequeat ampliùs concipere(vt Hippocrat.ſcripſit lib.1.de morbis mulie.dicens: Si verò non concipiat,vteri autem ſani ſint: contingit enim & hoc pleriſque, cùm debiles exiſtentes vteri ab affectione macilenti fiunt, aut præ medicamentis & fomento multo genituram ferre non poſſunt,priùs quàm aſſueri fiant, & conualeſcant) id diligenter noſſe curabis: quod etiam loco nuper citato dixerat Hippocrat. per hæc verba. Hoc autem ſic cognoſci poteſt: cùm ab ipſa exierint, ſecunda aut tertia die exeunt, aut adhuc priùs craſſa & compacta velut muccus, niſi mali quid ſit,& propter alium vterorum morbum genitura diſcedat. Cùm igitur talia apparuerint, curatione quidem vterorum non eſt opus, verùm reliqui corporis cura habenda eſt, quò huiuſmodi bonus habitus ſit ipſi, aut contractum ſimul ſit corpus, & iuſta mole præditum,& paucorum balneorum,plurium verò & leuium laborum vſu.Quibus ſanè verbis & alijs quæ ſequuntur, videtur huius occaſionis vniuerſam prouidentiam complexum fuiſſe.Quamobrem ab hoc præcepto ſumpto initio,ſolidioribus cibis,vino & largiori exercitio curandum eſt habitum reficere,& ſolidiorem reddere,adhibitis quoque vtero & lateribus eius emplaſtris quæ ipſum roborent, qualia ſunt quæ pro matrice vulgò exquiruntur, ea maximè quæ temperata & modicè aſtringentia fuerint, qualia adduximus cap. de vteri imbecillitate, & libr.2. huius operis mille in locis. Neque alia auxilia vtero adhibenda ſunt, vt Hippocrat. conſulit,ſed ea tantùm quæ robur addere nata ſint. Curandum præterea eſt, vt

frequenter fœmina viro non accedat,sed post aliquod grande interuallum,vt vterus ad antiquum robur restitui possit:nam sic auidiùs genituram cõplectitur,conficit,efformat,ac retinere valet robustiore facto vtero emplastris,& prædicto vitæ modo.

Verùm si ex laborioso partu vel aborsu sterilis supererit fœmina,coniectandum eo tempore est an figuræ vitium aliquod contraxerit vterus, velut est prolapsio, aut à propria sede contorsio,vel in aliquam partem inclinatio:quod ex tumore ac dolore partis,cui incumbit,facilè percipies, vt frequenter ex Hippocr. mente retulimus. Cui sanè affectioni medeberis per ea quæ diximus cap. de vteri procidentia: sed speciàliùs per ea quæ huic vsui scripsit Hippoc. lib. de natu. mulie. dicens: Si puerperæ vteri in cõxam incubuerint,aut ad laterum mollitudinem,ad sanam cõxam oleum Ægyptium album,aut bachari vnguentum apponere oportet, & in sanam decumbat,& pæoniæ. g. vj. bibat,& fructus sambuci,& castorei magnitudine fabæ vino postea lota suffiatur. Qua sententia constat quibus medicamentis vtendum sit in huiusmodi affectibus. Verùm si ex diruptione,lassitudine & tẽsione ipsius vteri sterilitatem prodire comperiamus:quæ astringendo roborant emplastra adhibenda sunt,qualia cap. de vteri imbecillitate adduximus,& dicturi sumus cap. de partu laborioso.

At quia plerunque accidit ex prædicto labore adeò imbecillitari vterum,vt copiosa susceptet,aut aliunde trahat excrementa, ita vt mutata propria temperie & natura vel humiditatibus abundet quantum sat sit,vt concipere deinceps nõ possit:huic curationem institues per ea quæ adduximus præcedenti cap. instituentes curationem humidi vteri & frigidi,iuxta qualitatem quam prædominari cognoueris.

Verumtamen si dearticulationem aliquam dorsi,ossis sacri,aut coxendicum à partu,vel à casu,ictu,percussione,animi pathemate vehementi, vel quauis alia occasione fœminam perpeti comperias,ad cataplasmata & emplastra confugiendũ est,qualia sunt quæ ex terebinthina,resina,& pulueribus calidis apud vulgares obstetrices frequentissimè reperiuntur. Antè tamen quàm ea adhibeas, curandum est dorsum iuxta renes & os sacrum priùs blandis medicamentis emollire,& calfacere,vt propriùs luxatæ partes vel extensæ cataplasmatis cedere possint. Appellant autem vulgatiter huiusmodi blandum præsidium seuatum,quòd maiore seui portione constet. Efficitur probatissimum & multis fœminis proficuum id quod recipit catycarum pinguium. ʒ. iiij. dactylorum sine ossibus. ʒ. v. florum labendulæ p. ij. sepi renum capri lib. ʃ. radicum althææ coctarum & pistatarum. ʒ. x. fæcis ceræ lib. ʃ. bulliant omnia in lib. ij. vini albi ad vini consumptionem, & facta colatura, adde sepi arietis liquefacti. ʒ. vj. & fiat ceratum,cuius infima pars, quæ attingit os sacrum,sit amplior suprema. Quo sanè vtendum est octo aut duodecim diebus ante cataplasmatis adhibitionem, cuius prima descriptio recipit picis vtriusque terebinthinæ. ana. ʒ. j. galbani,serapini,ammoniaci, myrrhæ, mastichis. ana. ʒ. iij. cinnamomi,nucis. ana. ʒ. j. ladani depurati,opopanacis,sarcocollæ. ana. ʒ. ij. sanguinis draconis,pulueris myrtilorum,coralli,rosarum,caryophyllorum ana. ʒ. j. croci ʒ. ʃ. fiat cataplasma. Efficies tamen ex eisdem rebus aliud efficacius, si omnia hæc aceto ferbuerint,postea facta colatura omnia,reiecto aceto,coquantur donec fiat emplastrum. Item aliud cataplasma vtilissimum conficies,quod recipit mastichis, cinnamomi,nucis,belzoini,pulueris ligni aloës,caryophyllorum,sanguinis draconis,pulueris granæ,ana. ʒ. ʃ. succini. ℈. j. ambræ,musci. ana. g. vj. terebinthinæ quãtũ suffi-

ciat vt fiat cataplasma. Vmbilico etiam appones id emplastrum, quod recipit pulueris ligni aloës,nucis,caryophyllorũ,succini, & granæ ac rosarũ. ana. ʒ. ʃ. musci & ambræ ana. g. x. ladani,picis,& extecamacha quantum sit satis. Huic etiam vsui non parum confert suffumigium quod recipit ladani depurati,styracis. ana. ʒ. ʃ. caryophyllorum. ʒ. j. conterantur in mortario lapideo cũ pistillo calido,& aqua rosacea, ac fiat pasta,ex qua post menstruam purgationem suffumigium susciperet fœmina,& mox cibeto inungat os vteri. Tandem curabis omni arte antè quàm hæc adhibeas, si quid luxatum apparuerit,ad pristinum locum reducere,subleuata vehementer cute supra partem, quã existimaueris dearticulatã esse. Ac si quodammodo diuulsa videatur alicuius partis dorsi caro,coniungere,articulationemque roborare prædictis cataplasmatis opus erit,donec citra dolorem aut molestiã fœmina proprijs munijs fungi possit.

Quod si ex fœtu mortuo deterrimam aliquam, spurcissimam ac fœdam qualitatem nobis compertum sit vterum contraxisse, theriacæ vsu, mythridati, tum per pessaria, tum verò exteriùs rem agere tutum erit: sicut per metranchitas eâdẽ liquata in vterum immittere. Cui vsui proficua sunt odorata omnia,quibus vterus delectetur,& ad natiuam temperiem reducatur. Cuius indicationis gratia vteri regionem inunges oleo naphæ,iasminorum,de semine angelicæ,de styrace,balsamo,& alijs quæ odoratissima sunt,cauentes ne nares huiusmodi odores persentiscant,ne vterus ad superna irruat.

Si verò molam id vitium præstitisse certum sit, iuxta affectus quem in vtero relinquit, naturam & conditionem auferendam esse sterilitatem censeo: nam si sanguis immodicè fluxerit,eodem prorsus modo ei medeberis, ac dictum est cap. de menstruorum fluore: sicut si suppressio pari pensu ac de reliquis vitijs quæ vterus contraxerit,intelligendum est.

Solet etiam vterus ex prædictis causis ita malè affici, vt nec semen viri amplectatur, nec contineat susceptum. Quapropter eius vim excitare iubet Hippocrat. lib. 1. de morbis mulie. varijs auxilijs. Primùm quidem cibito pulegij decocto, aut puluere eius vino insperso. Item in vterum infundere iubet mixturam ex. ʒ. iiij. lactis mulieris &. ʒ. ij. succi mali granati expressi & defecati: quòd si mellis momentum addideris ex re facies. Sic etiam consulit suppositorium apponere ex semine bulbi albi,aut eius floribus contritis,& melle ac lacte mulieris madidum: & postea aliud consulit mitius & non minus vtilè ex malua siluestri cum melle & lacte. Fert etiam Hippocrat. puluerem cori quo vestitus exit puer ab vtero (quod ex semine fiat,venerem excitare, & huic vsui conferre si cũ vino sumatur,aut corallo rubro admixtũ,vel cum conserua aliqua, vel in iusculis. Consulit etiam aliud pessarium fieri,si miscueris mel, myrrham,
fructum tamarisci, humidam resinam,& anserinam adipem: quæ simul post quam contriueris
vniuersa,velleri obuoluta
subdito.

De virorum sterilitate.

Cap. V.

NON quidem minùs virorum defectu perplures fœminas prole orbatas reperies, sed forsitan magis, licet vulgari errore deceptæ se plerunq; steriles iudicent & accusent, & mille præstigijs premant gratia pacãdi viros: quicùm infœcundi & ignaui sæpius existant, in vxores omnem culpam regerunt. Fiunt itaque viri steriles multis de causis: prima, ex genitalium partiũ ignauia: secunda, propter vitiatã figuram: tertia, propter seminis vitiũ aliquod: quarta, ex vitio excretionis, quippe nõnulli oculus quàm par sit semẽ excernunt, quo fit vt virile detumescat & coire minimè possit: quinta verò & vltima, ex totius corporis, vel partis principis impotẽtia, ob morbũ, aut caloris defectũ. Quibus sanè omnib⁹ aut coire probè nõ possunt, aut si coëant, semẽ nõ emittũt, ac si emiserint, inutile est & inane, ita vt nullã in eius emissione delectationem persentiant, quod non leue soleat esse generationis impedimentũ.

De genitaliũ ignauia.

Est sanè genitalium ignauia impotentia quædam ad rem veneream exercendã, quãuis ea vti cupiant. Quam proculdubio affectionem, sympthoma esse constat in genere noxæ functionum naturalium, ac eiusdem pudẽdi propriè abolitarum: quippe hi neq; in venerẽ prõptè ruunt, neque etiã si conẽtur, ob genitaliũ ignauiã attollere possunt, neque vllo ingenio efficere vt distẽdantur. Quibusdã quoque accidit, vt tametsi virile arrigãt, leuiter ac molliter id efficiũt, & mox in fœminæ accessu subsistit & collabitur semine ocyssimè citra delectationẽ emisso, vel excreto flatu per intestina, haud secus quã in senibus cõtingit, quibus protinus pudẽdum detumescit, flatu excreto: quoniam cùm comprimeretur à flatu in recto intestino, exire nequibat spiritus ex pudẽdo, & perstabat tẽtigo: quòd locus reddebatur angustior, quo dilatato, tensio cessat.

Causæ.

Accidit quidẽ plerunq; inter alias causas vitis hoc impotentiæ genus, vel ex totius corporis mollissima carne & pinguedine, quæ effœminatã reddat neruosam pudendi substantiam; vel ex pudendorũ resolutione, ac veluti paralysi: item ex seminis paucitate & tenuitate: aut ex flatus & spirituosæ materiæ paucitate: vel ex maleficio ad modum, quem cap. præcedenti adduximus, cuius hac in parte non meminero, quòd satis sint quę illic retulimus. Item si semen ocyssimè procidat, id fieri constat, vel seminis tenuitate, vel flatus defectu, vel viarum laxitate. Atque præter vitia quæ in genitalium intemperatura simplici vel composita reperiũtur, alia item comperimus quæ illis vt instrumentalia sunt membra, insunt, velut obstructio in vasis seminarijs, qua fit vt semen eiaculari non possit. Sic & ex defectu spiritus vel flatus, quos dissipat vel multus calor, aut insigne frigus constringit, vel animi nimia distractio vel negociorum detẽtio. Item licet flatus sint, colis aut viarum eius obstructio, distorsio vel compressio id malum efficit. Vltimò tamen ex mille alijs corporis vitijs quæ paulò inferiùs referam.

Signa.

Dignosces vitio totius corporis fieri ex habitu obeso & molli, ac vita crapulis & ocio dedita, vel q; morbosus & imbecillis aut ferè hecticus à pueritia vixerit. Seminis verò vitia signis non egent alijs, præter ea quæ superiùs præcedentibus duobus cap. scripta reperies. Fieri pudendorũ defectu & mollitie narrabit ipse laborans.

Ve-

Verùm si ex iecoris vitio malum oriatur, ex proprijs particulæ sympthomatis deprehendes, & ex totius corporis vitioso colore referente sanguinis vitium. Si verò id ex defectu cordis & spiritus ortum habeat, pusillanimitas ac timiditas id facilè ostendet, sicut totius corporis frigiditas, vel pulsus paruus, debilis & rarus. Tertium verò, calidum vel frigidum, aut quoduis aliud intemperamentum facilè discres ex signis quæ Galen. 2. theg. abundè scribit: quamobrem breuitati consulens subticeo: præterquam quòd semen ipsum excisum id facilè monstrat, vt superiùs diximus. Flatus autẽ defectu cognosces, primò quia nulla apparent signa reliquorum affectuum, & quia nulla fit penis erectio: secundò, quia plurimum prosunt auxilia quæ flatum generant: item ab excessu intemperamenti, cùm flatus à diminuto fiat calore solùm.

Cui sanè affectioni medeberis, si ex obeso molliq; corpore originem traxerit, per solidiores cibos, per laboriosa exercitia, per frequentes ac duras frictiones: per victus etiam & potus parsimoniam, qui sit vel vinum, vel aqua ex decoctione cinnamomi, anisi, dauci, vel radicis chinæ, aut smilacis asperæ. Purgabis itẽ corpus per aliqua interualla medicamentis quæ primam regionem à cruditatum recremẽtis liberent. Tandem sudoribus ex ligno guayaco, vel balneis sulphureis, quod magis probo, maiorem negotij partem committes: nam & exsiccant, & roborant, ac macrefactioni & carnis soliditati aptissima sunt. Sed antè quàm peculiarem curationẽ aggrediar, expendisse oportet ea omnia auxilia quæ venerem augent in duplici esse differentia, quippe alia seminis abundantiam præstant, alia verò ipsum prouocant quod iam genitum est: præter quæ etiam alia reperiuntur quæ flatum generãt, erectioni pudendi maximè idonea: nam veneris appetẽtia frustra insurgit, ni membrum genitale erigatur, quod fieri flatu & spirituum copia anteà diximus. Quæ sanæ omnia, siue medicamenta, siue alimenta sint vt Gale. placet. 6. de locis affe. ca. 6. &. 5. simpli. calida & flatuosa esse oportet: maximè verò si semen cocto humore abundent, vt eodem simpli. idem Galen. explicat. Denique primò expendes natura ne insit coëundi impotentiã, à cuius ratione prudenter desistes, præterea an ex obesitate: item ex defectu caloris, & vitalis spiritus, tandem colis iactura & paralysi, an ex obstructione vel seminis aut flatuosi spiritus defectu, & iuxta cuiusque harum causarum, quas retulimus, rationem curandi institues.

Curandi ratio.

Si seminis aut flatus spirituosi paucitate id malum accidere comperias, regeres in testium & vasorum seminalium refrigerationem, sicut erectionis defectum ad mollitiem & relaxationem fistulosi nerui colis, vt ambo hæc vitia simul complectar, & curem: erectionis verò infirmitas si à pueritia fuerit, conijcito à flatus vel seminis paucitate fieri: si verò posteà succreuerit, à resolutione membri, vel humiditatis aut pinguedinis vbertate, vel immodica venere. Quippe ad testium refrigerationem sequitur seminis paucitas, & aquositas ac flatuosi spiritus inopia: nam copia ex diminuto calore potiùs quã frigiditate prodit: ad nerui etiam fistulosi laxitatem sequitur impotentia erigendi pudendum: quo fit, vt sic affecti neq; arrigere neque semen expellere possint. Causæ proculdubio sunt quæ infrigidare & humectare possunt testes, colem & vasa seminaria, velut otium, & nimia ventris pinguedo, siue omenti moles, potus aquæ frigidæ, vsus medicamentorum refrigerantium, qualia in testium & renum inflammationibus admouere solent medici. Sed præter dicta pauci seminis signa, accedit quoque id excerni cum animi deliquio & facultatum animalium euidenti noxa. Eius autem frigiditatem cognosces ex tenuitate, aquosa substantia, ac infœcunditate. Nerui quidem fistu-

losi

losi laxitatem deprehendes,quia sic affecti semen emittunt sine erectione,tantũ veneris appetentia excitata,& modica tentigine persentita. Horum autem omnium curationem institues per ea quæ semen generant:quorum natura calida existit,licèt non plurimum,humida tamen & flatuosa,velut sunt cibi qui optimè nutriant,calfaciant,totisque substantijs familiares existant,dum modo siccitatis nihil obtineant:quippe talia semen interdicunt, quemadmodum dixerat Gale.4.simp. 22.præsertim si eis flatuosa cõditio accedat.Sed sunt prædictæ naturæ bulbi, cicer, fabæ,nux pinea,pastinacæ radix,rapa,porri,horminum,anisum,fœniculum,amygdalæ dulces, polipodes & concharum genera, vua recens,& erucæ semen tritum cum vitellis ouorum,vinum odoratum.Post quæ alimenta infernas corporis partes exercere conuenit,& rursus ad alia quæ venerem excitent confugere. Prosunt quidem deuoratæ fruges cum lacte,præsertim fabæ,hordeum, dactyli pingues cũ lacte,vino & cinnamomo:item columborum carnes,anatis,perdicis,turturis, sed præcipuè anseris lingua,testes etiam gallorum & aliorum animalium,quæ comestilia sunt.Quæ quidem in puluerem redacta prosunt: quorum suscipe. ℥.j.galãgæ, piperis longi.ana.ʒ.j.ß.sacchari ad pondus omnium fiat puluis,cuius manè laborãs cum vino sumat.ʒ.j. Cæterùm hîc tacendum non est fœniculum quomodocunq; haustum pudendis esse amicissimum: siue ad fouendum radice cum vino cocta, siue ad illiniendum eâdem cum oleo trita.Prætereà expende,quòd ruta & mentha virides ex Hippocrat.& Galen. sententia flatus ac veneris pruritum excitare solent: siccatæ verò vel frixæ & præcipuè semina eosdem discutere,ac veneris impetum compescere, seminisque profluuium gonorrheam nuncupatum sistere. Sed ad institutum redeamus. Præstat quoque multorum decreto succus pulmonis arietis assi, puluis ex genitali tauri cum ouo sorbili in paruissima quantitate, quod de stercore accipitris etiam ferunt,puluis de ossibus pedis hirci, vel de testa testudinis,lac item.Prodest melissa,pulegium,ocymum, satureia,vrtica,fœniculũ, qua lege dictum est,sumptum:acori radix,allium,cepa,enula,satyrion,napi,raphanus,& semina omnium. Valent itidem composita plurima, velut est illud quod recipit seminis erucæ,pulueris pudendi tauri,& testiculorum vulpis. ana. ʒ. j. galangæ & piperis logi.ana.ʒ.ß. zingiberis & cinnamomi.ana. ℈. j. caudæ styncorum. ℈. j. fiat puluis, cuius modicum sumat laborans in ouo cum it dormitum. Aliter conficitur, si exceperis seminis erucæ, seminis vrticæ, satureiæ,testiculorum vulpis.ana.ʒ.j.& ß. caudæ styncorum.ʒ.ß.cum cerebellis passerum confice pilulas, quarum laborans capiat.ʒ.j. Sed vtilissimam parabis confectionem, quæ recipit seminis erucæ,vrticæ,anisi, fœniculi & pastinacæ.ana. ʒ. ß. nucis pineæ,amygdalarum dulcium.ana.ʒ.ij.piperis,cinnamomi.ana.℈.j.ramenti genitalis cerui,& satyrionis.ana.℥.ß.diambræ aut diamusci. ʒ.j. sacchari dissoluti in aqua melyssophyli quantum sit satis,vt fiat in morsulis.Vtilissimum aliud parabis,quod recipit satyrionis lib.ß.dactylorum.℥.iiij. zingiberis conditi,iuiubarum.ana. ℥.iij. coquantur in lacte ouillo & pistentur: tandem accipe testiculorum gallorum, & verris.ana.℥.ij.cerebrorum columbarum & passerum.℥.iij.cerebra hæc ac testiculi in lacte conquantur,& cum modico butyri recentis quodammodo frixa parentur,additis vitellis ouorum tribus: demum accipe mellis despumati lib.ij.sacchari tantundem,mel & saccharum simul coquantur,leuiter commiscendo omnia quę prædiximus: quibus facta coctione addes pulueres, qui recipiunt pudendi tauri, seminis erucæ.ana.ʒ.iij.galangæ,zedoariæ. ana.℥.ß.cinnamomi.ʒ.v.piperis longi, seminis fraginæ. ana. ʒ.ij. seminis mercurialis & maluæ. ana. ʒ.ß. medullæ nucis Indicæ,

Indicæ,pinearum mundatarum, fisticorum, amygdalarum dulcium. ana. ʒ.j. quibus vel minutim incisis cum prædictis admiscebis, & summo manè bolum ex his magnitudine castaneæ præbe. Quæ sanè omnia ea prudentia & moderatione adhibebis,qua finem consequaris citra alterius mali interuentum, vt multis euenire assolet,qui sterilitate non curata, nouum affectum veluti manu faciunt.

Verùm inter reliquas compositiones,probata maximè est quæ recipit testiculorũ vulpis decoctorũ in hydromellite.℥.j.quibus contusis adde pinearũ,& auellanarum in pauco lacte & melle infusarũ, vbi leuiter ferbuerint. ana. ℥.ß. carnis leutræ,stercoris muris,moschi.ana.ʒ.ß.cum syrupo,cortice,& conserua citræ fiat opiata. Cæterùm efficacior & vtilior existit quæ recipit corticis citri, zingiberis viridis ana.℥.j.conserue eryngij.℥.ß.carnis leutræ.ʒ. iij. testiculorum vulpis, vel pudendi eiusdẽ & tauri.ana.ʒ.ß.pulueris diamusci.℈.j.cum melle fiat opiata, cuius porrige magnitudinem auellanæ parum ante cœnam,superbibito modico vino. Cui consimilem vsum præstant renes styncorum,cæterùm veri ad nos non asportantur, neque apud Venetos adhuc reperiuntur. Præstat quoque cibus, qui profectò peculiare est huius mali beneficium,si receperit oryzam ablutam & remolli tam in lacte die ac nocte,coquatur in aquâ & oleo & sanguine gallinarum vnico feruore, & paulatim bulliat deinceps donec integrè coquantur, & postmodum adde zingiberis, erucæ, piperis longi. ana. g. x. sacchari quod sufficiat vt gustui gratum fiat. Sed præstat non minùs cepa cum ouis & butyro frixa, castaneæ excorticatæ decoctæ in iure gallinæ primò,& posteà in lacte cum zingibere & eruca.

Pudendo quoque robur addit& firmitudinem,maximè dũ laxum fuerit, inunctio circa ipsum & partes vicinas facta ijs quæ calfaciãt & exsiccent, velut est oleũ cui adiectum sit radicis narcisi parum,coccignidij,seminis vrticæ,pyrethri aut viticis,leporis item coagulum, oleum de pipere, aut leonis adeps pudendo illitus: deinde aliquot piperis grana cum tragacanthi succo trita,quo posteà testiculos & intercapedinem inter anum & pudendum ac lumbos illinito,præcipuè addita leonis pinguedine,vel oleo ex semine aut radicæ angelicæ. Cui consimile parabis, si exceperis olei liliacei,mastichini,de castoreo.ana.℥.j.adipis leonis. ℥.ß. piperis, pyrethri,cyperi,myrrhæ,ac sulphuris viui.ana.ʒ.j.moschi.g. iiij. cum cera fiat vnguentum,quo lumbi, pudendum & testes vngantur.Simili ratione iuuat pedum plantas inũgere oleo, in quo cyperus & synapis ferbuerint,vel oleo sambucino,& vulpis cum pyrethro,addito musci momento.Conficies vtile aliud si in oleo formicarum,& maximè volatilium duo oua ferbuerint,cuius olei posteà recipe. ℥.ij. seminis erucæ,cepæ.ana.ʒ.j.&.ß.euphorbij,castorei.ana.℈.j.ceræ quantum sit satis vt fiat vnguentum molle.

Aliud item vtilissimum paratur,quod recipit axũgiæ vulpinæ,succi erucæ. ana. ℥.vj.testiculorum vulpis.ʒ.ij.coquantur ad consumptionem succi & colentur:cui adde lento igne ceræ.ʒ.vj.seminis cepæ,baccarum lauri.ana.ʒ.iij. quibus fiat vnguentum. Sunt præter hæc omnia alia non pauca quæ venerem excitant, inter quæ summopere commendatam reperio inunctionẽ quæ recipit olei castorei,& de nuce Indica.ana.℥.j.olei musci.℥.ß.castorei, euphorbij.an.g.x.moschi.℈.j.alypta muscatæ.ʒ.j.&.ß.ceræ quantum sit satis vt fiat vnguentum,quo manè vngãtur plantæ pedum,regio pubis,renum,& perinæi:quo facto parum galangæ ore mastiçando detineat:aliquando verò sumat laborans castaneas decoctas cũ dactylis & eruca

eruca ac bulbos etiam cum melle & sinapi. Ad quorum rationem & modũ alia plera que effingere poteris huic vsui idonea. Verùm si semen ocyssimè prolabatur laxitatis viarum ratione, balneis sulphureis veteris, vel sudoribus ex guayaco, aut radice chinæ, & aliquo ex prædictis testes & pudẽdi radicem inunges. At si flatus defectu vel seminis tenuitate id vitiũ fiat, ei medeberis his quæ crassos succos gignere possint, qualia superiùs abunde diximus.

De pudendi figura.

Secunda sane sterilitatis causa ex pudendi virilis figura proficiscitur: nam aut nimia paruitate debitum vteri locum non attingit, quod vitium remedijs cedere nequit: aut longiore extensione & magnitudine ipsum prætergreditur, ex quibus causis tria vitia proculdubio subsequuntur. Primum, quòd semen, vt Auic. fatetur, in longissimo itinere vitiatur, quòd proportionatum requirat à testibus ad vterum spatium. Secundum, quòd fœmina minus delectatur, si locum vbi titillationem persentit, prætereat pudendi caput. Tertiùm verò, eò quòd improportionatum, & quodammodo dilaceratum, dolore & mala figura affectum relinquit vteri collũ, ita vt proprium semen & fœminæ vterum sterilitate afficiat. Cui sanè vitio nullum aliud adinuenies præsidiũ, quàm quòd pudendum totum fœmina non suscipiat. Quibusdam etiam adeò in latitudinem turget pudendum & extenditur, vt fœmineum receptaculum ipsum capere non possit citra euidens nocumentum: quod non minus immedicabile existere arbitror. Verùm si ex tortuositate obligamentorum breuitatẽ deprauata figura accidat, vel ligamentum abscinde, vel mollioribus laxa pharmacis.

De seminis vitio.

Tertia verò causa ad seminis vitium referenda est: quippe aut viri semen feruidum & veluti torrefactum existit, aut frigidum, tenue, aquosum & languidum, quale decrepitorum est, vel crassius quàm oportet, emittitur: vel partius aut copiosius, quàm par sit. Sed quia plerunque hæc vitia proficiscuntur vel vitio totius corporis, aut partis alicuius præcipuæ: ob id illarum omnium seorsum meminisse oportebit, si priùs dixero non rarò etiam prodire testium affectorum occasione. Sic etenim ex peculiari eorum calore semen vritur, & concrescit ariditate, ita vt ineptum prorsus generationi reddatur. Alio autem modo ipsum vitiat testium abscessus, vel simile quidpiam: sic & vlcus factum in calculi extractione, aut herniæ curatione. Præterea testium frigiditas modò ex natura sit, modò ex senectute, id malum quoque efficit: sicut quoduis eorum vitium iam factum & habituale. Quorum omniũ notitiam edisce re oportet, vt iuxta cuiusque indigentiam auxilia adhibeãtur, quæ vel calidos testes moderentur, vel frigidos calfaciant, & sic de singulis causis, quarum præsidium adinuenire facillimum erit, si expenderis quæ hucusque tã copiosè dicta sunt.

De totius corporis, aut partis principis vitio.

Contingit proculdubio maiori ex parte viris sterilitas ex aliquo totius corporis vitio, vel naturali, aut non naturali impotentia ob impensum aliquod intemperamentum, vel morbi Gallici accessum, quorum ratione nullum, aut infœcundum, vitiosum, ac inutile semen gignunt. Item ex nimia obesitate, quæ & viros & fœminas infœcundos plerunque efficit; quod quidem euidentissimè ex Arist. probatur lib. 1. de gene. anim. cap. 18. cùm ex professo doceat pinguedinis & seminis eãdem esse materiam: quo fit vt minus fœcundi sint qui multam coaceruant pinguedinẽ, quia tantum illis de semine deest, quantum pinguedinis abundat: Aristot. verba hæc sunt. Hominum nonnulli, vbi per habitum corporis bonum carnulenti, aut pinguiores euaserint, minus semen emittunt, minusque rem veneream expetunt. Et paulò post: Viri etiam mulieresque pingues minus fœcundæ esse quàm graciles viden-

dẽtur, quoniam in vegetatioribus excrementum concoctum transit in pingue. Refert etiã lib. 2. de gene. ani. c. 19. Pinguia minus seminis habẽt, quàm macilenta, præter quam quòd penis breuior efficitur. Itaq; ratione optima fit, vt cùm materia superuacua consumpta in pinguedinem sit, deficiat genitura. Cui etiam dogmati Plinius his verbis assentitur. Steriliora cuncta pinguia & in maribus & in fœminis: sic quidem castrata animalia pinguia sunt, quia seminis materia in pinguedinem abit. Quamobrem in his potissima curandi ratio erit ipsa corpora macrefacere, & exercitijs dare, ac sudoribus & balneis, vt cõsumpta pinguedine postmodùm vxoribus dediti, seminalem materiã ad testes & vasa spermatica euocent, vt copiosius fiat deinceps semen. Item ex alicuius partis principis graui aliquo affectu steriles fiunt, vt de testium morbis dictum est: sic si in cerebro epilepsia vel quiuis alius affectus præsit, qui magnam inferat neruoso generi, aut reliquis particulis imbecillitatem, steriles fieri viros cõspicimus. Pari pensu iecur ac ventris os, & tandem omnia membra quæ aliquod habent officium reliquis partibus proficuum & necessarium, si grandi affectu aut habituali corripiantur, id malum efficiunt. Sed potissimùm id mali suboriri scimus ex cordis & arteriarum affectionibus: ob id valetudinarij homines, in quibus calorem innatum minùs valere conie ctabile est, plerunque steriles sunt. Nam cùm potissima seminis prolifici ratio stet in spiritus vitalis ac natiui & influentis caloris influxu ad testes ipsos, & hi à corde velut à fonte prodeant, fit facilè, corde aut arterijs affectis steriles supereſſe tales viros. Hac enim ratione arbitror Hipp. lib. de lo. aqua & aëre dixisse Scythas steriles esse, quia venas retro aures scindunt & copiosè sanguinem fundunt, donec homines præ frigiditate obdormiant, ex quo qui euadunt, steriles caloris & spiritũ defectu, supersunt.

Sed ne quid huic tractationi deesse videatur, paulò diligentiùs virorum impotentiam expendere instituimus. Cuius rei gratia asserimus quatuor esse in viris potissimùm ad fœcũditatem necessaria inter se inuicem coordinata: quorum si aliquid deficiat, fœcunditatem quoque deficere necessum est. Primum quidem salacitas est, seu appetitus ad venerem: secundum seminis copia: tertiũ erectio valida membri: quartum & vltimum fœcunditas. Inter quæ sanè omnia salicitas minor est ad generandum, quòd hæc etiam in senibus ac decrepitis reperiatur. Post modũ magis necessaria est seminis generatio: quæ in ipsis quoque senibus reperitur, non tamen adeò copiosa neque bona, vt in iuuenibus. Vtilior quidem est erectio membri (licèt non sufficiens, vt in eunuchis) quæ sanè non quia talis est, sed quia multis indiget, & ideò in senibus minor reperitur, neque fit nisi post somnũ & cibo concocto: præsertim calido potestate cum potu modico, & ante mictum ac sine vẽtris crepitu. Causa porrò huius erectionis est robur cordis, aut valida imaginandi vis quæ cogit cor impellere spiritum flatuosum: caliditas insuper renum validorũ & pinguium trahentium & transmittentiũ: quæ si adsint, fœcundus erit homo, & ad venerem potens. Verùm vt in summa dicam, quatuor etiam reperientur causæ, quibus hominis corpus sterile fiat, quarum prima frigiditas est, cuius potissimùm ratione dixit Hipp. loco citato Scythas steriles esse: nã inquit. Scytharũ genus fului valde coloris existit propter frigus ingẽs, nõ enim vehemẽs accedit ad eos Sol: à frigore verò albedo exuritur, & fit fulua. Ac subdit. Neq; verò possibile est fœcundam eorum esse naturã, cùm viri minimè cupidi sint cũ fœminis commiscere ob nimiam corporis humiditatem, ventrisq; mollitiem, ac frigiditatem. Quæ causa est, quòd nec semen probè fiat, nec spiritus vitales ad tensionem suppeditentur:

quæ duo ad venerem neceſſaria eſſe diximus. Quibus accedit ex accidenti humiditas,vt Gale.aduertit.2.de tẽpe.cap.3.quæ cauſa mollitiei exiſtit, & infœcunditatem quoque molitur. Quapropter cenſeo Hippocrat.dixiſſe,Scythas eunuchos natura eſſe:inquit enim loco citato.Ampliùs autem præter ea, plurimi Scythæ eunuchi naſcuntur,& muliebria officia obeunt.Cuius loci ratione,qui diffici lis videtur,quòd vix credi poſsit homines naſci eunuchos,expendendum eſt tria nomine eunuchi antiquos intellexiſſe.Primùm ergo hoc nomen generaliter accipitur pro omni homine qui impotens ſit ad venerem:nam cùm anteà declaraſſet Hippocrat.Scythas eſſe frigidos, ob id etiam hac in parte ſteriles vult ſubaudire,quia ad venerem ſunt impotentes:propriè enim frigidi dicuntur homines, qui ad venereos actus inualentes ſunt.Vnde titulus eſt apud Iuriſconſultos: De frigidis,& maleficiatis: quos ſpadones vocatos reperio,ſicut eos quoque quibus meatus pudendi contortus eſt, aut pudendum ipſum admodum breue, & virilia effecta ſunt. Secundum hoc nomine eunuchi thlibiæ appellantur,& ſunt quibus teſtes in manibus obſtetricum contorti ſunt.Tertium verò, eunuchi caſtrati dicuntur,& ſunt ij, quibus adempta ſunt virilia omnia,& impotentes ſunt ad venerem, vel ſoli teſtes,& hi non ſunt fœcundi,cæterùm potentes ad venerem.Itaque eunuchi trium ſunt generum,quidam ob priuationem virilium,aliqui ob vitium in illis,multi ob naturæ impotentiam ſemen non generantis,aut flatũ tranſmittentes. Quippe hæc tria neceſſaria ſunt ad venerem:membrum nimirum cũ ſuis partibus,materia,& iaculator ſpiritus. Sed in hac re,vt ad penſum redeamus, expendendum eſt, quòd vt habetur.1.de ſemine, priuatio aut corruptio teſtium cauſa eſt frigiditatis in toto corpore, & viciſsim frigiditas cauſa eſt impotentiæ ad venerem.

Præter adductam ab Hippoc.cauſam ſterilitatis Scytharum,aliam ſupperaddit dicens:Ab equitatione ipſa diuturni eos corripiunt dolores,nimirum propendentibus ſemper eorum cruribus,deinde claudi fiunt,cõtrahunturque vertebræ,cùm inualuerit morbus.Et paulò inferiùs de reliquis hominibus inquit. Simili autem modo & reliquis hominibus euenit, vbi enim frequenter & continuè homines equitant,vbi plurimi à diuturnis doloribus vertebrarum maximè & pedum corripiuntur,ad coitumque fiunt impotẽtes.Ac licet Ariſt.4.proble.12.aſſerat, equitationem aſsiduã facere libidinoſiores,intelligendum venit,ſi nõ læduntur,& commodè equitẽt:nam de alijs quorum Hipp.meminit,Ariſt.etiam.5.probl.31.refert, genituram per ſomnum profluere,vt perſpicuum ſit huiuſmodi homines ad cõcubitum fieri impotentes:gonorrhea enim,qualiſcunq; ſit, debilem reddit hominẽ ad venerem:tum quia minuit illius materiam,tum quia humectat membra genitalia,tum verò quia facit incontinentẽ,adeò vt ſemen effluat ante pudendi tenſionem.Potẽtiſsimi enim ſunt ad venerẽ quicunq; tardiùs,& non niſi maxima cũ tenſione membri, & confricatione ſemen emittunt.Sed ad rationem redeuntes: ex incommoda equitatione & quouis labore valido, vt refert Galen. 1. in. 6. de morb.vulga.comm.6.confluunt humores ad prædictas partes,& mala quæ Hippocrat.recenſuerat,ſcribit.Cui ſanè accedit alia,quòd ex longa equitatione & validioribus exercitijs ſummoperè imbecillitentur renes, eò quòd calidiores præter naturam efficiantur, & ſeminis fœcundam temperiem euertant: faciunt etenim renes plurimum ad veneris appetitum & robur ſeminis. Vnde qui generationi ſtudent,rarò debent & parum equitare,magis tamẽ in pedeſtribus exercitijs ſe exerceri conuenit: parum edere, & cibos craſſos & boni ac validi alimenti, vt

vt ſuillas carnes aſſas,caſeum modicum, vinum rubrum potens: à quibus probè dormire eſt opus: porrò omnia quæ inimica ſunt cordi & veneri,officiunt generationi.

Præter dictas ſterilitatis cauſas ſupperadd̃da eſt vltima,exemplo ſumpto à cauſis ſterilitatis Scytharum, quæ vſtio eſt, vel ſectio venarum poſt aures; vel ſeton, aut fontanella.Qua in re inquit Hippoc.lib.de lo.aqua & aẽre. Medicãtur autem ſibi ipſis hoc modo: à principio morbi vtramque venam retro aures inſcindunt: quo facto, ſanguine multo promanante ſomnus eos corripit præ imbecillitate.Et ſubdit.At mihi ſanè videtur,ea medicatione ſe ipſos perdere:venæ enim retro aures ſunt, quas ſi quis ſecet,ſterilitatem inferet ijs quibus ſecantur.Quod proculdubio vitium ijs etiam qui vſtionem vel profundam vel diu manãtem in aliqua corporis parte patiuntur ex aliqua morboſa occaſione,certum eſt ſubſequuturum:id quod ab Hippocrat.etiam eſt proclamatum: nam inquit. Scythæ omnium hominum minimè ſunt ad coitum valentes. Ac reddens rationem ſubdit. Et quòd humoris detractiones experuſtione cauteriorum ſemper habent; & plurimum temporis in equis degunt. Cuius rei iterum adducit rationem lib. de genitura dicens:Quibuſcunque venæ poſt aures ſectæ ſunt,hi coëunt quidem,& genituram emittunt,verùm modicam,debilem & infœcundam:nã plurimum genituræ pars à capite iuxta aures in ſpinalem medullam procedit,ipſe autem ſitus,cicatrice ſectioni inducta conſolidatus eſt.Lib. tamen de lo. in homi.hæc refert. Aliæ venæ à vertice iuxta aures ab anteriore colli parte vtrinque ad cauam venam appellatã feruntur:eæ infœcundum faciunt hominem,cùm fuerint ſectæ,& in magnos digitos deſinunt.

Quam ſentẽtiã quoq; profert Ariſt.lib.2.de gene.anim.q; ſemen habeat quippiã cum cerebro affine:inquit enim.Sedes oculorũ maximè omniũ capitis locorũ ſeminalis eſt,quòd ſola ipſa per coitũ venereũ manifeſtè immutetur,& vſu immodi coi rei venereæ oculi aperti langueãt,& ſubſideãt.Quæ omnia ſano modo eſſe intelligenda arbitror,ac cenſeo præcipuã ſterilitatis rationẽ in hac cauſa pendere ab ingenti frigiditate & impotẽtia,qua totũ corpus ex copioſa ſanguinis profuſione afficitur,& cerebrum maximè,licèt ſemen non decidat ab ipſo cerebro,eſt tamen pars quæ vim & efficaciam ſemini ac teſtibus tribuit,qua genitale cõſtat euadere ſemen:& ob id ipſa ſublata vel diminuta nil mirũ ſi ſemen infœcũdum fiat.Quæ ſi expẽderis,& ante quàm auxiliares manus adhibeas probè conſideraueris,certo ſcio te profuturum ſummoperè.Cuius rei exemplum reperies in ijs,quibus fontanella occipitio vel brachijs diu aperta eſt,& plurimũ fundit: nã licet ad ſanitatem alicuius affectus proſit,mirum non eſt, ſi ad integram indiuidui perfectionem nõ ſufficiat.Atque hæc ſunt quæ corpus infœcundum & imbecille reddunt.

Curandi ratio.

Quibus omnibus ea erit vtilis prouidẽtia,quæ affectum corpori communem, aut alicui parti principi propriũ auferre valeat:nam qui morbo Gallico affecti ſteriles exiſtũt,ſudoribus ex ligno guayaco,& alijs huic malo aptis præſidijs haud difficulter fœcundi fient.Sic frigidos ex quauis cauſa calfacies prudẽter,& omni arte ijs quæ ſuperiùs retulimus balneis,ſudoribus,exercitijs, frictionibus, inunctionibus,fotibus,& alijs quæ intus ſumpta,ſiue alimenta ſint,ſiue medicamẽta, calfacere & flatus generare nata ſunt.Pari quoque ratione prouidẽdum eſt cuique membrorum principalium,ſi huic malo cauſam præſtiterit,iuxta cuiuſque intemperamentum & vitium:ex ijs enim quæ diximus,ſatis ampla ſubeſt cuique ad curationem materia:& ob id huius cap.hîc eſto finis.

De Conceptu. Cap. VI.

CReatis vniuerſis quæ in cœlis terriſq; continentur, ſummus ille rerum conditor Deus, terrã vt implerent, creſcerent, & multiplicarentur iuſsit, vt habetur Geneſ. 1. Quamobrem quandam inclinationẽ, propenſionemque ad generis ſui propagationem cuiq; indidit, ne breui temporis ſpatio corruerent, quòd omnia ex corruptibilibus eſſent conflata: vnde appetitum illum conſeruationis propagata ſpecie, ortum duxiſſe conſtat. Hinc effrænis generãdi cupiditas emanauit, vt pulchrè Ariſt. innuit lib. 2. de ortu & interitu, dicẽs: Nam cùm in omnibus quod præſtabilius eſt, naturam ſemper expetere dicatur, præſtabilius autem ſit eſſe quàm non eſſe, hoc enim in omnibus impoſsibile eſt, propterea quòd longè ab ipſo principio diſtent, reliquo modo Deus ipſe vniuerſum compleuit continua facta generatione. Quibus verbis conſtat hinc eſſe deperditi reſtaurationem, qua noua prole facta, vniuerſum indies quotidiana generatione continuat. Ob id etiam idem Ariſtot. 2. de anim. cap. 4. dixit, generationẽ eſſe operationem maximè naturaliũ viuentiũ quæ ſunt perfecta, nõ imminutã, neque fortuitã generationẽ habẽtia, nimirũ animatũ ſimile procreare, plantã autẽ plantã, vt quoad fieri poſſet duratione participarent: omnia enim hæc appetunt, & huius gratia agunt quæcunq; ſecundũ naturã operantur. Sic philoſophi omnes affirmant generationem primam eſſe, ac perfectiſsimam viuentium operationem. Perfectum quidẽ dicitur quod aliud ſufficiens eſt generare, vt ex Ariſt. 3. metheor. 3. euidenter cõſtat. Quare ſi nutritio & accretio ad animalis ſunt perfectionẽ, hæ autem ad generationem, erit ſanè generatio omnium aliarum naturalium operationũ finis, ac ideò prima dignitate & perfectione: finis enim, teſte Ariſt. 2. phyſ. perfectior eſt ijs, quæ ſunt ad finem. Quod etiam elegantiſsima quadam ſententia Plato in Sympoſio probauerat. Ex quibus conſtare cuiuis arbitror, quanta naturæ ſuccreſcat generandi ſolicitudo: nam cùm rerũ ſpecies deficere naturæ vitiũ foret ac mõſtroſum, præcauet diligenter ipſa, ne eius perfectio (quam in ſpecierum varietate ſitam eſſe cognoſcit, idque nullo alio modo, quàm per nouam rerum propagationem) corruat dilabaturque.

Verùm cùm hanc ex materiali aliquo principio fieri oporteat, licet omnia ex elementis conſtent, expendendum ſubinde eſt non omnia immediatè ex ipſis fieri: ſed ea immediatiùs quæ ipſorum naturæ magis congruunt, vt lapides & metalla. At verò animalia, vt quæ longè ab elementorum natura diſſideant (licèt ipſis conſtent) fieri citra maximas tranſmutationes nequeunt: nam ipſa in plantas & reliqua alimenta primò mutari oportet, hæc verò in ſanguinem & ſemen, ex quibus vt generatio fiat, multa profectò requiruntur quæ mox referam.

Conceptio quid.

Cùm enim ad fœtus generationem ſatis non ſit ſeminis ac ſanguinis menſtrui bonitas, neque corporis aut partium principalium eius tẽperies ac ſanitas, ſit quidem vt neceſſum ſit, vterũ quoque aptũ fieri per cõmoderationem & temperiem ac virium integritatem, quibus accedit caloris etiam vis & efficacia ac puritas: ex quibus id fœturæ opus, cui primò ipſe vterus incumbit, conceptio eſt. Erit igitur conceptio, vt ex Gale. colligitur lib. de ſemine, attracti ab vtero ſeminis commixtio in ſanguinis menſtrui puriori parte, in quam locellorum calor natiuus ita agit, quòd

quòd viuificato ſeminis genitalis calore, demum fœtus generatio ſequatur. Conceptionis porrò nomen à comprehenſione dictum eſſe conſtat: refert quidem Gal. en. loco citato mulieribus prægnantibus futuris intus remanere ſemen, alioqui tales non fieri: itaque conceptio eſt veluti ſpiritus vtrinque concurrentis communicatio. Primum itaque opus vteri à proprio calore fit: nam attracto ſemine tam auidè ſe ſe vterus colligit, vt ſeminis vel ſanguinis menſtrui egredi permittat nihil. In quo ſanè opere ſeminis cum ſanguinis puriori parte cõmixtio fit: in quam calore vteri cogente, ſeminis calor ad actum reducitur, vt deinceps ſua ſpõte in futurum opus progrediatur.

Antè tamen quàm hinc diſcedã, ex quo ſanguine conceptus fiat, docere neceſſum fore duxi. Qua in re, quo tẽpore mulieres potiſsimũ concipiant præmittendum eſt: cuius gratia, vt ex Hipp. lib. de ſeptimeſ. partu colligitur, accipiamus conceptum fieri aut in ipſis interlunijs, aut ante plenilunium, aut decreſcente Luna: ſi in ipſis interlunijs conceperit, rariſsimè quidem fiet, idque in illis præcipuè mulieribus, quibus accidit vel in ipſo menſium fluentium impetu ſemen maſculinum retineri, propterea quòd parciſsimè purgari ſunt natæ. De quibus Ariſtot. lib. 7. de hiſt. anim. cap. 2. & 4. de gener. anim. cap. 4. hæc ſcripſit. Nonnullæ etiam, dũ profluunt menſes, concipiunt, poſteà concipere nequeunt, quibus vulua ſtatim à purgatione comprimitur. Cæterùm de reliquis anteà dixerat. Conceptus mulierum à profluuio menſtruorum ſua natura contingit. Hippoc. tamen lib. de natu. pueri, ſingulis ſuum tempus concipiendi præſcripſit: inquit enim. Oportet igitur mulieri tempus dare menſis, in quo ipſa purgatio contingit. Ex quibus concluſit neceſſarium eſſe pleraſq; mulierum circa pleniluniũ & vltra cõcipere: quibus equidem luce clariùs conſtat, vt plurimũ mulierem concipere poſt menſtruas purgationes. Præterquam quòd decreſcente Luna tẽpus exiſtit frigidius & humidius, quo minorem facit abundantiam excremẽtorum coctorum: & ob id minus eo tempore fœminæ concipiunt. Itaq; & fluentibus & iam fluxis mẽſibus fœminas concipere conſtat. Verùm quæcunq; fœminæ menſtruantes ſunt, vel nõ concipiũt, vel ſtatim abortiunt, licet concipiant, vt inquit Ariſtot. loco citato, vel vitioſos fœtus edunt: non quidẽ feliciter concipiunt, vt eæ quæ à purgatione. Quod etiam protulerat expreſsis verbis Hipp. lib. 2. popu. part. 3. text. 27. dicens: Poſt menſtrua aliquando dextra, aliquando ſiniſtra hiant: quaſi reddens rationem, quove tempore fiant potiſsimum conceptus, nimirum quia & vteri ſunt aperti, & venæ quæ in ipſum finiuntur, & quia inanis vterus eo tempore auidiùs trahit: & rurſus idem probat eodem lib. par. 3. tex. 31. dicens: Aut à mẽſtruis numerandi ſunt nouem mẽſes aut à conceptione. Quippe (vt ad inſtitutum redeam) mulieres nõ concipiunt ex ſanguine, qui fluit: quod multis tum cauſis, tum indicijs fieri & noſſe datur: primũ, quòd non par ſit nutriri fœtum ex recrement o: ſecundũ, quòd propenſus eſt ſanguis ille menſtruus effluere, non retineri: tertium, quòd à purgatione, cùm nihil ſit quod natura teneatur expellere, faciliùs ſemen concipit: demum, quòd par ſit fœtum nutriri ex defæcato expurgatoque ſanguine qui eſt circum vterũ, vt pars ſuperflua eijciatur, & pura nutriat fœtum. Ex quibus iam conſtare cenſeo, ex quo ſanguine fieri fœtum oporteat. Sed quoniam dixit Hippocr. 5. aphor. 18. Mulieri ſi menſes eant, impoſsibile eſt fœtum eſſe ſanum: retentis ob id menſibus arbitrantur multi menſes in alimentum infantis abſumi. Itaque inprimis duo ſemina in vnum coire in vtero tenentur: poſteà verò ſanguinem puriſsimum accedere par eſt, vt proſperè fœtus formari poſsit.

Sed prædicto operi multa proculdubio requiruntur: nam primò mas & fœmina non vtcunq; concũbãt oportet,sed fœmina in concubitu capite parum demisso, coxendices,cluneisq; altiusculas habeat, femoribus latè patentibus,donec vir tandem genitale semen ante vuluæ ostiũ emittat.Cui semini spirituosa substãtia, quã genitiuum appellamus spiritum,permiscetur atq; cõfunditur:quæ inquam, sicut humiditas,procul expellatur oportet,tanto seminis humiditatem peruincẽs,quãto ocyùs egeritur efferturque longiùs:nihil enim procul citra spirituũ vehementiã proijci potest.Cæterùm virilis seminis profusio,non intus,vt plerique censent, fit:nam os vteri angustum est,sed ante ostium,quo & fœmina succum quendam nihil ad conceptum conferentem secernit:in quibus prorsus excretionibus pari fermè voluptate mas & fœmina affici solent. Viri autem profusum ibidem semẽ intus ab vtero auidissimè rapitur,si calidus & modicè tẽperatus; si oris labra aspériuscula & hærentia:si etiam nunc tenuiora sint,quando quidem ad conceptũ ita se commodè habent.Sed præter hæc omnia quæ nuper & cap. præcedenti dicta sunt ad concubitum esse necessaria,vt conceptus fiat,alia insuper quatuor præquirit grande hoc opus,imaginariam nimirum cupiditatem; affluentiorem succum,spiritualem substantiam,& flatuosam materiam.Quæ omnia à cerebro,iecore,toto corpore,cordeque proficisci æquum est.Quocirca voluptas ex deprehenso rei delectabilis & concupitæ simulacro concitata(quod inchoans primum est) protuberat vehementer:mox inanem spongiositatem quæ in medio glandis colis apparet,cupidinis spiritus confestim subit.Deinceps verò alia vis quæ huic obtemperat, genitalis seminis materiam discindens ad seminales meatus peculiari titillatione excitatos expellit:quò cum tetenderit humoris portio calorifica causa agens in flatum vertitur,quo genitalia extenduntur:virorum nimirum rigescunt intumescuntque:fœminarum verò fatiscunt atque extuberant. Quibus medijs quæ in hoc opere necessaria existunt,ab vtroque parente semen prolificum in vterum excidit:quod equidem si vterus vndique complectatur ita auidè, vt internũ vteri os adeò astringatur,quòd ne minimum quidem seminis,aut sanguinis menstrui exire permittat,conceptus eo tempore dici meretur.Quippe simul ac genituram intra se vterus traxerit,in vniuersum alueum se supra semina duo colliges, ac vndique eam cõprehendens ita contrahit,vt nulla penitus,siue multum,siue parum seminis iaculatũ fuerit,vacuitas relinquatur. Cùm verò seminalia hæc recrementa in vterò constiterint,atque etiam intra septenas horas post eiaculationem in effusionem relapsa neutiquam fuerint,si vteri calore conseruentur reganturque,concepisse fœminam credendũ est. Et vt in summa dicã,cõceptionis causæ sunt proba vteri commoderatio,recens mensium purgatio,idonea ætas,& congressus appositus:in viro autem bonus corporis habitus, ad calidum præsertim & humidum inclinans; seminis prolifici copia,robusta & virilis ætas cum virium robore coniuncta,cõcubitus moderatus & plenior victus ratio.Quæ quidem omnia ad conceptum conciliandum necessaria sunt.

Nec displiceat prolificũ etiã semen ad eã partẽ mitti: argumẽto est grauida mulier,quæ in vteri cerui cem semen effundit.

Quid verò à conceptu ipso fiat,vbi semel probè à muliere in alueo retenta fuerit genitura,iam explicandum aggredior,si priùs quid fœtus efformatio sit, dixero.Est sanè virtutis seminis in menstruo sanguine tam efficax actio, vt materiam illam efformare,ac inceptam informatamque ad membrorum formæ susceptionem ducat. Dissidet quidem à conceptu, quòd ille vteri calore perficiatur, licet seminis quoque vis accedat: at fœtus generatio proprio seminis calore efficitur: nam collectum vtrumque semen viuens per cotylas,quæ verò sunt acceptabula, cor-

corpori materno strictè sic inseritur,vt arboris truncoramus qui viresci adhuc & vita tenetur. Quæ vt probè teneas,præmittendum est B.Thomam p.1.q.118.a.1 arbitrari,materiam à fœmina ad conceptum præstitam, statim à principio actu esse anima vegetatiua dõnatam:non tamen esse in actu secũdo,sed in actu primo: quod mihi de semine vtriusque parentis intelligendum fore non omnino improbabile videtur(saluo tamen meliore iudicio)itaque semen vtero comprehensum, mox actus secundos efficit,disponens & delineans futuri fœtus membra,educensque de potentia materiæ animam vegetabilem,qua deinceps alatur,(sitenẽdum sit semen non viuere)& sensitiuã,donec rationalis introducatur. Quòd fanè alijs corruptis omnium virtutes eminenter obtineat,& operetur quæ ipsæ anteà efficiebant,& quid amplius.Formatiua itaque facultas non quiescit ab opere, donec vegetabilem & sentientem ánimam educat de potentia materiæ,& postea ipsa ingeniti præcipuis membris maximè in testibus inplantata, opera non mediocris momenti agit,vt inferiùs mõstrabo.Postea verò opus relinquit vegetatiuæ & sentienti,quæ ipsum perficiant iuxta formationis varietatẽ vt mox scribam.Sed suspicor,licet virtus seminis transmissa à parente se habeat velut instrumentum, quòd artificis aut motoris motum exequitur,non subinde constare hãc virtutem posse citra aliquod aliud agens,quod simul coagat,ipsum semen solùm posse virtute illa opus ità grande perficere:sed cum eo(saluo meliori iudicio) concurrere actualem matris virtutem,non quæ in semine est solùm, sed quam anima actu in id & reliquam materiam mediantibus venis & arterijs transmittit. Quippe dum conceptus fit,materni spiritus cum seminalibus coniunguntur,& fit vnus, dum occurrit decurrẽtis sanguinis materni spiritus & obuiam it seminali,si conceptio futura est. Cui etiam muneri non parum iuuat ipsius vteri dignitas & officium,cui exequendo arbitrandum est inditam esse vim & efficaciam nõ mediocris præstantiæ. Verùm id alibi latiùs fum disputaturus.Multa sanè,eaque mirabilia vno temporis momento circa animalis generationem fiunt naturæ opera: nã sex septemue diebus primis semina duo ociosa non sunt,sed sanguinem trahunt,in suique naturã commutant,& veluti aluntur:quod sanè opus inter Barbaros multi lactationem appellarunt.Post verò in semine ipso duo considerat Galen.corpus nimirum seu corpulentam crassamque substantiam & spiritum,& in eo calorem natiuum,quibus formatiua facultas veluti instrumentis vtitur ad fœtus generationem. Qua proculdubiò ratione Hippocrat.dixisse arbitror,Scythas steriles esse:nam ex arteriarum retro aures sectione tanta spirituum vitalium copia effunditur, vt semen ob id infœcundum supersit, euanescentibus spiritibus & calore. Formatiua itaque facultas quæ in semine viget concepto intra vterũ iam semine, tam est à summo rerum conditore erudita(licet cognitione careat)vt vniuersa ac necessaria in animalis conformatione nouerit,membrorumque vsus & formas ac facultates eadẽ certis temporibus,& partes etiam efformat,auget,exornat,& tandem ad debitum perducit statũ.Quæ profectò opera tãtæ sunt admirationis,dignitatis & excellentiæ,vt non naturæ,sed tantùm Dei Opt.Max.potentiæ & maiestati tanquã authoris naturæ iure ac meritò adscribenda sint.

Nõ ignoré in distinctè quodlibet membrum ex qualibet parte seminis, sed calidũ ex calida, & frigidũ ex frigida, iuxta dictã sigillationem seminis et sanguini illatam.

Quod agnoscens rex & propheta Dauid Psal.118. cœlesti numine plenus illud cecinisse visus est:Manus tuæ fecerunt me,& plasmauerunt me.Quod & sanctus Iob eisdem penè verbis est etiam testatus,corporis vniuersi plasmationem Deo authori tribuens.Gal.etiam ipse totus in Deum assurgit,& humani corporis fabricã admirabilem illi vt authori tribuit:illiusque in pangẽdo corpore,in cõnectendis

membris,in disponendisue potestatem,prouidentiam,sapientiam vbique admiratur.Sic & Arist.2.de gener.anim.cap.1. cælitus in nobis principium duci adstruxit. Quamobrem Deum benedictissimum tãti operis effectorem & architectum summa cum laude ac veneratione prædicabimus.

Primũ formationis tempus.

Cùm autem(vt ad institutum redeam)seminalia recrementa in vtero constiterint calfacta actuataq; calore vteri(quæ conceptũ appellare & circunscribere dixi mus)ambo hæc spiritu genitiuo vtroq; iam concreto calfiunt, & ex vtroque vnũ fit principium materiam sibi substernens,& efficaciam quoque continens. Quo etiam tempore,non secus quàm vbi semen conceptum humi calescendo putrescens ramos emisit sursum,rumpit se tandem quoque infra dimittens radices quibus cognatum acquirat alimentum,sibi expostulans trahensq; sanguinem ex venis vteri.Quo fit,vt concrescant spissenturq;,& ex calore flatuosus spiritus generetur:quo flatu commixtæ genituræ turgent atque intumescunt: minutissimæ in super bullæ spiritu repletæ assurgunt:ex quibus deinceps iunctis vna fit cauitas copiosam spiritus quantitatem cõprehendens.Qui sanè spiritus intro reclusus cùm calidus sit,& ob reclusionem calidior factus(refrigerationem quæritans ad sui custodiam)sibi in medio seminum partes scindendo peruium iter parat, vt expirato feruido,temperatus ad feruorem contemperandum eâdem via subingrediatur.

Ad tria nimirum corporis principia vt Auic. refert Fen. 21. 3.tract. 1. cap.2.

Quo spirituum ingressu egressuq; & vi spiritum potestate vitalem, animalem & naturalem ex animali vitali vt dictum est factum,ad proportionata loca formatiua facultate mouẽte,disiungi arbitramur. Cui sanè operi duo semina materiã præstant.Deinceps coactis iã partibus ijs,& in vtero insinuatis diuq; contẽtis & conueniẽte sanguine attracto,alito persimili,& mutato per totã seminis substãtiam in roris specimen veluti alimentum illi præstans,ipsum semen augmentum susceptat,vt sufficiat partibus efformandis:licet non desint, qui rationibus non parui momenti adstruant ex semine primam & omnimodam fieri fœtus delineationẽ: sed nullum est inconueniens aliquid etiam accedere alimenti quo vberiùs sufficiat materia:ac ne augmentum vltrà quàm par sit,suggeratur, ipsum sanè cooperit tunicisque euoluit,& externa parte terrena resiccescente,circum membranula perinde ac in decoquendo pane obducitur: præterquam quòd necessaria erat, vt fluidum incalescensque semen contineret,ac vt spiritũ genitiuum tueretur,adhærens vtero per cornua,& vteri aspredines. Quam etiam tunicam aliæ in generatione sequuntur:cæterum illa quæ prior formatur,est quam Galen.lib.1.de semi. cap.7.& lib.2.cap.1.&.4.intestinalẽ vocat:hæc quidẽ à Græcis, corion,à Latinis secundina dicitur,vtero tota adhærens atque suspẽsa ab hac priore membrana quæ necessaria erat:altera porrò innascitur mẽbrana venis & arterijs eius inter se coniunctis,& alias se latiores gignentibus sensimque dilatatis:ex quibus tenuis quædã altera mẽbrana cõflatur,quæ à Græcis alantoydes dicitur:hæc altera sui parte,qua dilatato primo vraco enasci incipit,scabra & aspera apparet,ab alio latere lenis admodum & subtilis existens.Tertia inde procreatur alantoydi ferè continua & ex porrecta tunica, quæ fœtum proximè continet & inuoluit,circa quam etiam embrio volutatur,quam amnion,vel auitium,aut sellam,& alijs pluribus nominibus appellant:cuius functio est humorem exsudatum à puero coaceruare vsque in diẽ partus.Ego tamen in hac re censeo non esse verisimile fœtum,qui neque alui excrementa,dum in vtero est emmittit,sudorem emittere, quem homines non nisi violento aliquo casu profundunt: sed arbitror esse pingue quoddam recrementum ad salutem infantis à natura excogitatum,ibidemque adseruatum. Apposui quidem

quidem hãc membranarum seriem,quia sic multis neothericorum visum est.Verùm ego clarioris doctrinæ gratia membranas sic distribuo.Vbi enim fœtus concrescere cœpit membrana vna tenui,quæ amnios(hoc est muscus: adhæret enim fœtui,vt muscus arbori)nominatur:inter quam & fœtum non sudor, sed pingue quoddam existit.Hanc circundat corion mẽbrana neruea crassa,dura valde,multis vasis ac vinculis intexta vtero,& exteriùs carnea substantia tota obducta,vt firmior esset:inter hanc autẽ & amnion vrina fœtus continetur.In qua sanè re quod magis mihi est experimento confirmatum,illud profectò est:nullam aliam in fœtibus humanis reperiri membranam:in cornigeris media est alia, vt Fallopius author est in anatomicis administrationibus. Quòd si præter has (vt multi faciunt) velis carneam placentulam,stratum quoddam suppositum vasis crassum, carneũ ac firmum supperaddere,non displicebit.Ego tamen arbitror carneam & crassam ante dictæ membranæ partem esse. Vasa verò quæ ex corio in vmbilicum feruntur,duo sunt quæ pulsant,& totidẽ quæ non pulsant,alternatim positæ:& aliquando vna sola reperitur magna quæ pulsat in medio duarum quietarum sita, & prope vmbilicum diuiditur:posteà verò vnum fit corpus ex his tribus quatuorue:meatus etiam vrinarius,qui è vesica fœtus fertur extra amniõ,in medio positus existit. Ac si quis dixerit plures alias tunicas Hippocrat. nominasse, intelligat carneam partem vnius tunicæ,& membranam ipsius bis recensuisse.Contingit tamen qui busdam in partu amnion non rumpi & puerum vestitum nasci:quo fit, vt vulgus existimet aliam prẽter dictam subesse tunicam.Sed vt eò vnde abijt,redeat oratio: in harum tunicarum medio dum generantur, constat, locum sanguini concreto persimilem apparere,quo spiritu intus deferente,& calore extrinsecus exsiccante, cordis bulla tumet vitali spiritu referta: deinceps verò, bullulæ geminæ superna parte pro cerebro vna:dextrorsum pro iecore altera extuberant:quæ nihilominus spiritu superna animali,naturali altera replentur. Quæ sanè vna cum ijs quæ in membrana illa continentur,quæ totum embrionem esse arbitror,enutrire,incrementumq; recipere necesse est:ob id per vuluæ acetabula cruentus succus resudans alueum subiens,membranam circumambit : quem simul cum refrigeranti spiritu per meatulum,quem genitiuus spiritus sibi efformauerat, intra panniculũ à genituris attrahitur,quo perfectè & ad integrum cocto, partes quas modò diximus,aluntur augenturq;, dixerim has tres præcipuas:nam reliquæ posteà fiunt & aluntur.Mox tribus ijs,quas nuper memorabimus bullis, tres prætenues admodũ obductæ membranæ,cuiq; vna,sexto septimoue à conceptu die procreatur, vt ex Hippocr.constat lib.de nat.pueri,qui in hunc modum scripsit.Qualis autem erat, ego referam,veluti si quis ouo crudo externam testam circum circa adimat,interna verò pellicula inclusus liquor pelluceat:modus quidẽ talis erat,& vt abundè dicam,ruber erat liquor & rotundus:in pellicula verò fibræ quædã albæ & crassæ videbantur cum cruore crasso & rubro obuolutæ,circũ autem pelliculam foris cruenta vestigia instar suggillatorum,iuxta medium verò tenue quidem inerat, quod mihi vmbilicus esse videbatur,& per illud sanè expirationem extrà & intrò facere apparebat.Quæ quidem omnia sex dierum spatio fabrefacta esse dixerat.licèt mihi non displiceat Auic.sententia Fen.21.3.tract.1.cap.2. qui tenet naturam minimè posse primum delineationis tempus sex Solis ortibus tantũ perficere, sed ad septem necessariò se extendere.Quod probatum etiam reperies lib. 1. in somnium Scipionis.cap.6.& apud Plin.lib.7.natu.hist.cap.5.& apud Arist.qui numeri septenarij dignitatem exponens,huic operi idoneum esse fatentur. Sed Hippocr. has

Simul fieri incipiũt ,et cor ac cerebrum vltimo et simul perficiuntur.

has lites dirimit lib.de natu.pueri dicens.Fiunt verò hæc è diebus pluribus aut pau cioribus. Quam diuersitatem suboriri arbitror ex maioribus vel minoribus facultatis formatiuæ viribus. His itaque diebus sortitur hæc substantia rudem quandã vitalium principiorum delineationem,idque non vt sors tulit & à casu vt Democriti est sententia,referente Arist.sed miro profectò naturæ ordine: nam cùm primùm fœtus planta sit,radicationem,hoc est iecur primò sortiri necessium erat. Verùm quia neque vita animalis viuere vllo modo poterat, quin præsto illi esset cordis beneficium per calorem:ob id,vel simul vel protinus obtinuit cor. Cæterum vt ex toto esset ab iniurijs genitura immunis,prouidit natura vltimò sensus principium,putà cerebrum tribuere & neruos obscura quadam & confusa delineatione non distinguere quidem & efformare,sed initiari tantummodo,quãtum sat esset ad genituræ nomen adipiscendum.

Nam vt constat apud medicos,iecur primò efformatur,& mox cor,tandem cerebrũ: sed hęc est formationis ratio & ordo,quòd à iecoris generatione,cor primò incipit esse,& mox cerebrum. Verùm hæc duo membra vni potentiæ animali necessaria sunt:ob idque sequitur,simul perfectionem consequutura:falsum enim est cor priùs quàm cerebrum formari,quia ociosa esset ipsius formatio,si ambo membra vnius potentiæ sunt instrumenta. Et cùm fœtus dum formatur & in vtero est, matris potiùs quàm proprio calore viuat,ob id non opus fuit cor primò viuere,sed prædicto ordine omnia generari. Et licet Hippocr.referat lib.de carnibus hæc septem diebus fieri,hoc tamen verum est,quia nutritionis principium eo loco intelligo vitam apellare:quippe hæc his diebus incipit:quo tempore anima seminis vegetatiua mediante formatiua virtute prædicta opera effingit,& fœtui educit vegetabilem animam de potentia materiæ,ex vi generantis sibi commissa:ac præcipuis membris efformatis,corruptoque iam semine,& mutato in eadem membra,sensitiua facultas quam eduxit de potentia materiæ, vegetatiuę opus inceptum,quoad nutritionem & augmentum perficit: manente virtute formatiua in membris præcipuis:saltem formaliter, vt Beatus Thomas optimè aduertit par.1.quæst.118.articu.1.ad 4.Caietanus eo loco. Quippe ad corruptionem seminis arbitror eius formatiuam corrumpi, saltem mutari in formatiuam alterius potentiæ vegetatiuæ quæ denuo educta fuit de potentia materiæ. Neque obstet contrarium protulisse Beatum Thomam q.de potentia,arti.9.ad 16.nam ea parte refert manere eãdem in specie, hîc verò corrumpi eo modo,quo dictum est,vt exponit Caietanus loco citato.

Secundum formationis tempus.

Mox verò à genituræ formatione, nouem aut quindecim vel intermediorum dierum spatio(iuxta maiorem aut minorem facultatis formatiuæ, vt dictum est, efficaciam)operante iam vegetatiua ipsius fœturæ,vt explicatum est,non seminis, quia iam corruptum est & in genituram mutatum,sanguineus succus in carnem conuertitur:nam id tempus conterit in carnificatione incipienda explendaq; sanguine prædicta genitura,quo incrementum susceptet:licet non perfectionem præ dictæ membrorum delineationes,quantum sufficiat, vt nomen fœtus ac dignitatem obtineat illud quod anteà genitura erat. In quo etiam tempore membra,colores & mollitiem,duritiemque adipiscuntur,quæ omnia circunscribunt secundũ formationis tempus.

Tertiũ formationis tempus.

Tertium porrò tempus sequitur, in quo tria illa primaque principia,iecur videlicet,cor & cerebrum exquisitè fiunt perceptibilia: reliquorum autem membrorum descriptio tantùm,vt in secundo tempore dictum est,aut delineatio apparet.

Tunc

Tunc verò euidentior est principiorum formatio:verũ enimuerò partium vẽtris obscurior longè his omnibus,brachiorum & crurum distinctio conspicitur: quod sanè tempus ramificationis appellauit Hippoc.

Quartum formationis tẽpus.

Quartum verò& postremum formationis tempus mox sequitur,quo non solũ inceriora membra delineata perfectè ac conspicuè sunt,sed tunc brachia distinctè absolutéque cernuntur clariora naturę opera. Quo tempore non ampliùs fœtum, sed infantem,id quod in vtero gestatur Hippocrat.appellauit:tunc enim & pedibus calcitrare,& veluti perfectum animal moueri incipit:cuius integram delineationem depingit dicens:Caro augescẽs absp ritu articulatur, & abit vnumquodque simile ad simile,densum ad densum,rarũ ad rarũ, humidũ ad humidũ,& vnũquodque ad propriam regionem abit iuxta cognationem ad id,à quo genitũ est. Et quæcunque(subdit)à densis genita sunt,densa sunt, & quæcunque ab humidis humida,& reliqua iuxta eandem rationem fiunt in incremento. Et ossa durescũt à calore conglutinata,& sanè ramificantur,velut arbor,& tum interna,tum externa corporis adhuc meliùs articulantur:ipsumque caput distantiam acquirit ab humeris,& brachia ac cubiti à lateribus,& crura inter se disparantur,& nerui exiliunt circum naturas articulorum,& os per se diducitur, & nasus, & aures eminent in carne,& perforantur,& oculi implentur humore puro, & pudendum cõspicuum fit. Quam sententiam ad vnguem transcribere placuit,vt quæ huic vsui commodissima mihi visa fuit. Sed supersedendum mihi est hac in parte à disputatione de primæua membrorum principalium generatione, quòd proprium hac in parte non obtineat locum,& ei sint satis quæ hucusque diximus. Ad institutum igitur rediens totum formationis tempus hac lege partiri oportet. Sex enim Soles spumificationi dicare authores constat,quatuor lineationi, octo lineationis repletioni, quatuor & decem carnificationi,terdecim efformationi quoque attribuunt. Quibus proculdubio quadraginta quinque dierum numeris constat:quem esse maiorem formationis terminum omnes ferè asseuerant:sicut minorem triginta dierũ vel triginta quinq; spatio constare:quoniam Soles sex spumificationis, duo lineationis, quatuor lineationis repletionis, nouem carnificationis, totidem formationis sunt, neque his pauciores esse possunt. Quod quidem computationis genus de maris generatione subaudiendum est:secus quidem res se habet de fœminæ conceptu & formatione: quippe quæ longioribus temporum impendijs absoluatur. Decem namque dierum spatium(licet non desint qui pauciotibus formari referant) vltra masculi spatia ad sui efformationem expostulant. Verùm cùm in lucem prodierit fœmina,ocyùs quàm mas accrescit,& ætate floret ac viget,demumq; senescit ob materiæ fluibilitatem & caloris inopiam,quod Hippocrat.dixerat lib.2. popu.part.3.text.29.dicens: Quod citiùs discretum & motum est,augeturrursus segniùs in longius tempus. Itaq; marẽ intra triginta quinque dierum spatium, & fœminã quadraginta quinque ad summum efformari & anima rationali informari certum est. Quo autem termino præfinito,vegetatiua incipiat operari omnino ignoro. Vnum hoc certò & citra vllam dubitationem scio,vegetatiuam & formatiuam potentiam seminis eo vsque durare,quousque semen corrumpatur,& in fœtus membra degeneret, vt anteà dictum est:tum enim vegetatiua ipsius fœtus opus excipit,& nutritione ac augmento & perfectione fœtũ distinguit. Quo tempore factis iam instrumentis & organis conspicuis, suspicor sententem animam educi de potentia materiæ:quæ vlteriùs fœtum perficit disponitq; ad præstantiorem formam, & fœtui sic efformato & constituto rationalem animam

adueni-

aduenire,quæ alijs formis corruptis earũ vires habet ac exequitur, quod monstrãt dictis terminis infantium motus 35.nimirum aut 45.vt dictum est.Quo tempore est arbitrandum animam rationalem introduci,vt quæ perfectissimam prærequirat organizationem,quam ante id tempus non potuit natura perficere,etiã si sensitiua fœtus anima præfuerit:nam ad eius introductionem non opus erat tanta organizatione,vt quæ imperfecta esset forma,& solùm se haberet velut via ad maiorem perfectionem.Quæ omnia si exactè expendisti, monstrabunt facilè qua prouidentia tè vti oporteat,vt quantum fieri possit cures fœminam vtero gerere:& pro defectu cuiusque eorum,quæ ad conceptum necessaria esse diximus,prudenti cõsilio prouidebis quæ ad supplementum opus esse cognoueris.

Ne videar aliquid eorum,quæ nonnulli ex authoribus proferunt huic operi vtilia,prætermisisse, licèt mihi non plurimum arrideant,meminero quorundã eorũ, quæ referunt proficere ad masculi vel fœminæ generationem:nam id quoque parentes plerunque desiderant.In qua quidem re nonnihil mihi priùs immorãdum est,nimirum quantum sat sit,vt constet, quæ sit potissima masculorum aut fœminarum ratio.Cuius rei non leuis est apud Aristot.lib.4.de gencra.anima.cap.1.disceptatio.Sunt enim,qui in seminibus hanc esse contrarietatem dicunt:semen nãque,quod à parte dextra excernitur marẽ gignere,si prævalet ei,quod à sinistra:& contrarium accidere,si fœmina gigni debet.Et ob id profecto qui masculos generare studeant,sinistrum testem ligant. Sunt & alij,qui masculos fieri asserũt ex prædominio seminis masculini,& fœminas ex prædominio seminis fœminei:itaq; pro exuperantis seminis victoria masculum aut fœminam generari referunt.Alij verò vniuersam huius rei rationem regerunt non solùm in seminis prædominium, sed in efficaciam quoque & prædominium partium,quibus mas & fœmina differũt. Galen.autem lib.de semi.huius rei causam esse censet seminis caliditatem aut frigiditatem:quippe existimat partes genitales viri à genitalibus fœminæ solùm loco differre,idque calore fieri,qui foras trudit genitalia viri,cuius defectu in fœminis intus recondita manent:& sic prævalente frigido temperamento fœminas,& prædominãte calido masculos fieri.Nec desunt qui arbitrẽtur id esse regerendũ in vterum ipsum,quod duobus modis posse accidere cẽsent:primo, ob vniuersam vteri temperiẽ,quæ si calida fuerit,masculos,si verò frigida,fœminas generare nata est: secundo verò(cuius opinionis creditur fuisse Hippocr.)ob situm vteri,in quem incumbit semen:iudicant enim in latere dextro vteri mares,& in sinistro fœminas fieri.Sed Arist.longè aliter proferre videtur loco nuper citato,causam huius rei ad actionem & passionem referens.Cum enim(inquit)principium non superat, neq; concoquere potest propter caloris inopiam,nec ducit in suam formã,sed tantisper superatur,mutari in cõtrarium necesse est:contrariũ autem mari fœmina est,nimirum,quo alterum mas,alterum fœmina est.Hæ sanè sunt antiquorum sententiæ, quas breuissimis rationibus refellere non erit abre,etiam si crediderim aliquid verum obtinere,vt inferiùs referam. Sic profectò ijs,qui ex testium diuersitate id referunt fieri,contradicit experimentum:namque nõ minus visi sunt qui dextro teste carent filios generare,quàm reliqui.

At qui,exuperante altero semine masculũ aut fœminam fieri pro exuperãtis natura referunt,tenentur asserere fœminam matri non solùm in sexu esse similẽ, sed in omnibus alijs,siquidem semen matris vincere dictum est:contrarium tamẽ frequenter reperitur,nimirum filiam patri esse similem,ergo alia est cõstituenda causa.Qui verò ob seminis partem veniẽtem à pudendis id fieri referunt,intelligant semen

semen non ab omnibus actualiter semen factum,sed à testibus tantùm & vasis spermaticis prouenire: vnde non militat eorum ratio. Galen. autem rectiùs sentit, tribuens vniuersam rei rationem calori: sed credendum non est differentiam sexus ex solo calore fieri:nam potissima differentiæ ratio non in situ solùm, sed in figura consistit,quæ propriùs quàm situs sexum distinguit.Præterquam quòd credere intus esse conditos vteros mulierum ob debilitatem caloris rationi consonum non est, cùm ex fœminis nonnullæ viris existunt calidiores: cur enim vesica & aliæ internæ partes in viris pariter ac pudenda non prominent. Pertinet igitur sexus differentia ad formatricem facultatem non ad calorem . At si conformatio præcipuam ostendit differentiam, constat conformationem longè fore diuersam. Sunt enim concauæ partes mulierum (& vtero abundant, quo viri carent) solidæ verò virorum:conformatio autem,in qua spectamus figuram, concauitatem,asperitatẽ & lenitatem partium,numerum, magnitudinem,situm & connexionem,formatricis facultatis,non caloris solùm sunt opera. Verùm qui ad vteri caliditatem referunt,siue in toto,siue in dextra sit,videntur recedere à principijs, quæ alioqui ipsi concedere tenentur,nempe id opus pertinere ad eandem potentiam, cui conformatio omnis fœtus incumbit:sed huiusmodi potentia adest in semine,ergo ad ipsum & non ad vterum pertinebit conformatio illa,quæ sexum distinguit. Præterquam, quòd non ita distincta est sinus dextri aut sinistri natura,vt tam longissima differentia disideant. Arist.verò demonstratio non omnino euidens est: nam cõformatio diuersa partium diuersi situs connexiones differentes fieri quidem non possunt,eo quòd materia resistat agenti,& se planè vinci non patiatur:requirũt etenim hæc omnia alicuius agentis vim, qua possit sibi assimilare & formare in suam naturam id,quod paritur.

Ego tamen, bona venia tantorum virorum , arbitror differentiam sexuum fieri potissimùm & maximè ob caliditatem , & coctionem perfectiorem aut deteriorem , simul cum efficacia formatiuæ potentiæ viri aut fœminæ, quæ cum semine it, vt inferiùs leges. Nam constat euidenter vtrumque semen pariter in se habere vim & efficaciam gignendi hominem: quoniam in semine est solùm potentia & facultas ad organizationem formæ hominis , cuius mas & fœmina æqualiter sunt participes: non est autem in semine potentia ad formam fœminæ potiùs quàm maris, quoniam mas & fœmina forma non differunt , sed solo sexu : in quo cognoscitur perfectio maior & minor iuxta maiorem aut minorem calorem ad opera perficienda:mas enim fœmina perfectior & calidior est, perfectione quam calor præstare potest,vt antea probatum est , & ob id à calidioribus & perfectioribus principijs debet gigni . Et cùm perfectio hæc non possit sumi à substantiali forma, necesse est vt sumatur ab accidentali forma, nempe à primis qualitatibus, quibus illa vtitur tanquam instrumentis ad naturæ opera efformanda: sic enim vir calidior vt plurimum existit: nam sunt interfœminas quæ multis viris calidiores existant : quas non arbitramur calidas extitisse post generationem, & ipsa genitalia habuisse viro frigidiora,& ob id nõ eua fisse virum,vt aliqui censent , sed quia id vetuit materiæ soliditas & densitas, licet tantum caloris obtinuerit,quantum viri : & hæc est quæstionis huius solutio. Ad pensum igitur rediens, fit sanè, vt natura, quæ eadem est in semine ob diuersa instrumenta,seruata eâdem forma totius,diuersum sexum efficiat. Itaq; semen calidius optimèque concoctũ mares gignit:quod verò frigidius est,& malè elaboratum vel gignere non valet,vel fœminam procreat.Quam equidem varietatẽ ostẽ

dunt,quæ in generatione accidunt: quippe ij qui frequenter coëunt,aut vesperi, aut vino & crapulæ sunt dediti, aut studijs animi incumbunt, aut seniores,vel iuniores existunt, tandem vtcunque sint affecti,vt probè semen non concoquãt,illi fœminas procreare solent,masculos verò,qui coctionem perficiunt. Quibus exactè pensatis,licèt antiquorum sententiæ quas refutauimus,omnino veræ non sint, nihilominus tamen non temerè creditur conferre semen, quod emittitur à teste dextro,vt qui calidior sit,& aptior ad perfectius semen efficiendum. Qua etiam ratione ad masculorum generationem coadiuuat aliquid menstrui sanguinis & veteri caliditas,maximè dextræ eius partis,vt Hippocra. docuisse diximus, & maximè lib.2.popul.p.6.tex.21.dicentẽ. Circa naturam plurimam vim habet mamma dextra,& oculus dexter,& qui infra sunt: nam & mares dextris partibus hærẽt: quæ omnia veluti concausæ sunt adiuuantes seminis vtriusque calorem,& optimam elaborationem,in quibus sitam esse arbitramur quodammodo masculorum generationem. Ob hanc igitur rationem dixit Galen.2.art.med. Temperatura verò testiculorum calida quidem ad venerem procliuis & masculorum generatrix & fœcũda. Ex quibus euidenter constat ad masculi generationem duo concurrere, locum nimirum in dextris,& fœminæ in sinistris: secundum verò vt semẽ calidum validiusque tam maris quàm fœminæ prædominetur: in vtroque enim parẽte calidum semen masculum est,& masculos gignit: imbecillum verò & frigidũ in vtroque fœminas, vt ex Hippocrat. constare videtur lib. de genitura. Quum ergo genitura sit calidior & siccior,quod ad spirituũ, qui format attinet,seu sanguis ille postmodum menstruus calidus sit (quod melius esset) siue frigidus,parum interest: nã pœonia mascula in frigida terra pœoniam masculam generabit,sed inualidam: & pari prorsus modo pœonia fœmina in calida terra fœminam. Quibus etiam causis tertia & potissima iudicio nostro addenda est,nimirum actus formatiuæ facultatis,quæ sicut reliqua membra matri similia efformare poterit,valebit etiam verum ipsum qui vtero matris similis sit. Sed id profecto maximè fit,& eo tempore poterit formatiua virtus seminis matris efformare, cũ videlicet reliquæ duæ causę simul accesserint, nimirũ seminis vtriusq; calor ad efformãdũ virũ & veteri calor intẽsior,& ad fœminę formationẽ remissior. Qua profectò via arbitror authorũ sententias subaudiẽdas esse cùm huius euẽtus causam in calorẽ regerũt, videlicet verũ esse quatenus causa instrumentalis est,non quidem efficiens,cùm id ad matris aut patris formatiuam sit referendum. Quamobrem nullam aliam viam ad masculorum generationem certiorem esse arbitror,quàm eam, quæ hanc euocat in semine conditionem. Cui vsui expedit,vt vir ex longissimis coëat interuallis, victu vtatur plurimo, & qui robur & calorem augere possit,& vino aromatico ac potenti vtatur,tandem ijs,quæ superiùs diximus impotentiæ prodesse. Cui rei fertur ex vsu esse cubare fœminam,dum viro accedit supra latus dextrum,vt deciso ibidem semine, aptius ad masculos generandos fiat. Fœmina item calidioribus vtatur cibis, & sit exercitijs dedita,non vtatur ijs quæ semen refrigerant,nam vtrunque semen calidum esse oportet. Verùm ad fœminæ generationẽ vir & fœmina temperatioribus, aut paulò temperato frigidioribus vtantur. At ne videar silentio celare quæ alicui prodesse possunt,referam quæ apud grauissimos authores de mercuriali herba ad masculorum vel fœminarum generationem legi. Hæc itaque plãta in marẽ ac fœminam distinguitur: hæc candidiora,illa nigriora habens folia. De quibus sanè mirum est,quod proditur,marem scilicet facere, vt mares gignantur, fœminam verò,vt fœminæ: sed id cõtingere,si à conceptu succus statim bibatur in passo, edan-

edanturq; folia ex oleo & sale decocta,vel cruda ex aceto. Sed verendum quidẽ est,ne fœturam proijciat vis harũ herbarũ purgatiua. Quamobrem placet magis Dioscor. sententia,qui licet in ea re astipulatur Plinio, nihilominus tamen consulit succum iam dictum bibendum esse à menstrua purgatione,& trita folia genitalibus adhibenda. Experientia addidit oportere altero à purgatione die dare mulieribus per triduum,& quarto die à balneo viris accedere. Quam sentẽtiam Hippo. anteà protulerat.

De signis cõceptus.

Quàm cautè & prudenter pronuntiandum sit fœminam concepisse, norunt omnes,qui ignoratione vel audacia decepti infamia periclitauerũt: quod turpissimum esse censeo: nam pronũtiato semel conceptu,quid vilius aut turpius accidere potuit, quàm mox aut menses profluere, aut flatu excreto ventrem subsidere, quod multis viris etiam doctis euenisse legimus,& experimento didicimus. Sunt etenim inchoati hominis notæ fallaciſsimæ,& quibus minùs credẽdum est, quòd omnes similes existant eis,quæ apparent menstruis deficientibus. Igitur si noscere libuerit,conceperit ne mulier,cuncta diligẽter obseruare oportet,in viro quidẽ si pudẽdo discedat à coitu nimis exsuccato: præsertim si suctionis sensum perceperit. In fœmina verò si nihil aut parũ seminis defluxerit,maximè si gratissimam cõsequuta sit delectationem: tandem deinceps ipsi accedit insolita pigritia, dolorq; inter vmbilicum & femora: item paruus quidem horror se se vtero colligente,& seminis nouitate alterato. Prætereà si fœmina à conceptu decimo Sole, aut matriùs vel seriùs ex superuacua materia tentatur capitis doloribus, & inquietudine infestatur: id etiam cognosces si caliginosa vertigine oculorum acies hebetetur, si pupillæ imminuantur,si candida particula amplior fiat, si flaccescat,si eiusdem venulæ cruore turgeant,si cauentur oculi,si palpebræ molliantur,& ob id eius aspectus grauior magis reddatur, si pannus rufæque lenticulæ earum facie deformẽt, si venæ inter oculorum angulos & nares sitæ conspicuæ magis appareant. Quippe ex oculis Hipp. id quoque rimari docet dicens: Mulierem grauidam si aliter non cognoscas,oculi tibi demonstrabunt: nam retracti & caui magis sunt, liuidiusque eorum album est. Item si sub lingua vena virescat, si ceruix calidior, tergus algidius,si colli venæ arteriæque extendantur,si pectoris venæ liuescant, nigrescãtve, aut alio colore fœdentur,si mammæ obdurescant,extuberent, prædoleant, & caput doleat,aut antiquæ capitis affectiones exacerbentur iuxta Hippo. decretum, lib.2.pop.par.3.tex.32.dicẽtis. Cibis & potionibus humeri ac mammæ inflãtur,& eorum quæ sunt in capite infirmitates,& inflationes incrementa recipiunt,si papillarum color in rubeum demutetur: si potus quiuis in mammas recto tramite frigiditasve vel calor sentiatur. Insuper si in cibis fastidium, si malacia apprehendat: quæ fit, vbi quicquam gustare improbè appetat, aut enormium appetitus varij assurgant, citoque commutentur: si cibi appetitus auferatur, si ventriculi redundantia succorum pariter atque cibariorum vomitiones acciderint,si acidè ructent,si dum biberit,languida fiat mulier, flaccescatque, si cordis pulsus perturbetur,si lætetur,tristeturve ocyssimè,si tormina aluũ vmbilicumq; præcipuè fatigent,si renum & coxendicum grauitas vexet,si venter, ilia potissimùm intumuerint,si inguina persentiscat contorqueanturq; ea parte,si coitum renuerit,vel si solito ardentiùs concupierit,si vteri os arctissimè cõniuerit,molleq; & naturale cum hoc extiterit, si mensibus per statas periodos priuetur, si etiam nunc dolores, tumores, extuberationesq; carnis in cruribus succrescant, si corpus vniuersum grauetur. Atque præter hæc omnia si pulsus protinus à principio vehemens &

magnus, procedente verò tempore paruus & velox perſtet. Ex vrina verò licet incertum in hac re præſtet iudicium, aliquando tamen certi aliquid elicere poſſumus, vt ſi ſubalbida ſit, clara nubiloſo rore ſupernatante, ac ſtellati lapidis colorem præ ſe ferente, maximè atomis ipſam variegantibus. Item ſi à conceptu primo menſe ima ſui parte candicantia corpuſcula, ad farinæ craſſioris ſpecimen ſub ſideant, quæ commota carminati fili effigiem repræſentat. Prætereà ſi accedente adhuc tempore flaua, deinde rubra, puniceaue, poſtremo atra nubecula parte ſuperna rubore ſuffuſa euadat: ſi quocunque tempore ſubſidentia tenuis, diſſecta, carminato goſſypio per quam ſimilis in ea ipſa cõgeratur. Idem quoque iudicium elicies Hippocrat. & aliorum virorum qui docti ſint, experimentis factis, nimirum ſi venter torqueatur ex mulſo epoto. Alia tamen quæ paſſim ab Hippocrat. ſcribuntur, breuitatis cauſa prætermitto, ſtudens maſculi fœminæve conceptus ſigna aliquot ſcribere.

Huic ſanè rei non parum conducit, nouella ne ſit fœmina, an ſeneſcens, vel ætate florens noſſe, quandoquidẽ hæ mares, illæ maxima ex parte fœmellas procreãt ob calorem vegetiorẽ aut magis deiectũ. Ventorum conſideratio huic rei plurimum quoq; conducit, ſiquidem Aquilonares ventos magis generare mares comperimus. Item ſcripſit Hipp. 5. apho. 40. Mulier ſi marem concepit, benè colorata eſt, ſi fœminam, malè colorata. Libro etiam de ſteril. inquit. Quæcunq; in vtero habentes, maculam habent ſolarẽ in facie, fœmellam geſtant: quæcunq; verò benè coloratæ permanent, maſculum plerunq;: item ſi papillæ ſurſum conuerſæ fuerint, maſculum geſtãt. Idem iudicium præſtat ſi lac contempleris ſuper folia emunctũ, nam ſi condenſatur, maſculum geſtat, ſin autem diffunditur, fœmellam. Prætereà, ſi paſtillos formaueris cum farina ex eodem lacte, ac lento igne cõmiſcueris, ſi fundatur paſtillus, fœmellæ eſt ſignum, ſin aliter maſculi. Id quoque monſtrat tum or in dextra ventris parte, & ſenſus motus ab eâdem, ſicut in ſiniſtra fœminã. Sic ex Auic. mente. 21. 3. tract. 2. cap. 13. pulſus dexter ex maſculo maior: ac ſi fœmina aſſurgit, manum primò porrigit dextrã, pedemq; dextrũ præponit: mamma item dextra maior & durior, oculus quoque dexter maior: contrà autẽ in fœminis. Hæc etenim ſcripta ſunt, ne quid huic tractationi deeſſe videatur: quæ cautè & non niſi ſub dubio pronuntiare tenetur peritus & cordatus medicus, aut maxima diligentia omnia intueri, ne riſum aliquando temeraria pronuntiatione moueat.

De ſuperfœtatione. Dictum proculdubio hucuſque eſt, quanam ratione infans in vtero generetur, mirabile quidem opus. Verùm non minùs admiratione dignum eſt, vtero clauſo exiſtente, formatoque iam fœtu, alterum poſſe denuò generari: quod opus ſuperfœtationem medici appellant. Quippe vtero gerentes ſuperfœtare neque fabuloſum neque nouum eſt: quoniam omniũ maximè animaliũ mulier & equa grauidæ intus initum nouere. Cætera (vtpote quorum natura, more leporis, ſuperfœtare recuſet) vbi grauida extiterint, mares contemnunt. At mulierem ſuperfœtare certum & euidens eſt. Sed ſuperfœtationem eſſe in duplici differentia euidenter conſtat: alteram quidem impropriè, quando plures fœtus vno concubitu generantur, quos gemellos vulgari nomine appellant: alterã quidẽ cùm vno conceptu iam facto, ſecũdus proximè ſequutus, denuò nouã domũ ſibi parat. Nec deſunt qui tertiũ & fortaſſe plures admittant: quibus accidit alia differentia ex tẽpore noui conceptus deſumpta: nam ſunt qui longioribus tẽporum impẽdijs, poſt cõcepti ſunt, nihil quicquam proficere valentes: ſed dolorem, quo & ipſi & primus partus intereat præmaturiùs concinant. At verò ſi à primo conceptu ſecundus proximè ſequutus ſit, paululumque temporis inter eos interceſſerit, quod ſuperfœtarit, abſolui edique poteſt. Sunt & fœminæ quæ tertium ſuperfœtarũt: verùm dum iuſtũ pariendi tempus inſtaret, primos vitales edidit: ſecundum, qui obiter diem ſuum obierat, menſe quinto eliſit. Altera rurſus inuenta eſt fœmina, quæ cùm primum vitalem menſe ſeptimo peperiſſet, mox geminos iuſto menſium numero vitæ compotes enixa eſt. Neque deſunt quæ octauo mẽſe concubuerint, & partus mucore plenos ediderint. Sed in hac re illud ſummoperè difficillimum videtur, nimirũ, ſi cotylidones & vaſa omnia primi fœtus corio & inuolucro ita adhærent, vt ob id menſtrui ſanguinis nihil profluere poſſit, ac ſi profluat, quia vincula & vaſa dirupta eſſe monſtrant, aborſus periculum præſagiunt, quũ fieri poteſt, quòd denuò fœtura fiat: ſi nec ſunt vaſa, quibus nouũ corium generari poſſit, nec per quæ alimentum nouo fœtui natura præſtet. Cui dubitationi reſpondendum eſt, id perpetuò ſagaciſſimam naturam cauere, ne omnia vaſa in vnius fœtus nutritione diſpendat, ſed aliqua vel ad menſium purgationem, ſi fortè redundauerit ſanguis, ne fœtura abundantia ſuffocetur, adſeruat, vt in quibuſdam fœminis vtero gerentibus & menſtruis adhuc fluentibus experimento comperimus: vel ad nouos conceptus alẽdos, ſi fortè fœmina cõcubat, & ſeminis aliquid vterus ſuſcipiat. Ex quo per prædicta vaſa, quæ vacua huic vſui & otioſa melioris gratia reliquit natura, nouum artificium prædicto ſimile, ſuperfœtationẽ videlicet vnam aut plures fabrefacit natura non rarò.

De monſtroſo conceptu. Cap. VII.

CVm fœminis haud rarò accidiſſe conſtet monſtroſos peperiſſe fœtus (quoddam profectò miſeriæ genus) ob id qualem affectum in huiuſmodi opere natura patiatur expendendum eſt, vt quantum fieri poſſit adiuta naturales conceptus & partus ac parentibus ſimiles efformet. Monſtri igitur conceptum ſemper eſſe præter naturæ inſtitutum & rationem euidenter conſtat: ob id iure optimo quid naturale, quidue præter naturam inſit conceptibus conſiderandum eſt. Conſtat quippe dictum eſſe Ariſtotel. 2. phyſicor. naturam eſſe materiam vel formam, hanc que vocandam eſſe magis naturam: & rurſus ſubdit, illa habere naturam quæ huiuſmodi habent principium: & ea etiam ſecundùm naturã eſſe & appellari, quæcunque his inſunt ſecundùm ſe. Hoc enim (inquit) natura non eſt, neque naturam habet. Ex quibus ſumpto principio ſic formo rationem. Si natura eſt forma & materia, ſequitur illa maximè eſſe ſecundùm naturam, quæ ab vtroque principio ſibi ratione ſuæ ſpeciei neceſſariò, prouenium. Mox ab his ſecundùm ordinem conſtituunt, quæ ſolùm ab vna ſuæ ſpeciei natura fiunt: & quoniam forma eſt magis natura quàm materia, ideò in quibus forma ſuæ ſpeciei ſeruatur, & formæ vis, illa magis ſecundùm naturam exiſtere cenſemus, quàm alia, in quibus forma vel penitus eſt deperdita, vel obſcurè operatur, propria tamen materia remanet. Ea verò, in quibus neque forma neque materia ſuæ ſpeciei ſeruatur, nullo pacto profectò ſecundùm naturam vocari poſſunt. Atque vt illa prima, in quibus formæ & materiæ ratio adſeruatur, planè ſecundùm naturam ſunt: ita hæc poſtrema toto genere eſſe præter naturam certum eſt: media verò inter hæc extrema non facilè

conſtat,an prorſus ſint ſecundùm,vel præter naturam.Ex quibus patet,bruta & eo rum partes in humanis conceptibus optimè eſſe & appellari præter naturam: at lapidis in veſica vel renibus, ac lumbricorum generatio toto genere eſſe præter naturam dubitauit nemo,id etiam Gal.aſſerente.Verùm monſtra,vt ex Ariſt.conſtat.4.de Gener.anim.cap.4.præter naturam quoque ſunt,ſed partim quodammo do ſecundùm naturam:nam in illis eadem met materia adſeruari ſolet, naturalis tamen forma mutari,velut in vteri mola à medicis appellata, euidenter monſtratur.Cum hoc tamen in rigore philoſophico illud etiam quod habet aliquid ſecun dùm naturam,monſtroſum,& præter naturam appellamus,ſiquidem degenerare conſtat à generantis natura.Cæterùm monſtra ea propriè erunt,quæ contra natu ram fiunt:neque ſolùm monſtra ea dici merentur,quæ diuerſorum animaliũ ſpe ciem ex parte aut ex toto referunt, ſed ea etiam quæ forma prodeunt multimembri,multis nimirum pedibus aut capitibus,vt ex Ariſt.euidenter cõſtat lib.4.de gener.anim.cap.3.Itaque rationes monſtrorum & oblæſorum animalium propriæ & ſimiles inter ſe quodammodo ſunt:monſtrum enim eſſe,oblæſio quædam eſt: deeſſe etiam fœtui quicquam aut ſupereſſe,monſtroſum eſt.Veruntamen mõſtri rationem tradit idem author lib.eodem cap.4.dicẽs: Cùm ita ſeminis genitalis & naturæ in efformando fœtu motus ſoluuntur & inordinantur,& eo vſque procedendo à ſemetipſo degenerent,vt demum ne homo quidem,ſed animal tantùm aliquod exiſtat,huiſmodi quæ gignuntur,monſtra appellari meritò ſolent.Neque enim quod genitum eſt, generanti vſpiam ſimile euadit,ſed extraneum maximè & alienum,& quæ ſupereſt materia à ſemine & vi formatiua non ſuperatur,homo quidem ex homine eò non naſcetur,ſed tãtùm animal,quòd vniuerſale ſeruetur in generatione,pereat autem quod ſingulare & indiuiduum eſt.

De monſtri ſeu prodigioſi conceptus diſſentijs.

Sunt proculdubiò tam prodigioſi conceptus,tantaque in his varietate natura ludit,vt difficulter poſsis eos numerare: nam primò ferunt, non ſoùm geminos, ternoſue,ſed numeroſa ſobole poſſe vna fœtura fieri conceptus:qui licèt forma & natura totali genitoribus exiſtant ſimiles,numero tamẽ & naturæ ordine ac inſtituto diſſident.Item alios producit natura, quibus gemina habere genitalia conceſsit,hermaphroditos appellant,olim androgynos vocatos: ſexus vtriuſque inter ſe vicibus coëuntibus:nam mammam dextram viri, in mulieris dextra generari multis eſt compertum. Item duplici genitali nonnulli viſi ſunt:ſic & frequentiùs ſuperuacaneis partibus præditos pleroſq; vidimus. Hinc nonnullos geminato capite,cruribuſque geminatis corpore ferè toto geminato eſſe,nec fabuloſum eſt:ſiquidem ſemel duos tergoribus iunctos,imò potiùs tergore vno pro duobus corporibus fuiſſe perfungentes,traditum eſt. Qui etiam nunc viginti annorum tractu moribus plurimùm differentes vixerunt:quorum alter cùm mortem obiret, alter tandiu ſuperſtes fuit,doneciam emortui germani corruptione, putrilagineue ac graueolentia diſceſſerit. Prætereà aliquãdo euenit partem aliquam alijs eſſe iuſto maiorem & deformiorem,vt digitus,aut manus,aut caput:vel plures quàm par ſit euadant:& rurſus vel minores,vel pauciores,quàm hominis naturæ conueniant: atque ita in his naturam ludere cõſpicimus,& varietate luxuriari,vt ad deformiores alios conceptus ſeſe quoque veluti delirans irruat. Nam ferunt in caſtro diui Amandi alliferi in ſolo Borbonico, ex iuuencula quadam natum puerum ab vmbilico ſuprà hominis figuram referentem,infrà verò Syrenæ modo in pedem vnicum deſinebat. Item fertur fœminam ſine brachijs natam,quæ pedibus ad nendum & ſuendum loco manuum vtebatur.Refert quoq, Plin.lib. 6.c.30.in Orientis

tis parte intima gentes eſſe ſine naribus:alias ſuperiori labro orbatas,ac nonnullas ſine linguis.Quidam & Pigmæorum gentes prodiderũt ante paludes, ex quibus Nilus oritur Nomades cynocephalorum lacte viuentes.Verùm ex integro naturæ errore horrenda interdum videre eſt animalium figmenta.Puerum enim ortũ capite arietis,& alium capite bouis accepit Ariſt.& ouem bouis capite natam.Alcipem etiam fœminam elephantum peperiſſe fertur.Ancillæ item cuiuſdam quæ ſerpentem peperit indubitatũ exemplum eſt, quale in Vmbria extitiſſe Lucanus elegantet præcinit.Matrem,quam ſuus conterruit infans,fertur repertã eſſe.Hippocentaurum quoque in Theſſalia è muliere natum Claudius Cęſar non dubitauit.Dimitto quidem plura alia exempla,ne alicui tædio eſſe poſsim, & vt ad horũ omnium differentias deueniam.

Ex ijs quæ diximus conſtat quinque reperiri monſtrorum genera: primũ,quod videtur quodammodo ſecundùm naturam exiſtere,comprehendens omnes nationes quæ defectu aliquo inſigniuntur.Ferunt etenim quoſdam vnico in media fronte oculo inſignes eſſe:alios in humeris oculos habere, quippe quibus ceruix minimè ſit:item alios in montis Amiai conualle ſilueſtres ponè crura plantis auerſis:alios quoque ſine ore,corpore vniuerſo hirſutos,halitu & ſpiramentis naſo tractis viuentes.Sic Sciapodes reperiuntur,hoc eſt,qui ſe vmbra pedibus facta tegũt. Alios geminas in ſingulis oculis pupillas habentes,viſu quos irati intuentur interimentes:alioſque eiuſdem naturæ complures,quos monſtroſa à communi hominum generis figura eſſe formatos dubitauit nullus. Secundũ genus monſtrorum ex his eſt,quorum corpora magnitudine aut paruitate à natiua hominum cõmoderatione deficiunt,vt pumiliones,vel gigantes.Tertium verò ea continet corpora,quibus aliquod membrum deeſt, vel ſuperabundat : quod ſanè complectitur hermaphroditos, vel ea corpora quæ plures digitos manuum vel pedum, aut plura brachia, vel crura, aut capita habent,vel ex neceſſarijs defecta exiſtunt.Quartum quidem ea monſtra complectitur, quæ partim humano corpore fruuntur, aliqua tamen particula aut pluribus bruti alicuius ſpeciem refert. Quintum autem & vltimum eorum eſt corporum,quæ bruti alicuius animalis ex toto, vel plurium mixtim ſpeciem ac figuram repræſentant, quorum omnium cauſas iam audies.

De monſtruorum cauſis.

Ad veram cauſarum monſtri indagationem priùs operæpretium duxi docere vniuerſam rationem monſtri pendere ex defectu ſimilitudinis natorum ad parentes,quam à forma & à materia proficiſci ex Ariſt.mente anteà retulimus. Verùm circa primam naturæ partem,vt conſtat ex beato Tho.1.p.q.4.art.3.cùm ſimilitudo attendatur ſecundùm conuenientiam,vel communicationem in forma, multiplex ſubinde erit ſimilitudo,ſecundùm multos modos communicãdi in forma. Quædam enim dicuntur ſimilia quæ communicant in eâdem forma ſecundùm eandem rationem & ſecundùm eundem modum,& hæc non ſolùm dicuntur ſimilia,ſed æqualia in ſimilitudine,ſicut duo æqualiter alba.Alio modo dicuntur ſimilia,quæ communicant in eâdem forma ſecundùm eandem rationem , & non ſecundùm eundem modum,ſed ſecundùm magis & minùs,vt magis album & minùs album.Tertio modo dicuntur ſimilia ea quæ communicant in eâdem forma, ſed non ſecundùm eandem rationem,vt patet in agentibus non vniuocis. Cùm enim omne agens agat ſibi ſimile in quantum eſt agẽs,agit autem vnumquodq; ſecundùm ſuam formam:neceſſe eſt,quòd in effectu ſit ſimilitudo formæ agentis.Si ergo agens ſit contẽtum in eâdem ſpecie cũ ſuo effectu,erit ſimilitudo inter

faciens & factum in forma secũdùm eandem rationẽ speciei. Si autem agens non sit contentum in eâdem specie, erit similitudo, sed non secundùm eandem rationem speciei, velut ea quæ generantur virtute Solis, accedũt quidem ad aliquam similitudinem Solis, non tamen vt respiciant formam Solis, nisi secũdùm similitudinem generis, & non speciei. Præterea dum agens est contentum in eâdem specie cum suo genito, tres similitudinis natorum ad parentes species apud peritiores scriptas reperio. Prima quidem est in specie: secunda in sexu: tertia verò & vltima in proprietatibus indiuidualibus.

Sed antequam vltrà progrediar, dubitandi ratio se se offert circa similitudinem in specie, qua homo hominem generare nititur, videlicet quanam ratione formatiua facultas, cùm de genere sit naturalis potentiæ, disponere possit materiam sibi subiectam ad suscipiendam sensitiuam formam, cùm agens nullum vltra suã perfectionem agere quicquam possit: eò maximè cùm eiusdem sortis instrumẽta obtineat, temperamentum nimirum, calorem, & spiritum. Quo fit profectò, vt difficile videatur eandem posse his instrumentis organicum cõstituere corpus: cui si accedat secunda dubitatio de similitudine in particularibus cõditionibus, difficilius reddet dubium. Sed huius rei gratia in memoriam reuocare oportet illud Arist. 2. de ani. cap. 1. nempe, ipsam esse actum corporis physici organici. Quo fit, vt potentia inferior aliquam teneatur organizationem instituere & parare iuxta naturam formæ introducendæ: cuius naturã sapiunt potentiæ omnes, quæ cùm instrumenta sint agentis principalis, ab illo mouentur ad actiones & fines sibi necessarios: ob id profectò naturales potentiæ id habent mutuatum à forma superiore perficiente inferiorum actiones, & ideò videntur aliquo modo vltra sui naturã agere: haud secus quàm rude instrumẽtum in peritissimi artificis manibus. Quamobrem in huiusmodi actionibus talis in genitura pullulat delineatio & figura, qualis fuerit conditio & natura agentis principalioris, à quo mouetur: & ob id mirum non est, vegetabilem potẽtiam corpus organicum effingere adiuta & ducta altioris potentiæ vi & efficacia: quam sanè efficaciam inceptam ac receptam in semine, perficit & adiuuat fœminarũ vterus, cui etiam efficaciam aliquam authores non cõtemnendi præbent: item & semen eiusdem cui etiam assistit fœminæ vis, nam perdifficile esset credere solam illam vim à generante transmissam semini virili posse fœtum formare, ni concurrisset vteri & seminis fœminei vis. Ex quo quidem difficile videri non debet, primam similitudinis differentiam, quam in specie sitã esse diximus, proficisci ex facultatibus inferioribus corporis organica harmonia disponentibus ad introductionem formæ rationalis, quę speciem & substantiam rei genitæ cõstituit, similem quidem parẽtibus in specie, licet parentes hãc formam non præstiterint, sed dispositum corpus, hoc est, semen formatiua facultate donatum, quæ posteà in vtero organizationi incumbit.

Difficiliorem autem dubitationem constituit similitudo quæ sita est in indiuidualibus conditionibus, & cuiusque rei proprietatibus. Quam sanè similitudinẽ sitam esse in facultate quoque formatiua indiuiduali, non quidem specifica, vt in prima similitudine, suspicamur. Ad cuius dubij intellectum expendisse oporter, ad cunctarum rerum generationem, vt authores non contemnendi arbitrantur, huius facultatis seminaria plurima expandi per continentem aërem à cælo gignentia plantas & animalcula quædam: tamen hæc manẽt actus non contractus ad naturam indiuidui per signatam materiam: ob idque non adseruat indiuidualem similitudinem: & cùm non fit per proprietates propriæ materiæ coërcitus, producit semper

semper sibi simile in specie, non tamen sibi simile in indiuiduo. Verùm informatrix animatorum in semine facultas, cùm sit per signatam materiam contracta, ab illa recipit, vt producat speciem similem, respondentem tamen certis etiam definitisq; affectibus eius indiuidui, vnde decisa est. Cùm enim formatrix sit vis corporea residua in parentum membris, & sui similitudinem in semen inducat, quia facultates has potiùs ex subiecto & materia, cui inhærent, diuersas esse credendum est, quàm ex propria natura, siquidem potentiæ per materiam indiuiduãtur, ob id hanc peculiarem similitudinem non à facultatis formatiuæ diuersa ratione solũ (licet eam conseiam eius similitudinis esse oporteat) sed ad materiam seu instrumentum etiam quo vtitur & cui veluti subiecto alligatur, referendam esse proculdubiò arbitror. Subiectum autem, cui formatiua hæc facultas inest, tantùm esse censeo spiritus & temperamentum illius seminalis substantiæ cui inhæret, vt semen illud in aliud transmissum simile ei à quo decidit, generare possit.

Sed explicare nunc incumbit, quas habeant temperamentum, spiritus & semẽ conditiones, quasue vires, vt tam grande possit eis vtens formatiua vis effingere opus, quale est non solùm organizationẽ absolutè efformare, sed cum hoc ad materias has se se contrahere ac determinari ad indiuiduales conditiones. Quas proculdubiò existimamus sortiri ex parentum corporibus: quippe cùm hæc potentia naturale sit agens (nõ quidem absolutum, sed ad indiuidualem quandam proprietatem reductum) & agens omne, omnisq; potentia sibi simile producat, quòd studeat semper passum sibi assimilare: sequitur easdem indiuiduales conditiones suscepturum semen, & eisdem pollere factum iam in vtero genituram. Quas sanè vires exerit calore seu temperamento & spiritu: quibus sanguis menstruus facilè accersitur ex innata dispositione, ac deinceps figillatione, quam ex principaliũ membrorum temperie genitura principium sortitur. Expendendum tamen est, vt clariòr euadat huiusmodi doctrina, quanam ratione eas vires parentum temperies semini præstare possint. Temperamentum quidem, vel nullo dubitante, omnium humani corporis actionum immediatum esse instrumentum euidenter constat. Præterea temperamentum duplex existit: commune seu totale vnum: & peculiare cuique parti proprium aliud: hoc quidem veluti cuiusque partis forma illi inhærens: illud verò ex omnibus particularibus constans, hominemq; taliter vel taliter temperatum denominans, continens virtualiter omnium particularium temperamentorum aliarum corporis partium vim & rationem. Insuper, licèt temperamentum non sit præcipuum agens in hominis formatione, augmento & nutritione, est tamen proportionatum instrumẽtum huic actioni: & quemadmodum in virtute causæ continentur effectus causæ principalis, ita in virtute instrumenti immediati, præsertim determinati ad illam actionem, continentur quoque effectus. Si quidem in artificialibus & naturalibus etiam vnumquodq; instrumẽtum peculiari cuidã actioni dicatur, velut serra, aut malleus, aut pinicillus. Sed probare nunc interest, temperamentum virtualiter continere omnium partium organizationem, vt dum in actum dirigitur in semine, eam & patri similem efformet. Cùm dictum sit duplex esse temperamentum, partiale nempe & totale, constat temperamentum partis cuiusq; esse illud, quod taliter partis cui inest, naturã constituit & substantiam, quòd alteri parti inutile esset, contrarium, aut diuersum: in quo sanè temperamento tota partis natura & conditio ac proprietas sita est, non solũ ea ratione, qua similaris, verùm etiã quatenus organica est: quia tẽperamẽtum

& sim-

& simplicibus & organicis proficuum exiſtit inſtrumentum: illis quidem tãquam proprium, organicis verò tanquam commune. Ex quibus conſtat ventriculum, iecur, cor, caput & cætera totius corporis membra ſuum ſortiri peculiare temperamentum, quod ſanè ſi alteri particulæ præſtes, non ob id profecto officium eius, quæ id recipit, eo temperamento optimè fiet: ſed ſingulis actionibus corporis ſingula quoque ſunt temperamenta, actionibus illius partis proficua, & formæ eiuſdem immediata. Ob id cùm totale illud temperamentum virtualiter contineat reliqua omnia, ſic ſemen fit (ad cuius materiam ea humorũ pars quæ totali hoc temperamento fruitur, ſeparatur & ad teſtes defertur, vt ſemen fiat) vniuerſali quoque temperamento præditum, velut corpus à quo decidit. Quod ſemẽ cùm deinceps præſtaturum ſit in generatione materiam, facilè in ſimiles partes eis à quibus decidit, commigrat: quia facultas formatiua, qua fœtus producitur, hoc temperamento communi vtitur tanquam inſtrumento, quòd cùm in ſe contineat proprietates & indiuiduales conditiones omnium partium, à quarum temperamento ſigillatum confluxit (ſi quidem poſtquam illarum conditiones indiuiduales & proprietates illas recepit, retinet quidem & ad actum reducit ſuſcepto in vtero ſemine) fit facilè, vt fœtum efformatum parentibus ſimilem effingat formatiua facultas. Ex quibus conſtat qualiter temperamentum præſtet ad ſimilitudinem efficiendam.

Intereſt modò docere qua nam ratione ſeminis & ſanguinis materia huic quoque ſimilitudini principium præſtare poſsit: quod ex eo probandum eſt, quòd ſanguis vel menſtruus, vel ex quo ſemen fit, vt ex B. Thom. conſtat, ſigillationẽ quandam in iecore ſuſceptat, tãquam ab opifice commodum & naturam particulariũ membrorum reſpiciente. Quam ſanè rem paulò diligentiùs comprehẽdiſſe oportet: docet enim part. 1. q. 119. art. 2. conſtare in natura animalium verum eſſe, virtutem reperiri cõmunicatiuam ſui in materia indiuiduo proprio: ex quo ſequitur alimentum quod in principio eſt diſsimile & in fine omnino ſimile, in medio eſſe in potẽtia proxima ad finem, ſcilicet formam determinatam membrorum. Quod ſi aliter eſſet, forma non eſſet communicabilis. Præter quã quod naturæ ordo habet vt gradatim procedat de potentia ad actum. Sic igitur alimẽtum ipſum primò accipit quandam virtutem communem reſpectu omnium partium corporis, quæ ſanè in fine determinatur ad hanc partem vel ad illam: quod etiam de ſpiritibus qui ad teſtes deſcendunt, ſubaudiẽdum puto: nam in materia quæ ex hoc ſanguine & ſpiritibus in teſticulis conficitur, virtus quædam eſt deriuata ab anima generantis ad productionem totius corporis. In qua ſanè re expendendum eſt, virtutẽ hanc formatiuam in principo generationis imprimi in membris præcipuis à ſemine ex quo fit fœtus. Apparet tamẽ euidentiùs toto vitæ diſcurſu, in teſtibus, qui ob id dicuntur membrum principale, quòd ſemini præſtent formatiuam vim. Sed licet dictum ſit, virtutem formatiuam imprimi in principio generationis in mẽbris præcipuis, à ſemine ex quo fit fœtus: difficile tamen & dubium mihi videtur, cùm neceſſum ſit ſemen ipſum corrumpi, vt fiant ex eo membra principalia, ac ex conſequenti abire formam illam vegetabilem, & materiam induere nouam formam vegetabilem: quo fit, vt verius mihi videatur facultatẽ formatiuã quæ pars eſt & potentia illius vegetabilis animæ quæ introducitur in materia ſeminali, dum in membra præcipua commigrat, vigere & reſidere magis in membris præcipuis: & hoc ſenſu licet intelligere Auicc. qui tenet manere vim formatiuam in præcipuis mẽbris, hoc eſt mẽbra principalia, & maximè teſtes eſſe ſedes formatiuæ potẽtiæ: cui

cui munus eſt materiã ſignare ad ſibi ſimile generãdum, & inchoationem ad illã potentiam formatiuam ſuſcipiendam præſtare, quo faciliùs teſtes eam educant de potentia materiæ, tribuantq; ſemini ſpiritum illum formatorem, quem omnes ferè arbitrantur ſolùm eſſe formationis authorem. Sed videdum eſt an ſit proximũ & immediatum inſtrumentum. Quod ſi velis præter id quod teſtes ipſum, vt ſic loquar, implantant in ſeminis materiam ipſoſque formãdi vim præſtare, non erit abre. Quo conſtat ab eiſdem membris tranſmiſſam ſubſtantiam (ſiue ſanguis ſit, ſiue ſpiritus) in totius vitæ diſcurſu, ſecum ferre eandem vim formatiuam in potentia remota, impreſſam prædictis ſubſtantijs à membris his, virtute animæ corpus informantis, ita vt neceſſum ſit, quantum rei natura patitur, ſimilem fieri fœtum genitoribus, quia in materijs ex quibus genitura fit, adeſt virtus omnium partium, & rurſus potentia formatiua, à prædictis membris communicata, quæ neceſsariò fœtum formabit iuxta ſui naturam & conditionem: hoc tamẽ intelliges per diſpoſitionem aptiſsimam ad formatiuam vim ſuſcipiendam à teſtibus, quam diſpoſitionem intelligo & membrorum ſimulacrum, & aptitudinem ad prædictam formam ſuſcipiendã, quam non haberent niſi beneficio virtutis prædictæ in membris reſiduæ. Cuius rei probatio hæc eſt, iecur non generat ſanguinem in genere & citra aliquem reſpectum, ſed ipſum perficit ad id indiuiduum habito reſpectu, cuius nutritionem intendit: quamobrem tenetur non vtcunque ſanguinem generare, ſed certum & determinatum pro hominis ipſius peculiari natura & cõditione. Prætereà non ſat eſt ſanguinem ſic in confuſo genuiſſe, ſed eis conditionibus præditum, quibus poſsit ſingulis particulis reſpondere, eaſq; reficere & alere: ſiquidem non quæuis ſanguinis pars quãuis particulam nata eſt alere, ſed determinata ſanguinis natura & conditio determinatam quoque particulã adit & alit. Quod etiam probari vlteriùs poteſt ex iecoris officio & præſtantia: quippe id generare ſibi ſoli ſanguinem non eſt credendum, ſed pro reliquo corpore, quòd hac ratione membrum princeps ſit appellatum. Quapropter non vtcunque & indeterminatè, ſed iuxta naturam corporis alendi, id perficit, in quo opere impreſsionem & ſigillationem quandam ſanguini præſtat, vt eis partibus ex vſu ſit, quas alendas ſibi natura tradidit. Ex quibus iam conſtare arbitror, ſemen & ſanguinem menſtruum naturam & vim à conficiente iecore ſuſcipere, qua parentum particulis cor reſpondere teneantur, ſi illis futurum erant alimentum: ſi quidem alitionem ex ſimilibus fieri erat neceſſum. Eam autem ſimilitudinem, quam cum membris alendis obtinet, ſeruat ſanguis menſtruus & qui ſemen fit, vt poſteà in vtero ex hac materia facile ſit, reliquis conſentientibus, in membra ſimilia eis, quæ in corpore parentum alere tenebantur, commutari & commeare virtute formatricis potentiæ operantis, quam indiuiduari per hanc materiam anteà diximus. Et hanc arbitror eſſe materiæ ſigillationem, quam in ſanguine fieri Beatus Thom. profert.

Similitudini quoque conſequendæ innititur ſpiritus quidam genitiuus ſeu calor, cui formatiua facultas etiam inhæret potentia eo modo quo expoſitũ eſt. Cuius ſanè ſpiritus magna copia cum ſanguine defertur, continens ferè formalem ſeminis, quatenus genitale eſt, rationem. Nam ob id teſtibus tribuit natura arterias, neruos & venas, vt poſsit omnis ſpiritus ſuppeditare vberẽ copiam, quam teſtes coctione in ſeminis materiam implãtant & ipſum hac ratione efficiunt prolificũ. Quippe teſtes quid aliud ſemini (quo genitale ſit) præſtant, nimirum vim formatiuam communicant. qua ipſi & pollent, & membra genitalia ſunt, & illi præſtãt inſtru-

instrumentum,puta calorem & prædictum spiritum,quo possit vis ipsa formatiua sibi commissum opus perficere:& in hoc differt semen,quod vasa spermatica conficiunt,ab eo quod testes,quia illud infœcundum est,hoc verò hac ratione fœcundum,cùm formatiua hominis vis in ipsum his spiritibus medijs,sui similē vim formatiuam inducat, testibus coctione huic operi ministrantibus, coctione enim ex sanguine non viuente efficit substantiam aliam viuetē virtute illa quapollentē quæ profectò communicatiua est sui in materia,non quidē vt in sui naturam commutet,quia non erat opus,sed vt speciem tueatur:id enim est, quod testes membrum efficit principale.Qui sanè spiritus sic transmissus genitiuus appellatus,continet etiam in se virtualiter omnium membrorum indiuidui,à quo decidit, proprietates & cōditiones.Duo enim hæc necessaria sunt,nimirum quòd testes præstent facultatē formatiuam in genere,& quòd sit aliud quòd formationem illam contrahat ad parentum indiuiduas conditiones in genito,quod sanè præstat & spiritus ille,& seminis materia,quæ omnia sigillationem principalium membrorum & simulacra secum ferunt, quibus formatiua facultas in similem fœtum prorūpit: quod iam probare aggredior.Spiritus quidem hi de genere & sorte vitalium spirituum existunt,& cùm vitales sint(quod nullus dubitauit)ijdem re cum temperamento influente,seu (vt rectiùs loquar)cum calore influente sunt.Præterea,huius temperamenti gratia omnes nostri corporis partes viuunt,& actiones perficiuntur.Quo fit profectò,vt verum sit,hos spiritus,seu hoc temperamentum influens, virtualiter quoque in se includere omnium particularium temperamentorū virtutes & efficaciam: siquidem totale temperamentum, quo homo à prædominio taliter temperatus existit,ex omnium partium temperatura resultat: & temperamenta hæc particularia illud totale habent constituere ratione influxus à corde mutuati.Qui sanè influxus(si omnium temperaturarum particularium custos est & alimentum, & hæ sunt variæ & differentes iuxta varias partium corporis naturas)potentia omnium temperamentorum partium corporis virtutem obtinere oportuit:siquidem si aliter esset,non posset proculdubiò actioni cuiusuis partis,cū ipsæ tam diuersæ naturæ sint,adminiculo esse:neque earum innatū temperamentum fouere,ac in actum dirigere partium potentias:& rursus quando vitiatum est, restituere,nisi huiusmodi spiritus haberet rationem causæ vniuersalis,in qua particularium causarum virtutes debent contineri.Cùm ergo facultas formatiua subiectetur in his spiritibus,mirum non est,si illorum conditionem insequēs proprietates & naturas indiuiduales,quas spiritus semini adiunctus secum affert,inducat in fœtum ipsum,quem gignit,vt similem parentibus efficiat.Qua in re expēdendum etiam est, totam horum spirituum præstantiam atque efficaciam in moderandis & fouendis varijs corporis particulis pendere ex efficacissima cordis virtute, quod Solis instar in medio corporis situm,calore suo & spiritu omnia sibi subiecta & commissa membra fouet,tuetur,& nouo spirituum influxu reficit,cuique tribuens quantumuis diuersum sit,quod illi est proficuum & necessarium.Quippe temperamentum cordis etiamsi videatur peculiare,respectu tamen totius, est veluti vniuersalis causa,qua omnes partes prædicta beneficia susceptant: & ob id necessariò tenetur habere virtutes omnium temperamentorum,non secus quàm cælum, quod licet particularis sit natura,est tamen vniuersalis causa,quæ necessariò continet in se virtualiter omnium inferiorum naturas & proprietates. Sic profectò cor virtualiter omnium membrorum naturam obtinuit : cuius gratia censeo Aristot. dixisse cor tantùm esse vnicum membrum princeps, quod singulis par-

tantùm esse vnicum membrum princeps,quod singulis partibus per spiritus communicet suas vires. Atqui cùm in semine horum spirituum maxima reperiatur copia:fit profectò,vt illorum ratione inducat formatiua facultas proprietates indiuiduales,quarum ratione similitudinem operatur.Quibus omnibus exactè perspectis,facile est intelligere rationem similitudinis natorū ad parētes,auos, proauos, patrueles & ad reliqua indiuidua cognationis intra quartā generationem. Nam euidenter constat sic cōtingere,& has esse potissimas huius rei rationes. Nisi quid aliud impedierit,vt paulò inferiùs docebo.Nam quò magis prædictarum partium plures prævaluerint,eò similior erit fœtus parenti cuius sunt prædictæ partes prædominantes:quò verò minùs,eo nulla vel paruissima erit similitudo. Sic profectò dum exquisitè superatur materia à semine patris,ipsi similis euadit fœtus: si verò patris efficacia dissoluatur,matris tamē vis euadat fortior,matri erit similis. Verū si vtraq; vis ferè euolet,manente alia auorū proprietate,ipsis similes euadūt fœtus. Cæterùm si adhuc magis superetur seminum efficacia, vt non remaneat nisi ratio communis hominem referens,geniti nulli agnatorum similes fiunt.Interdum autem adeò languet seminum vis, vt neque ad configurationem homini aptam, materiam perducere possit, imò neque ad animantis alicuius,sed informe quid & vita orbatum;qualis mola est,generet:nonnunquam verò ad mōstrosos fertur conceptus vt dictum est.

Supereſt præter dictam similitudinem,similitudinis in sexu ratio,quā ad seminis efficaciam reduxere medici omnes.Nam dum semē virile & fœmineum maiore calore participant ambo,nulli dubium est quin masculus generetur:matri verò an patri similis euadat,ex efficacia formatiuæ virtutis alterius seminis proficiscitur.Verùm si ambo semina iusto frigidiora existant,certum est fœminam generari.Quòd si quis dixerit, maiorem similitudinis in sexu partem pertinere ad figurā & organizationem partium,idque minimè posse ex calore aut frigiditate,vel temperamento proficisci: respondemus hanc similitudinē ratione materiæ, cui inest temperamentum,& ratione formatiuæ potentiæ fieri: nam materia,quæ ratione sui temperamenti apta est ad certas partes simplices efformandas, dispositionem quoque habet ad figuram seu organizationem adquirendam, non ad quamuis, sed ad certam, quia organizatio non ex quibuslibet simplicibus, sed ex certis & determinatis proficiscitur.Cùm verò materia ad certas & peculiares partes simplices determinata sit, sequitur quodammodo determinari ad eam organizationē, quæ ex illis nata fuerit proficisci. Quibus constat quantum prosit materiæ tēperamentum organizationi perficiendæ.Præterea formatiua facultas, quæ temperamento omnibus partibus efformādis communi vtitur,supplet sua vi & natura defectum ipsius temperamenti,quod nequit ex proprijs viribus figuram construere:construit tamen ipsi formatiua facultas:nam ea ratione tributum est illi id nomen ex dispositione nimirum instrumenti & spirituum.Sed genitalia sic formata intro manere,aut prominere extra,non quidem solùm ex formatiua facultate & materiæ aptitudine,sed ex calore proculdubiò proficisci credendum est. Sic profectò dum semina ambo calore pollent,facilè hæ partes prominent,dū verò calore sunt orbata aut diminuta,intus latent,sexum constituentia diuersum, vt paulò superiùs docuimus:& hac ratione intelligēda est sententia eorum qui tenent sexū proficisci à calore,non quidem vt multi interpretantur,quod nos anteà refutauimus. Et hæc est in genere similitudinis ratio:quare verò dissimilitudo vel à sexu, vel à parentibus,vel ab specie fiat,iam audies.

Ab his igitur similitudinibus ex prædictis causis promanantibus, tria etiam dissimilitudinis genera prodire comperimus: in quibus quinque illas mõstruorũ species contineri dictum est. Quæ genera recensere mihi est in animo, si priùs dixero genitũ fieri dissimile à generante duobus modis. Vno quidem, quòd informatrix facultas, licet habeat omnium paternorum membrorum simulachrũ, cũ hoc tamen non æqualiter ab omnibus illis excitatur ad simile opus perficiẽdum: quia in formatrix seminis non applicatur singulis idolis sufficienter in fœtu efformando. Ex qua sanè causa prodit dissimilitudo natorum ad parentes modò in sexu, modò in accidentibus. Verùm si non solùm inæqualiter vis formatiua excitetur, sed etiã inordinatè per semen distribuatur, monstrosos fieri partus necesse est, quia partes in diuerso situ locat, vt cùm aures in humeris, aut eâdem parte oculos figit, vel vis generatiua pedum ad manus peruenit, aut contra: quibus constat mõstrosum fieri quoque conceptum. Altera rursus causa dissimilitudinis, aut (vt rectiùs loquar) deformitatis est, quoniam connata & formatiua vis assimilare quandoq; impeditur in opere, ne assimilet. Quod fieri profectò potest vno è duobus modis: nimirum, quia similitudo diuersa in altero semine potentior est, & euertit alterius seminis similitudinem remissiorẽ. Contingit enim non rarò patris oculos esse paruissimos, & matris maiores, ac fœtum subinde altero oculo patrẽ æmulari, reliquo verò matrem: quod quidem de brachijs & cruribus, ac reliquis partibus quæ binæ sunt in corpore cõtingere scimus, id quod proculdubiò monstrosum esse certũ est. Secundo modo nati dissimiles à parentibus fiũt, quoniã materia seminis vel mẽstrui vel vtriusq; nequiuit à formatrice regulari, neq; quoad speciẽ inducendã, neq; quoad similitudinem aliam: qua sanè de causa, non solùm dissimilitudinẽ à genitoribus, sed mille monstra potissimum oriri arbitror. Hãc etenim causam retulit Arist. lib. 4. de gene. anim. cap. 4. nimirum cùm materia facultates & motus generantis plus vel minus impedit. Atq; hi sunt modi, quibus in vniuersum fieri dissimilitudines & monstra contingit. Expendendum nũc est, qua ratione materia inepta fiat ad motus formatiuæ facultatis suscipiendos.

Fit autem materia inepta ad veram similitudinẽ comparandam, multis modis. Primo ex defectu sufficientis copiæ, idq; aut in toto, aut habito respectu ad aliquã vel plures partes futuras. Ex quo prodit fœtus pumiliones fieri, vel aliquibus partibus constantes longè minoribus, quàm toti corpori debeatur. Secundo ex nimia materiæ vbertate, cuius molem si rectè formatiua gubernare potens est, gigantes, vel deformes magnitudine procreat homines, aut aliquas partes facta collatione ad totum corpus magnitudine deformissimas. Quòd si eandem copiam regulare nequeat natura, informem carnem, aut mille alia monstra quæ inferiùs referam producit. Tertiò verò modo inepta fit ad similitudinem comparandã materia ex dissimilitudine, & inæqualitate substãtiæ, vel ex effusione ipsius per vterum ipsum, veluti accidit plumbo calfacto, quod si inæqualiter fusum sit inæqualia efficit simulachra: ex quo sanè vitio in semine deformes & inæquales partes succreuisse comperimus, vt ijs accidit qui caput habent crassius, grandius ac deformius, vel pedes, manus, aut nasum, quàm reliquo corpori conueniat. Quarto modo id accidit ex vitio crassitiei, duritiei, vel fluibilitatis, aut corruptionis seminis, aut sanguinis menstrui, vt etiam si aliquid generetur, longissimè tamen à parentum natura dissideat. Sed antequam ad vltimum materiæ impedimentum deueniam, expendisse oportuit quibus hæc monstra modis à parentibus dissi-

Dissi-

Dissidere autem monstra hæc à parentum natura tribus modis constat. Primo dum materia seminis idonea est, non tamen ex toto superatur: quo tempore proculdubio fit eorũ, quibus assimilari potest, id quod maximè est vniuersale & genericum, cùm fieri non possit simile in specie, neque in indiuiduo: ob id pullulat eo tempore in generatione ex sanguine menstruo aliquod animal, cùm homo fieri non possit: tendit enim natura ad id quod melius est, subsistit tamen in eo quod potest. Itaque generatur tantũmodo sensitiuum, in quo subsistit defectu materiæ: nam cùm semen illud potentiam habeat ad sensibile, id ad summũ consequitur, rationale verò non fit, neque anima talis introducitur propter ineptitudinem materiæ & organizationis aptæ ad eam formam suscipiendam, quia perficere nequit languida & errans formatiua dispositionem huic formæ, quæ & altioris est ordinis, & extrinsecus aduenit. Seruatur tantùm in generatione quidem vniuersale, quod est animal, & genitũ remanet in forma dispositiua, aut degenerat in aliquã brutorum speciem. Cur verò potius hoc quàm illud mõstrum sũboriatur, ad imaginationem esse referendũ plerique arbitrantur, vt paulò inferiùs docebo. Secundo modo ex hoc defectu à parentibus dissident nati, cùm magis etiam impeditur seminis facultas ita, vt neq; animal adhuc gigni possit, sed tantùm quid informe, medium inter viuentia & non viuentia obtinens, quod sola auctione gaudeat, aut vt rectiùs loquar, accretione: cuius generis sunt molæ mulierum, vt sequenti cap. monstrabo. Vltimo verò ex hoc defectu prodit tam esse mutationi penitus ineptã materiã, vt agentis facultas nullo modo ipsam immutare possit. Ex quo illud prodire certum est, quod toto genere præter naturam esse Philosophi censent & appellant: cuiusmodi est in vteris fœminarum generatio calculorum, aut tophaceę substantiæ.

Sed vt finem huic rei imponam, superest quidem aliud impedimentum, quo semen operari liberè nequit, nec natos parentibus assimilare, nimirum imaginatio varia & vehemens inter concipiendum, vel in toto formationis tempore, quæ sanè dominatur formatrici naturali seminis, imperatq; ei eo modo, quo inferiores potentiæ parent superioribus. Et sic imprimitur potiùs idolum seu effigies imaginis vehementer comprehensæ, ante quidem quàm paternum idolum in semine adseruatum: ex quo vulgatum est apud plerosq́ue philosophos prædictum dogma. Quibus etiam astipulatur Beatus Thom. quæstio. 4. d. artic. 8. ad. 13. dicens, Quòd imaginatio est vis quædam in organo corporali, vnde ad speciem imaginatam mutatur spiritus corporeus, in quo firmatur vis formatiua, quæ operatur in semine: & ideò interdum aliqua mutatio fit in prole ex imaginatione parentis in ipso coitu, si sit fortis. Ex qua sententia & ante ipsam multi censuerunt ex inepta materia quæ hominis formam adipisci nequit, fieri aliquando sensitiuum, eius tamen speciei, cuius est animal, quod fœmina in imaginatione concipit, & vehementer apprehendit, aut expauescit. Cuius ratione ferunt accidere partus monstrosos, aliquando canis effigiem præ se ferentes, aut vituli, vel felis, vel cuiusuis alterius bruti iuxta imaginatricis apprehensionem. Ego tamen eadẽ B. Thom. sententiæ innitens proculdubio arbitror, tantæ esse efficaciæ & potentiæ imaginationem, vt ad speciem imaginatam mutetur spiritus corporeus, qui ad testes fœminæ & vterum perueniens, sit veluti facultatis formatricis fundamentum & subiectum: qui postmodum iuxta imaginem imaginatiuæ impressam, fœtum efformare habet, eo quòd maioris sit efficaciæ, quàm genitiuus spiritus, qui in semine paterno præfuerat. Mouent enim potentiæ

tiæ superiores infimas, & aliquando earum actus potentiùs perficiunt, quàm ipsemet naturales, vt videre est in ira, timore, & tristitia, ac cæteris animæ passionibus, quæ potentiùs & efficaciùs vniuersum corpus turbare habent, & humores vndiq; mouere, quàm ipsæ naturales. Ex quo constat spiritū illum ab imaginatiua potentia prædicto modo motum efficaciùs suas vires exerere, & formationis effigiem delineare, quàm ipsa formatiua, quæ ex parentis membrorum conditione prodierat, & in semine, vt dictum est præfuerat. Verùm cum hoc (vt expresse ex eâdem beati Thom. sententia cōstat) arbitror imaginationem posse aliquod accidens in generatione immutare, vt constat ex fœmina, quæ Æthyopem tempore coitus intuēs depictum, & ipsum vehementer imaginans, Æthyopem peperit: nam id omne efficere potest hæc imaginatiua potentia, quod causa æquiuoca, putà Sol ex putredine terræ, vt murem, lumbricum, aut aliud animalculum ex ijs quæ imperfecta sunt, & ex Sole, terræque apparatu ac putredine indeterminatè fieri conspicimus. Verùm animalia perfecta, vt canem, vitulum, aut huius naturæ alia, censemus citra vniuocum agens fieri sola imaginatione esse impossibile: licèt dictum sit Meridionalibus & Australibus fœminis plerumque accidere, carneam quandam substantiam cum fœtu excernere, animalis alicuius speciem ferentem, quam fœminæ illæ feram appellant: an tamen verum sit ignoro. Quòd si aliquando quid simile contingere videamus, dubium profectò est, an fœmina culpa alicuius bruti accessus excusari possit: siquidem impossibile est (aut saltem intellectus non capit) potētiam illam imaginatiuā adeò posse materiā immutare, q̄ ipsam ad peregrinā illā formā introducendā disponat; ni velimus Alberti Magni opinionem sequi, qui tenet id fieri posse ex viastrorum, quæ apta est illis animalculis generandis, quæ cùm omnino integrum generare ex humano semine & sanguine non possit; partem aliquam illi similem effingit: quantum veritatis obtineat, dicent alij: & sic quodammodo videtur experimentis acquiescēdum, in ijs maximè, quæ animal aliquod aut partem eius appetierunt ingenti desiderio & imaginatricis apprehensione. Nam ob id ferunt repertas esse fœminas quæ suos filios pepererunt ore leporino, alię pedibus ouilis. Tamen hæc ita obscura sunt, vt videantur in arcanis naturæ recondenda: maxime cum ex professo doceat B. Thom. par. 1. quæst. 117. arti. 3. ad 2. materiam corporalem non obedire substantiæ spirituali ad nutum; inquit enim. Sed supra ostensum est, quòd materia corporalis non obedit substantiæ spirituali ad nutum, nisi soli Creatori, & ideo meliùs dicendum est (loquebatur de fascinatione) quòd ex forti imaginatione animæ immutantur spiritus corporis coniuncti, quæ quidem immutatio spirituum maximè fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perueniunt: oculi autem inficiunt aërem continuum vsque ad determinatum spatium. Ex quo inferre oportet, quòd licèt vehemēs imaginatio vires habeat spiritus mouendi, efficiendique aliquid (vt dictum est) immutare tamen materiam, vt possit perfecti alicuius bruti forma introduci, mihi videtur perdifficile. Præsertim cùm idem Beatus Thom. quæstio. 101. articulo 2. ad 2. referat, quòd animalia perfecta, quæ generantur ex semine, non possunt generari per solam virtutem cælestis corporis: ex quo infertur minimè posse sufficere huic generationi causam aliam æquiuocam longè inferiorem & impotentiorem cælesti, nimirum imaginationem. At licet huic adiungatur virtus formatiua, quæ præfuerat in semine parentum, hæc quidem sufficit os, carnem vel alias partes efformare, cæterum formam & figuram earum ex æquiuoca illa causa, videlicet imaginatione, proficiscitur, & cùm hæc sit minoris

minoris efficaciæ, quàm Sol, non poterit æquè disponere ad generationem animalis perfecti, quod non nisi ab agente naturali fieri potest. Atque hæc sunt quæ de similitudine & monstrositate natorum colligere potui: quæ si quispiam aliter, aut curiosiùs velit scrutari, nec vetо, nec displicebit. Dimitto etiam multa de similitudine natorum ad parentes, quæ huic vsui non erant proficua, licet pulchra.

De mōstroso conceptu dignoscendo.

Huius profectò rei paucæ (quod ego legerim) extant notæ, cum hoc tamen certissimum est, in monstroso conceptu matrem graui & nouo aliquo symptomate premi quod vel admirationem inferat, vel causam habeat occultam: nam cùm mali alicuius causam nosse sit per difficile, & grande fuerit ipsum malum, cōiectandum est à prædicta aut simili causa proficisci, vt in molæ generatione plerunque conspicimus: quæ quidem si tam grauia & varia atque diuersa à cōmuni conceptu adfert accidentia, quantò maiora sperandum est monstrum posse præstare. Sic profectò Hippocrat. lib. 2. popu. part. 2. text. 20. retulit de Antigenis vxore, quæ monstrum masculum pepererat, inquit enim: Antigenis vxor quæ circa Nicomachum peperit filium, carnosum quidem, habentem autem maxima discreta, magnitudine autem vt quatuor digitorum, sine ossibus, postmodum verò crassum rotundum. Hæc ante partum ast mathica fiebat, deindè simul cum partu pus euomuit modicum, quale ex furunculo. Qua certè sententia probatur, quàm grauia & noua accidentia ex monstroso conceptu succrescant. Quapropter ne turpiter aliquando decipiamur, id cautè proferrè & diligenter expendisse oportet.

De mōstrorū generatione præcauenda.

Mirum fortasis alicui videbitur, quorsum scripserim monstrorum generationem, siquidem postquam genitum est, difficillimè cognoscitur, & curari auxilijs nequit. Verùm mea mens est, in hac affectione quæ periculosa & miserabilis censetur in fœmina, quæ semel monstrosum edidit partum, præcauere quominus id malum iterum reuertatur. Cuius rei gratia duplicem oportet præmittere indicationem, alteram quæ facultati formatrici prouideat: alteram verò quæ materiam disponat, aptamque reddat fœtui naturali efformando. Circa primam duo nobis efficere incumbit, primum, facultatem ipsam formatiuam roborare, vt commissum sibi negotium perficere possit. Quod sanè fieri existimo ijs quæ spirituum copiam generare sunt nata, & genitos calfacere, velut vinum ex aromatis confectum, cibaria facillimi nutrimenti, calida vel media temperie prædita. Instillatitij etiam liquores ex vino, floribus calidis & odoriferis: ac præcipuè instillatitio, quæ ex theriaca, vino odorifero, vitellis ouorum, melle, caryophyllis, cinnamomo & pane recenter cocto & calido paratur. Confert & electuarium de hyacintho, vel de gemmis cum speciebus, & prædicta instillatione aut vino. Item omnia odorata quæ calidum & suauem odorem spirent, velut vinum, aqua vitæ, aqua naphæ, cinnamomi, iasminorum, & ea quæ ex caryophyllis paratur. Exteriùs verò cordi epithemata apponere oportet, quæ consimilem præstent virtutem, & tandem curandum est totum corpus roborare leuibus frictionibus, exercitijs, somno modico, alimento multi succi, & animi hilaritate ac delectamentis. Quibus facultas robustior facta iniurijs externis, imaginationi, & materiei vitijs resistere vehementiùs possit.

Secundum verò, quod circa facultates moliri oportet, est imaginatiuam potentiā perpetuò à brutorum, turpiumque animalium consideratione distrahere, eamq; pulcherrimarum rerum imaginibus insignire, non solùm coitus tempore, sed tota

grauidationis duratione. Quamobrem distrahere oportet musicis instrumentis, gratis loquelis, pulchrarum imaginum inspectionibus, & ipsa quoque fœmina perpetuò conetur quæ pulchra & grata sunt, considerare, mœstitiam fugere, timore omni carere, & hilari constantique animo esse, ne ex bruti alicuius, vt muris, serpentis vel alterius inspectione terreatur, & expaueſcat.

Circa materiam verò considerandum est, num ex paucitate, ex vberiori copia, ex crassitie, tenuitateve, aut partium inæqualitate, vel ex propria corruptione in hæc mala degeneret. Nam paucitati, ob quam pusillos fieri fœtus contingit, subueniendum est copiosiore alimento, maioris substantiæ, humidioris & copiosioris succi, & abstinentia à venere: vbertati verò, inedia, exercitijs, frictionibus, alimentis paucioris succi, tandem sanguinis detractione, & frequentioribus balneis ex sulphure vel ex calidis herbis. Purgabis quoque has tertio quoque mense, antequàm grauidæ fiant cartamo, agarico, & alijs, quæ crudos succos ac pituitam expurgare scimus: sic dum crassum existit semen, quæ inscindant, attenuent, digerant & expurgent, sunt adhibenda, & alimenta ac potus quæ fluidius reddant semen. Vtendum etiam est medicamentis calidis, quæ crassas partes seminis fundant, & ijs etiam quæ superiùs diximus posse vberiorem spirituum copiam suppeditare. Quòd si fluidius semen fuerit, alimentis crassioribus & solidioris substantiæ rem ages, diuturno & laborioso exercitio, balneis ex sulphure, frictionibus, & purganti medicamento, quod seroſos humores euacuare habeat. Partes etiam genitales calfaciendæ sunt, & vterus calidis roborandus, & siccis, qualia abundè superiùs diximus. Item, si inæquale semen est, prosperam in omnibus alimenti officinis coctionem conciliare oportet calidis roborantibus, & modicè astringentibus medicamentis, interdicereque ante omnia opus est ciborum varietatem, sed vnico tantùm vtatur fœmina, vel duobus eiusdem naturæ, seruata in quantitate omnibus diebus pari portione. Vtero etiam quæ roborent, & semen probè conficiant, adhibenda sunt, qualia abundè superiùs diximus. Proficiscitur non minus prodigiosus conceptus ex inæquali seminis vtriusque parentis emissione: cui rei primùm ex vsu est, si ambo ad coitum ita se inuirent, vt simul & semel atq; confertim possint semina emittere, excitato tardo parente, coërcitoque qui citius excernit ijs, quæ superiùs diximus. Prodest quoque si se parentes absti neant à frequenti coitu, maximè si semel menstrua defecerint, & fœmina persenserit se grauidam esse: nam ex huiusmodi concubitu facilè ex nimio appetitu aliquid eiaculati seminis vterus rapit: cuius aduentu incepta formatio interturbatur, vitiatur, & (quod frequentius est) turpi aliqua nota fœdatur, vel superfœtatio aliqua gignitur. Præterea cauendum est à concubitu, fœmina adhuc menstruis occupata, donec ex toto purgata fuerit. Nil enim citiùs & promptiùs monstroſum conceptum efficere poterit, quàm si sanguis ille menstruus, quem natura tanquam inutilem & spurcissimum expellit, materia fiat genituræ: nam mirum non est, si ex tam inepta & fœdissima materia monstroſum & horrendum animal fiat: superat quidem virus & malitia illius sanguinis omnes genitalis seminis & formatricis facultatis vires. Vltimò autem hæc monstra fiunt ex corrupto semine vel sanguine menstruo. Quamobrẽ quibus in fœminis cognitum fuerit, sanguinem mẽstruum vitioſum esse, sanguinem ante conceptum mittes, & ipsum à putrilagine expurgabis casia fistula, confectione Hamech sine scãmonio & colocynthide, decocto foliorũ senæ, aloës, & pilulis ex mastiche, vel rhabarbaro. Item alimentis moderati omnes humores oportebit, vt superiùs dictũ est. Tandẽ cauere fœminæ accessum con-

conuenit, nisi quinque aut sex diebus post menstruam purgationem, sanguine priùs misso & sufficienter expurgato corpore. Seminis item vitia corrigere oportet pessarijs odoriferis, siccis, & quæ putredinem exsiccẽt, sed præcipuè ijs quæ semen per vterum expurgent, additis alimentis copioſioribus & boni succi, quæ putridæ substantiæ admisceantur, ipsamq; corrigant, & attemperent.

De vteri mola. Cap. VIII.

NAtura proculdubiò interdum certis quibusdã motibus ea operatur, quæ fieri ex eiusdem legibus non posse videntur. Verùm cùm ipsi munus sit, se se quantum posit conseruare & tueri, longè satius existimat, aliquid (vtcunque sit) potiùs, quàm nihil efficere: ea enim est naturæ prouidentia, vt calor artifex & author eorum quæ generantur, nunquam sit otioſus, sed ex qualicunque materia opus aliquod artificio constituat. Sic in vermium generatione & aliorum, quæ ex putredine terræ fiunt, ociari nequit quæ cùm maius aliquid ex materia efficere non possit, animalculũ illud, in quo conseruari queat, effingit. Quòd si materiam pro arbitrio tractare nõ possit, quòd parcior, vberior, aut ex diuersis generibus constans, vel aliter affecta fuerit, monstrum generat, quando aliud perfectius efficere materiæ defectu illi nõ datur: si tamen adhuc omnino inepta sit, vel herbam, vel rudius aliquid in terra ef formatinducta perfectione, quã maximè poterit. Quæ quidem omnia in fœminarum vteris euenisse conspicimus ab spiritu illo genitiuo, quem sui domicilij architectum veteres appellarunt. Quamobrem dum sibi conueniens materia, tractabilisq; substernitur, ex vtriusque sexus semine constans, fœtus ad vtriusque vel alterius effigiem efformatur: præsertim si accesserit imaginatricis facultatis vis, optimi moderatoris officium exequens. Cæterùm si formatricis vis imbecillior sit, spiritus & caloris impotentia & defectu, & quæ subijcitur materia, nequeat ad tantam perfectionem peruenire, eò quòd qualitate, quantitate, consistentia, vel alicuius extranei permixtione, maximè aliena existat: fugiens nihil generare, aliquid effingit, siue animatum sit, siue inanime: nam cùm dictum antea sit, hominem esse paruum mundum, id proculdubio est, quia omnium, quibus mundus constat, perfectiones continet. Sic etenim essentiam cum elementis, vitam cum plantis, sensum cum animalibus, & sibi peculiarem intelligentiam seu animam rationalem habet. Atqui cùm ita ad hominis perfectionem progrediatur natura: fit quidem ob id, vt portentoſæ generationes haud rarò accidant: nam (vt dictũ est) rudis quædam moles gignitur, in qua si vitio ipsius materiæ, vel facultatis formatricis defectu in ipso itinere intercipiatur, nil mirum si informem fœturam sine temporis ordine excernat. Quòd si vlteriùs progrediatur, non tamen debita perfectione, animal eius naturæ, quæ magis conuenire materiæ videatur, proficisci est credendũ: ex quo forsasse vel rudis aliqua molæ differentia, vel fœtura varijs animalium imperfectorum figuris affecta conspicitur. Cùm tamen præcedenti cap. abunde dictum sit de monstroſo conceptu: nunc verò de molæ genetatione, causis, signis & curatione agendum duxi.

Mola quid

Est igitur mola, vt Gale. placuit lib. 4. & 14. de vsu part. c. 7. & 14. meth. c. 23. caro quædam inutilis atque informis, non quo gallinarum subuentaneo proportione

reſpondens,vt multi falsò crediderunt,decepti Gale.loco.lib.14.de vſu par.cap.7. vt paulò inferiùs latiùs leges. Quæ verba ſi quis expendat,reperiet, molam minimè eſſe tumorem,neque vteri duritiem,ſed quid proportione ijs reſpondens,quæ adnaſcuntur. Cuius naturam optimè depinxerunt Hippoc.& Ariſt.4.de gen.an. cap.7.&.4.metheo.cenſentes ex diminuto calore vel ex defectu gignitiui ſpiritus, vt cenſuit Hippoc.fieri,non quidem per omnimodam cruditatem neque per aſationem,ſed per mediam quandam caloris & ſpiritus actionem, quæ imperfecta naturæ actio cenſenda eſt. Quorum virorum ſententijs refelluntur ſententiæ Moſchionis,Cleopatræ,Auic.Pauli,& Ætij de molæ generatione,ni velis ipſas amicè interpretari,vt ſequenti paragrapho leges. Ex quo elicitur,cùm mola caro ſit informis atque inutilis,ſine oſsibus à ventre conſiſtens & ſine viſceribus, qualem depinxerat Hippocrat.2.pop. Antigenis coniugem peperiſſe,licet ad monſtrum potiùs referri poſsit,quàm ad molam,in vtero ſupercreſcens, morbum eſſe ipſius in compoſitione,ex eorum præſertim numero quæ toto genere præter naturam exiſtunt,velut eſt lapis in veſica:eò quòd in eius generatione nil ſit eorum,quæ ſecundùm naturam nobis ineſſe diximus:licet Ariſt. neque perfectam, neque omnino alienam à natura eſſe cenſeat. Itaque eius natura conſiſtit in omnimoda naturæ imperfectione,quæ nondũ valuit animantis conditionẽ attingere,ſed carneã ſubſtantiã adepta,informis & rudis nulla figura prædita vtero adnaſcitur & adhæret, donec tãquam quid inutile indiuiduo & ſpeciei ocyſsimè proijciatur, natura ipſa laceſsita & defeſsa id moliente, nulla ſecuta temporis lege. Præterea ſtatuendum eſt,quod licet Ariſt.6.de hiſt.anim.c.30.&.4.de gene.ani.cap.6.Plinius. Ælianus, Solinus,Gal.lib.de theriaca ad Piſ. & alij dixerint Vrſam parere quoque molã, & eam lingua veluti manibus polire & efformare,fœtumq; efficere,credendum eſt molam non eſſe,ſed fœturam rudi delineatione inſignitam: namque vt inquit Auerro.comment.ſuper.4.de gene.anim.cap.6.ſola mulier molam parit,quòd copia menſtruorum abundet,vt habetur ex Ariſt.6.de hiſt.anim.cap.18.

Molæ differentia.

Huius porrò imperfectæ genituræ multi exiſtimarunt varias ſubeſſe differentias. Nam Paulus & Ætius nomine molæ tumorem in vtero induratum lapidis duritiem referentem intelligi voluerunt. Quam affectionem ego non ad molam, ſed ad tumorum ſpeciem aliquam potiùs reducerem: ratio profectò id conuincit, quia in virginibus non ratò huiuſmodi ſcirrhoſa diſpoſitio,quæ vterum in tumorem & magnitudinem inſolitam attollat,reperitur: cùm mola ex vtroque ſemine fieri certum ſit,vt inferiùs probabo. Barbari item ferè omnes crediderunt molam eſſe (præter carneam illam ſubſtantiam,quam veram molam appellant) flatuoſam quamuis vel aquoſam,aut cuiuſuis alterius humoris naturam referentem, intra vterum concluſam,ipſumq; grauidationis modo in tumorem attollentem. Quas omnes molæ ſpecies ego ad falſam grauidationem reducerẽ,potiùs quàm ad molam: nam niſi caro ſit inutilis atque informis quod in vtero geſtatur,haud quaquã molam eſſe appellandum,arbitrandum eſt,iuxta Ariſtot.ſaltem & Galen. ſententiam. Verùm in ipſa carnea ſubſtantia,quæ veræ molæ rationem habet, non leuis exiſtit differentia. Multi namque referunt informe quidem eſſe carnis fruſtum, cæterum motum quendam paruiſsimum extenſionis & contractionis obtinere, ac obſcurum etiam ſenſum citra vllam formã. Conſtat tamen maioti ex parte carnem ſolùm eſſe plurimis venis ac ſanguinis ramificationibus interſeptam,quibuſdam albis ductibus,vel viridibus aut ſubchloris nigriſue, aut varijs coloribus permixtis,ſine ſenſu neque motu,nullam ſeruantem figuram, legem,ordinemue.

Item

Item alterius ſubſtantiæ aliquando viſitur,nimirum,pelliculoſæ & membranoſæ, ſanguine aliquo veluti affuſo & concreto,qui poſteà in aquam proiectus,in ipſam quod ſanguinolentum eſt,abit,remanente parte membranacea,quæ ſeminis concreti naturam refert citra determinatam aliquam figuram. Sed compertum eſt quoque grauidationem hanc degeneraſſe in membranaceam ſubſtantiam, globoſamque,totam aquoſis bullis rotundis,tumidis, pellucidis, & innumeris plenã, aliquãdo cum ſanie fœtida & diluta:quam ſanè figuram iam comperimus in vxore bibliopolæ cuiuſdam,& ſe vidiſſe teſtãtur ex Neotericis plures. Si quis autem rem diligentiùs conſideret,reperiet varijs figuris inſigniri poſſe,cùm de genere ſit eorum quæ præter naturam exiſtunt:quæ ſanè neque legem, neque numerum, neque certum naturæ & generationis modum vſquam obtinuerũt,& ob id multiformia ſunt,ſicut & molæ multiformes apparent ſine ordine,aut figuræ integritate. Rurſus ex his quidem cum naturali fœtu excernuntur, aliæ diebus aliquot intermedijs cum ſanguinis copioſo fluxu & grauiſsimis cruciatibus, quas per ſuperfœtationem genitas arbitratur Hippocra.vt refert.2.popu.de coniuge Georgiæ Cariſei.

Cauſas verò huius affectionis Hippocrat.primũ omnium literis mandaſſe conſtat: inquit enim.1.de morb.mul.Molæ cõceptus hæc cauſa eſt. Cùm multi menſes exiguum & morboſum ſemen exceperint,neque conceptus rectus ſit,& venter plenus eſt,veluti prægnantis. Conſimilia quoque refert lib.de ſteril.dicens: Fit itaque mola in vtero,cùm menſium copia exiguum & minimè robuſtum ſemen virile conceperit,aut etiam muliebre. Ex quibus euidenter conſtat duplicẽ huius mali exiſtere cauſam: alteram,copioſum ſanguinem, ac fortaſſe fæculentũ,craſſum & omnino ineptum,quem natura ad menſtruam purgationem tãquam inutilem adſeruauerat,copia & natura à fœturæ perfectione alienum: alteram verò, vim ſeminis formatricem imbecilliorem. Quibus ſic iunctis, ſit vt deſit motoriũ principium formando fœtui idoneum. Quocirca conſtare arbitror, duo hæc eſſe neceſſaria ad molæ generationem, nempe ſanguinis menſtrui copioſum affluxũ, & ſeminis virilis impotentiam. Primum quidem præter Hippoc.ſententiam probauerat quoque Ariſt.4.de gener.anim. nam quærens,cur cæteris animalibus mola non generetur,niſi mulieribus dũtaxat,reſpondet,eam inter animalia affectionibus vteri obnoxiam eſſe,& menſtruis abundare. Quibus verbis euidenter fatetur,menſtruorum copiam neceſſariam eſſe ad molæ generationem: ac probat eodem loco prærequiri etiam viri ſemen,dum inquit. Accidit quidẽ mulieri, vt cùm concubuiſſet,& ſe concepiſſe putaſſet,primum vẽtris moles augeretur,& reliqua ex ratione venirent: quæ demum difficultate inteſtinorum implicata, eoq; modo periclitata peperit carnem,quam molam vocant. In cuius cõfirmatione dixit Galen.lib.14.de vſu par. loquens de falſa quorundam opinione circa mulierũ ſemen. Secundò autem,quòd mentiuntur etiam in ijs quæ accidunt, explorandis: non enim ſicut gallinæ ſine maribus oua pariunt,ita mulierem aliquando viderunt ſine viro,vel molam,vel huiuſmodi quidpiam aliud concepiſſe. Ex quo patet non ſufficere mulieris ſemen ad fœturam aliquam efformandam ſine viri ſemine. Verùm licet id ſuſcipiat fœmina,ſi imbecille aut morboſum fuerit,vel frigidum,non poterit eò vſq; peruenire vt verè fœturam delineet efformetque: eſt enim hoc vegeti & validiſsimi caloris, ac ſpiritus natiui opus. Nam horum defectus potiſsima eſt cauſa cur tempus prætereat fœtui efformando præfinitum ſine ſufficienti ſeminũ motione: quo fit,vt non fœtura ſed mola efficiatur. Quòd ſi virginib⁹ aliquãdo

Cauſa.

eueniſſe

euenisse constet,aliquid molæ persimile præmissis grauissimis accidentibus excre uisse,id potiùs ad vteri lumbricos referendum existimo, quàm ad veram molam. Neque rursus credendum est molam aliquando fieri ab exurente sanguinis menstrui, aut vteri calore: nam carnis generatio non est solùm caloris opus, sed moderati cum spiritu & vi formatiua,qua carent vterus & sanguis menstruus : præterquam quòd id ex professo docuerat Aristot. loco citato dicens. Afficitur enim conceptus eo modo, quo ea quæ inquinari dicimus,cùm elixantur:neque per calorem vt quidam volunt, sed potiùs propter caloris debilitatem. Natura enim deuicta certare videtur, neque posse perficere, finemque apponere generationi. Et mox subdit. Causa namque duritiei cruditas est:quippe cùm inquinatio quoque cruditas quædam sit.Censeo tamen in hac re aliquando molam fieri posse non ab adaucto menstrui calore,sed ab exurentis seminis conditione,cum defectu & resolutione spiritus genitiui: nam constat optimè semen morboso calore esse calidissimum, & depauperatum obid,atque orbatum spiritu naturali:ex quo fieri quoque molam existimandum est.Quibus iam constabit quantum veritatis obtineat Pauli & Ætij sententia, & eorum etiam, qui censent ex solo mulieris semine & menstruo sanguine fieri,vel ex immodico ipsius menstrui calore. Supereſt igitur principium præstare pauciſsimum viri semen, morbosum ac imbecille, & copiosum sanguinem, eum maximè,qui menstruationi paratus erat. Quo fit, vt mola plerunque suboriatur, si fœmina coierit menstruis eminentibus, fluentibus,vel nondum ex toto purgatis. Et vltimò cùm antequam fœmina, quæ concepit, & fœtus formationem perfecerit, viro auidissimè adhæreat. Item his accidit quæ diu habent menstrua suppressa,vt Hippocra.lib.5.popu.refert de vxore Gorgiæ,cui menses per quadriēnium non fluxerunt,& fœmellam pepererat,& subsequuto diuturno vteri fluore,proiecit molam,postquam sana facta est.Præterea dictum est superiùs aliam aliquando subesse molæ speciem,quæ membranacea constat substantia multis bullis referta: cuius causam esse censeo aquosum & frigidum mulieris semen, tempore concubitus vnà cum vteri plenitudine in ipsum eiaculatum:quod à virili semine concalfactum debiliter,nullum præstitit generationis principium: cui aliquando accedit virile semen morbosum,copiosum & flatibus plenum,spiritu tamen & calore natiuo orbatum. Aut credibile est, viri semen ab vteri ichoribus & spurcicia extinctum,refrigeratumque fuisse:semen verò fœminæ,cùm exigui sit caloris, membranam concretione fabrefecit, agente adhuc imbecilli calore bullas ex elcuato flatu, quem discutere nequiuit: quo fit,vt bullæ illæ succreuerint in genitura. Atque hæ sunt molæ causæ,quas pro vario mixtionis modo,varias quoque molæ configurationes,& varia accidentia procreāt. Nolui aliorū de hac re opiniones recensere ac refutare,quippe tædiosum foret,satius enim iudicaui,veriorem proferre sententiam.Quæ omnia diligenter cognoscere oportet,ne aut in sterilitatem, aut malum corporis habitum fœmina commigret.

Molæ signa In principio quidem à vero partu difficulter mola distinguitur, vt Hippo.lib.1. de mor.mul.apertè monstrat dicens.Si verò fluxus ipsi non fiat,contingit vt prægnans esse videatur,& dum cum viro coit,doleat,& putet quid incumbere,& grauitas sit in ventre,& venter prominet,& desiderijs similibus afficitur,velut in ventre habeat,& stomachi dolore afficitur, maximè vbi quinquaginta dies præterierint, & dolor aliàs atque aliàs habet ventrem,& partes circa vmbilicum,& collum, & inguina,& lumbos, & postquam menses duo aut tres præterierint, quandoque menses accruatim ipsi in pudendum erumpunt, & quæ prodeunt,velut carnē esse putant.

putant.Atque licet pleraque ex his signis veram quoque grauidationem ostēdere soleant: cum hoc tamen distinguere eam oportet ex ventris tumore: nam is magis & citiùs impletur in mola,quàm in vera grauidatione & durior efficitur. Menses item supprimuntur,nausea & vomitus incurrunt, motus in vtero tremulus percipitur siue à mola,siue ab vtero,velut inutile pondus excutere contendente.Motus etiam,quales fœtus edere soleat,nullus persentitur,etiā si trimestris aut grandior existat.Accidit præterea,vt referunt Moschio & Cleopatra,corporis macies,deprauatus color, sanguine menstruo redundante ac regurgitante ad supernas partes.Quæ accidisse constat,quòd probi alimenti materia desit,& quòd anorexia graui corripiantur,nec cibum ingerant: quamobrem extenuari est necesse. Sequitur etiam quibusdam sanguinis fusio per vterū,cùm à molæ conceptæ magnitudine vel fœtus premitur,vel nullum suscipit alimentum, vel ad incrementū nullus illi subest locus,mola occupāte magnam vteri partē, & ob id aperiente vasorum oscula.Vnde mox dolores & cruciatus vteri,sanguinis tetri & concreti valdeq; corrupti profusio ingens,& per plures dies animi deliquia,enixus,febris grauis,insomnia,pulsus defectio,coloris pallor,angustia, sympthomata melancholica & timore plena haud rarò subsequuntur.Verùm cum hoc(nisi fœtus simul adsit)nihil in ventre mouere,vel quàm exiguum percipimus,vt Hippocrat. testatur lib.1.de morb.mul.dicens.Nihil autem in ventre mouetur,neque lac in mammis generatur,licèt plerisque mammæ intumescant,verùm sine lacte & cum maxima lumborum grauitate,& in ventre cum pungenti dolore,vtero ipso prolabente ad fœminæ decubitum supra dextrum,vel sinistrum latus. Verùm de enixus tempore consideratione dignum est, quòd ex his, primis statim mensibus quædam excernuntur,aliæ diu durant per duodecim menses, ac per tres integros annos, ac multò plures. Aliæ quidem cum fœtu generantur, aperto(vt dictum est) iterum vteri osculo:nonnullæ fœtui alligantur,quædam secundis ita implicitæ sunt, vt difficulter excerni secundas permittant:aliæ rursus tam grandis existunt magnitudinis,vt grande aliquod animal repræsentent. Quas proculdubiò esse periculosissimas nemo dubitauit, maximèsi Hippocrat.crediderit,qui lib.1.de morb.mulie.& lib. de steril.hæc refert verba. Si mola,vnà caro fiat, mulier perit,neq; enim fieri potest vt superstes maneat:si verò plures,erumpit ipsi per pudendum sanguis carnosus plurimus, & si hoc moderatè fiat, seruatur, sin minus, effluxu correpta perit. Distinguēs autem hæc accidentia ab ijs,quæ in vero conceptu reperiuntur, quòd signa omnia certam quandam conditionem præ se ferant, qua id facilè monstratur:nam cibi fastidium non vtcunque, sed maxima cum animi dejectione est:item immodicus appetitus non quiescit adhuc exhibita re appetita:vomitus vel niger vel fœtidus, aut alterius deterrimæ conditionis prosilit: dolores frequentes, grauiores & acutiores:animi deliquia non sine periculo:enixus etiam cum grauissimis accidentibus,& toto ferè gestationis tempore prope os pubis,pudendum & imas ventris partes,pondus persentiunt,& non leuem molestiā,quasi ad partum perpetuo pruritu irritatæ,cum dorsi & inguinum doloribus.Quæ omnia anxios & quodammodo solicitos nos reddere debent suspicantes conceptum illum non esse legitimum:inquit enim Hippocrat.lib.1.de morb.mulie. Iudicare verò oportet ex plenitudinis mole,& quòd in ventre non mouetur:nam mas trimestris,fœmina quadrimestris motum habet.Postquam igitur tempore hoc prætergresso,non mouetur,nimirum hic morbus est:est autem hoc signum,quòd lac in mammis non generatur.Nam Hippocrat.lib.de fœminarum morb. asserit ex

pro-

professo,nec moueri molam,nec in fœminis ipsam gestantibus lac apparere,cæterum id intelligendum est de vero lacte,non de ixoroso,quod plerumque in his apparet:item intelligendum est de vero & blando motu qualem infantes edũt, non de motu per grauitatem facto,vt molæ efficiunt.Præterea molam neque omnino incurabilem,nec prorsus curabilem licet arbitrari, vt Moschio & Cleopatra censuerũt:nec rursus semper in aquam & hydropem abire, vt voluit Auerr.3.collect. sed aliquando salubriter exire,nonnunquam insalubriter: tum ob accidentium sæuitiã:tum ob sanguinis profusiones: tum vltimò ob vitium in vterum relictũ,ac in reliquam sanguinis vteri portionem.

Curandi ratio. Curandi quidem rationem tribus omnino capitibus comprehensam esse arbitror.In primo quidem cùm molam confectam esse certò scimus, quid agendum sit docebo.In secundo qualiter accidentibus,quæ ipsa excreta subsequuntur,& in ipso enixu vigent,subueniendũ sit.In tertio verò,ne iterum fœmina in huiusmodi conceptum incidat,præcauere monstrabo.Primam itaque medendi rationem maturo & prudenti consilio aggredi opus est, ne loco informis fœtus ambiguis signis decepti,aborsum prouocare contingat. Qua profectò ratione Hippocrat. dixisse arbitror lib.1.de morb.mul. Hanc igitur maximè quidem ne curato,aut certè cum prædictione.Verùm si certi fuerimus molam esse conceptam(quia maius periculum est,si diutius in vtero inuceterauerit,ita vt à plerisque scriptum sit, quàm pauciss imas fuisse superstites) pronuntiato periculo curationem aggredi oportebit:laborãte aëri temperato exposita,in cubiculo non admodũ lucido,exhibitoq; victu optimi nutrimenti,& prohibitis animi affectionibus. Quo facto,si corpus plenum esse compereris,sanguinem ex dextri brachij basilica extrahes,parcè tamen:ne doloribus & sanguine nimis detracto,imbecillior fœmina fiat . Nec inconuenit malleolorum venam tundere post prædictam sectionẽ, sanguine adhuc redundante.Quòd si crassorum humorum copia subsit,præparatione præmissa,ipsos purgabis,vt cap.de suppressis mensibus dictum est. Præterea,si natura ad expulsionem non gliscat,neque partum acceleret(quod melius foret)eis vtendũ est medicamentis intus & extra,quæ laxandi,emolliendi atq; mitigandi vires habeant.Sic enim inquit Hippocrat.lib.1.de morb.mul. Et primùm quidem totum corpus foueto,deinde per sedem clysterem adhibeto, quo sanguis multus erumpat:fortasis enim quod compactum est,commoueris,id quod fœtus esse putatur, muliere à pharmaco cõcalfacta:sed & vteros colluito,quo sanguinem educas, sin minùs,subditicijs vtatur fortissimis è bupræsti,& dictamnum creticum è vino bibat:sin minùs,castorei testem & retro cucurbitulam ipsi ad laterum mollitudinẽ effigito,& plurimum sanguinem detrahito: atque hoc maxima rerum ac virium ipsarum coniectura facta,facito. Qua sententia pulchrè docet, vniuersam huius affectionis curationẽ,à qua sumpta ratione licet fomenta in principio parare quæ vteros aperiant,vt facilè sanguis deinceps fluat. Huius naturæ sunt quæ parantur ex decocto maluarũ, altheæ, camemali,seminis lini,fœnugræci,sertulæ & anethi, facto quidem ex aqua aut hydræleo,quibus paulò pòst addes lauri folia, thymum, pulegium,hyssopum,polium,centaurea & crocum . Sed peculiariùs huic vsui compertum est prodesse decoctum,quod recipit altheæ,maluarum cum suis radicibus.ana.m.j.radicis aristolochiæ rotundæ & longæ cuiusq;. m.j.&.ß.(longæ itẽ aristolochiæ radix femori alligata partus accelerat)foliorum artemisiæ,mercurialis,saluiæ,hyssopi,calamenti.ana.m.ß.seminis lini,altheæ,fœnugræci, & leuistici. ana a.ʒ.ß. florum camemali,meliloti, roris marini,genistæ, artemisiæ. ana. p.j. fiat

decoctio in hydræleo,& cum philtris foueantur muliebres loci,inguina,& coxendicum partes.Quo facto,hoc linimentum prædictis partibus adhibebis calidum, quod recipit olei irini,liliorum alborum,anethi,& camomillæ.ana.ʒ.j. butyri recentis,adipis anserini.ana.ʒ.j.&.ß.vini odorati.ʒ.j.bulliant ad consumptionem vini,& adde ladani.ʒ.j. ceræ quantum sit satis vt fiat vnguentum . Aliud quidem maioris efficaciæ experiri poteris,quod recipit dialtheæ.ʒ.ij.emplastri filij Zachariæ.ʒ.j. axungiæ porcinæ,pinguedinis gallinæ,anseris,& medullæ cerui.ana.ʒ.j.styracis calamitæ.ʒ.ij.colocynthidis,pulueris radicis vtriusque aristolochiæ.ana.ʒ.j. oleorum de lilio & violarum quantum sufficiat vt fiat linimentum addito croco. Verùm si hæc prodesse non possint,vt mola decidat,& angustiæ ac dolores creuerint,ad maiora deueniendum esse consulit vrgens necessitas:quo casu confert potus,qui recipit cinnamomi electi,myrrhæ electissimæ.ana. ʒ.ß. pulueris aristolochiæ longæ. ʒ.j. pulueris diamargaritonis frigidi.ℨ.ij.fiat omnium puluis, cuius detur. ʒ .j. cum aqua decoctionis phaseolorum. In qua sanè re,si plurimum necessitas compulerit,ad ea quæ fœtus mortuos eijciunt,deueniendum est. Quòd si hæc velis experiri,lib.huius operis.4.capit.de secunda relicta, abundè reperies. Cæterùm cùm in laborioso hoc enixu vires tantum labi possint, quòd fœminæ frequenter præ animi defectu & spirituum resolutione periclitentur, omni arte curandum est vires reficere, & robustiores reddere, maximè si à partu ante quàm mola excernatur, vel anteà ob molæ vitium copiosior sanguinis fluxus præcedat. Optimis itaque iusculis & carnibus caponum atque perdicum, vel succo carnis cum margaritis, vel pulueribus cum electuario de gemmis laborantem reficere oportet, vel iecore gallinacco elixo cum iure gallinæ vel capi,facto ex prædictis pulueribus salsamẽto cum saccharo:succo etiam reficere oportet ex caponum & perdicum carnibus in balneo Mariæ extracto,dum modò puluis margaritarum, caryophyllorum,cinnamomi & coralli rubei desuper spargatur. Sed potissimum id opus facies vino albo, tenui & odorato , ac si sanguis copiosè fluxerit,admixto modico rubro. Quibus factis,Deo optimo Max.iuuante,vires facilè restituentur,ac fœtura discedet, obstetrice manibus conante carnem illam comprehendere ac leuiter extrahere.

Secunda curandi ratio, ab excreta mola principium sortitur , quæ proculdubiò tantùm præcipit viribus prouidere , & dolores mitigare:hoc quidem anodynis quæ superiùs diximus , & oleis liliorum , de semine lini , lumbricorum , de radice & semine angelicæ , & axungijs gallinæ & anatis cum croco & butyro recenti , & alijs huius census: illud verò prædictis cibis quæ renutriendi vires habeant, velut iusculum cum vitellis ouorum , pauco vino albo,saccharo & cinnamomo . Præstat & vinum ex odoramentis confectum , electuarium de margaritis, vel conditum ex conseruis rosarum , buglosæ & violarum , adiecto puluere margaritarum , vel electuarij de gemmis : confert etiam alchermes vel confectio de hyacintho. Quòd si sanguis plurimùm irruat (quod grauissimum sæpe infert periculum) viriliter cibum ingerere oportet , & partes supernas leuiter vincire ac fricare,& alijs præsidijs vti,quæ cap.de immodicis mens. dicta sunt.

Tertia verò & vltima curandi ratio præcauere docet,quo minùs iterũ generetur mola in ijs quæ semel id malum perpessæ sunt,qualia reperies cap.præcedenti. Quam etiam indicationem adimplebis purgatione ante menstruũ fluorem, sanguinis missione ex talo,si improbè menses prodierint,& ex brachio,si sufficienter

fluxerint. Proba item victus ratione, moderatis exercitijs: cauentes ne concubitū admittant menstruis non satis purgatæ, aut mox à conceptū, si fœmina se concepisse senserit: quod partu peritis facillimum est.

De falsa grauidatione. Cap. IX.

NON citra optimam cōsiderationem factum est, falsam grauidationem à mola me separasse: siquidem, vt mea fert sentētia, & mox probabo, & generationis modum, & affectus naturam, & curandi rationē, ac signa ipsa longè diuersa habent. Fit itaque grauidatio falsa, cùm fœminæ cuipiam viro vtenti menses supprimuntur, vēter intumescit, accidentiaq; veræ grauidationis simillima adsunt: cum hoc tamē nil vitæ particeps in vtero efficitur, sed aliquid, quod cuipiam elementorum proportione & & naturæ respondeat, velut flatus, aut quid aquæ persimile. Cuius rei gratia dictū est præcedenti cap. ob id hominem esse perfectissimū inter cætera animalia, quòd omnium perfectiones complectatur. Nam cùm quatuor sint naturæ perfectiones, esse quidē vt in elementis, viuere vt in plantis, sentire vt in animalibus, ac intelligere vt in homine: fit quidē, vt inferiores superioribus contineātur, sicut binarius numerus continet vnitatem, & ternarius binarium & vnitatem. Sic prorsus pari ratione id quod essentia tantùm gaudet, necessum non habet vt viuat, neque quod viuit, vt sentiat, aut quod sentit, vt intelligat. Verùm in homine omnia prærequiruntur, vt præcedenti cap. dictum est. His suppositis, cùm natura progrediatur in generatione perficiendō per ascensum, contingit non rarò in prima perfectione ipsam subsistere. Nam susceptis seminibus non affluente sanguine, & vtroque semine morboso existente, ex calore imbecillo vteri & vtriusque seminis in aquam vel in vaporem vtrunque semen degenerat: non quidem agente nec debiliter, nec alio modo, vt in prædictis conceptibus, facultate formatiua, sed extincta ferè omnino existens permittit calorem vel semina liquari, vel in halitum mutari citra aliud conceptus principium prohibens tantum, ne in corruptionē genitura commigret. Id enim est, quod solum efficere valet subsistens in eo, quod potest, nimirū in specie illorū elementorū. Non quidē quòd ipsa formatrix facultas elementa illa posit efficere, sed tantùm impedire, ne materia illa in corruptionem commigret. Calor tamē, cuius hæc opera sunt, per diminutam coctionem vaporem seu aërem creat, & per liquationem, si imbecillior fuerit, aqueam substantiam: à quibus, postquam vterus semine suscepto cōclusus est, venter intumescit, & reliqua subsequūtur grauidationis indicia. Atqui cùm facultatis formatricis nullum in hoc opere elucescat vestigium, à prædictis cōceptibus hunc affectū separare mihi fuit visum, & quia semine concluso hæc mala succrescunt, grauidationē, eamq; falsam appellare placuit. Quamobrē cēseo ab Hipp. dictū esse libris de mor. mul. & multis alijs in locis, loquente de fœminis sic affectis. Et putant se in ventre habere. Sed clarius id profert lib. de natu. pue. qui eas, quæ longius quàm decem mēsium tempus vterum gestare sibi visæ sunt, deceptas esse testatur, idque in hunc modū. Quòd vteri sæpe spiritum capiant in seipsos à ventre flatum exhibente, eleuato tamen atq; intumescente vtero, videntur sanè sibi tum mulieres concepisse. Quin etiā menses non procedentes atque in vtero congregati, aut calescentes aut flatibus mixti, falsam

falsam quandam grauidationis speciem nō rarò mulieribus præbent, vt sibi in vtero habere videantur, nimirum menstruis non prodeuntibus & vteris eleuatis. Quod his verbis etiam Hippocra. dixisse constat lib. 1. prædictionum: Quæcumque in vtero se concepisse putant, & non conceperunt, & per multos menses fallūtur, menstruis purgationibus non apparentibus, & ventres augeri ac moueri vidēt: hæ & caput dolent, & collum & præcordia, & in mammis lac ipsis non est, nisi modicum quiddam & aquosum. Cuius etiam affectionis Barbaros medicos meminisse constat, nec non & Neotericos, qui sub nomine molæ non veræ, eam complectuntur: inquit enim Matthæus de Gradi. Fit etiam alia apparentia prægnationis, & falsa prægnatio ex inclusione aliarum materiarum ex matrice nō sic indurata rum: de quibus aliquoties est ventositas sola generata in matrice, siue in concauitate eius, siue in venis extendens eam præter naturam, & generatur ex humiditatibus ibidem inuentis clausa matrice. Quam quoque sententiam Auice. obtinuisse constat: à quo Matthæus ad verbum transcripsit, constituens prædictas differētias, in quarum vna, aquosa præest substantia, quæ temporis tractu in corruptelam degenerat. Huius primum meminisse Hippo. legimus lib. 1. de mor. mul. per hæc verba: Multis verò contingit, vt putent se sex mensibus in vtero habere, aut etiā paulò breuiori tempore, & venter prominet, & alia sibi fieri putāt, velut in ventre habenti: posteà sunt, quibus suppurati erumpunt supra inguen simul cum quinto aut sexto mense, & viam ea parte patefecerunt. Quibusdam autem vlcera fiūt in vteris etiam infra sub inguine, & periclitatur mulier de vita. Quibusdam etiam (subdit) in pudendum erumpunt, & prodeunt ipsi putrefacti ac purulenti. Quibus euidens sit argumentum, fœminam sic affectam in ventre habuisse, cæterum id aquam, eamque corruptam fuisse: quibus constat, falsam grauidationem à mola longè differre.

Differētiæ. Sunt equidem non paucæ falsæ grauidationis differentiæ: nam quibusdam in aqueum humorem genitura commigrat: alijs in flatum, nonnullis in pus: plerisq; in mucorem fœtidum acrem & mordacem: alijs etiam in ichorem tenuem & fœtidum subalbidum, vel in globosam tofaceamue pituitā vi caloris præter naturam vteri in eodem induratam. Quæ omnia vterum in tumorem eleuasse, ac posteà excreta fuisse authorum decreto & obseruatione comperimus.

Causæ. Causam habet is affectus primò seminis morbosi & inutilis susceptionem & conclusionem: item vteri intemperamentum, quo genitalis seminis spiritus perit: quibus accedit vel pituitæ, vel aquosi humoris, aut diluti sanguinis aliquid, maximè si fœmina sua sponte menses decolores, pituitosos, ichorosa substantia conspurcatos habeat. Quibus proculdubiò facilè constat, id quod vtero susceptum est, in aliquā ex prædictis substantijs migraturum.

Signa. In ijs verò, quæ apparenter grauidæ fiunt, primò menses supprimuntur, quos anteà necesse est, non fuisse boni sanguinis: ob idque his suppressis dolorem persentiunt molestum capitis, lumborum, dorsi, ventris & inguinum. Venter celeriùs intumescit, quàm in vera grauidatione: nam in ijs, quæ grauidæ sunt, ferè à principio subsidet, & postmodum eleuatur: at in his confertim intumescit, & percussus tympani sonum edit. Verùm si sonitus aquæ naturam referat, grauitas & fluctuatio in ventre persentiuntur, & albis humiditatibus quid persimile ab vtero instillat fœtidum, acre ac mordax. Pedes item nonnunquam intumescunt, & facies, sed potissimùm oculi, nisi ex flatu sit: totius corporis color in pallorem mutatur: & tandē omnia ferè accidentia hæ fœminæ habent, quæ in hydropē, vel vteri inflationē repe-

reperiri dixímus. Quibus etiam accedunt febres inordinatæ, cibi faſtidium, appetitus deprauatus, & animi defectio, & alia his ſimilia. Præterea in huiuſmodi fœminis grauidationis tempus neque vnum, aut ordinatum exiſtit, ſed antè in pleriſque vterus proijcit prædictas fœturas: in aliquibus verò multò poſt ſtatutum tempus, ita vt nõ paruam inferat admirationem. Euadunt quidem ab hoc malo fœminæ vel ſteriles, vel pudendis exulceratis: quapropter diligentia non leui futurũ malum præcáuere oportet, & præſens curare, maximè ſi affectio antiquior fuerit: nam eo tempore ſuppurationem ſubit, aut vterum ita malè afficit, quòd immedicabilis ſuperſit.

Curandi ratio. Obtinet quidem id affectionis genus, à quauis prodeat cauſa, vnam communiſſimãque curandi rationem, nimirum, euacuationem eius quod præter naturam in vtero concluditur, ſiue flatus, ſiue aqua, ſiue pus, ſiue quæuis alia ſubſtantia ſit. Habet etiam vnaquæque prædictarum cauſarũ aliam peculiarem medẽdi viam, nempe peculiaribus & ſibi proprijs auxilijs debere vacuari. Quamobrem præmiſſo optimo vitæ inſtituto, frequenti exercitio, parciſſimo potu ex vino, vel aqua cinnamomi, aniſi, corticum citri, aut radicis chinæ, omni arte aborſum mouere oportet. Caueat tamen diligens & prudens medicus, ne falſa falſi conceptus imagine decipiatur, & partum legitimum perdat. Cuius rei facta diligenti diſtinctione, validis exercitijs fœminam cõmittere oportet, velut ſaltus eſt, aut curſus, idque in primis grauidationis diebus. Tandem fomentis, quæ cap. præcedenti adduximus, vtendũ eſt, & inunctionibus ex oleo croci, ſpicæ, & liliorum alborum cum vino, in quo ferbuerint radix ariſtolochiæ, ciminum, ruta & aniſum cum artemiſia: inſeſſionibus etiam rerum, quæ valenter menſes & vrinas mouent: peſſarijs, quæ vterum irritent & purgent, veluti ex hiera, ex aloë, ex agarico, ex ſucco ſiclæ & alijs grauioribus, quæ paulò inferiùs cap. de ſecunda relicta recenſebo: clyſteribus etiã acrioribus, & quæ flatus diſcutiant ac ventrẽ purgent. Per ſuperna verò potriges quę valẽter mẽſes mouere proprio cap. diximus, & alia, quæ vrinas ciunt. Quæ proculdubio omnia admiſcebis ijs, quę è directo prodeſſe poſſunt flatui, aut aquoſo humori. Quo in opere cautè corpus, facta leui ex melle roſaceo, vel ſyrupo abſynthij, aut de thymo præparatione, purgato ex hiera, pilulis maſtichinis, ex aloë, aut confectis ex agarico, cartámo, & aloë, ſi humoris huius copiã, à quo flatus eleuãtur in corpore, redundare cognitũ ſit: nam ſi ſolo defectu caloris flatus oriantur, purgandum minùs eſt, & diſcutiendum ac roborandum magis. Facta tamen purgatione flatui diſcutiendo inniténdum eſt, facta per vterum inunctione oleo ex radicibus liliorum, cui in decoctione adijcito cardamomi, ſeminis apij, & ameos, ana partes æquales. Præſtat & oleum de cinnamomo, de baccis lauri, & reliquis diſcutientibus: item emplaſtrũ de baccis lauri, vel ex prædicto oleo, & ſtercore bouino aut columbino, addito vnguento marciaton, & alijs, quibus in tympanite vti conceditur. Vterum autem priùs mollificato, vt facilius quod ex flatu attenuatur expiret: cui vſui inſeſſionem parabis ex althea, ſemine lini, fœnugræco, floribus camemali, anethi, & ſemine rutæ: quibus euaporationem & fomẽtum cũ filtro parabis. Itẽ ſuppoſitorium indes ex linteo prædicto decocto madido, ſuperſparſo puluere ariſtolochiæ lõgæ, calamẽthi, rutæ, hyſſopi, & trochiſcorum de myrrha: à quo non erit ab re ſuffumigium aliquod parare ex ruta, picra, aloë, & ſimilibus. Loco autem ſuppoſitorij vteri, radice maluæ, althææ, vel taſsibarbaſi inuncta oleo coſtino, de lilio, de ruta, de croco eum puluere rutæ vtitor. Clyſteria etiam, quæ diſcutiant, proſunt, ſi acceperint decoctum camemali, anethi, rutæ, ſerpylli, ſiſymbrij, artemiſiæ, ſeminis apij, fœniculi, cimini, ameos cum oleo rutæ, vel de baccis lauri, additis hiera & melle roſaceo. Quòd ſi ne hæc prodeſſe videantur, electuarijs quæ flatibus diſcutiendis ſunt idonea, vtendum eſt, vt diacimino, dianiſo, theriaca, inſtillatitio liquore ex vino, aniſo, dauco, cinnamomo, theriaca cũ mica panis recenter cocti, & pulueribus radicis angelicæ, cũ decocto lupulorum & melle per chimicam artem in balneo Mariæ extracto. Ex vſu quoque eſt, ſummo manè parũ aquæ ſumere decoctionis cardamomi, ſeminis apij, ameos, & caſiæ ligneæ cum paſſularum carne & modico vino. Si tamen aquoſum humorem in vtero contineri compereris, frequentioribus vtendum eſt purgationibus ex agarico, pilulis maſtichinis, ex hiera, cartamo, diaphœnicone, vel ſyrupo ex artemiſia, decocto radicis chinæ, agarico & cartamo confecto. Tãdem eis vteris quæ cap. de vteri hydrope dicta ſunt. At ſi ichoroſam, putridam, aut fœtidam ſubſtantiam ab vtero promanare comperiamus, adhibenda protinus ſunt ea quæ vterum & pudendum abluant per metrãchitam iniecta, qualia cap. de vlceribus dicta ſunt.

De picaceo prægnantium appetitu.

Cap. X.

INter ea quæ prægnantibus frequentiſimè accidere conſpicimus mala, primum & vulgarius euenit appetitui quoddam vitium, ob varietatem & inſtabilem conditionem picaceum appellatum. Quem ſanè affectum appellant, picam, ſeu chitam, ex auiculæ cuiuſdam ſimilitudine, quæ varijs ex albo & nigro pingitur coloribus: aut hederæ ſimilitudine quæ varijs rebus ſibi obuijs adhęret & inſeritur: malaceam Latini appellant. Eſt quidem hæc affectio vna ex ijs quæ ori ventriculi accidunt: appetentiam (proprium illius partis officium) deprauans, non quidem in intenſione & augmento, vt in canino contingit appetitu, ſed in deprauata appetitione, eaq; varia. Quamobrem huiuſmodi affectũ iure optimo prædictis nominibus inſignierunt antiqui: ac reduxerunt ad earum rerum appetitum, quæ nobis extraneæ & alienæ exiſtunt, velut ſunt carbones, gypſum, terra, & alia huius cõditionis, vt virginibus morbo virgineo correptis, ac viris atro humore infeſtatis, accidere paſsim conſpicimus, ſed frequentiùs vtero gerentibus.

Succreſcunt his fœminis huiuſmodi accidentia, mille alijs varietatibus implicata ex menſium ſuppreſsione: quorũ cauſa tot accidunt malorũ varietates, vt vix numero eomplecti poſsis. Sed antequàm hinc pergam, noſſe oportet, plerunq; ea magis profectò ijs euenire quæ laudabiliori abũdant ſanguine, licet alijs quoq; nõ deſint. Sed ea intereſt differentia, quòd fœminæ optimo præditæ tẽperamẽto pulcherrimos producunt partus, ipſæ tamen frequentiſimè toto grauidationis tẽpore laborant. Ratio potiſsima eſt, quam adducit Hipp. lib. 1. de mor. mul. nimirum, quia fœtus præſtantiorem ſanguinis partem ad ſe alliciunt impuriore & fæculentiore relicta: ex qua conſonũ rationi eſt, fœminã malum habituram. Quod pleriſque accidiſſe ſcimus: & idẽ refert Hipp. li. 2. pop. part. 2. tex. 19. dicẽs: In vtero habẽti in tibia dextra infernè tertio aut quarto menſe exanthemata. Ex quo loco conſtat iecur ex praua redundantia affici, & in dextrum crus ſeſe exonerare. At cæ, *Cauſæ.*

quæ valetudinariæ sunt, morbosos edunt partus, ipsæ verò à fœtu expurgantur copia fœdi sanguinis, & ob id plerunque in grauidatione melius se habent fœtu sanguinis vitiosi copiam minuente. Vtcunque tamen sit, primis mẽsibus constat sanguinem menstruum redundare, qui non expurgatus, præsertim attracta puriori eius parte à fœtu, facillimè conspurcatur, & ea labe vitiosus efficitur, vt quãcunque adeat partẽ, grauissima accidentia concitare possit. Atqui non solùm sanguis id malum efficit, sed eius etiam halitus tam est pernicioſæ naturæ, vt non minus moliatur damnum. Quem sanè cùm ad os ventriculi trãsmiserit natura, inter alia vitia quæ excitat, appetitum deprauare non rarò habet, ita vt iuxta eiusdem naturam, quibusdam carbones, pleriſque terram, & id genus reliqua abominatu digna, degustare in mentem veniat: talia proculdubio, qualis humoris redundantis conditio extiterit. Nam licet apppetitus semper suopte motu contraria fugere, & similibus delectari habeat, tam vehementer hæc humoris natura imprimit suum vitium partibus quibus adhæret, vt connaturalis fiat, & appetitus quoque more naturalis similia appetat. Quippe actiones omnes quæ coniuncto insunt, & organo corporeo operãtur, non possunt, nisi pro dispositione corporei instrumẽti operari. Sic appetitiua potẽtia tales appetitiones profert, quale est vẽtriculi tẽperamẽtum quoad prædictam actionem: quo fit, vt similia appetant fœminæ humoribus super uacuis ori ventriculi factis iam connaturalibus. Sic quæ exusto humore abundant, carbones appetunt & prosequuntur: quæ melancholico succo, terram ingerunt: quæ salsuginoso, sal edunt insatiabili quodam appetitu: & simili ratione quæ humoribus crassis abundant, gypsum ardenter expetunt. Quæ sanè omnia non nisi ob similitudinem humoris deprauantis appetitum exquiruntur. Nec deest quoque ratio, qua aliquando liceat probare huiusmodi fœminas contrarium sui affectus appetere: nimirum dum temperamentum oris ventriculi mutatur, cæterum intemperies non fit connaturalis: quo tempore potentia naturalis, quæ nondum peruersa est, sibi simile appetit, & propter sui conseruationem affectui cõtrarium: quo fit, vt aliquando appetat quod sibi futurum subsidium agnoscit, etiam si primo accessu videatur dissimile. Quod pulchra sententia docuerat Auice. 1. 3. cap. 17. dicẽs: Quapropter accidit in quibusdam appetitus luti, imò carbonum, terræ & gypsi, & rerum huiusmodi generis propter qualitatem quæ est in eis exsiccantem & inscidentem, contrariã qualitati humorum. Et paulò distantiùs inquit: Nam si appetit pinguia, tunc illic est stypticitas & spissitudo & siccitas: & si natura abhorret cibos calfaciẽtes, & declinat ad frigidos propter frigiditatem ipsorũ, tũc est illic caliditas, & si appetit calfacientes, tũc est frigiditas. Quam quoque sententiam anteà dixerat Galen. lib. artis me. dicens: Malæ verò temperaturæ quæ morbi ratione ventriculum occupant, hoc differunt ab his quæ naturales existunt, quoniam contraria non autẽ similia appetunt, quẽadmodũ naturales. Dignoſces autem id esse simile aut dissimile, non solùm à re appetita, licet videatur à natura aliena, sed ex eo quòd appetitus harum rerum similium, quæ præter naturam sunt, insatiabilis est, & nondum quiescit re appetita cõsequuta. At verò alter appetitus, qui in subsidium affectionis, contrarium causæ aut intemperamento exequitur, tantùm abest vt insatiabilis sit, quòd potius habita re appetita, cùm ea morbo sit contraria, & ob id morbus ipse subsideat, cessat protinus appetitio, quia cessat necessitas. In altera verò crescit causa, quia crescunt humores ob similium appetitũ & ingestionem. Quibus facilè cognoſces & affectionem, & causam, & causæ naturam, quæ vtero gerentes malè afficiunt, ad tertium & plerunque ad quartũ vsque menſem.

menſem. Cessant autem eo tempore, partim, quòd vomitione vitiati humores expurgentur, partim eò quòd coquuntur natura minimè in cibis distracta: nam plerunque fœminæ sic affectæ exiguum cibi ingerunt ob fastidium: partim etiã quòd multitudo indies magis minuitur, quia primis duobus mensibus fœtus parum ad se sanguinis trahit, plurimũ verò, cùm magis augetur. Quippe in sic affectis adeò crescit languor & mollities dissoluti & vtilia fastidientis ventriculi, vt semper peregrinum id appetat & continuis vomitibus & crebra spuitione vẽtris resolutione afficiantur.

Curandi tatio.

Longè quidem aliter hæc accidentia curare oportebit in fœminis vtero gerentibus, quàm in reliquis corporibus: nam neque purgationibus, neque alijs quæ vehementer abstergant pharmacis vtendum esse cẽseo, ob periculum abortus, maximè primis mensibus, vbi hæc accidentia vigent. Triplex igitur erit medendi ratio: vna quidem, quæ alimentis tantùm studeat attemperare, & moderari deterrimam humorum conditionem: ob id iura gallinarum & caponum, & carnium optimæ substantiæ adhibenda sunt, sicut extremitates porcellorum: confert & succus cotoneorum vel malorum punicorum cum pane: prodest & abstinentia à dulcibus: & ijs quæ terrã appetunt, nil commodius adhibebis quàm amylum recens: reliquis verò confert oliuas albas ante cibum muria conditas, cum pane molli exhibere: post cibum verò uuis passulis, auellanis & ciceribus tostis cum sale, & sinapi cum obsonijs, ac vltimò malis punicis vtantur. Vinum etiam ex vsu illis est, vel si aduersentur, aqua cinnamomi. Confert mali punici cremor cum puluere menthæ: portulaca comesta, vel eius aqua & syrupus: prodest in summa sic affectis polipodium exsiccatum, quod efficacissimum est præsidium. Secunda autem curandi ratio docet humores abstergere leuissimis tamen medicamentis, & non nisi vrgente maxima necessitate: vt vbi compertum fuerit ab acido, acriuè aut salso humore morderi, si leuiter vomuerit, id excitare aqua tepida cum modico oximellite oportebit. Nihil enim commodius est vtero gerentibus, maximè in primis mensibus: nam & vniuersum corpus expurgat, & fœtum ab humorum spurcitia liberat, vegetiorem-que reddit: verùm si difficulter vomuerit, abstinendum est. Prodest & purgationis loco mel rosaceum adhibere, ac si plurimùm necessitas postulauerit, aliquid ex ijs quæ leuiter purgant adhibeto, dum periculum est deprauatum appetitum in aliud grauius malum commigrare: cui vsui proficuum est rhabarbari modicum cum conserua rosarum. Tertia verò methodus consulit, exterius ventriculo adhibere, quæ roborent & conterant humores ibidem contentos: ob id palmularum carnes vino decoctæ cum rosis & fœniculo ventri adhibemus: vel malum cotoneum vino, rosaceo, & nardino oleo exceptum & ventriculo appositum. Confert & vinum cum oleo rosaceo & modico aceto, ac mica panis tosta, aut oleum nardinum cum vino. Item cataplasma, quod recipit corticum citri, melissæ, calami odorati, & olei nardini ac mastichini quantum sit satis, vt cum pane tosto & vino rubro cataplasma posſit efformari, & ventriculo adhiberi.

De prægnantium inappetentia.

Cap. XI.

MOX quidem à mẽsium suppresione & in grauidis,& in reliquis experimento comperimus, fœminas cibos fastidire & abominari,iuxta illud Hippocrat. 5. aphor. 49.Si mulieri cessent purgationes,neque horror, neq; febris superueniat,& fastidia incidant,iudica ipsam in vtero habere.Atque licèt non sit certum ac proprium grauidationis indicium cibos fastidire , si quidem plerunque virginibus ex mensium suppresione accidere conspicimus,cum hoc tamen in ijs quæ vtero gerunt, certum est ea occasione prouenire.

Cauſa. Verùm,vt ex authorum decretis depromere potui , ex duarum causarum occasione id malum prouenire certum est:prima,quia plerique obseruarunt in plenilunio,& fœtu capillum germinante,fœminas fastidire magis,& tædio fatiscere,quia per ea tempora pueros etiam in lucem editos deteriùs se habere norunt:& cùm id quoq; in vtero contingat,fœminæ tædiosæ existunt,& nil gustare appetunt. Altera verò causa ad sanguinem menstruum referenda est:quippe scimus grauidis ex suppreso menstruo tria accidere:primum quidem,operationem seminis in sanguine:secundum,separationem dulcioris partis pro alendo fœtu:tertium verò, effusionem reliquæ partis prorsus excrementitiæ in vteri cauitatem : vnde vapores ascendentes appetentiam omnino deijciunt:& hæc est huius mali immediata & potissima causa.

Curandi ratio. Licèt dictum sit ab omnibus peritis in re practica,qualiter cibi fastidium liceat curare, in ijs verò fœminis quæ vtero gerunt, secus agendum est. Quippe expurgantibus medicamentis id efficere non datur, licèt vomitibus id malum curare frequentissimè assuescat natura,quam medicus imitari tenetur,præsertim si fœmina sua sponte leuiter vomuerit.Præter quæ ijs etiã aptissima sunt,quæ austera,quæ acida,quæ etiam admixto modico sale existunt.Confert ad alimoniam auis omnis quæ ex venatu capitur,præsertim si assa adhibeatur:tãdem caro omnis macra quàm potiùs quàm pinguis:vinum etiam generosum & aromatis conditum, sed quàm parcissimum & per interualla exhibitũ,& iciuno ventre.Item prosunt pyrum,cotoneum,palmulæ,nuclei pini, oleæ albæ ex muria & aceto,vel nigræ,quæ in arbore optimè præmaturuerint.Ex vsu etiam sunt vel frigidæ vel feruentes potiones iuxta ventriculi intemperamentum persentitum . Cui consimilem curationem adhibebis, si ventriculus aqua inundauerit: cui præter dicta, malagma porriges ex folijs vitis, cinnamomo, cotoneis, dactylis immaturis, calamo odorato,spica, & absynthio Pontico.Exteriùs item ea medicamenta adhibebis quæ ventriculum roborent,veluti sunt inunctiones ex oleo absynthij,menthæ & cidoniorum ,cum pulueribus diarrhodonis,aut coralli & rosarum.Confert & mica panis tosta vino albo irrorata supersparso puluere cinnamomi, vel aliquo ex prædictis. Cui vsui proficuum est aliquod ex emplastris quæ pro ventriculo passim adhibentur. Cauendum tamen est in hac curatione à copiosioribus medicamentis & validioribus,quòd hæc omnia accidentia sua sponte & crescente fœtu cessare soleant.

De

De prægnantibus quæ cibum euomunt.

Cap. XII.

EX prædicta mensium suppresione,dum vitiosus fæculentusq; sanguis in vtero redundat, idem quoq; vapor ad vniuersam ventriculi cauitatem peruenit, ibidemq; vitia excitat actionibus ipsius partis respondentia. Est enim illius partis munus cibos ad coctionem continere,& prædicto halitu in eam partem conscendente euenit,vt frequẽtissimè cibus aut mox ab assumptione, vel multò post reijciatur,aut nauseam implacabilem excitet.Item nonnunquam alimentum ipsum vitiat, ac in nidorosam naturam commutat,vel in acidam cruditatem. Ea tamen parit mala partim acrimonia lacessita expellente ventriculi facultate,quæ si leuis fuerit,nauseam,si verò intensiùs mordeat & vellicet,vomitum excitabit.Verùm si vapor ventrem ascendens,calidus exustusq; fuerit,credibile est alimenta in nidorem commutanda fore: sicut si frigidus aut calore diminutus,in acidam cruditatem.Ob id quidem iuxta naturam eleuati halitus præsidia adhibere oportet,idque cautè,ne grauius malum eo præsidio succrescat.

Curandi ratio. Cùm in hac curatione vacuationibus & vniuersali prouidentia vtendum non sit,ad particularia primo accessu deueniendum esse consulit rei natura: præmisso hoc fundamento,topica auxilia huic vsui necessaria discutientia & roborãtia esse debere: sic enim confert seminis apij aridi drachmas tres , coralli rubei. ℈. j. spicæ nardi,myrrhæ,piperis longi,singulorum.g.ij.mellis quantum sit satis, vt coquendo fiat electuarium:cuius.3.ß.aut drach.j.ieiunæ præbeto:post prãdium verò conferunt cidonia in musto decocta ad mellis spissitudinem, vel mala punica cum sorbis.Item confectio hæc in tabellis facta incredibili efficacia prodesse fertur,quæ recipit anisi,cinnamomi,corticum citri.ana.3.j.&.ß.pulueris rosarum rubearum,coralli,& margaritarum præparatarum , & electuarij de gemmis . ana. ℈. j. sacchari quantum sit satis, vt fiant tabellæ cum aqua ferrata.Exteriùs tamen non erit ab re ventrem inungere oleo absynthij,nardini,abietis & naphæ cum modico puluere coralli,vel diarrhodonis. Prodest & mica panis tosti succo cotoneorum,vino & aliquo ex prædictis pulueribus irrorata,vel succo menthæ madefacta. Confert etiã sacculus ex puluere diarrhodonis, rosarum,santhalorum,cornu cerui , absynthij, cinnamomi & spicæ.Ex vsu quoque est,micam panis leuiter torrefacti vino odorato madidam ante prandium sumere cum modico puluere cinnamomi,vel modicum vini aromatici, Hippocras appellati.Quòd si ad nidorosam naturam vergat ingestum alimentum,nullum aliud præstantius reperies auxilium,quàm prima mensa parum aquæ frigidæ præbere,& paulò crassioribus vti alimentis, fugiẽs pinguia,iurulenta,& reliqua,quæ facilis sunt corruptionis.Si tamen corrupti cibarij, vel humoris aliquid ibidem esse persenseris,nullo alio auxilio citiùs huic malo medeberis,quàm exhibito bolo armeno vel terra sigillata cum saccharo rosaceo: item prodest puluis diarrhodonis vel electuarij de gemmis cum eodem saccharo, aut in tabellis formatus. Si crudum autem acidumue supersit alimentum, calida & quæ robur addere possunt,adhibenda sunt,qualia existunt quæ præcedẽti capiti retulimus.Præter quæ prodesse quoq; ferunt potum vini vel aquæ corticum citri

vel

vel cinnamomi:sicut frequenter masticare ac deuorare patum cinnamomi vel radicis angelicæ.

At si fortè accidat vomitum fieri ex humore aliquo ad os ventriculi confluente cum dolore graui & cardiacis accidentibus,aut citra ipsa,vt in primiparis (quæ prauis alimentis vti consueuerunt,vel vitam egerunt laboribus & curis plenam) non rarò accidere conspicimus,iecore aut vniuerso corpore in ventrem regerẽte quod illi est molestum post vteri gestationẽ,maximè si fœmina ante vel post tempus mẽstruationis, vomitus vel dolores pati erat assueta:primo etenim morbi accessu coniectandum est an vrgentior sit vomitus vel doloris indicatio ea, quam præstat humoris affluxus.Nam eo tẽpore dubium non est, quin frequentioribus aquæ feruentissimæ potibus subueniendum sit,aut vini, si pituitam subesse comperiamus,vel aliquo ex medicamentis quæ nuper retulimus. Quo facto, ventri impones cataplasma,quod recipit pulueris rosarum,& absynthij Pontici. ana.ʒ.ij. pulueris coralli.ʒ.j.&ʃ.pulueris ligni aloës & diarrhodonis.ana.ʒ.j.furfuris quantum sit satis,vt fiat cataplasma cum vino rubro, ter quaterue calidum die appositum.Cuius efficaciæ aliud efficies,quod recipit micæ panis tosti.ʒ.iiij. madefiat vino rubro & succo citoniorum,vel si æstus fuerit vehemẽs,succo plantaginis,aut aqua ferrata cum succo granatorum acrium, pulueris coralli,diarrhodonis, rosarum,absynthij Pontici,ligni aloës,& terræ sigillatæ.ana.ʒ.j.olei absynthij, & rosacei omphancini.ana.ʒ.j.pistentur,& fiat cataplasma. Confert etiam inunctio ex eisdem oleis super aspersis prædictis pulueribus.Quòd si vomituum immoderantia poposcerit,non erit abre emplastrum de crusta panis apponere. Quibus factis & ventriculo iam quieto rhabarbari,siue masticati,siue infusi, siue pilularum forma adhibiti,vsus proficuus & necessarius existit,per aliqua interualla:inter quę vel syrupis pro humoris idea,vel puluisculis,aut bolis ex conserua rosarum cũ prædictis pulueribus vtẽdum est.Qua in re vmbilico pomum assum pulueribus dictis sparsum cum modico vino apponere oportet,& quæ dicta sunt reiterare, donec fœtus crescat,aut affectus subsideat, ni propter vrgentiam maiora postulauerit, quæ cap.de vomitibus sistendis lib.1.indica.& lib.2.cap.de purgatione particulari reperies.Quòd si illa non profuerint,huic vsui maximè proficuum experieris saluatellam dextræ manus tundere:quod auxilium securissimum aborsus esse scio, & iecori,alioqui affectionis origini incredibile subsidium.

De ventris dolore in prægnantibus.
Cap. XIII.

AB spiritu flatuoso tãimmanes & acerbi excitãtur in vẽtre dolores & cruciatus,vt ferè ad pulsus abolitionem res tendat. Nam cũ ex genitura tum intestinorum,tũ reliquarum vteri & ventris cauitatum vias coarctari sit necessum,eleuatis ex indebito vitæ instituto,vel ex eodem sanguine menstruo flatibus,facilè cùm inclusi existant,& crassi,qui difficulter excutiantur prædicta accidẽtia circa vmbilicũ moliuntur: quæ vel aborsum minantur,vel tormina efficiunt tam grauia, quòd periculũ minari videantur: quæ sanè vitia in vtero gerentibus vitare summopere oportet,ne inopinatò aliquid ex ijs quæ nuper diximus,superexcrescat.

Cui

Cui affectioni medeberis præmisso,loco vniuersalis prouidentiæ, in cibo & potu moderamine,siccis fomentis superiori ventris parti adhibitis ex semine fœniculi, cimini,anisi,anethi,& reliquis huius naturæ in puluerẽ redactis,ac vino, vel aqua vitæ irroratis.Cataplasmate etiam veteris ex ouis,oleo de baccis lauri frixis cũ pulueribus suprà dictis:calida item inũctione ex oleo liliorum & anethino: ex quibus cum decocto prædictorum seminum clystere in parua quãtitate inijcere poteris. Prosunt quoque aquæ calidissimæ potus,aut vini aromatici, vel dentibus frangere cinnamomum,& diutiùs ore agitare:quod etiam præstat anisum, vel cortices citri: quas vino deuoratas experimento comperimus plurimùm profuisse: sicut & aquam stillatitiam ex cinnamomo,cimino,aut corticibus citri. Fugiendum insuper est in hoc affectu à fomentis humidis & immodicis inunctionibus, vtpote facientibus abortire ob flatus dilatationem, quam antequàm resoluantur moliuntur:ex quibus dubium non est,quin si vterus & eius vasa dilatentur,fœmina abortiat.Cui medeberis per assum pomum pulueribus dictis insperſum, & vmbilico appositum. *Curandi ratio.*

De cordis saltu,ac de syncopi in prægnantibus.
Cap. XIIII.

QVemadmodum graues dolores ex flatu fieri posse dictum est: ita & ob eandẽ causam saltus cordis in prægnantibus fieri arbitramur.Nam flatulenta illa substantia si per arterias,aut venam cauam ascendẽtem in cor, se se insinuet, saltus & cordis palpitationes fieri rationi consonum videtur. Nitens enim cor, quod sibi præter naturam transmittitur,pellere,miri nihil est, si motum illum extra ordinem & proprij motus concẽtum edat. Quod sanè accidens maioris mali præsagium esse solet: nam facilis est ab eo ad cardialgiã,syncopim ue & asphixiam commeatus:ob id quidem omni arte curandũ est,prædictum accidẽs quàm citissimè mitigare.

Nec paruam hæc affectio prærequirit in cibo & potu, ac reliquis rebus non naturalibus commoderationem,vt quæ citra huiusmodi prouidentiam facilè in præ dicta mala commigret.Quapropter transactis primis grauidationis mensibus, & tentatis leuissimis auxilijs primò, audacter ad rhabarbari vsum, vel confectionis Hamech sine scammonio & colocynthide confugiendum erit,maximè si corpus prauo aliquo succo abundare cognoueris: quo tempore rhabarbari modicum cũ conserua rosarum porrigito,vel prædictæ confectionis Hamech tantundem cum eodem rhabarbaro.Quo facto,huic affectioni medeberis calidissima aqua epota: sic & aceris radice cum vino tusa. Sed inter omnia cõseruam de hyacintho vino vel aqua naphæ sumptam,electuarium de gemmis,lapidẽ bezoar, & reliqua, quæ cordi opitulantur,ipsumque tuentur à venenosorum halituũ contactu prodesse experimẽto didicimus.Sic scordij aqua,vel scorcioneræ,aut carlinę incredibili efficacia prosunt.Sed efficacior multo est cardiaca herba per instillationem extracta, aut aqua cinnamomi vel caryophyllorũ arte chimica extracta.Exteriùs quoque adhibere oportet quæ eundẽ vsum præstent,halituq; vel dissipent,vel ad extimas *Curandi ratio.*

partes

partes euocent. Ob id quidem inungere cordis regionem opus eſt vnguento vel oleo naphæ, aut iaſminorum admixto modico roſaceo: quibus ſi addideris theriacæ modicum, probè factum exiſtima, maximè ſi admiſceueris aquæ cinnamomi, vel olei eiuſdem modicum: quem quoque vſum præſtat oleũ de Mathiolo experimento nobis comprobatum. Conferunt ſacculi ex pulueribus coralli, cornu cerui, carlinæ, ſanthalorum, diambræ, diamuſci, ſeminis angelicę, & florum cordialiũ: item corium cerui, aut capreoli, ambaro & moſchu præparatum eidem parti appoſitum. Eiuſdem vtilitatis ſunt epithemata quæ fiunt ex mica panis toſti & aqua vitæ aut vino, aliquo ex prædictis pulueribus ſuperſparſo: vel facta ex ſucco pomorum redolentium & vino & eiſdem pulueribus. Tandem omni arte curãdum eſt flatus cor irruentes diſcutere, & odoramentis gratiſsimis ſpiritus reficere, donec ſuſpiria & anxietatem mitigaueris. Verùm ſi ex copia tetri ſanguinis malum fiat, ſanguinem ſemel mittere opus eſt.

De *prægnantium tuſsi. Cap. XV.*

NIL equidem prægnantium partus æquè accelerat, ac vt rectiùs loquar, aborſum excitat, vires proſternit, & vniuerſum corpus conterit, perinde ac tuſsis: ſiquidem capitis dolorem accerſit præ commotione, vigilias infert, difficilem reſpirationem mouet, ac febrem aliquando accendit, & plerunq; adeò creſcit malum vt præ tuſsis vehementia vrinam quoq; guttatim excernant: & quibuſdam conſuetum etiam eſt quo tempore vtero gerunt, donec pariunt, vehementer & continuè tuſſire. In qua ſanè affectione muſculos plures laborare eſt opus: & ea ratione curandũ eſt id malum lenire, & quàm citiſsimè mitigare, ne aborſum promoueat. Qui ſanè certior erit in maſculis quàm in fœmellis, maiores enim hæ ſuſtinent labores citra aborſum, idque maximè poſt primos menſes: nam fœmellæ initio prægnationis periclitantur magis, ſicut mares, cùm auctiores ſunt, & moueri incipiunt.

Cauſa. Scimus quidem id malum plerunque grauidis ſuccreſcere ex halitu aliquo tetro & mordaci à ſanguine menſtruo elato, aſperam arteriam & reliqua reſpirationis inſtrumenta peruadente, irritanteq; facultatem ad tuſsiendum. Præterea fit etiam ex albis aut vitioſis menſibus, qui ante grauidationem fluere ſolebant, retentis, vt teſtatur Hippocrat. lib. 1. de morb. mulie. dicens: Contingit enim ipſi fluxum aquoſum fieri, aut purgationem occultari, & ad ventrem conuerti, & ad crura aut ad pectus, aut ad aliquam harum partium. Item ſuboritur prægnãtibus hæc affectio ex peculiari aliquo capitis defluxu, tenui vel nimis craſſo, cuius etiam, ne idem malum accidat, ediſcere prouidentiam conueniet.

Signa. Licèt affectus ad ſui cognitionem ſignis non indigeat, eis tamen opus habemus ad cauſas dignoſcendas. Sic etenim dignoſces à flatu proficiſci, quòd fœmina, quantũuis tuſsiat, nihil excernit, neque leuatur vllo medicamentorũ genere, præterquam flatu per ructum excreto, & ijs medicamentis quæ vel flatus diſcutiant, vel leniores reddant. Dignoſces ex albis menſibus ſuppreſsis malum proficiſci, ex relatione, & ex fœminæ prauo colore, totius corporis laſsitudine & grauitate, & ex nimio oris madore ac ſpuitione crebra. Inſuper cauſam huic malo caput præſtare diſces,

diſces, quòd fœmina multa tuſsiendo expuat, & crebra excretione à tuſsi liberetur, & etiam quòd à ſomno deteriùs ſe habeat.

Curandi ratio. Etiamſi in hoc affectu proficua ſit vniuerſalis prouidentia, quatenus pertinet ad expurgationẽ corporis: id minimè perfert grauidationis ſtatus, & ob id moderatione victus & potus, rem agere eſt opus, maximè ſi halitus malo cauſam præſtiterit. In qua re purgandum nullo modo eſt, ſed eo præſidio vtendum, quod leniendi ſolùm vires habeat: in quo genere nil magis prodeſſe comperies, quàm potum calidiſsimæ aquæ ante cibum & ſomnũ ingeſtũ. Cui cõſimilem vſum præſtat potus vini, aquæ cinnamomi, vel floris eiuſdem cinnamomi, ſeminis angelicę, aut ipſum cinnamomũ frequẽter maſticatũ, vt aſcendẽs halitus vi horũ medicamẽtorũ digeratur. Lãbendo quoq;, ſi fortè aliquid aſperæ arteriæ adhæſerit porriges, potiſsimũ cinnamomi decoctũ & caryophyllorũ cũ ſaccharo & melle. Ex vſu item ſunt tragacantha, amylum, & mucilagines pſyllij, ac ſeminis citoniorum, vel ex eis confectũ ſerapium. Si tamen affectio prodeat ex ſuppreſſo albo menſtruo, vel nullam admittit curationem peculiarẽ (niſi rhabarbari modicum aliquãdo exhibere placuerit) vel ei ſimilem, quã capitis affectio expoſtulat. Sic etenim cùm ex peculiari aliquo capitis defluxu prodire comperimus, proficuum eſt alimẽta ſiccioris naturæ & boni ſucci porrigere, velut auium (maximè venationis) aſſatarum: q; ſi elixas porrigere placuerit, eãrum iuſcula nõ adhibeas. Prodeſt amylum, vel pultes ex farina hordei, & potus quã parciſsimus. Docet quidẽ huic malo Hipp. lib. 7. pop. tex. 7. in hiſtoriã ſororis Harpalidi ſubuenire: maximè cùm ex aquoſo humore cũ ſanguine redundante principiũ traxerit fabarũ farina (quã Gal. 7. ſimplicium excretioni facilitandæ eſſe proficuã fatetur) cũ melle, qua vti poteris forma pilularum, aut in bolis, vel linctus modo cum deſpumato melle: quod etiã cumini genus omne cum vino præſtat. Sed huic vſui vtile erit, præter exhibitionem bechichorum pharmacorum, ac reliquorum quæ leniendi vires habent, ad purgationem eius quod à capite inſtillat, euocare maſtiche ore maſticata, vel quouis alio maſticario ex ficubus, pipere, maſtiche & reliquis. Nec fœtui nocebit ex maſtiche & rhabarbaro pilulas conficere, quarum quinto quoque die. ℈. ij. ſumat fœmina. Cui etiam affectioni proſunt brachiorum frictiones vel ligaturæ, ac potiſsimùm cucurbitulæ, & ſi fœmina ex timidioribus non ſit, cum ſcarificatione. Sed noctu, vt ſomnum concilies ſeminis papaueris, & ſacchari pulueriſati modicum porriges, vel ſerapij ex papauere & violis. ana. ℥. ß. Item ouum ſorbile cum amylo vel tragacantho, terra ſigillata, aut pulueribus ſeminis papaueris albi, vel alia quæ tuta & proficua expertus fueris.

De aluo ſuppreſſa, aut nimis citata in prægnantibus. Cap. XVI.

FOEminis quoque prægnantibus, & magno ſæpe cum aborſus periculo aluus ſupprimitur: quippe fæx indurata magno, vt pelli poſsit, indiget enixu: quo frequentiſsimè dirumpitur ex vinculis aliquod, ac ſanguis proſilit, aborſus quidem præludium. Ob id in ijs quæ iecore ſunt ſicco & ſqualente, & meſeraicas habent voraces, maximè grauidationis tempore, omni diligentia curandum eſt lubricam reddere aluum, prunis, ſaccharo & aqua hordei, vel maluarum decoctis. Item prodeſt aqua maluarum

ſaccharum,aut ſyrupus ex mucilagine pſyllij & ſeminis citoniorum cũ aqua maluarum aut portulacæ & ſaccharo confectus.Proſunt clyſteria ex iure auium & butyro recenti,oleo amygdalarum dulcium & ſaccharo rubro.Cõfert & prima mensa ante omnẽ cibum parum aquæ ingerere.Nec diutiùs licet protrahere alui purgamenta,etiam ſi fœmina ad excretionem minimè excitetur, ne deinceps difficiliùs excernantur,& maius periculum ſubeat fœtus.Præterea,ſi defectu alimẽti, eo quòd multum inſumat fœtus,excrementa hæc nimiùm à iecore & meſeraicis excuccentur,nullo alio præſidio citius huic malo ſubuenies, quàm copioſioribus cibis,maximè iurulentis & decoctis.

Citaram quidem aluum mox cohibere curandum eſt:nam ipſa fluente, & ligamenta fœtus laxiora fiunt,& ipſe imbecillior factus ocyſimè eijcitur, & mater alimento fœtui commodo deſtituitur, præſertim ſi lyenteriæ ſpecimen fluxio retulerit: qua profectò neque matri,neque fœtui alimentum, quod ſupereſt, ſufficere valet. In qua equidem curatione, verendum plurimum eſt indiſtinctè quemuis fluxum ſiſtere,ſic ei tantum ſiſtendo niteris,qui aut diſſentericus,aut lyentericus fuerit: nam ſi ex prauorum humorum colluuie grauidationis tempore aggregata fiat, cauendum eſt ab aſtringentibus & his quæ ſiſtendi potentiam habent. Quippe hæc excrementa primis menſibus collecta, ſi fluant, periculum eſt aborſus ob mordicationem, aut laxitatem partium vtero vicinarum. Si verò cohibeantur,certius adhuc apparet aborſus periculum,ob praui ſucci abundantiam: quo fit,vt caute agendum ſit cibis, & his quæ in melius habitum mutent, ne fœminæ accidat quod Stymargi vxori euenisſe Hippocrat.retulit lib.2. popu. part.2. text. 4. quæ ex ventris perturbatione cùm multum cœpiſſet ſiſtere,fœtum quadrimeſtrem corrupit. Sic his medeberis iuxta fluxus naturam & conditionem: etenim dyſſenteria (vt paulò inferiùs referam) rhabarbaro cum ſaccharo roſaceo bis terue exhibito compeſcitur,quatenus ad humoris fluentis copiam attinet: quem temperabis ante id ſyrupis ex portulaca, ex violis, ex roſis, borragine & bugloſo: aut, ſi nimis acer fuerit, ex ſucco acetoſæ cum aqua hordei aut ferrata: cauens,ne nimium clyſteribus vtaris,quibus non parum fœtus oblæditur. Verùm ſi opus fuerit, eis vtitor quæ abluendi ac ſedandi dolores vires habeant: quippe dolorum vehementia non tardiùs fœmina abortit. Quapropter adhibenda ſunt quæ oleum violarum,roſarum,amygdalarum dulcium, & butyrum recipiunt,additis vitellis ouorum cum pinguibus iuſculis & decoctis etiam anodynis. Cæterùm ſi vitio ventriculi aliquid crudum aut ſemiconfectum vel fœtidum excernatur, eâdem prorſus medendi ratione curari deſiderat, ac vomitum expoſcere anteà dictum eſt: adhibitis ventri quæ eâdem parte retulimus,& affixis etiam vmbilico, quæ robur fœtui & ventri quodammodo præſtent, velut eſt pomum odoriferum aſſum cum theriaca, cinnamomo,caryophyllis, maſtiche, & pulueribus myrtilorum, roſarum, coralli, & diarrhodonis appoſitũ: item fruſtum ſemiaſſæ carnis cum prædictis pulueribus. Nec omnino,ſi diutius affectionem duraturam ſperaueris, poſthabendus eſt rhabarbari maſticati vſus,vel pulueris eius cum ſaccharo roſaceo:quo facto,ſummopere conferre ſcimus maſtichis.gr.iiij.aut.v.cum eodem ſaccharo roſaceo. Quod item beneficium præſtat idem ſaccharum cum bolo armeno,aut terra ſigillata exhibitum.Sic lãguidioribus matri & fœtui benefacit electuarium de gemmis in tabellis confectum,& de margaritis præparatis, maximè cum modico myrtilorum puluere,coralli & roſarum. Item his confert aqua,in qua aurum ignitum pluries extinguatur,vinum aliquando tenue & aquoſum,aliquando nigrum aqua chalybeata dilutum:cibaria item optimæ ſubſtantiæ & facilis concoctionis, & maiori ex parte aſſa exhibeantur. Si autem velis exquiſitiorem methodum & curandi rationem legere,lib.2.noſtro indicationum cap.de ſiſtendis fluxionibus, ad amuſſim reperies.

Superſedeo conſultò hac in parte à diſputatione de vrinæ difficultate, qua inſtante iam iam partu frequentiſsimè corripiuntur vtero gerentes: ſiquidem ex veſicæ compreſsione fœtu iam prolabente potiùs fit,quàm morboſa aliqua cauſa quæ auxilium expoſtulet.

De inflatis prægnantium cruribus.

Cap. XVII.

IN quibus mulieribus vberrima menſtruorũ copia fluere ante grauidationem ſolebat, poſt cõceptum quidem, ipſo nequeunte tantum ſanguinis conterere, & in proprium alimentum commutare, recrudeſcit ſanguis ille, & qui denuò in iecore conficitur, aquoſior exiſtit,facultate iecoris ſanguifica ob immodicam copiam nequeunte probè ipſum parare, haud ſecus quàm in hydrope. Quo fit,vt tanquam inutilis matri & fœtui delabi ad crura natura patiatur:quæ ſanè ædematoſa fieri eo tempore neceſſum eſt.Ac ſi corrupti aliquid obtinuerit, vel tenuioris & calidioris bilis admixtum,inflammari quoque contingit,& non rarò exulcerari,præſertim ſi fœmina anteà vel obſtructiones aut vitioſi ſucci redundantiam perpeſſa fuerit. Alijs quidem id malum prodit,quòd in grauidatione fluxus aliquis aquoſus ſuppreſſus fuerit: quòd Hippocrat.inſinuare videtur.lib.1.de morb.mulie.dicens: Contingit ipſi fluxum aquoſum fieri, aut purgationem occultari,& ad ventrem conuerti & ad crura.Quapropter verendũ eſt ne hæc affectio in cacoẽthica vlcera commigret, aut in quid grauius. Namque nouem menſibus tantũ mali partes ſuapte natura frigidas ſaltem à fonte caloris diſitas perferre,haud tutum eſt.Cum hoc tamen experimento comperimus,à partus purgatione citra auxiliares medici manus, mulieres ſic affectas in priſtinum reduci ſtatum.Ratio proculdubio eſt, quia aquoſus ille ſanguis nondum ſalſuginem aut corruptionem adipiſcitur: & ob id vel ſolo lectuli calori vel partus purgationi cedit.Verùm in ijs in quibus immodicus fit tumor, & noctu crura non detumeſcunt, pertimeſcendum eſt ne quid mali eueniat. Expendendum tamen eſt hac in parte,hoc malum plerunque accidere,à.4.menſe vltra, vel quòd alij affectus quos acceſſiſſet grauidatio ceſſent,& in hunc mutentur,vel quòd ex nimia vberrate ſanguinis iecur refrigeretur,vel quòd ſanguinis frigiditas ipſum iecur in cõſenſum accerſat,& vitioſum ſanguinem gignere cogat, qui in hos tumores commigret, ad quæ omnia opus eſt. 4. menſium ſpatio:quod probat hiſtoria ſororis Harpenlidæ, lib.7. popu.text.7. ab Hippocr. adducta.

Præmiſſa ea victus inſtitutione,quæ facillimè cõfici poſsit,& optimi ac pauciſſimi & ſiccantis ſit nutrimenti,opportuniſsimum eſt præſidium, Ætio præcipiente, *Curandi ratio.*

citreorum malorum decocto pedes leniter abluere, perfricatis ipſorum plantis ex aceto roſaceo, & ſale, vel alumine cum vino. Prodeſt etiam non parum emplaſtrũ ex caulibus vino & aceto incoctis & piſtatis: vel chimolia terra cum aqua chalybeata, vel ea quæ in officinis ferrariorũ reperitur, diſſoluta modico aceto admixto. Confert & oleum roſaceum & chimolia, vel ſolùm ipſum roſaceũ cum aceto: aut (quod experimẽto probatum eſt) papyrum aceto infuſam & parti impoſitam diu ibidem affigito: item fomentum ex vino & aceto decoctionis raſuræ cornu cerui. Quòd ſi in ruborem alterari partem comperiamus, præcauendum eſt ne in corruptionem vel exulcerationem degeneret, adhibitis braſicæ folijs cum modico roſaceo & chimolia terra. Cui vſui confert cataplaſma ex cicerum & fabarum, & orobi farinis, ſucco caulium confectum. Vltimò ſperandum eſt (ne maximam præ ſidiorum ſiluam inutiliter profundamus) à partu fœminam liberam euaſurã. Sed interim, vt Hippocrat. lib. 7. popu. text. 7. docet in hiſtoria ſororis Harpalidæ, cui crura etiam tumore afficiebantur, & difficultas aderat ſpirandi, vtendum eſt eo quod ipſe conſulit eâdem parte, dicens in fine textus. Fabis autem melle admixto vaſa, & eclegmate ex melle, & cum ex vino bibiſſet Æthiopicum cuminum, meliùs habuit, poſteà tuſiens excreauit multa, cocta, pituitoſa, alba, ſpiratio ceſſabat, peperit verò fœmellam. Quæ ſanè mala in grauidationibus fœmellarum frequentiùs fieri arbitramur.

Cum hoc tamẽ ſi res vrgentiſsima non ſit, naturæ cõmittenda eſt, ne ad principalius mẽbrũ affectio irruat.

De ſanguinis profuſione ex prægnantium vteris.

Cap. XVIII.

VM frequentiſsimè vtero gerẽtibus menſes aut ſeroſum aquoſumue aliquid erumpere comperiamus, id que vulgatum ſit aborſus eſſe præludiũ: expendere hac in parte in animo eſt ex quibus partibus, & qua de cauſa, & qualis ſubſtãtiæ in grauidis profiliat, vt innoteſcat mediantibus ſignis, quando auxiliares manus adhibere oporteat, & quando ſecus: ac rurſus quando verendum ſit non ſolùm tanquàm inutile, ſed tanquam perniciоſum, aliquod adhibere præſidium.

Ex Galen. euidenter conſtare arbitror, maximè. 5. aphoriſmorum. 58. ad vterum duplices venarum propagines excurrere: quaſdam ad corpus & cauitatem ipſius, alias quidem ad collum, os & ceruicem: ac ſcimus per vtraſque diuerſimode menſes vteriue purgamenta profluere. Per eas quæ in collo ſunt, proculdubio virginibus maiori ex parte menſes prodeunt, in quibus hymen obſtare poterat ſanguinis euacuationi. Per eas verò quę in vtero ipſo ſunt, in reliquis, vel in grandioribus etiam virginibus, aut ſanguine inũdantibus, & in cæteris quæ aut pepererunt, aut deuirginatæ ſunt: per quas alimentũ fœtui impartitur natura, & per vtraſque ſe ſe expurgare aſſueſcit.

Primus locus.

Quibus ſic ſtatutis conſtat tribus è partibus in grauidis poſſe ſanguinem ex vtero profilire. Quippe in nonnullis grauidarum ordinatim & feliciter comperimus menſes fluere: quod nulla alia ratione poſſe fieri arbitror, quàm eo quòd plus ſanguinis in corpore præſit, quàm fœtus diſpendere poſsit: & per ea vaſa, quæ

quæ in vteri collum degenerant, irruat. In alijs etiã per interualla inordinata (quod frequẽtius eſt) vel ſtatuta, ſanguinem profluxiſſe comperimus: cuius ſanè profuſionis occaſione fœminæ moleſtiùs ſe habent, & fœtus debiliores exiſtunt, iuxta illud Hippocra. 5. apho. 58. Si mulieri vtero gerenti purgationes eant, impoſsibile eſt fœtum eſſe ſanum. Quam ſententiam licèt Galen. ad fluorem ex venis colli factum referat, mihi quodammodo videtur perdifficile: nã purgationes copioſiores, quales ea parte intelligit Hippoc. per vteri collum fieri à ratione diſſonum videtur. Quinimò cenſet idem author ore vteri concluſo & complicato ceſſare menſes: & eo exiſtimo dictum fuiſſe ab eodem libr. de natura mulier. Si complicatum fuerit os vterorum, menſes non prodeunt: ſi verò prodeant, pauci & parui ſunt. Et eadem refert verba lib. de mor. muli. Cum hoc tamen adhuc videtur idẽ dubiũ ſupereſſe, licèt ab vtero prodeat: ſiquidem os vteri clauſum non minus impedit ſanguinis ab vtero exitum, quàm ſi ex proprio collo fluat. Verùm huic dubitationi reſpondendum eſt, dum collum complicatur, eius vaſa ita ob compreſsionem coarctari, vt fluere ab eis nihil, vel quàm parciſsimum poſsit, vt Hippocrat. mens eſt: nihilominus tamen collum vteri libentiùs admittere fluxionem ab vtero prodeuntem, eò quòd cauitas non poſsit tantùm coarctari, quantùm vaſa ipſius colli.

Secundus locus.

Quibus rationibus perſuaſus arbitror (vt ad ſecundum locum fluxionis accedam) non rarò in grauidis ex venis vteri internis poſſe ſanguinem profluere: argumento eſt fœtus imbecillitas, qui per eaſdem venas ſuſceptat alimentum. Sed exiſtimabit aliquis & meritò perdifficile eſſe credere, ab vteri venis ſanguinem, fœtu ſuperſtite, profilere: ſiquidem venæ adherent fœtui ita, vt conceptus fieri minimè poſsit, niſi vbi ſemen affigitur acetabulis, quæ ſunt ora vaſorum interiora vteri penetrantium: quod Galen. dixiſſe lib. de vuluæ diſſectione per hæc verba conſtat. Corion vuluæ inhæreſcit hoc modo, vaſorum vuluæ, quæ interiorẽ partem penetrant, ex quibus etiam menſes expurgantur, cùm fœmina concepturа eſt, ora aperiuntur: conceptionis verò tempus eſt vel incipientibus vel ceſſantibus menſibus. Itaque niſi hæc vaſa dirumpantur, videtur non poſſe ſanguinem profilire. Cui dubitationi reſpondemus, verum eſſe vaſa hæc ad vteri cauum permeare, & corio inhæreſcere: verùm cum hoc duobus modis citra aborſus periculum arbitror ſanguinem profluere ab his poſſe. Vno, quòd aliquot vaſa ſuperſint libera à fœtus alimonia: alio verò, quòd ſanguinis profuſio fiat per anaſtomoſim. Quippe non eſt credendum omnia vaſa corio adhæreſcere, ſed quædam ex ijs, quæ ad vterum pertingunt, vt euidenter probari poteſt: equidem fœminas non paucas ſuperfœtare conſpicimus, quod proculdubio fieri non poſſet, ni aliqua in vtero ſupereſſent vaſa, per quæ natura nouo fœtui impartiretur alimentũ. Qua ſola ratione conſtat, vaſa intra vterum exiſtentia poſſe innoxiè ſanguinem fundere, quamuis mulier grauida ſit: ſiquidem non omnia vaſa, per quæ menſes fluebant, ad fœtum ſanguinem perducunt, ſed quædam etiam ſuperſunt, per quæ menſes innoxiè deſcendere poſsint. Quo fit, vt licèt fœtus ob id imbecillior exiſtat, cum hoc tamen aborſu non periclitatur fœmina, maximè ſi in corpore aut vtero ſubſit plenitudo, quàm fœtus conterere nequeat. Secũdo autem modo ſanguis innoxiè prodit, dum non per ruptionem eorum vaſorum, quæ fœtui adhærent, neque aliorum, ſed per anaſtomoſim ſanguis profluit. Nam aut ita laxæ exiſtere poſſunt venarum tunicæ: aut ſanguis nimio potu adeò dilutus, vel ex aliqua alia occaſione tenuis, vt facilè exiſtentibus poris adhuc ſecundùm naturam ſanguis

instillet:velut in pinguibus fœminis,& ijs quæ molles sunt carne accidere nõ rarò conspicimus:quamobrem credendum protinus non est aborsus esse præludium. Cuius etiam causæ Hippocrat.meminisse constat libr.1.de morbis mulierum,per hæc verba. Siquidem igitur præ plenitudine fluat,sinere ipsam optimum est : si verò vterus laxus fiat , diæta sit alica , caro suilla, aut palumbis, & vinum nigrum:potiones verò quæ ad fluxum describuntur: & subdit: Pronuntiato autem de muliere in ventre habente,duos aut tres menses & vltra , si menses statim prodeant,singulis mensibus necesse est tenuem ipsam fieri,ac debilem.

Quandoque etiam febris ipsam corripit his diebus,quando mẽses prodierint, & dum prodeunt,& postquam prodierint,pallida fit, sed & pauci prodeunt. His vteri magis,quàm opportunum est, hiant,& augmentũ fœtus diminuunt.Descendit enim cùm mulier in ventre habet,sanguis paulatim in vteros à toto corpore & in orbem circà id,quod in vteris est, circunstans illud auget : si verò hiarint vteri magis quàm oportet, sanguinem singulis mensibus velut procedere solet dimittunt,& quod in vteris est tenue ac debile fit.Si verò curetur mulier, melior & fœtus & mulier euadet,si verò non curetur,fœtus corrumpitur,sed & ipsa periclitatur,ne diuturnum habeat morbum,si purgatio plus quàm oporteat prodeat. Placuit quidem ad verbum hanc sententiam scribere,qua euidenter constat de affluxu earum venarum quæ ad vteri cauum perueniunt,loquutum fuisse,earum præsertim quæ fœtus nõ attingunt,siquidem refert superstitem euadere fœtũ. Quòd si de reliquis fœtum alentibus velis audire sententiam,iterum legas prima verba huius loci,quippe de vteri laxitate mentionem feciſse reperies:quibus verbis anastomosis includitur:quod ex modo fluendi & sanguinis paucitate ita esse intelligendum discès.

Tertius locus.

Tertiò verò & vltimò sanguis prodit in grauidis,ex vtero,vinculis ipsis & vasculis , per quæ fœtus alimentum & beneficium susceptat,diruptis & vtcunque dilaceratis:ex quo quidem fieri aborsus necessariò cẽsemus.Natura enim in ijs quæ vtero non gerunt,sanguinem non colligit intra vterum toto mensis spatio,sed in venis ipsis ad tempus adseruat,ac post paulatim profundit.In grauidis verò semper in puerum per inuolucra effundit:quod mõstrat in puerperio sanguinis adseruati copia.Quo fit,vt si vasa hæc casu aliquo dirumpantur,fœtui alimentum desit,& reliqua ligamenta laxiora facta dirumpantur,& aborsus ocysimè & ferè ineuitabiliter sequatur.Quibus cõstat per quæ loca,& quibus de causis sanguis in prægnantibus ab vtero profluat.Quod sanè damnatũ reperimus apud Hipp.mille in locis: nam & fœtum significare imbecillum in aphorismis scripsit,& aborsus esse præludium aut grauis & molesti partus , & qui ad decimum mensem prorogabitur, si fœtus viribus constet:& rursus octimenstribus laboribus plerunq; assimilatur, vt euidenter Hipp.docet lib.2.pop.par.3.tex.35.dicens: Quapropter menses quales octimenstrium,qui fiunt ad decimum tendentibus malum.

Experimento in quibusdam fœminarum nobis etiam compertum est, per maius grauidationis tempus purgamenta quædam ab vtero instillare, quædam alba, alia pallida,sanguinolenta alia,nonnunquam fœtida, aliquando crassa,sed plerunque tenuia.Quæ vitia eis fœminis succrescere existimo, quæ vitam agunt sedentariam,cum hoc tamen robusta constant natura,& ijs etiam quibus sanguinolenta aliqua purgatio suppressa est,maximè per hæmorrhoydes vteri,aut ani, in quibus purgamenta hæc ob defectum exercitij abundare necessum est : grauidationis tamen tempore, boni consulens natura per venas quæ vacuæ supersunt à fœtus

fœtus alimonia,excernit partim cum doloribus,maximè si hæc purgamenta detineantur,partim citra ipsos, plerunq; tamen per vteri hæmorrhoydes transmittit maximo cum fœtus & matris beneficio:iuuant tamen huiusmodi excrementa ad faciliorem partum.

Distingues autem,ac nosces à quibus ex prædictis venis sanguis fluat,primò ex relatione:quippe si ex ictu,casu,percussione,subita etiam animi perturbatione,denegata re ardenter expetita sanguis denuò inopinatò & subitò fluat,dubium non est,quin ex vasis alicuius diruptione id malum fiat, præsertim si accedat lumborũ & partium circa vmbilicum dolor.Quod etiam colliges,si præcesserit,aut præest cruciatus aliquis maximus ex flatu,aut morbus aliquis partium spiritalium,velut tussis,aut respirandi difficultas:item fæcum immodicà ariditas,tenesmus,alui importunus fluor,& alia deniq; quæ vel animũ vel corpus vehementer turbare possunt: atque etiam immodicus æstus,aut ingens frigiditas, & reliqua quæ naturæ modũ excedere videntur,quorum copiam cap.de aborsu,reperies. *Signa.*

Verùm si sanguis ex vasis colli vteri fluat citra euidentem aliquam occasionẽ, ordinatimque prodeat & sine dolore ac molestia,& fœmina boni coloris existat (quo signo cognoscimus iuxta naturæ leges profundi,præsertim si femora & inguina,veluti dum vtero non gerebat,doluerint) non licet tunc temporis turbari, neq; aborsum vereri,sed fœminam optimo alimento alere & copioso. Quòd si ex venis internis,quæ superuacuæ sunt à fœtu,sanguis prodeat, idem quoque considerabis:nam si ordinatè prodit,sine manifesta causa, citra dolores & accidentia, quæ prædiximus,ac fœmina fuerit boni coloris,cõiectandum est citra aborsus periculum profluere,& ob id nec turbari, nec auxiliares manus porrigere peritum medicum decet.Si tamen sanguis quàm parcissimus fluat,aquosus,nimis dilutus, citra euidentem occasionem,aut præsens aliquod damnum : coniectabile est per anastomosim venarum vteri affectum fieri . Quo fit, vt fœtus imbecillior indies fiat,& diligentiam medici prærequirat,quemadmodum nuper adducta Hippoc. sententia euidenter monstrat.

Hinc etenim si diligens fueris,facilè discès cui harum fluxionum auxiliares manus adhibere tenearis:nam in albis vteri purgamentis,quæ retulimus, nullo indigemus auxilio,nullaq; curandi ratione , siquidem hæc natura trasmittit per dicta loca,vt se tueatur à suppressa aliqua vacuatione,vel se se exoneret ex recrementorum abundantia:quippe ea si suppresseris,dubium non est,quin vel fœtum interimant,aut in morbum aliquem grauissimum, vel imbecillitatem deferant, vel saltem matri pernicioſum aliquem affectũ accersant:& ob id supersedendum est ab omni curatione,vitæ ratione optimè instituta. *Curandi ratio.*

Sanguine autem fluente ex venis colli vteri,aut ex internis superuacuis,& quæ nullum præstant fœtui alimentum,vel ex illis quæ fœtum quidem alunt, diruptis tamen & dilaceratis:nullum quoque auxilium adhibebis,præter quam optimam victus & vitæ institutionem,quietem & animi tranquillitatem,ac si quid appetierint,id liberaliter porriges,etiam si paulò sit deterius.Vmbilico insuper quæ robur fœtui addant,& calorem,apponenda sunt:non quòd sit ob id sperãdum aborsum præpediri posse,sed quòd viribus & cũ efficacia viuus exiliat, ne si anteà intereat, sancto baptismate careat.Qualia autem huiusmodi auxilia sint,tribus præcedentibus cap.abundè diximus.Iraque præsidijs nil aliud eo tempore efficere poteris, quàm sanguinem comprimere , densare & cohibere:qui dum semel in vterum à venis defluxerit,detentus,vel concrescit,vel corrumpitur,vel mille alijs modis via-

tiatur,ita vt in grauiſsima accidentia promptiſsimè degeneret, fœtu non ob id ſuperſtite manente. Quamobrem licet non deſint qui aliquot auxilia huic vſui ſcribant,ego tamen ſubticere malui,ne quis imprudenter eis vtẽs,maius malũ manu faciat:quòd ſi aliquibus vti velis,iam audies.

Supereſt ſola curanda ea ſanguinis profuſio, quæ ab internis venis ex occulta aliqua occaſione proſilit:ex qua vnum duorum vereri oportet iuxta Hippoc. decretum.5.aphor.58.vel fœtum eſſe imbecillum,qui nequit alimentum ſibi commiſſum commutare,ex quo periculum vitæ impẽdet,& ob id pernicioſi aborſus: quippe magis morte periclitatur fœtus ex morbo proprio,vel matris(quod ſecundò vereri oportet)quàm ex ſanguinis defectu:nam cùm deeſt illi alimentum, curat diligenter ſagaciſsima natura defectum ſupplere,metuens ne morte præuenia tur,quod ſemper ipſa præcauet.In qua ſanè curatione primò conſiderabis, an vitium aliquod ſanguis obtinuerit ex tenuitate,acrimonia ac ſeroſitate, quibus laceſsita natura eum expellere nitatur,aut cõtinere præ imbecillitate nequeat.Qua in re omne curantis conſilium ſit ſanguinem ab aquoſo humore vel ſeroſo acri & mordaci immunem reddere,rhabarbaro ſumpto per ſe pilularum forma,aut cum modico conſeruæ roſarum ea quantitate quæ expurgare ſanguinem & firmare ac roborare partes citra corporis turbationem nata ſit.Quo facto alimentis & medicamentis quæ vim habeant condenſandi ac ſolidandi ſanguinem vti liberè poteris:ſic amylo ex lacte amygdalarum aqua chalybeata extracto, probeq; confecto vtendum eſt,aſsis carnibus,miua citoniorum & reliquis huius naturæ.Manè autẽ porriges ſaccharum roſaceũ antiquũ ſolùm,vel cum pulueribus boli armeni,terræ ſigillatæ,coralli rubei,cornu cerui,electuarij de hyacintho,aut margaritarum præparatarum.Huic quoque vſui proficuum eſt porrigere ſyrupum de roſis ſiccis, ex myrto,aut roſarũ,vel portulacæ,ſi acrimoniæ particeps ſanguis fuerit.Frictionibus item brachiorum frequentioribus ieiuno ventre vtendum eſſe conſulit diuerten di neceſsitas.Vmbilico,vt ſuperiùs dictum eſt quæ vim & calorẽ fœtui addere poſſint, adhibenda ſunt:& præter illa quæ retulimus,prodeſt quoq; mica panis recenter cocti vino odoratiſsimo & ſucco pomorum redolentium ſupradictis pulueribus admixta:vel emplaſtrum ex palmulis vino auſtero decoctis cum farina volatili & prædictis pulueribus factum,vel citoniorum caro aſſa vino rubro & pulueribus roſarum & coralli admixta.Quo facto frequenti experimento compertum habeo in fœmina viribus conſtante,iuuencula,multi ſanguinis, abortiri aſſueta, copiam deponere non ſolùm victus parſimonia,verùm & ſanguine miſſo ex brachio,ſi neceſsitas plurimum vrſerit:quod cautè & cũ præmeditatione eſſe faciendum arbitror.Præter quæ omnia expendenda eſt Hippocrat.nuper adducta ſententia,in qua quæ fluxum ſiſtunt commendat.Sunt autem hæc, velut emplaſtrũ ex farina lentium,balauſtiorum, glandium,gallarum, karabe cum farina hordei & aceto. Præſtant trochiſci de terra ſigillata,de bolo armeno:præterea, emplaſtrũ, quod recipit boli armeni,maſtichis,ſanguinis draconis,terræ ſigillatæ,thuris.ana. 3.ij.acatiæ,hypociſtidos,verberis,nucis cupreſsi.ana.3.j.farinæ volatilis.3.j.&.ſ.cũ vino nigro ac modico ſucco plantaginis,vel aqua chalybeata fiat emplaſtrum.Ferunt tamen prodeſſe cineres corticum nucum vſtarum cum vino, ad modum linimenti parti appoſitos.Sic enim laxitatem comprimere, & exſiccare oportet, maximè ſi addideris aliquid, quod vires habeat roborandi.

De

De mammis prægnantium gracilibus,aut lacte turgentibus.

Cap. XIX.

PRæter id quòd mãmæ vel turgẽtes vel flaccidæ in prægnantibus, aborſus, vel fœtus aliquod malum præmonſtrant;ipſis quoque graues & doloroſæ,vel tædioſæ lacte copioſo fluente exiſtunt.Quamobrem hac in parte ſtudendum eſt docere quas ob cauſas lacte abundantiori turgeant,vel poſt turgorem flacceſcant:vt illis quo fieri poſsit modo,præſidium aliquod præſtare poſsimus. Circa primum docet Galen.5.aphoriſm.comment.50.molles & laxas mammas fieri ob lactis defectum,ſolidas verò ob eius abundantiam.Quod ſanè dogma cùm multa ex mammis prædicere doceat, non vt iacet & à Galen. ſcribitur, intelligendum puto: res quidem ita ſe habet.

Mulieri,cùm concipit,ſtatim mammæ fiunt paulò duriores, & tument paulũlum:deinde manente magnitudine indies fiunt ſolidiores.Cùm verò durities ad extremum peruenerit,tunc creſcunt manẽte duritie,fermè ad finem octaui menſis,deinde incipiunt laxari,donec partus tempore mediocrem habeant duritiem, magnitudinem verò eximiam.Sed vt quæ de lactis abundantia aut defectu dicturus ſum clariùs conſtent,præmittere eius generationis modũ nunc diligenter ſtudui.Qua in re ſtatuendum eſt,& ex Hippocratis mente lib.de natura pue. elicien dum,è duobus fontibus ac per diuerſa loca ſanguinem,vt fiat lac,recurrere, ac ex conſequenti lac in mulieribus duplicis eſſe naturæ & conditionis. Alterum quidẽ verũ,dulce,& infantibus vtile,reliquũ verò inutile,ſeroſum & ingrati ſaporis. Diuerſitatis autem ratio prodit(vt dictum eſt)ex diuerſitate locorum à quibus & per quæ fluit ſanguis ad lactis cõfectionem,& ex diuerſitate etiam officij ſeu indigentiæ mammarum.Quippe mammæ duplici gaudent ſanguinis affuſione, vna qua ipſæ alantur in ſuiq; naturam mutent: altera verò qua pro vſus indigentia lac generare poſsint.Sic profectò ad proprium alimentum capeſsẽdum præſtitit illis natura peculiaria vaſa, diſſecta à venis brachiorum vel cum illis communia, ac etiã ex vena caua antequam extra thoracem abeat. Per quos ſanè canales à fluxu ſanguinis,non ſolùm glandulæ,ſed & vniuerſa mammarum caro nutriuntur, ſed & attolluntur in viris,haud ſecus quàm in mulieribus.Quo quidem humore tanquã proprio & familiari,quẽ ob id ad ſe traxerũt, mãmę ſaturatæ, eundẽ in lactis quan dã ſpeciẽ cõmutant,& eo abũdant,quòd plus traxerint quã ſibi ſit opus:qua ratione laxas ſpõgioſaſq; fabrefecit natura ad vſum altioris momenti. Itaq; cũ adenes ſint albi & exangues,ſuccum ſibi commiſſum in lactis quoddam ſpecimen mutãt ac eo abundant, quo in virgunculis ac reliquis grandioribus mammæ turgent & prominentes efficiuntur,natura cõmutante in earum ſubſtantiã,quod vtile eſt,reliquum verò abſumit & conterit, ne in monſtroſam magnitudinem excreſcant. Atque licet huius albi humoris aliquid abundet(& in virginibus etiam nonnunquam reperiatur,maximè vt inquit Hippocra.dum menſtruã deficiũt) licet lactis ſpeciem referat,re vera verum ac dulce lac non exiſtit,ſed ſeroſa tenuiſq; & alba ſubſtantia,reſidua ex proprio mammarum alimento: quod ſimile lacti futurum erat,ſi verum eſt authorum axioma,mammas lacte,hoc eſt lacti perſimili humore,

eſſe

esse alendas. Hoc igitur lac ante grauidationem posse reperiri nemo est qui dubitet, licet in parua copia. Secundi veriq; lactis generatio, mille modis à prædicta generatione dissidet: nam primò illud cuius fœminæ adesse poterit, hoc verò nõ nisi vtero gerentibus. Præterea illud efficitur mammis ad se trahẽtibus sanguinem ad proprium alimẽtum, hoc verò solũ ipsum sanguinem recipientibus, citra vllam ipsarũ opem, sed vtero ac puero illuc comprimentibus sanguinem, quo fiat puero aptum alimentũ: item illud peruenit ad mammas per communes venas, hoc verò per peculiares & huic actioni & ministerio dicatas. Verũ vt prædicta differentia & veri lactis natura eluceſcat magis, statuendum est, quædam esse vasa ab vtero ad mammas (siue continua sint, siue contigua) per quæ media cõpressione inferiorũ partium, quæ cum sanguinis copia in fœturæ alimentum præstita abundent, in earum vicinas partes, cũ puer se mouet, partẽ eius exprimit & cogit locũ quærere, melioris vsus gratia ob naturæ prouidentiam: & cum nihil inter has partes sit in quod sanguis defluat, præter vasa quæ vtero & mammis interiecta sunt, rationi consonum videtur vt ad ea effluat cõpressus sanguis, nõ quidem ad alios venarũ processus. Quo profectò efficitur vt matri mammæ attollãtur, & papillæ turgeſcãt, & euidenter etiam constet, hanc mãmarũ turgẽtiã ex vero lacte, & hac lege facto virginibus non posse accidere: nam in eis solùm fit sanguine ex mẽstruo suppresso recurrente per venam cauam ad propria mammarũ vasa quibus alũtur, nõ quidẽ ad ea quæ vigẽt inter mammas & vterũ: nam per hos canales, licet in vtero abũdet sanguis, non regurgitat ad mammas, quia vt ita fiat prærequirit cõpresionẽ vasorũ vteri à puero factam. Qua etiam doctrina constat in fœminis adhuc vtero gerentibus lac nondũ apparere, donec fœtura motũ acquisierit, quo possit facta cõpressione vteri recursum & expresione sanguinis sursum facta, ipsum in mãmas pellere. Secus res se habet in nutricib⁹, in quibus & suctu puerorũ & natura trahitur sanguis per dicta vasa ad mãmas, & ob id mẽstrua deficiũt, licet purior sit qui pro lacte gignẽdo ad mãmas defertur. Cuius rei gratia in memoriã reuocare oportet quod superiùs diximus, nimirùm semen ex vegetabili sibi insita septẽ dies foueri & nutriri, posteà verò ope proprij spiritus vias quærere quibus inceptum opus perficiat, euocato materno sanguine interim dum vitam agit plantæ, quo tempore omnis generis organa fiunt, & vt animantem decet, corpus efformatum est, tunc animalis vigere incipit. Qua quidem temporis occasione incipit moueri, & tunc etiam alio opus habet alimento: nam vt alia est eius vita à superiori, ita aliud expostulat nutrimentum: quippe dum solùm vegetabilis erat, sanguis illi erat sufficiens alimentum: cùm enim incipit moueri, fieri tunc etiam incipit consensus vteri cum mammis & recursus dulcis elaboratiq; sanguinis ad mammas: quod quia fit vnà cũ prima, quæ est per se animãtis motione (qua sola animantiũ vita discernitur) lac ideò simul cũ motu fieri dicitur: siquidem lacte tunc animal nutriri decebat. Itaq; totus sanguis proprijs vteri venis continebatur, & cũ primũ puer viuere vitam secundam cœpit, portio eiusdem sanguinis pueri motu cœpit sursum commoueri, vt lac efficiatur. Censet tamen Hipp. lac illud iterũ ad vterũ recurrere, quo puer alatur & assuescat, vt post partũ citra noxam ea vtatur & viuat, tanquam sibi familiari ab vtero, vt ex eodem constat lib. de natu. pueri. Cæterũ difficile videtur lac iterũ in vterũ relabi: censeo tamẽ sanguinẽ quo puer alitur in vtero, dulcedinẽ, & quoddã lactis rudimẽtum capere, quo & in mammis posteà facilius fiat nutrituri lac, & in vtero puerũ alere possit sibi simili & conuenienti alimento.

Quæ proculdubio res ita venit expendenda, vt rectum iudicium de turgentibus,

bus, aut gracilibus mammis proferre possimus, aut ipsis proficuum auxilium. Magnitudo & paruitas mãmarum fit ex multa aut pauca lactis materia, ideſt, sanguinis, qui in lac mutari debet. Prætereà mollities in eisdem fit ex lactis substantia: lac enim, cùm molle sit & humidum, mollem facit tumorem in mammis. Si verò mammillæ sint ab omni substantia vacuæ, neque anteà fuerint repletæ, paruæ sunt & mediæ inter laxas & solidas, molles & duras (inter quas nõ leuis viget differentia, quam qui rectè curaturus est, aut verum studuerit proferre iudicium, ad amussim expendere tenetur) at si anteà repletæ fuerint & postmodum exinanian tur, remanent magnæ, molles & laxæ. Sed vt ad institutum redeam, cùm plenæ mammillæ extiterint crudo humore, sanguine nimirum non concocto, tũc sanè duræ sunt phlegmonum instar, qui ante suppurationem duri fiunt, ac solidi, suppuratione verò facta molles redduntur & laxi. Quod pari prorsus modo mammis accidere cernimus: quibus sanguine crudo repletis tenduntur glandosæ carnes, sed non extenduntur, quia calor extensionis est author, materia verò duritiem affert. Ergo mammæ, antequam calor & coctio præualeant, duræ sunt & solidæ, si materia adsit: gracilitas verò seu tenuitas tria in mammis comprehendit, paruitatem nimirum, mollitiem & laxitatem.

Quibus sic constitutis, docet Hippoc. sententia ex mammis laxis, ac mollibus, è quibus multum lac fluit, venari fœtum esse imbecillum, & non probè à ligamentis contineri: ex soliditate verò & duritie saniorem esse. Sed mox ex hac sententia sic intellecta & ijs, quas nuper diximus, succreſcit dubitandi ratio: nam cùm dictum sit laxas & molles mammas coctionem maiorem significare, duras verò cruditatem, admiratione dignum est, cur Hippoc. duras & crudas saniores laxis existi mauerit. Sed rei ratio in hunc modum se habet. Multum enim lac è mãmis fluere, signum est fœtum esse imbecillum: ratio est, quia monstrat, vt Gale. censet, multum sanguinis mammas suscipere, ac tantũ fœtui deficere, & ob id necessariò proprij alimenti defectu imbecillũ esse. Cùm verò mammæ duræ sunt. vt. 53. sententia eiusdem lib. 5. docuit, tantum quoq; sanguinis redundare, & tantũdem fœtui deficere est credendũ, siquidem ex redundantia quasdam corporis partes dolere dixerat. Cùm hoc tamen censemus eam sanguinis redũdantiam, quæ duritiem efficit, ea ratione qua cruditatem arguit, sanum esse fœtum ostendit. Cuius rei ratio est, cõmeatus caloris ab vtero ad mammas: arguit enim mammarum cruditas maiorem caloris copiam in fœtu, & ob id credendũ est, redũdantiam illam sanguinis, in mammas confluere, crudumq; superesse, quia fœtus calore viget: argumento est mammarum calor secundo aut tertio die à partu. Mammas verò graciles malum ostendere docet: sed vt clariùs constet, præmittendũ est, quòd omne id quod rumpitur secundùm naturam, priùs laxatur: omne autem quod laxatur, vt exinde abrumpatur, quandam vim corruptionis persentiscit. Tunc sic, cùm fœtus laxari incipit, siue partus, siue aborsus tempore, gignitur quidem calor in illis vinculis, similis putrido, quem natiuus semper refugit, & calor ille naturalis confugit cum sanguine illo ad mammas quæ tunc incalescũt, & vterus calore natiuo destituitur, ac fœtus, si prope debitũ tempus sit, nascitur, deficienti optimo & sufficienti alimento. Calor autem ille naturalis, qui se ad mammas contulit, sanguinem in lac (quod anteà nequiuerat) meliùs conuertit, facta coctione ob noui caloris aduentum: & tũc lac effluit laxatis carnibus mollibus. Ob id quidem lactis defluxus significat, non quidem sanguinis abũdantiam ex se, vt solidæ mammæ, sed corruptionem vinculorum fœtum continentium. Qua profectò ratione dictum est ab

Hip-

Hippocrat.huiuſmodi mammas fœtum non eſſe ſanum monſtrare. Cauſa igitur eſt caloris naturalis tranſitus ex vtero ad mammas. Quas duras fœtum eſſe ſanum monſtrare probauerat ex profeſſo Hippocrat. 5. apho. 53. dicens. Quæcumque fœtus corrupturæ ſunt, his mammæ graciles ſcunt. Quòd ſi rurſus duræ fiant, dolor aderit in mammis, vel in coxis, vel in genibus, vel in oculis, & non corrumpitur. Qua ſententia videtur monſtrare duritiem mammarum non degenerare in aborſum, ſed in coxarum, vel oculorum, vel genuum dolores, vt confirmauit. 2. pop. tex. 6. & lib. 6. part. 5.

Fiunt inſuper mammę ſolito minores, vt Hippocrat. recenſet. 5. apho. 36. deficiẽte fœtui alimento: vt enim fœtui deeſt, ita & mammis, maximè ſi de repente paruæ fiant. Nam potiſſima ratio, propter quam mammæ creſcunt, & duritiem cõtrahunt in grauidis, ea quidem eſt, quam Hippocrat. recenſet lib. de natu. fœt. dicẽs. Lac autem ob huiuſmodi neceſsitatem fit, cùm vteri tumidi præ puero ſunt, ventrem mulieris comprimunt: eius autem pleni, vbi compreſsio contigerit, pinguiſſimum de cibis ac potibus foras proſilit: ac ſubdit: Et à pingui parte calfacta & alba quod edulzatum eſt à calore, qui ab vteris accedit, expreſſum venit in mammas, & in vteros quoque parum venit per eaſdem venas: tendunt enim in mammas & in vteros venulæ hæ, & conſimiles aliæ, & vbi peruenit in vteros de lacte paululũ, ipſo fruitur puer: mammæ verò ſuſcepto lacte impletæ attolluntur. Ex qua ſententia liquet, quòd dum fœtus eſt in vtero, trahit ad ſe ſanguinem, cuius potiſsimã partem abſumit, aliam verò prępinguem comprimendo pellit ad mammas: ex quo cõſtabit, ſi fœtus non allicit ſanguinem, neque mammas poſſe ipſum obtinere, ideòque graciles fiunt, & ob id oſtendunt fœtum eſſe imbecillum. Euidens igitur eſt, ex attracto ſanguine duas fieri partes: vnam fœtui alendo idoneam: alteram, ſi Hippocrat. ſententiæ ſtandum eſt, virtute ſeminis in lac commutat natura, ipſam ad mammas tranſmittens, quoniam ſubſtantia earum ſimilis eſt illi: non ob venarũ ſolùm, quem multi cenſent, conſenſum; ſed vt Hippocrat. intelligendus venit loco adducto, ob conſenſum ſubſtantiæ: licèt, vt lib. ſequenti referam, per oſcula venarum aliquis reperiatur conſenſus: quippe mammæ ab axillaribus ſanguinem recipiunt, vteri ceruix à ſeminarijs vaſis, fundum verò & ab his, & à caudice venæ cauæ, vt Veſalio placuit lib. 5. cap. 15. Quòd verò is conſenſus veriſsimus ſit, conſtat etiam ex Hippocrat. qui lib. de natu. fœ. ex lacte, quod ſibi principium ſuſcipit in vtero, quodammodo aliquid fœtum ſumere profert. Trahit enim à ſanguine ad ſe id quod eſt dulciſsimum, & ſimul etiam lactis parte aliqua fruitur, labijs nimirum clauſis, vt expreſſè fatetur idem author loco citato & lib. de carnibus: quod vi naturæ videtur aſſerere potiùs fieri, quàm per euidentes vaſorũ ductus, præter eos quos iam retulimus. Ratio quidem huius Hippocratici dogmatis eſt, quia ſi lac in mammis fieret tempore grauidationis ex ſolo ſanguine per venas axillares illis tributo, quò imbeciliot eſſet fœtus, minus ſanguinis alliceret, & eo magis redũdaret in partibus ſupremis, & maiores fierent mammæ: cuius contrarium euidenter apparet; nam quò meliùs ſe habet fœtus, eò magis trahit, & cum hoc maiores & duriores apparent mammæ. Quod etiam conſtat, quia fœtu octimeſtri vel nouimeſtri exiſtente mammæ longè maiores ſunt, quàm reliquo grauidationis tempore, & tunc fœtus magis attrahit, quia pluribus indiget; quo videtur minores debere eſſe. Ex his itaque euidenter conſtat, quo magis fœtus attrahit, maiores fieri mammas; & quo minus minores. Quod profectò certiſsimum aborſus ſeu imbecillitatis fœtus exiſtit ſignum. Cũ hoc tamen quantumuis turgidæ ſint mammæ, ſi lac effluit, vt

vt probatum eſt, certum quoque erit imbecillitatis ſeu aborſus indicium. Si igitur quod ex ſanguine delabẽte ad vterum redundare ſolet, deficiat ad lactis materiã, deficiẽt quoque ad fœtus alimoniam, & ſic præſagium erit certum.

His omnibus ſic conſtitutis, conſiderabis mammæ turgentes ne ſint, aut lac inſtillantes adeò, vt affectum generent: tunc enim id mitigare ſtudebis iuxta naturã cauſæ à qua id prouenire cõperies, reuocans in memoriam ea quæ nuper diximus, expendenſq; modum generationis lactis, quem ex Hipp. retulimus, materiam, aut cauſas copioſioris aut diminuti, vt lib. ſequenti latiùs ſum monſtraturus.

Curandi ratio.

In huius affectus curatione turgorem immodicum mitigabis, paruitatẽ emendabis, & laxitati ac lactis fluori prouidebis, fœtui adhibitis omnibus præſidijs per eam victus rationem & peculiarem prouidentiam, quam reperies præcedentibus quatuor cap. nil enim prodeſt aliquid mammis adhibere, niſi in maximam duritiẽ creuerint. Quo tempore adhibenda ſunt quæ emolliendi ac digerendi vires habeant, ne forſan in grauiſsimos dolores incidant, in quos degenerare dixit Hippocrat. lib. 5. apho. 53. aut tumorem aliquem præter naturam, qui in ſuppurationem ocyſsimè commigret, qualia reperies lib. ſequenti, cap. de lactis abundantia. Nam mihi non fuit in animo hac in parte, accidentia hæc recẽſere, vt aliquod illis præſtemus auxilium: nam & leuiſsima ſunt, & pauca admittunt: ſed potiſsimum vt horum omnium innoteſcat cauſa & ratio: quæ ſanè res ſcitu ad præſagationem ſummoperè erat neceſſaria.

De Prægnantibus, quibus aqua ab Vtero profluit.

Cap. XX.

NON eſt profectò ita facilè docere ex qua parte, vel qua ratione ab vtero, grauidationis tempore aqua profluat. Siquidem à venis ſiue colli vteri, ſiue cauitatis eius poſſe fluere, perdifficile eſt credere, aut periculoſum, ſi ita fiat. Quippe vel vteri hydropem, vel falſam eſſe grauidationem apertè oſtendit. Nam in venis huiuſmodi ſubſtantiam vagari aut generari, timore plenum exiſtit, ne vel febris ſuccendatur ipſis putridis factis, vel ſanguinem vniuerſum conſpurcent: aut ob id ſi veræ grauidationi is affectus coniungitur, fœtui deſit cõueniens & opportunum alimentum. Non quidem loquor hac in parte de mucoribus aut pure, quæ aliquando ab vteri ceruice inſtillare, in quibuſdam ſcimus, ſed de aqua quæ partum præire ſolet: quam aliquando multo ante id tempus fluere contingit. Præterea, ſi à fœturæ inuolucris excernatur, non minus periculum infert: nã probabile videtur, vel fœtum periclitari ſuffocatione, vel aborſu, inuolucris quodammodo ſolutis. Sed qua in parte hæc aqua generetur, expendendum eſt. Dum fœtus quidem creſcere cœperit, membrana illa quæ amnios appellatur, ipſi adhæret ad vſus quos in. 1. huius lib. cap. ſubinde diximus. Hanc circundat corion, membrana neruea, craſſa, dura valde, multis vaſis ac vinculis intertexta, & exteriùs carnea ſubſtantia tota obducta, vt firmior eſſet, atque inter hanc & amnion vrina fœtus continetur: præter hanc eſt cardea placentula, ſtratum quoddam ſuppoſitum vaſis craſſum,

carneum,firmum,quod iungitur vtero. Quibus cõstitutis in partu naturali primo frangitur à puero amnios membrana,ac vrina mox fœtum tangit,& tanta molestia afficit,vt cogatur etiam corion lacerare: quo fit,vt aqua hæc siue vrina copiosè perfundantur. At in grauidis nondum aduentante partus tempore, non capit intellectus,quî possit fœtu superstite manente,aqua profluere. Cùm hoc tamen haud rarò conspicimus prædictam aquam instillare,& nihilominus fœtum superstitem euadere.

Causa. Quod sanè opus vt optimè intelligamus,expendisse oportet hãc effluere aquã vel ruptis casu aliquo membranis(quod est aborsus præludium) vel eodẽ casu, aut animi perturbatione(præsertim in delicatioribus fœminis) venis plus iusto tensis ita vt aqua per reserationẽ pororũ, hoc est per anastomosim, effluere possit: illud quidem,vt dictum est,semper aborsum præcedit: hoc verò minimè: illud item dignosces facilè,quòd subitò,confertim & copiosè profluat: hoc verò, quòd sensim & paulatim. Fluit quoque non rarò valetudinarijs quibusdam fœminis,dum vtero gerunt, humiditas quædam ex superfluis albisque purgamentis, quorum occasione plerunque septimestres edunt partus. Sunt præter hæc sanioſæ vel sanguinolentæ humiditates aliquando profluentes, quibus manum adhibere non licet. Quæ sanè vitia frequentissimè grauidis,quæ lienis vitio,aut malo corporis habitu laborant,accidere conspicimus,vt Hippocrat. scripsit lib.2.de morb. mul. dicẽs: Si verò mulier in vtero habens lienosa sit,à relatis affectionibus in hoc morbo menses hydropi similes & pituitosos dimittit,& partus purgamenta procedũt hydropi similia,& prodibunt modò multa,modò pauca,& fiunt quemadmodum aqua à carnibus, velut si quis carnes cruentas abluat. Aliquando verò crassiora & non congelantur. Et patietur eadem omnia etiam ea,cui menses aquosi prodeunt.

Curandi ratio. Potissima in hoc affectu prouidentia habenda est circa victus & vitæ institutionem. Sic etenim plurimùm prodesse comperimus, in victus ratione assas carnes præbere, amygdalas tostas in prima mensa,passulas,aut miuam citoniorum cinnamomo aromatizatam. Potus sit aqua auro ignito sæpiùs extincto præparata,aut chalybeata,vel mastiche suffumigata,vel radice chinæ decocta,quod tanquam peculiare præsidium laudo. Qua in re scio prodesse plurimum syrupum ex radice chinæ confectum: quo solo præsidio plures hoc morbo affectas liberari posse arbitror: maximè si hac forma conficiatur,excipe radicis chinæ. ℥.ß. spartæ parellæ. ℥.j. decoquantur in libris octo aquæ lupulorum & borraginis ad consumptionem medietatis. Cui adde in ligatura pulueris coralli,rosarum & granæ. ana. ʒ.j. & facta colatura,adde sacchari quantum sit satis vt fiat syrupus. Exteriùs verò ea adhibenda sunt quæ roborandi & astringendi moderatè vires habeant: qualia sunt pomum vel malum cidonium assum mastiche,caryophyllis,cinnamomo,rosis & corallo insperſum,& vmbilico appositum. Prodest & inunctio olei omphancini,si in eo incoxeris cinnamomum,rosas siccas,myrtilum,& caryophyllos. Confert & frustum carnis cum eisdem pulueribus. Sed præstat non parum temperatæ alicuius fœminæ manus prædicto oleo,vel de styrace,aut balsamo inuncta diutissimè super vmbilicũ apposita. Quem quoq; vsum præstat sacculus ex mastiche, angelica,cinnamomo,caryophyllis,rosis & corallo. Vtilissimum quoq; censetur emplastrum confectum ex prædictis pulueribus cũ ladano & oleo styracis, ac balsamo electissimo. Quòd si serosi aliquid in sanguine redundare sit compertum,cuius ratione plus prædictæ aquæ in eà parte colligatur, quàm par sit, non erit abre. ℈.j. rhabarbari masticandum præbere,aut deuorandum cum modico saccharo: cuius loco tabellas diarrhodonis duplicato rhabarbaro confectas adhibere poteris, idq; cum præmeditatione faciendum,& cùm periculum est ne præ nimio madore fœtus ligamenta dirumpantur,& aborsus fiat. Verùm si ex suppressa aliqua vacuatione malum oriatur,innitendum plurimum est cibis mollioribus corpus reficere,& præexistentes humores corrigere & attemperare.

De prægnantium moderamine, & custodia.

Cap. XXI.

Cognito igitur ante dictis signis vteri conceptu, curandum est vt quàm minimè laboret fœmina, ne fœtum imbecillum & valetudinariũ efformet, ac sibi aliquod vitium in posterum accersat. At ne ex errato vel imprudenti vitæ instituto in aborsum,aut in mancum ac defectuosum partum vteri gestatio commigret,ita vt steriles vel morbosæ supersint fœminæ,huic operi inniten dum plurimum est. Est igitur vteri gestatio naturalis, sed grauissima affectio,quam coctione seu(vt rectiùs loquar)maturitate natura perfecit: à quo quidem opere si aliqua occasione intercipiatur,in mille vitia prolabitur. Quamobrẽ vtero gerentes, maximè quæ primiparæ,delicatiores natura,aut vitæ instituto sunt,cautè & prudenter tractare oportet, ne quid mali inopinatò accidat. Cum hoc tamen plurimum non est medicamentis aut exquisito viuendi generi innitendum, sed quantum sat sit vt neque fœtui alimentum desit,neque præter naturæ modum vitiatum subsit.

Sed in hoc opere studendum plurimum est, ne quid vel inopinatò accidat,aut præter modum & necessitudinem à medico,assistentibus, aut grauida fiat,ea vi & efficacia, quòd fœtus vincula dirumpere, aut vtcunque aliter vitiare possit. Simile enim vtero gerentibus accidit, ac ijs quæ graue aliquod onus filis tenuissimis appensum manibus asportant: quòd si lẽtè,cautè & moderatè commouerint, ad statutum terminum innoxiè adducunt: sin aliter motu aliquo violento inordinatoue agitent, facilè & ponderis grauitate, & ligamentorum tenuitate vel procidit, vel malè afficitur. Sic profectò in ijs quæ vtero gerunt, rem se habere credimus: nam si vehementer moueantur, si violenter agitentur,curru, lectica, aut quouis alio equitationis genere: vel si animi subitos affectus patiatur,vel cibis vtatur prauis, aut graueolentia, & somitus graues persentiscat, intueaturque res aspectu horrendas & immundas,ob motus quos fœtus his omnibus alteratus in ligamenta infert, vel procidit, vel eadem malè affecta relinquit, vt sanguis ocyssimè profiliat, signum alioquî futuri aborsus, vel causa imbecillitatis fœtus, aut matris. Sic & medicamenta vehementer purgantia, aut vtcunque corpus mouentia,aut victus parsimonia,vel nimia vbertas aut deprauata qualitas,vel ingens alicuius rei vetitæ appetitus: item parentum labes. Quod,& alia plurima expressis verbis retulerat etiam Hippocrat. lib.1.de morb.mulie. dicens: Pronuntio autem de muliere in ventre habẽte duos aut tres mẽses & vltra,si menses statim prodeant singulis mensibus,necesse est tenuem ipsam fieri, ac debilem.

Idem accidens haud paucis ex ijs quæ grauidæ fiunt,accidiſſe cõſpicimus. Et ſubdit recenſens alia mala,quæ prægnanti euenientia ipſam & fœtum perdũt. Quando etiam febris ipſam corripit ijs diebus,quando menſes prodierint,& dum prodeunt,& poſtquam prodierint, pallida fit.Hæc quidem & plura alia quæ breuitati conſulens prætermitto, eâdem parte recenſet,quæ præcauere oportet ob pericula à me ſuperiùs relata.Nam eam arbitratur Hippocrat.lib.2.popu.part.3.tex. 25.nõ abortiendi potiſsimam rationem,nimirum nihil intra conſtitutum tempus præter rationem accidere:inquit enim.Quibus nihil intra conſtitutum tempus, ſinguli partus vitales fiunt,quæ autem accidere poſsint,iam retulimus.Sunt tamẽ inter fœminas non paucæ quæ licet concipiant,parere tamen debito tempore nequeunt,quas Hippocrat.lib.1.de Sterilibus,ſteriles etiam nuncupat, quarum ſuo loco cap.de aborſu,latiùs meminero.

Sed ante quàm vltra pergam,expendere hac in parte mihi viſum eſt, cur quædam ex prægnantibus meliùs ſe habeant grauidæ,quædam verò deteriùs. Cuius dubitationis occaſione in memoriam reuocare oportet,omnibus ferè grauidis cõmune pathema eſſe vt menſes ſupprimantur: ex quo vtrũque prægnantibus accidere certum eſt.Quando enim corpus ſua ſpõte ante grauidationis tempus vitiosis ſuccis oppletum fuerit,quia eoſdem fœtus ad ſui alitionem excurrit,& matrem ab eorum ſputcitia liberat, fit facile vt toto grauidationis tempore meliùs ſe habeat. Alijs verò contrà accidit, nam ſi per menſes expurgari à vitioſis recrementis aſſueſcunt, & obid vitam degunt ſalubrem & incolumen:grauidæ verò factæ ægriùs longè ſe habent.Quippe mulieres quæ ocioſam ac ſedentariam, & inordinatam vitam degunt, excrementa haud pauca ſibi congerunt : quibus deinceps vtero gerentes triſtiùs degunt:argumento ſunt agricolæ, quibus facilè eſt vtero gerere,quippe eis labor excrementa abſumit. Sed maximam horum cauſam eſſe cenſeo,quòd mulieri ſic affectæ vitioſa vel plurima purgatio eueniebat, quæ cum vteri geſtatione deſierit,apprimè vexat,atque magnoperè interturbat. Cuius rei rationem reddens Hipp.lib.de morb.mul.& cur etiã grauidæ mulieres palleſcãt, inquit.Cùm mulier in ventre habuerit,tota fit cum virore pallida,quoniam purus ipſius ſanguis ſemper quotidie ex corpore diſtillat,& in fœtum deſcendit,& augmentum ipſi accedit,& cùm paucior ſanguis ſit in corpore, neceſſe eſt ipſam eſſe pallidam.Cui etiam rationi alia non minoris momenti adiungitur ex Hippocra. dictis deſumpta,nimirum,bono ſanguine laudabiliq; à fœtu attracto, deteriorem, qui anteà expurgabatur,ſupereſſe,atque mirũ ob id nõ eſſe ſi prædicta mala prægnantibus frequentiùs accidant:maximè cũ primis menſibus neque boni, neque deterioris ſanguinis multum inſumat fœtus:quo fit,vt neceſſum ſit vtriuſque plus iuſto redundare,& in prædictos affectus prorumpere. Scitu tamen dignum arbitror,infantes ab his fœminis productos,vegetiores eſſe,robuſtos & ſaniores,quòd puriori & craſsiori ſanguine vtantur:alij verò,qui ex fœminis prodeunt, quæ grauidationis tẽpore meliùs ſe habent,valetudinarij,imbecilles,& macilenti naſcuntur,quòd deteriorem & minorem ſanguinis partem in alimentum alliciant,& maiorem ac pinguioſiorem matres.

Atqui cùm varia prædictis fœminis ſuccreſcere poſsint accidẽtia, meritò dixit Hipp.lib.nuper citato,multa opus eſt cuſtodia,vt in vteris geſtẽt puerum,& emittant,& vt euadant ab ipſo in partu.Sic proculdubio prægnantium cibaria eius naturæ adhibenda ſunt (maximè earum quæ deteriùs ſe habent in grauidatione)quæ copioſi & facilis ſint nutrimenti ac laudabilis ſubſtantiæ. Vt non ſolùm de-

debitum fœtui alimentũ ſuppeditent,verùm & attemperamento ſint vitioſis,qui ſuperſunt,ſuccis.Copia verò ſemel exhibita potiſsimũ in principijs parca ſit oportet:tum ne plurimùm ab vtero calor diſtrahatur:tum verò,quia eo tẽpore ſanguinem abundare,& fœtum quàm parciſsimum conterere ſcimus.Satius enim eſſet, ſi fœmina pluribus ſit aſſueta,per vices ipſum partiri: præterquam quòd plurimã in ventre excrementorum copiam congerere,ſuſpicione nõ caret, comprimitur his præter modum vterus.Prætereà edulia neque acria,neque flatuoſa,neque diuretica,neque menſes prouocantia,vt ſunt capparis,cepæ,cicer,phaſeoli,oliuæ immaturæ,allia,crocus,& vinum meraciuſculum, vlla lege adhibere oportet: neque acria aut acuta clyſteria.Potus quidem ſit parciſsimus, ne ligamenta laxiora fiant,iſque calfaciens & roborans ex vino vel aniſo & ſimilibus quæ minimè euocent menſes:niſi ex vſu ante id tempus fuerit, vt pleræq; ex magnatibus de more habent,quòd cinnamomi vel alterius aromatis aquam guſtus vel valetudinis gratia bibere aſſueſcunt.A tenebris etiã, à ſolitudine & triſtiũ auditu præcauebis. Linteis mundis vtatur: caput & thorax cuſtodiantur à frigore : caput more ſolito abluatur,cæterum à rubificantibus abſtineat.

At primo menſe non exerceri oportet,ſed corpus quieti mandare: ſecundo tamen rarò & lentè:tertio expeditiùs:quarto quinto & ſexto audaciùs, ſed moderato exercitio & per planum:ſeptimo & octauo & vſque ad dimidium noni menſis detrahere de exercitio oportet,deinceps verò exercitium intendere:circa octauũ menſem,qui omnium moleſtiſsimus eſt,alimentum contrahere oportet, & motus vehementiores interdicere. Cæterum menſe nono,relaxandi corporis gratia, exercitijs frequentioribus & balneo vtendum eſt,vt paritura futuros partus dolores fortiter ferre poſsit,& ipſi minores exiſtãt.Reliquis verò menſibus exercitium ſit leue,moderatum,ante cibum,ſaltum,ictum,maximè coxendicum & vteri,omnino fugiant,nec non & geſtationem in curru:præter id graue onus minimè eleuent,neque in duro ſolio vel ſede quieſcant. Quæ ſanè omnia genituræ vincula ita premunt,vt facillimè ſanguis proſiliat, ac ex conſequenti fœtus aborſu periclitetur. Coitus item primis menſibus vitandus eſt, potiſsimùm ſi fœmina ex ſalacibus fuerit, ſuperfœtationis præcauendæ gratia: nam comperimus haud rarò vel molas hinc generari vel fœtum, qui aborſus vel laborioſi ac periculoſi partus ſit cauſa. Vltimis verò menſibus copioſiori vtatur coitu,dum vir ſuis innitatur brachijs,ita vt ventrem non grauet:ſanguinis item fluxio ſiue è naribus,ſiue ex hæmorrhoidibus,aut alio quocunque loco in prægnantibus prodierit, periculũ ipſis accerſit:Animi quoque pathemata vitanda omnino ſunt:nam hæc ſubito & inopinato caſu ſanguinem intropellunt,à quo fœtus ſuffocari periclitatur, vel vaſa diſtenta rumpuntur:quod plerunque in ira vel grandi mœrore contingit. Somno vtantur largiori,à quo lentè & paulatim aut ſua ſponte excitentur. Præmunire itẽ grauidas à ventorum vehementia,tonitru & ab alijs quæ terrorem incutiũt,oportet:& in ijs quæ vitari non poſſunt,hilari animo,& bona ſpe alere,diſtrahere & conſolari opus eſt: præſertim eas fœminas que delicatiores ſunt, & facilè expaueſcũt, vt nec ſubito terrore corripiantur,nec ſine præſtantioris, vel dilecti viri patrocinio ſint.

Quòd ſi mox à conceptu conqueratur,maleq; ſe habeat, impatienſque laboris extiterit, ventriculo prouidendum eſt ijs quæ ipſum roborent & modicè calfaciant:nã cùm vterus ad ſe maiorẽ caloris copiam trahat,facilè reliquæ partes calore & ſpiritu inopes exiſtunt:quo fit,vt cruditates, flatus,& acidi ructus plerunque

ſuccreſcant. Verùm in hoc opere nec plurimum calfaciendum eſt, nec immodicè aſtringendum, ſed vtrumque moderatè præſtãdum: qualia verò huic vſui proficua ſint, ſuperiùs abundè diximus. Et prouidebis vẽtriculo inunctione olei abſynthij, nardini, maſtichis aut citoniorum, ſparſis pulueribus diarrhodonis, corticis thuris, ligni aloës & caryophyllorum. Ore autem ſumat conſeruam roſarum cum modico puluere ligni aloës & caryophyllorum: vel tabellas ex pulueribus macis, caryophyllorum, & coriandri præparati cinnamomo & ſaccharo. Prętat item ventri adhibere cerotum quod recipit maſtichis. ʒ.ij. roſarum, coralli, coriandrorum præpa. balauſtiarum, biſtortæ, corticum granatorum. ana. ʒ.ij. ℈. nucum cupreſſi. ʒ.iij. pulueris ſanguinis draconis, ſerici, & boli armeni. an. ʒ. j. olei maſtichis, & citoniorum lotorum aqua acetoſæ & plantaginis. ana. parum, cum modico picis & ladani fiat cerotum. Sed omnibus proficuum eſt ex Auicen. decreto mel roſaceũ tertio quoque die ingeſtum, & exteriùs abſynthij & menthæ oleum cum pulueribus coralli, roſarum, diarrhodonis, & ſimilium. Sic cordi prouidendum eſt ſiccis epithematis ex floribus, & pulueribus diambræ, diamuſci cum oleo naphæ, iaſminorum & ſimilium: vel ſacculum conficies ex infraſcriptis pulueribus, vel vnguento veteris naphæ: porriges & tabellas ex electuario de gẽmis aut aliquo ex lætificantibus, vel confectionem Gentilis quæ recipit margaritarum. ʒ. j. ℈. hyacinthi. ʒ. ℈. cinnamomi, caryophyllorum, macis. ana. ℥. ij. limaturæ auri & argenti. an. ʒ. j. ſacchari albi. lib. j. diſſoluatur in. ℨ. iij. aquæ roſarum & fiant tabellæ. Cuius cenſus eſſe creditur alia, quæ recipit ſucci pomorum dulcium & bugloſæ deſpumatorum ana. ℨ. v. doronici, corticum citri, florum borraginis, roſarum rubearum, been albi & rubri, coralli, limaturæ eboris. ana. ʒ. iij. ſpodij, nucis, galliæ muſcatæ, charabe, oſſis de corde cerui, ſanthalorum. ru. ana. ℥. iij. ſemĩnis baſiliconis, florum myrti, melliſæ, coriandri, cinnamomi, galangæ, zedoariæ, ſpicæ nardi, ligni aloës, ſerici minutim inciſi. ana. ʒ. ij. mirobalanorum. ʒ. iij. ſmaragdorum, hyacinthorum, zaphirorum, granatorum præparatorum. ana. ʒ. j. margaritarum præpa. ʒ. iij. limaturæ auri & argenti. ana. ʒ. ij. ℈. ambræ. g. x. moſchi. ʒ. j. fiat ſecundum artem confectio, quæ guſtui grata ſit. Ex hoc autem puluere, addito puluere roſarum, ſeminis angelicæ & ſanguinis draconis cum bolo armeno, ladano, terebinthina & cera, emplaſtrum mirè corroborans fœtum, vterum & partes vicinas, conficere poteris. Cuius etiam efficaciæ aliud conficies, quod recipit tonſuræ ex panno coccineo. ʒ. iiij. zingiberis, galãgæ, cinnamomi, cubebarum. ana. ʒ. ij. ſanguinis draconis. ʒ. j. maſtichis. ʒ. ℈. moſchi. g. vj. mellis aut terebinthinæ. q. s. vt fiat emplaſtrum. Ac ſi fœtus lente ægrèque moueatur, vmbilico adhibenda ſunt quæ robur illi præſtent, velut eſt pomum odoriferum aſſum cum caryophyllis, pulueribus roſarum, coralli & cinnamomi: vel carnis fruſtum cùm eiſdem pulueribus, vel phyltrum ſericum cum oleo iaſminorũ, naphæ, & pulueribus ſupradictis, ac modico vino odorifero: quod etiam præſidiũ cordi adhiberi poteſt. Imbecilles autem fœminæ ſacculum vmbilico adhibeãt, ex lana aut ſerica tela, ex ambra, moſcho, corallo, roſis, caryophyllis, margaritis, ſemine angelicæ & maſtiche: his etiam præbebis vinum ex fœniculo, zingibere, caryophyllis & cinnamomo. Si tamen aluus ſuppreſſa fuerit, ob inteſtini recti anguſtiã ab vtero illatam, quod vltimis grauidationis menſibus accidere ſolet, edulia exhibeantur ſubducẽdo ventri apta, velut eſt hordei ſuccus cum cinnamomo, malua, lactucaue cocta, & reliqua quæ anteà diximus. Et tandem ea prudentia res omnes moderaberis, qua ſecuriùs fœmina ad partus portum peruenire poſſit. Aſſuetas verò abortire, antequàm grauidæ fiãt, curare ſtudebis, vt dictum eſt cap. de aborſu; humi-

humidas per ſudorem: cacochimas, expurgatione: & tandem eas quibus ſanguis abundat ſanguine miſſo. Poſteà verò vtendũ eſt his, quæ viſcera roborãt vt aurea alexãdrina, theriaca, mithrydato & alijs naturæ huius, iuxta cuiuſq; indigentiam. Pleręq; ex his quæ abortiuæ ſunt, vt diximus. 8. mẽſe abortiunt, quibus ſubuenien dum ante quàm concipiant: quod ſi id fieri non poſsit, à primo menſe aliquod ex his emplaſtris quæ roborare & diſcutere aut calfacere diximus dorſo iuxta os ſacrum, & in lateribus ventris adhibere opus erit, idque ſingulis menſibus mutare, & 8. menſe, quo maximè abortire aſſueſcunt, vti oportet tabellis ex aniſo, puluere ſerici purpurei, &. g. j. ambræ albæ cũ modica aqua naphæ: itẽ vino Hippocras appelato ante cibum. Præterea ſummo mane adhibere conuenit vmbilico cataplaſma confectum ex mica panis toſti, madefactaq; vino albo & rubro, & pulueribus ſeminis angelicæ, ſerici, granorum tinctorum, ſanguinis draconis, aniſi, coralli & roſarum, quo vtatur iacens in lecto vſque ad meridiẽ, vel donec refrigeſcat. Quo ſublato parti eidem adhibeat ſacculum ex eiſdem pulueribus. Quibus cotilidones laxi & humentes exiccentur, permeetq; ſubinde faciliùs calor ad fœtum, quo melius alatur vegetiorq; fiat, ac flatus diſſoluantur: quippe hæ ſolent eſſe potiſsimæ cauſæ aborſus & gracilitatis mammarũ. Sic etiam affectis ferunt prodeſſe. g. iij. ambræ albæ bis in hebdomada ſumpta, quod cenſeo nulla alia ratione fieri, niſi quia vterus ad odorata ſurſum reuellitur.

De Prægnantibus morbo acuto correptis.

Cap. XXII.

HAbet inter pleraq; difficilia ars medica vnum hoc tanquam grauiſsimum ac difficilimum onus, vt neque rerum abditiſsimarum in ea cognitio, neque recta medendi ratio, neque particularium notitia, & in eiſdem ſufficiens experimentũ & vſus (quæ ſanè ſolent ad morbos omnes propellendos idonea eſſe) ſufficere in aliquibus affectionibus poſsint. Non quidem quòd hæc omnia eiſdem proprijs viribus non ſufficiant, ſed quòd corpori ita diſpoſito adiungantur, vt neque adhiberi poſsint, neque adhibita citra periculum operẽtur. Quod proculdubiò (ne dicam de pueris & ſenibus) peculiari quodam periculo vtero gerentibus accidere frequentiſsimè comperimus. Nam cùm morbo aliquo acuto corripiuntur, omni ferè auxilio deſtitui videntur. Hinc quidem periculi magnitudo id anxiè expetit, corporis ſtatus mille rationibus renuit, ita vt non magis contingat vi morbi periclitari, quàm ex auxilijs vel perperam vel importunè adhibitis. Quamobrem multa in prægnantium acutis affectionibus expendere oportet, vt in re dubia & anxia.

Sed primò ſcire oportet, non ſemper æquali periculo grauidas ex morbo acuto abortire. Nam qua ratione à. 4. ad. 7. tutiùs quàm cæteris temporibus medicari ſic affectas præcepit Hippoc. pari prorſus cenſendum eſt, non eſſe par periculum. Quod ipſe monſtrauerat lib. 1. popu. part. 3. in hiſtoria mulieris quæ decumbebat in littore, quæ cùm trimeſtris eſſet. 14. die ſudauit, & liberata eſt: & lib. 2. popu. par. 2. text. 4. in Stymarci vxore quæ quadrimeſtrem corrupit fœtum, & liberata eſt.

Cum hoc tamen factum aborsum,eum iudicamus matri salubriorem,qui minorem proiecit infantem,vt ipse testatur lib.2.popu.part.2.tex.14.inquit enim.Sexaginta dierum masculi corruptio in detentionibus partus salubris. Quo etiam loco subaudire oportet,fœmellas nõ pari securitate eisdem diebus corrumpi,quia in totum,& partus & corruptiones habent grauiores, licèt securiores: nam quæ fœmellas conceperunt,morbis ex retentione excrementorum(quæ multa in his sunt) obnoxiæ magis existunt,& ob hanc familiaritatem, securiùs transeunt hos affectus,quàm quæ mares conceperunt,quia his non sunt hi affectus æquè familiares:quare quæ filias pariunt in lethales morbos magis incidũt,sed ab equalibus magis liberantur.

Primò quidem ex omnium ferè antiquorum decreto constat vtero gerentem ab omni auxilio medico maximè abhorrere:quo probato,constabit quantum periculi inferat,vtero gerentes acutis affectionibus corripi. Quippe purgationem interdicit Hippocrat.in vtero gerentibus,nisi materia turgeat.4.aphor.1.Venæ sectionem verò 5.apho.30.dicens.Mulier vtero gerens sanguine misso ex vena abortit.Vehementem quoque inediam,alioqui morbis acutis proficuam, Galen. perhorrescit commento nuper citatæ sententiæ. Externa item & lenia medicamenta nihil prodesse constat,vt ex Hippocrat.colligitur euidenter 1.apho.dicente.Extremis morbis(quales acuti sunt) extrema exquisitè remedia optima sunt.Item cũ duplex sit acutorum morborum natura(nam quidam sine febre existunt:quidam sibi commitem eam habent) duplex quoque periculum grauidis hac ratione ex acutis morbis succrescit.Primum ex ijsqui sine febre sunt,qualis attonitus est,& epilepsia ac his persimiles,periclitatur quidem fœtus, sed magis & primò mater: cùm non solùm morbi acuti sint,sed valde acuti,vt Galen.5.aphor.29.recenset.Sed clariùs ex Hippocrat.elicitur dicente.Soluere morbum,quem apoplexiam vocãt fortem,est impossibile,debilem verò non facilè.Item de distẽsione sic loquitur.Quicumque à distensione corripiuntur,in quatuor diebus pereunt: & 5.aphor.1.& 2. conuulsionem exitialem existimat,idque ex causæ ratione nimirum ex elleboro, ex nimio sanguinis à vulnere fluxu,superflua purgatione, ebrietate,aut febri. Ob reliquos verò affectus qui cum febre sunt,periclitatur fœtus magis & protinus,& fœmina aborsu,idque vel ob calorem,vel ob humorem putridum: vltimò tamen ob necessitatem detrahendi sanguinem,ex qua(vt dictum est)abortire fœmina cogitur. Quibus etiam accedit vtero gerentes ex statu illius natura imbecillas esse, & deterioris habitus:quod probat Hippocra.lib.1.de mor.mul.dicens. Cùm mulier in ventre habet,tota fit cum virore pallida,quoniam purus ipsius sanguis semper quotidie ex corpore distillat,& in fœtum descendit,& augmentum ipsi accedit.Et cùm paucior ipsi sanguis in corpore sit,necesse est ipsam esse pallidam,semperque alienos cibos appetere,& sanguinea in ventrem intrare,& debilior fit,quoniam sanguis minuitur.Neque obstet Hippocrat.dixisse lib.de natu.fœ.vtero gerentes pinguiores fieri:nam quæ tales fiunt, imbecilliores sunt in partibus externis,licèt primo accessu videantur robustiores esse factæ: insuper & fœtum habent languidissimum.Præterea constat,prægnantem morbis acutis premi multis posse modis:primo,quòd ferè omnia auxilia renuat:secundo, quia obnoxia est aborsus periculo & auxilijs,& vi morbi:tertio,quia deterioris fit habitus,pallida enim & decolor protinus apparet,& ob id vehementiùs premitur:quarto verò,quia imbecillibus constat viribus:quam sanè imbecillitatem auget perpetua respirationis magnitudo ac celeritas. Itaque & curare & à curatione abstinere,periculo non vacat in

in vtero gerentibus.Quocirca cùm auxilio destitui non liceat,moderari in his auxilia opus est,sumpta ad id indicatione ab statu fœminæ & ab affectionis natura & periculo.Quid verò agẽdum sit in purgatione & sanguinis missione,iam monstrare aggredior.

Purgandi ratio in grauidis.

Cæterùm in purgatione duo pulchra & necessaria perpendit, iudicio nostro, Hippocrat.Primum quidem id tempus ad eam eligendum fore in quo vinculum cum matre firmum obtineat puer:à quarto nimirum grauidationis mense vsque ad septimum.Nam eo tempore purgandas esse censemus quæ vtero gerunt, quo maximè fœtus hæret matri, ne facilè medicamenti commotione dirumpat vincula,discedatque.Expendendum præterea est,minus esse septimo mense purgandas quàm anteà,iuxta verbum illud Hippocr.Et vsq; ad septimum. Primis etenim tribus mensibus,ac duobus vltimis,scilicet octauo & nono medicamenta dare nõ possumus citra euidens & maximum periculum:septimo quidem minus est incõueniens:magis verò tutum à quarto ad sextum inclusiuè,vt fertur.De primis refert.5.pop.historiam de vxore Anthimachi,cui cùm esset prægnans secundi mensis,exhibito catapotio mortua est.In octauo verò cùm periculosissimus sit aborsus, plerunque mater moritur,tum ob fœtus magnitudinẽ,tum verò ob mensis conditionem.Cuius rei exemplum est.7.pop.vxoris Olimpiadæ,quæ octimestris erat, & cùm ex oasu abortisset,mortua est:quo fit,vt verenda sit summopere in his mensibus purgatio:nam inter menses purgationi ineptos pessimus est octauus: inter priores autem minimè periculosus est tertius de aborsu,sed de vita, primus: medius autem inter vtrosque quoad aborsum & vitam matris,secundus. Difficultas tamen non parua de nono vrget:nam cũ sit mensis partui opportunus,videtur esse securissimus: qua in re considerandum est ex ea parte, qua potest parere vitalem,securissimum esse: verùm si non peperit vitalem, periculosissimum existere propter fœtus magnitudinem.Quamobrem cauendum etiam est eo tempore à medicamentis purgantibus:nam si fœtus intereat,cauendum quoq; est ne matrẽ interimat. Quòd si quis dixerit eâdem ratione periculosiorem esse quarto sextũ: dicemus plus beneficij præstare vinculorum robur, quàm cã fœtus magnitudinẽ: ob id magis minusue prædictis temporibus pharmaco est vtendum,quod citra ipsum grauior fieret affectio:nam semper medicari licet à quarto ad sextũ mensem satis tutò:in septimo non adeò tutò:à septimo vltra & ante quartum maximo cũ periculo.Itaque purgare oportet vtero gerentes,cùm fœtus maximè adhæret matri.Cæterùm in mensium natura collatione facta ad periculum,non paruam ingerit dubitationem,quòd Hippoc.lib.1.popu.part.3.in historia mulieris,quæ in lictore habitabat,cùm trimestrem fœtum gestasset, ipsam à morbo acuto & prauis accidentibus liberam dixit.In cuius sententiæ comm.Galen.inquit.Iam illud quoque meminisse conuenit,fœtum trium vel quatuor mensium præ alijs maximè resistere:quod non ignorans Hippocr. dixit.Vtero gerentes purgare,si materia turget,quadrimestres & vsque ad septimum mensem, minus verò has,iuniores & seniores vitare oportet.Et parum infra inquit.Ob hæc trimestres & quadrimestres præ alijs magis seruantur.Cùm tamen in aphorism.prædicto tres primos menses excludat,& tres postremos.Tunc sic infero rationem:Si trimestres seruantur magis,tolerabunt etiam faciliùs absque aborsu purgationem.In qua dubitatione prætermissis varijs & multis,quæ in illius sententiæ expositione authores asserũt,ego ita sentio,nimirum ex historia,quam Hippocrat.nouit lib.popu.non euerti veritatem,quam superiùs adduximus,videlicet, tribus primis grauidationis mensibus,

& tri-

& tribus vltimis non esse tutas purgationes: nam ea parte euidenter constat non loquutum fuisse de purgatione. Emanat tamen maius dubium ex Galen. verbis, qui tertium & quartum mensem alijs præfert,& ratione euidenti videtur probare: siquidem ad ferendos morbos acutos,eos præferendos esse hac ratione arbitratur. Nam morbi acuti aborsum afferunt ob id,quòd febres continuas ferè habent adiũctas, à quibus vtero gerentes periclitari constat ob auctum calorem & alimenti defectum:quæ sanè mala trimestres & quadrimestres faciliùs ferunt,cũ adeò magni non sint fœtus,vt calore & angustia loci suffocentur,aut ob alimenti inopiã deficiant velut magni. Quo fit,vt meliùs quàm maiores seruari possint,& meliùs quã minores:nam ob tenerrimam eorum substantiam, qui ante tertium mẽsem sunt, à febribus & alimenti inopia citissimè dissoluuntur,& pereunt. Cum hoc tamen licèt trimestres minùs alijs molestentur à febribus & alimenti inopia,motionibus quidem & laboribus minùs resistunt, quàm qui sunt à quarto ad septimum: mollitudo etenim, & substantia fœtus in minoribus,& in maioribus grauitas maior, & alimentorum inopia cum febris vehementia aborsus causa existunt, vt recenset Hippocrat.4.aphor.1. Qua ratione, ex illa sententia nititur Galen.suum axioma de trimestribus probare: quippe ob dictas causas non ferunt fœtus commotionem, quam inferunt purgantia medicamenta, quibus trimestres non resistunt, neque commotionem ferunt: ob tertiam tamen & quartam causam trimestres magis alijs seruantur, siquidem maiorem inediam ferunt quàm minores, qui dissoluuntur faciliùs,sicut & febrium vehementiam. Quamobrem cùm fœtus in primis mensibus ob mollitudinem,& in postremis ob magnitudinem & grauitatem, nõ ferunt medicamentorum purgantium commotiones:necessariò etiam sequitur trimestres & quadrimestres,cùm minùs molles sint,minoribus,minùs dessolui à febribus acutis,& minùs suffocari quàm maiores,& minus etiam lædi ab alimenti inopia.

Verùm quia ex auxiliorum adhibitione in morbis acutis qui vtero gerentibus accidunt, non solùm vereri oportet aborsum propter fœtum qui perit,verũ etiam propter matrem quæ periculum non contemnendum subit,si vno mense magis, quàm alio abortiat:ob id ex arte mefecisse arbitrabor, si exposuero qualis mensis sit aborsus fœtui periculosior, & qualis matri magis,& rursus qualis vtrique grauis existat. Inter omnes itaque menses minùs aborsu periclitantur in quinto & sexti initio: secundo loco sequitur quartus & sexti finis: tertio verò septimus:mox tertius: deinde secundus: tandem primus: & vltimò nonus:& rursus post ipsum octauus,qui citra cõparationem est lethalis. Sic profectò fœmina si abortiat primo mense minùs periclitatur, magis secũdo:tertio deinde magis:in quinto pari pensu & in sexto:in septimo verò & nono si fœtus vitales non exeant,periculosissimũ est,alioqui securissimum. Tandem omnium pessimus octauus. Sic generaliter si fœmina abortiat, sibi & fœtui minus periculosus est simul quartus, deinde quintus, post sextus: & quarto loco primus:& à primo deterior secundus deinceps tertius: & septimus ab eo: deinde nonus: tandem deterior omnibus est octauus. Quòd si aliquando contrarium accidere reperias, non ob id existimandum est hanc considerationem esse à ratione alienam, sed aliquam aliam causam interfuisse, cuius ratione aut meliùs aut deteriùs,quàm pronuntiatum est,id euenerit. Interim tamen ad maiora auxilia prægnantibus adhibenda,hanc rationem adseruabis.

Secundum,quod Hipp.proponit circa expurgans medicamẽtum prægnãtibus propi-

pinandum est, eas esse pharmaco medicandas,quibus materia turget. Nam triplex ex materia turgenti insurgit in vtero gerentibus ad expurgandum commoditas & indicatio: periculi scilicet magnitudo, materiæ caliditas, & facilitas purgandi ob humoris motum. Prima quidem harum indicationum cogit medicum purgatione vti, quantumuis suspectum sit opus: satius enim est dubium periculum aggredi exhibito pharmaco, quam non exhibito in certa desperatione versari: quippe promittit expurgans medicamentum, si rectè cesserit,matrem superstitem euasuram, & forasse puerum. Secunda sanè indicatio & puero & matri prouidet: nihil enim certiùs & citiùs puerum interficere valet ac ingens calor, acris & mordax, qui materiæ subijcitur mobili. Quamobrem licet ex pharmaco ipsum prolabi aliquando conspiciamus,cùm certius sit, ni citò præueniatur, solo calore perire, multo rectiùs existimamus pharmacum sub dubio periculo propinare, quàm quòd non adhibito fœtus certò pereat. Tertia verò & vltima indicatio facilitatem purgationis promittit:ex quo prodit mitius medicamentum sufficere & profuturum esse:quod sanè aborsus periculum quodammodo interdicit: motam enim materiam vel leuissimo pharmaco adminiculans natura facillimè pellit. At sicut de materia turgente dictum est, eãdem ratione intelligendum venit de ea quæ iuxta aluum existit, vt in ventriculo,mesereo, & intestinis: quippe hæc ratione loci vtero & fœtui vicini ipsum promptissimè perdere nata est: & gratia viarum communium iuxta quas huiusmodi materia immoratur, vel leuissimo medicamento excernes, quod securiorem efficit purgationem. Ex his omnibus quæ hucusque dicta sunt, & quæ Hippocrat. præcedenti loco profitetur, optima ratione elicitur in vtero gerentibus longè deteriorem esse morbum acutum ex humore quiescente, quàm ex humore turgente excitatum. Quippe cùm auxilio sectionis venæ destituatur,vt mox probabo, ac rursus non liceat illi ministrari exquisitum & tenuem victum, quòd longior sit eo qui turget, ac purgari non possit, nisi cocta materia, & paulò validioribus pharmacis, quòd materia non ita promptè cedat, vt turgens, ideò proculdubio lethalior efficitur. E contrario tamen qui ex materia turgente prodit,securior videtur, quia breuior, & quia purgationem protinus admittit. Cum hoc tamen euidenti ratione constat, & experimentis frequentissimis probamus, non minùs conuenire coctis humoribus & quietis purgationem,quàm turgentibus. Nihil enim vetat in febribus aut alijs morbis, vbi humor coctus fuerit, ipsum medicamento ducere, cùm morbus iam minor sit in fine status, aut in ipsa declinatione, quòd his tem poribus naturam habeamus adminiculantem, vt minori etiam pharmaco exhibito,minùs turbetur, & magis expellat. Cuius medicamenti vsum neque ipse denegasset Hippocrat. humoribus coctis: de quibus Galen. refert non egere nisi veluti manu ducente, & perducente ad locum vacuationis:quo fit,vt his tutiùs ac faciliùs vti possimus.

De medicamentis verò quibus id opus fieri liceat,cùm legem & methodum generalem tradere non sit opus, satius duxi tyrones monere de incumbenti periculo ab eorum exhibitione. Quã in re vtilitatem, necessitatem, & noxam pensitare priùs necessum esse arbitror, quibus constabit euidentiùs quale medicamentum adhibere oportet. Prima autem noxa est, quòd agitant vniuersum corpus, & vomitum mouent: quorum motuum occasione abortire fœminam non rarò contingit. Secunda quòd mouent dolores. Tertia verò, quòd febres

succen-

succendunt,aut præexistentes exacerbant, quia purgantia omnia suapte natura calida existunt. Nec desunt qui amara quoque medicamenta velut aloën & rhabarbarum propinare interdicant, quòd puerum amarore interfici arbitrentur. Verùm ne quis prædictis malis perterritus,dum vsu venerit, purgantia pharmaca ex toto renuat,diligenter expendat ea esse in triplici differentia:quædam enim valida sunt, alia debiliora, & vltimò quædam mediocria existunt. Valida quidem sunt,velut elleborus,colocynthis, turpetum, & reliqua,quorum compositionem hæc eadem ingrediuntur,licèt composita simplicibus sint moderatiora,omnium tamen conditio grauidis est aduersissima : nam hæc sunt proculdubio quibus corpus conturbatur, vomitus mouentur, & aborsus facillimè fiunt, & plerunque matrem vel dysenteria, vel syncope interficiunt,vt Hippocrat.accidisse refert lib. 5. popu. vxori Antimachi, quæ eâdem die ab elaterio sumpto,mortua est. Sunt etiam inter imbecilla pharmaca quædam huic vsui probatiora, velut manna, casia fistula, syrupus ex infusionibus rosarum rubrarum, decoctum foliorum sennæ & epithymi: quibus tutiùs vti conceditur,vt quæ parum aut nihil corpus perturbent.Cum hoc tamen vereri oportet,ne cùm pleraq; ex his laxiora sint,& mollissima, ob id fœtus ligamentis laxioribus factis,licet turbationem non inferant, aborsum tamen promoueant. Quibus ratione huius prouidētiæ admiscere oportet quæ roborandi ac firmandi vias & vires habeant: velut sunt myrobalani omnes, rosa, iuncus odoratus, & reliqua huius naturæ. Mediæ autem sunt efficaciæ & conditionis plurima,velut est rhabarbarum,agaricus,catholicon,confectio Hamech sine scammonio & colocynthide, ac reliqua, quæ prædictorum vires non exuperent. Neque credendum est, eo quòd ex his aliqua sint amara, protinus amarorem ad fœtum peruenire : neque si peruenias, posse fœtum interimere, cùm medicamentum sit ea quantitate exhibitum, quam nobis licet vtero gerentibus porrigere. Præterid quòd ante quàm fœtus degustare ipsum possit, mille alijs rebus in corpore admiscetur, & ars ob id consulit semper admiscenda esse prædictis, quæ gustui sint gratissima, & naturæ amica ac familiaria. Ego tamen in vtero gerentibus, vel non grandi morbo affectis, dum purgare vsu venit,non recuso rhabarbarum porrigere, verū vt securiùs & cautiùs fiat, vno è duobus modis ipsum præparo (nam in grauioribus malis vrgentia consulit, rhabarbaro audacter vti) vno quidem facto ex eodem rhabarbaro hac lege cidoniato:excipe cotonea ab omnibus suis interaneis repurgata,& in partes diuisa(sed superstite pellicula & cute summa,quæ valde est odorata)in aqua donec tabuerint,coquito, postea per linteum colata, ac violenter expressa excernātur,& cum optimo saccharo coquantur:quòd dum fit adijcies ad lib.j.huius condituræ. 3.j.rhabarbari, cuius ℥.j.aut.j.&.ß.porrigere optimè poteris. Verum cidoniatum aliud ,quod absque molestia gratiùs & efficaciùs vacuet, hac forma parare poteris: diuidatur cidonium & sublatis seminibus cum foliculis impleantur partium cauitates puluere optimi rhabarbari negligenter triti pondere.3.j.&.ß.aut.ij. vel si affectio postulauerit, agarici tantundem, vel foliorum sennæ,deinde vniantur dictæ partes ac papiro inuoluantur, & ligatæ coquantur in clibano vel furnello,& absoluta coctione cidonium aperiatur, & abiectis medicamentis internis pulpa manducetur: quod proculdubio medicamenti genus purgabit sine molestia,securè,atque præterid viscera omnia roborabit. Cùm hoc tamen prægnātes purgare cautè agrè diendum est, & eas quidem solùm quarum salus in dubio existit, aut eas quibus licet sanæ videantur,aliquod impendet periculum.Præterea,si morbus primū suaptè

suaptè natura lethalis sit, & ex his qui medicamentis cedere nequeunt, tutius esse existimo eas non purgare,ne nostro errori morbi periculum ascribatur: nisi aborsus gratia id fiat,sub certa vitæ matris desperatione.Item eas quoq; à purgatione ablegandas esse existimo, quibus salutis spes effulget, ac certa promittitur. Qua ratione Hippocrat. dixisse censeo. Prægnantibus si nihil præter naturam accidat, vitales fiunt partus. Atqui cùm morbi & pharmaca,res sint præter naturam, adeò vt etiam ab infantibus medicamenta arceantur, eisdem aut aborsu periclitantur, aut imbecilles supersunt, ita vt paulò pòst intereant. Reliquis verò non posthabita omnino infantis noxa, sed aliquid ipsi donando, si periculum vitæ matri impendeat, propinanda sunt purgantia medicamenta, ne vterque simul vi morbi pereat: sin aliter, verendum est. Nam vbi morbus suapte natura salubris existit, non licet medico Christiano aliquod moliri opus, quo aborsu periclitetur infans. In morituris verò,si quando licet,id est aborsus gratia,ne matre vi morbi interempta fœtus quoque citra baptismatis sacramentum sanctum intereat.At in reliquis minus damnū est, dum in dubio res versatur,pharmacum exhibere, quàm posthabito morbo fœtum & matrem mori permittere.Quòd si fœtum esse mortuū cognouerimus,purgatione audaciùs præuenire oportebit, extrahendi fœtus & humoris peccantis gratia.

De sanguinē detrahēdo in grauidis.

Inter reliqua auxilia,quibus tutiùs & citiùs acuto morbo correptis opitulamur, vnum idque præcipuum est sanguinis detractio,vt ab Hipp. dictum esse constat. Acutis morbis sanguinem detrahes. Qua profectò ratione morbos acutos grauidis esse lethales ipse dixerat, quia sanguinis detractionem expostulant : & ob id.4. aphorism.facta mentione de expurganti medicamento nec verbum vllum sanguinis detractionis protulit, quin potiùs eam omnino expressis verbis interdixit.5.aphorism.30. dicens: Mulier vtero gerens sanguine misso ex vena abortit, & magis si fœtus sit maior. Vtero enim gerentes cùm incidunt in morbos acutos à sanguine ortos, missione quidem sanguinis egent, eam tamen ferre citra aborsus periculum non possunt, quoniam fœtus sanguine detracto priuatur necessario alimento, non solùm quia sanguis minuitur, sed quòd aliò auertatur sanguis, qui in vterum affluere solebat. Quamobrem censeo lib.de natu. fœtus Hippocrat.dixisse fœtum impelli ad ortum ex alimenti defectu, siue defectus sit naturalis, qualis nono mense accidit, siue ex aliqua occasione sanguine misso, aut quauis alia vacuatione. Verùm licèt ab Hippoc. dictum sit, sanguine extracto protinus fœminam abortire, non ob id credendum est, id auxilium ex toto interdicere. Sed hac in parte eius sententiam intelligendam esse arbitror eo modo,quo aliàs quæ ad præsagandi rationem attinent, ipse protulerat.Dixerat enim.5.aphorism.21.Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto,lethale.Non tamen ob id credendum est omnes protinus morituras,sed magna ex parte id accidere: Pari quoque prorsus ratione existimabimus sanguine misso neque omnes aborsum passuras, sed magna ex parte. In hac tamen re ego proculdubio sentio,prægnantes ad sanguinis detractionem similem scopum præstare,ei qui ab ætate desumitur:nam ætas non renuit suapte natura sanguinis detractionem,sed ob certas ipsius conditiones,quantitatem moderatur. Quamobrem in grauidis duplici ratione videtur sanguinis detractionem moderari oportere. Prima ne vires fœminæ fortè ita deficiant, vt ipsi fœtui & morbo sufficere non possit. Secunda, quia periclitatur sanguine detracto, aborsu:

nam ſi primis menſibus mittatur,tenerrima admodũ ſunt fœtus vincula,& à quouis leui motu dirũpuntur: præterquã quòd diſſoluuntur non pauci ſpiritus in ipſo opere,quorum defectu deteriùs ſe habet infans. Verùm ſi auctior nimis exiſtat fœtus ſanguine miſſo,faciliùs corrumpitur ob alimenti defectum. Quibus ſic ſtantibus rei ratio conſulit,vtriq; eſſe ſubueniendum:morbo quidem ſanguine miſſo: fœtui verò,minori eius copia extracta. Docet iudicio noſtro Celſus veram illius Hipp.ſententiæ interpretationem lib.2.cap.10.hæc referens verba.Si quidem antiqui primam vltimamq; ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilij genus indicabãt, perſuaſeruntq; ſibi mulierem grauidam quæ ita curata eſſet,aborſum eſſe facturã. Poſteà verò vſus oſtendit nihil ex his eſſe perpetuum,aliaſq; poſteriores obſeruationes adhibendas eſſe,ad quas dirigi curantis conſilium debeat. Intereſt enim non quæ ætas ſit,neque quid intus in corpore geratur, ſed quæ vires ſint conſiderare. Ex quo loco infero,quòd ſi mulier vtero gerens acuto,magnoue morbo corripiatur,& vires ipſius conſtiterint,ac nihil fuerit aliud, quod obſtet, ſanguinis detractionem citra euidens aborſus periculum optimè tolerare poterit. Quod tamen intelligendum eſt,dum vitæ periculum impendet,atque cum hoc tãtò minus eſt extrahendum,quantò fœtus fuerit auctior,quòd eo tempore ad fœtus alimoniam & lactis generationẽ multo ſanguine ſit opus.Sed videtur quodammodo huic ſententiæ aduerſari Ariſt.qui.4. de gen.anim.cap.8.hæc refert verba. Sed cùm fœtus magis magiſque perficiatur,plus excrementi ſupereſt,minus enim abſumitur,idq; dulcius eſt, cùm non benè trahatur,quod benè coctum ſit:nõ enim inſuper ad fœtus formationem conſumitur, ſed ad incrementum mediocre , quaſi iam fœtus conſtet adeptus finem ſuum.Qua ſententia minus alimenti aſſumere & conterere fœtum maiorem & conformatum,quam eum,qui conformationẽ adhuc agit, euidenter conſtare videtur : ob idque optimè ducta ratione,iuxta huius authoris mentem,minùs nocebit eo tempore ſanguinis detractio. Neque eo ſibi erit contrarius Ariſtot.qui lib. eodem cap.6.reddens rationem , quare vtero gerentes ab initio turbationem patiantur dixit.Principio potiùs cùm concipiunt, perturbari ſolent magna ex parte , conceptus enim purgationem impedit,& præ ſua exiguitate abſumere copiam excrementi inter initia non poteſt:quãquam poſt,vbi iam plenus abſumere cœperit,leuat. Qua parte tantùm intelligit fœtus ab initio ſuis primis menſibus parum accipere:licèt enim plurimum augeantur pro quantitatis ſuæ ratione,id totum , quod in eo augmento abſumitur , quam pauciſsimum eſt: ſed cap.8.dixerat parum abſumere alimenti fœtus, cùm maiores ſunt. Quod intelligendum eſſe cenſeo,ac ſi dixeris,ſed minus ad portionem corporis , quàm vbi erant quatuor , quinque aut ſex menſium: ſiquidem his menſibus fœtus conficitur , ac partus omnes integrantur,licèt anteà conformationem habeant : cùm hoc tamen(vt dictum eſt)ijs menſibus integrantur , poſteà verò conformatus & confectus minori augmento,& minori alimento ad portionem indigebit. Ex quibus verbis prodit difficultatis ratio:nam ſi verum eſt,quod Ariſtot. dixit , minus alimentum ad portionem ſuæ molis capere fœtus, quo grandiores ſunt , non ita facile corrumpuntur ſanguine miſſo. Cui dubitationi dicendum eſt Ariſtot . eo loco tantùm diſquirere cauſam , quare lac vltimis menſibus generari incipiat,& ipſam reieciſſe in copiam ſanguinis , qui iam ex vtero ad mammas regurgitare incipit, copioſiùs: quod verum eſt ,ſed non eo quòd minus ſanguinis fœtus abſumat,quòd maior exiſtit . Atqui licèt aliqui exiſtiment , plus abundare , quoniam pluribus menſibus ſanguis retentus eſt : ego tamen cenſeo potiſsimam ratio-

potiſsimam rationem eſſe,quam anteà diximus,nimirum quia fœtus eo tempore plurimum attrahit alimenti,quòd plurimo egeat,à quo plus partis butyroſæ & pinguoſæ ad lactis confectionem ſeparari eſt æquum . Nam coniectabile videtur,ex maiori alimenti copia maiorem quoque portionem pinguoſæ ſubſtantiæ ſupereſſe,quàm ex minori:& ob id vltimis menſibus plus lactis eſt,quia plus trahit fœtus, & plus ob id ad mammas tranſmittit.Quod cenſeo intellexiſſe Ariſtot.cùm dixit. Sed cùm fœtus magis magiſque perficiatur,plus excremẽti ſupereſt:ex quo copioſius lac abundare eſt æquum:quod nomine excrementi intellexit Ariſto. Quo fit, vt dum vſu venerit & affectus grauis extiterit,non tantùm formidare oporteat vltimis menſibus ſanguinis detractionem , ſed eam non niſi plurimum expoſcente malo adminiſtrare oportet. Conſtat igitur ob id frequentiſsimè feliciter accidere , ſi in grauidarum morbis ſanguinem detraxeris , parcè tamen & moderatè: quam moderationem veteres non obſeruarunt. Quo fit, vt mirum non ſit ſi tantùm vetuerint ſanguinis detractionem . Sed nos hanc ſeruantes moderationem, audaciores tutò erimus , maximè ſi mox à morbi principio id ſtudeamus efficere, ante quidem quàm febrilis affectio ſanguinem in vtero ad ſeruatum , vel in ſecunda retentum calfaciat,putreſcatue : quippe eo tempore , vel grauior efficitur affectus qui præfuerat , vel denuo grauiſsimus alter ſuccreſcit, vt multis qui timore aborſus perterriti, præterita principij occaſione,miſerè contingit. Itaq; à quarto ad ſeptimum ſanguiñem detrahes ab ea copia,quam affectus expoſcere videatur , tantum remittens, quantum fœtus ad ſui cuſtodiam poſtulauerit. Primis verò ac vltimis menſibus, id opus non aggredieris,niſi maiore & vrgentiore exiſtente neceſsitate:idque moderatiùs facies,quòd fœtus tenuior ſit,ac facilè diſſoluatur & diſcedat : vel quòd grandior exiſtat,& plurimo quoque indigeat alimento. Tandem hoc tibi ſemper in memoria ſit, in nullo menſe ſanguinis miſsionem periculo vacare.

Eſt tamen in hac re aliud, quod præterire non decet,nimirum in iuuenculis & boni habitus fœminis citra morbum aliquem,ſed eò quòd abortiri frequentiſsimè aſſueſcant,neceſſum eſſe plerumque ſanguinem detrahere,vt latiùs ſum probaturus capit.de aborſu. Nam fœminæ,quibus plurimum ſanguinis abundat,dum vtero gerunt,ob id abortiunt frequentiſsimè , quia à primis fœtationis menſibus nequit fœtus tantũ alimenti conſumere:ideoque ſuffocatur;vel præ nimia copia vincula dirumpuntur . Quamobrem habitum illum quantumuis bonum ſtatim ſoluere expedit , nedum cùm morbo aliquo acuto corripitur: quo tempore duplex inſurgit neceſsitas mittendi ſanguinem:prima ab affectu:ſecunda à copioſo corporis apparatu:quibus ſatisfactum erit ſanguine miſſo.

Verùm in omnibus ſanguinis detractionibus, quæ grauidis profuturæ ſunt, eam venam eligere conuenit,quæ maximè ab vteri venis diſsideat , ita vt quàm minimam cum eis communionem habeat: qualis eſt vena humeraria , vel vrgenti malo,communis:à reliquis verò abſtinendum,quippe quæ facilè alimentum adimunt.In quo ſanè opere id vnum in periculoſiſsimis affectionibus obſeruare oportet , vt ſanguis non mittatur , niſi in prædictis,vel dum experimento didiceris, eam mulierem à venæ ſectione , dum vtero gereret , & fœtus eſſet tantus,quantus eo tempore eſt,nihil paſſam fuiſſe:atque etiam in prædictis actionibus adſeruabis,ne aduerſus vel præſtantis alicuius viri ſententiam,vel fidiſsimi authoris decretum,ſanguinem mittas , vel aliquod graue opus efficiendum aggrediaris. Graue profectò eſt,& timore plenũ contra Hipp.mentem in grauidis audacter ſanguinẽ

mittere:cum hoc tamen cùm matri certum periculum impendet,minus malũ est sub dubio aborsus sanguinem mittere,quàm ipso non extracto matrem & puerũ simul necessariò perdere.In quo etiam opere octimestres cauere oportet:nam rarum est fœminã octimestrem morbo acuto correptam,& superstitem esse:vt etiã Arist.refert.7.de hist.anim.cap.4.Qua profectò ratione maturo admodũ cõsilio, & accersito aliquo ex præstantissimis medicis id opus tentare optimum semper duxi.Quòd si vires non constiterint,aut præmissa sanguinis detractione,si plenitudini satisfactum non sit,frequentioribus vti oportebit cucurbitulis, & aliquando cum scarificatione:nam à ventre calorem febrilẽ distrahere natæ sunt, quod grauidis proficuum existit.Poteris quoque hirudinibus brachijs affixis vti:nam minori sanguinis & corporis turbatione ipsum educunt citra id quod fœminæ expauescant,aut animi deliquio corripiantur.

De victus institutione ingrauidis.

Qui plurimum verentur sanguinem mittere in grauidis,vniuersum ferè curationis negotium victus parsimoniæ in totum cõmittunt,existimantes minus esse periculum aborsus ex tenui victu,quàm ex venæ sectione aut purgatione,decepti (iudicio nostro)fucata & apparenti quadam ratione:quippe existimant pleraſque ex vtero gerentibus facillimè inediam ferre posse,quod cibi fastidium citra noxã diutissimè patiantur: & ob id morbo acuto correptis tenuissimam instituunt victus rationem,credẽtes id quoque posse citra aborsus periculum perferre. Ex qua etiam fallaci ratione inferunt in grauidis minùs esse periculosum acutum morbũ quàm diuturnum , quòd victus exquisitus non ita facilè aborsum excitet paucis morborum acutorum diebus.Verùm rei veritas euidenter monstrat non minùs esse periculosum acutum affectum hac ratione , quinimò grauius:nam quantitas cibi nulla lege,vt par est,instituti in morbis acutis matri & infanti proficua potest: nam si cibum eligas copiosum,matrẽ interimes, quòd morbi ratione victũ exposcet tenuem:quòd si parcum tenuemue exhibeas,qualem morbus acutus exposcit,fœtus alimenti defectu peribit.Neq; valet ratio eorum,qui existimãt eo quòd sana & fastidiens cibum auersetur fœmina, ideò in acutis idem perferre innoxiè posse.Fert quidem natura non rarò simplicem affectum , cui si alium superaddas, citra periculum tolerare nequit.In morbo igitur acuto, vbi tot sunt qui fœtũ perdere possunt,si victu simul priues,nil mirum si ocyssimè interficias. Consulit itaq; in re tã dubia medendi ratio vtrique esse prouidendũ tali victus ratione instituta, quæ nulli eorũ manifestè noceat . Quòd si fieri nequeat,quin aut mater pereat cibi copia,aut fœtus inopia,satius erit matri prouidere:quippe fortasse infans ea ratione à periculo euadet,quòd mortua matre nequibit.In qua re eum victum institues,qui copiosæ sit alimoniæ & substantiæ,in paruissima tamen copia. Puero etiã prouidendum per ea,quæ vmbilico esse apponenda anteà diximus non quidem quod ea parte puer alatur,sed roborandarum virium gratia.

Hæc quidẽ sunt quæ in communi omnibus vtero gerentibus morbo acuto correptis proficua sunt.At in reliquis auxilijs parum aut nihil euariat curãdi ratio ab ijs quæ reliquis corporibus sunt proficua,siue angina,siue pleuritis, siue phrenitis, aut soporosa affectio sit:nam in particularibus nihil habent, quo differre possint, præterquàm quòd in phrenitide & reliquis huius naturæ affectionibus neq; acribus clysteribus,aut suppositorijs vtendum est,nisi dum vsu venerit ex nimia necessitate aborsum prouocare.

Prætereà in quibusdam ex ijs quæ vtero gerunt, vtendum est expurganti medicamento,si affectio postulauerit,ocyssimè:in alijs remorandum . Nam quibus aluus

aluus fluit,cum id malum vt Hippoc.refert.5.aphorism.34.grauidis sit periculosum,ac periculum proficiscatur non solùm(vt Galen.recenset)ex defectu alimenti,sicut in sanguinis detractione,sed ex alijs causis quæ eam diligentiam in artificè requirunt: eò cunctandum non est:nam pituita redundans faciet ad vterum demissa citiùs effluere fœtum vinculis laxatis, & bilis amara ipsum occidet non secus ac venenum.Significat enim magnam causam , cùm prægnantes plurimo opus sit abundare alimento . Quibus accedit periculi alia ratio quæ nos ad properandum cogit,quòd fluxum ocyssimè sequitur tenesmus,promptissima quidẽ aborsus causa,vt Hipp.placuit.7.aphorism.27.Quamobrem credendum est lienteriam defectu alimenti aborsum minari,reliquos verò fluxus alijs de causis:in quibus sanè purgare ocyssimè opus est,& in lienteria mox constringere: inquit enim Hipp.1.de morb.mulie.Concludere autem statim atque constringere oportet.In reliquis verò affectionibus,vt naturam habeamus adminiculantem,& mitiori sit opus medicamento,coctionem expectandam esse cõsulit rei ratio:qua expectata sæpe abit purgandi necessitas.

Mirum profectò est,quantam requirat diligentiam in sanguine detrahẽdo vterus erisypelate affectus:siquidem.5.aphor.41.expressè docet Hippoc. lethale esse: quod non videtur minùs mirandum,quàm citò præueniendum, etiam si erisypelas suapte natura affectio lethalis non sit,neque vterus membrũ princeps.Si quidẽ Auic.testatus est.4.4.tract.2.cap.10.se vidisse totum vterum funditus excidere, & fœminam cum hoc superuixisse:quibus accedit , grauidationem quoq; affectum esse secundũ naturã.Cũ hoc tamen hæc tria simul iuncta lethalem efficere affectũ experimento confirmatur,& Hipp.decreto lib.1.de morb.mulie.vbi sic loquitur. Erisypelas si in vtero fiat,mortem necessariò adfert.Subdit rationẽ lib.2.de morb. mul.dicens: Si ignis facer in vteris fiat,tumores fiunt liuidissimi à pedibus exorsi vsque ad crura tota & ad lumbos.Quanto verò tempus amplius progressum fuerit,etiam pectus percipit & intumescit,& tota perfrigeratur,& febris habet magna.Et in vltima parte textus subdit.Hic morbus, si prægnantem inuaserit, occidit. Cuius causam esse scimus,quòd aborsum facit ob vehemens incendium,ex aborsu autem & erisypelate necesse est mulierem mori.In qua sanè affectione licèt Hipp.locis nuper citatis aliam scribat curandi rationem:ego tamẽ eâdem minimè auderem vti,nisi sanguine sufficienter priùs misso,& pronũtiato aborsus & mortis periculo:tandem verò mollibus ac refrigerantibus clysteribus rem omnẽ agerem,adhibitis etiam inunctionibus dorso & inguinibus iuxta Hippo. curandi rationem loco nuper citato adductam.

Est tamen nõ minus graue febribus alijs grauidam corripi,dum ab his extenuari contingat,modò lentæ sint,modò vehementes,vt facilè colliges ex Hippoc. 5. aphor.55.Quæcunq;(inquit)vtero gerentes febribus capiũtur,& valde extenuantur absque manifesta occasione, difficilè pariunt, & cum periculo, aut aborsus facientes,periclitantur.Itaq; duobus modis extenuãtur fœminæ, in validis quidẽ febribus,ob vehementiam,in debilibus verò,ob durationem: quibus ita fœminas extenuari contingit,vt neq; parere,neque partus aut à partu labores & vacuationes ferre citra maximum periculum possint.In qua sanè re expendendũ est maturo iudicio quid agere oporteat:non enim,sicut in acutis, vti possumus sanguinis detractione,aut purgatione,nisi ex vehementibus fuerit febris, in quibus melius est anceps experiri auxilium,quàm ferre citra auxiliares manus præsens interitũ. At in longis contrarium est,quòd grauius sit temerarium aggredi remedium , eo

quòd tempus & naturã in diuturnis affectionibus curandis præualere nobis conſtet. Quamobrem proba victus inſtitutione, leuiſsimis medicamentis & alijs his ſimilibus corpus moderari oportet, donec partus tempus inſtet. Nam grauius fiet malum, ſi aborſus ex præſidio ſequatur corpore febriente, & præ nimio labore ac febre languido & extenuato.

Prætereà ſunt pleræq; fœminæ, quibus ex intemperato habitu, aut ex prauis humoribus ante conceptum, aut poſt genitis, frequentiſsimè febribus corripiuntur, à quibus factæ imbecilles vel abortiunt, vel malè ſe habent toto grauidationis tẽpore, vel ſeptimeſtres frequentiùs edunt partus. Quod quidem ante conceptum curandum eſt præcauere purgatione, balneis, ſudoribus leuibus, & optima victus & vitæ inſtitutione præmiſſa, quæ corpus ab huiuſmodi ſpurcitia ante cõceptum liberent. Quæ omnia ob id hac in parte ſcripſi, vt quiſque debita prouidentia cuique harum affectionum conſulat, ne ſi eas à principio neglexerit, poſtmodum curare non poſsit.

D E

DE PVERPERARVM ET NVTRICVM AFFECtionibus.

LIBER QVARTVS.

De Partu. Caput primum.

NON immeritò Hippocrat. dixiſſe comperimus lib. de genitura: Omnia lege fiunt. Eſt autem lex certa quędam ratio & modus, quo ex natura fieri ſolent omnia, & naturæ quædam inſtitutio, ſecundùm quã cuncta agit. Quippe ſicut aliqua eſt in quauis re efformanda peculiaris & propria ratio generationi proficua (nam vna eſt quæ chilum generat, ſanguinem alia, bilem vtramque alia, & alia medullam, vrinam ac reliqua quæ in corpore fiunt: in quibus efformandis eundem generationis modum ſemper adſeruat potentia, cui id munus incumbit) ita prorſus eam & vnam ſeruare naturam ipſam rationem & modum in fœtus conceptu, motu, ac partus tempore exiſtimandum proculdubio eſt. Maximè cùm ſtabilita habeat propria opera ipſa natura, & certis periodis ac legibus circumſcripta ſic cõceptum, formationem, motum, integritatem, vitam, & in lucem productionem ſeu partum, ac poſt in mammis alimentum tanta ſolertia metitur & perficit, vt ſui occaſione ſtatutam operandi rationem nunquam euariaſſe comperiamus: ni fortè quid præter naturam illi accidat, cuius vi & efficacia cogatur à conſtituta lege deflecti. Quæ ſanè duo vitiorum genera, id nimirum, quod puerperis, & id quod nutricibus accidere poteſt, quarto hoc volumine complecti fuit in animo, initio ſumpto à fœtus formatione & partu.

Dictum eſt præcedenti lib. quatuor temporibus partitam eſſe vniuerſam formandi fœtum perfectionem: quorum primum ſeptem dierum ſpatio circumſcribitur, genituram appellatam effingens: ſecundum carnis & oſſeæ ſubſtãtiæ molem præparans eſſe conſtat, licèt integram delineationem ante triginta dies non adipiſcatur: tertium quidem principia viuentis effingit ac efformat: quartũ verò & vltimum perfectionem omnium membrorum præmiſſa delineatione præſtat, præſtaturum deinceps infantis rationem. Ex quibus conſtat decuiſſe naturæ maieſtati & miniſterio hæc tempora, hos motus & labores mouere, vt operis ſui perfectionem iuxta inſtitutum conſequatur. Nam cùm natura rem quandam ſimplicem & homogeneam ſtruit, mirum non eſt, ſi vnica motus forte, vnico tantũ tempore, vni ſolùm operi innitens ipſius perfectionem adipiſcatur citra vllam varietatem. Verùm cùm rem aliquam ex varijs diuerſæque naturæ (ac potiſsimum perfectionis diuerſæ) fabrefacere ſtudet, neceſſum proculdubio eſt, tot tempora, tot labores ac mutationes inſtituere & moliri, quot ſunt opera quæ ipſam affecturam ſperamus. Cum hoc tamẽ conſtat non vnicum eſſe in mare ac fœmina formationis tempus: de qua re prætermiſsis varijs antiquorum opinionibus, mediam

Formationis tẽpus.

inter omnes seligimus,quæ magis Hippocratico dogmati adhærere videtur.

Exurgit quidem puerperij formationis longissimus terminus numero quadraginta quinque dierum constans, quem hac lege authores partiuntur,Solibus quidem sex spumificationi (vt dictum superiùs est)tribuêtes: quatuor lineationi:octo lineationis repletioni:quatuordecim carnificationi:terdecim efformationi:ex quibus quadraginta quinque dierum numerus constat.Numerus autem minimus triginta dierum spatio adimpleretur:quoniam Soles sex spumificationis:duo lineationis:quatuor lineationis repletionis: nouem carnificationis: totidemque efformationis proculdubio sunt.Quos sanè terminos de masculo puerperio subaudire tantùm oportet:nam de fœmella aliter statuendum est,quòd lõgioribus (vt inter omnes conuenit) temporum interuallis absoluatur: decem quidem dierum spatium (etiam si maturiùs plerumque,veluti quinque dierum tractu fabricari illustres authores obseruarunt)vltra maris spatia ad sui formationem exigit:cuius figura per id tempus post aborsum in humido haud quaquam permanet, sed ocyssimè planè dissoluitur: contrà mas si in aquam frigidam diffundatur,in membranula cogitur consistitque.Neque nos terrere debet,quòd ex antiquis multi(vt Straton Peripateticus,& Diocles Charystius)concepti corporis fabricam per septenos dies obseruatione dispensant, Platonicæ septenariorum maiestati alludentes: vt hebdomadæ primæ genituris intra inchoandi hominis rationem locatis, genitiuum humori foliculum artifex natura primum circundet. Secunda crebas extimam conceptabulis superficiem cruoris guttas passim gestare putant.Tertia hebdomada de foris introrsum verti eas,demergique. Quarta humorem ipsum ita coagulari,vt inter carnem & sanguinem liquida adhuc soliditate concretioneque conueniat.Quinta partu mense septimo maturaturo figuram integram confingi.At si nono à conceptu mense absolutio futura sit,siquidem fœmina fabricationi accedit,sexta hebdomada membra diuidi:sin masculus,septima proculdubio arbitrantur.Ex quibus constat non longè à nostra veritate deuiare antiquos,siquidem trigesimo quoque Sole hominis efformationem, vel paulò plus fieri censent. Hæc itaque est omnis configurationis ratio,quam multis de causis sic natura fabrefecit: primò namque ædificat sibi domicilium & firmitudinem,qua subijciatur natura vegetabilis,dirigaturque in actum:in quo veluti in arce propria munia perficiens ad altiora progreditur, non solùm contenta plantam effinxisse intra vterum,sed sensui carnem & cæteras partes disponens, & configurationem fabricans sui naturam trãsgreditur. Quo facto, maiorem in corpusculo illo apparatum effingens, animæ rationali domum præparat, cuius imperio tot facultates,tot instrumenta mira quidem varietate cõfecta subijcit. Decuit autem ea omnia sic fieri:nam cùm quædam nostri corporis membra habeant rationem principij,quædam verò rationem organi, & quædam rationem finis:necessum profectò fuit aliquo ordine naturam se gerere:diuidentem vniuersum formationis tempus in quatuor partes,quibus vteri gestatio perficeretur.

Ratio & tẽpus motus infantis in vtero.

Vt quis parturitionis tempus adamussim callere possit,motus & labores infantis in vtero expendat satis priùs oportet, quòd iuxta prædictas mutationes metiri quoque tempus partus opus sit. Expresserat quidem hæc omnia Hippocrat.libr. 6.popu.par.7.tex.29.dicens.Dolores per circuitus fiunt; qui autem in septuaginta mouetur,is triplicato numero perficitur:qui verò in nonaginta, is etiam triplicato numero absoluitur.Qua sententia videtur complexum fuisse duo tantùm parien di statuta tempora,nimirum septimum & nonum mensem: nam qui septuaginta diebus

diebus mouentur,septimo mense in lucem prodeunt:qui verò nonaginta, nono. Eandem quoque sententiam scripsit idem Hippocrat.ad finem libri de alimento addens id,quod summoperè ad prædictum dogma existimabat necessarium fore: nam postquam de ea re varias opiniones recensuisset,eosdẽ terminos statuens, in fine inquit.Est & non est:vt apertè doceret incertum esse tempus gestationis, formationis & partus etiam,sed illa duo esse potissima plus minusue euariantia.Et licet locus sit lib.2.popu.par.3.text.30.huic apparenter contrarius,nimirum labores,circa tertium diem supra quinquaginta,& sextum supra centum, menstruales secundo & quarto,quæ oportet nosse ad septimestrem,quo videtur constare, septimestrem indicari partum laboribus mense incipiente tertio, aut in fine secundi, quos complent.53.dies,aut quarto mense,qui constat.106.diebus:qui sanè termini longè videntur diuersi ab his quos lib.6.docuerat: arbitror quidem non esse omnino integrum & Hippo.dignum locum.2.lib.aut eo voluisse idem intelligere de masculis,in quibus mirum non est,aliquot dies ante septuagesimum,moueri,& labores præstare:at lib.6.suspicor generalius præstitisse præceptum.Quapropter credendum est,eâdem parte scripsisse varios labores,& motus ad partum terminos, dicens: In longius autem tempus labores. 3. &.5. &.7.&.9.mense.2.4.8. quæ ex parua tabula consideranda, censeo tamen certiùs loquutum fuisse lib. 6.quàm in reliquis locis. Sed duo circa primũ oraculum Hippocrat. expendisse oportet:quales sint termini motus infantis in vtero,& quid ex illis ad partũ prædicere liceat:secundũ,an sint tantum hi duo pariendi termini. Ad primũ igitur accedendo existimo Hippocrat. voluisse dicere terminũ partus esse indagandũ ex principio motus infantis,ita vt qui septuaginta mouetur, vel nonaginta, triplicato numero absoluatur, quia potissima ratio pariendi & tempus ex labore ac molestia motibus infantis illata perficitur,instar reliquarum naturæ actionũ. Nunquam enim ipsa expulsionem agreditur eius, quod conficit,donec ex toto perfecerit.Præterea minimũ subit natura laborem in confectione humorũ, donec in perfectione consistat & se se ad expulsionem præparet:exemplo est crisis in morbis,quam anteà motus & labores quidam designarunt. Sic profecto in infantis exortu labores & dolores per circuitus fiunt,puero ipso,mediante motu,designante sui exitus terminũ:nam hi sunt labores quos licet ex Hippocrat. mente intelligere,& hi sunt motus,nimirum cũ infans primò se posse moueri percipit, & facto motu laborem & dolorem infert,præsagium quidem futuri exortus. Ex quo quidem tempore computationis initium ad partum sumit Hippoc. quem etiam doctiores insequuntur.

Subit autem in examen hac in parte,si statutũ tempus formationis fœtus contineri Hippocrat.dixit,ad summum quadraginta & duobus diebus,quorsum computationis principium ad partũ à septuagesimo in septimestribus partubus, & à nonagesimo in nouimestribus sumat? si quidem à quadragesimo secundo ad summum fœtus moueri possunt. Nonne statutũ habet natura tempus ac determinatum huic operi,in quo motus motibus correspondere tenentur,& actiones actionibus,ita vt neque natura neque fœtus vsquam ab opere cessent? Quorsum item totum illud tempus à quadragesimo secundo die ad septuagesimũ aut nonagesimum otiosè pergit ipsa ita, vt nullam præstet computandi notam, neque vllũ huius operis indiciũ? Cui sanè dubitationi,quam maximi esse momenti scio,vnico verbo satisfaciam in memoriam reuocans,naturã in morbis triplex ad sua munia exequenda obtinere tempus: vnũ quidem in quo aliquod indicat aggredi opus:

opus:aliud,in quo monſtrat perficere ineptum:reliquum verò,quo vtriuſque operis perfectionem monſtrat.Quod pulchrè dixerat Hippocrat.2.aphoriſm.24. Septenorum quartus eſt index. Qua ſententia conſtat ex temporibus quædã nil manifeſtum efficere,licet omnino natura ab opere non ſubſiſtat: quædam indicare: quædam verò iudicare. Quod pari fermè ratione in fœtu efformãdo ac propellendo,naturam obſeruare comperimus.Nam vitalem eſſe fœtum quadrageſimo ſecundo die indicat,ſeptuageſimo motum editurum: intermedio autem tempore fœtum perficit natura,vt motui ſtatuto tempore deſignato ſufficiat.Nõ enim mox vt viuit,mouere ſe ipſum valet,ſaltem vt dolores & labores inferre poſsit. Præter quam quòd motus in fœtu duplex cognoſcitur:alter vitæ manifeſtatiuus,qui quadraginta & duobus diebus effulget: alter verò præſagus & index partus, quẽ ſeptuaginta aut nonaginta diebus euenire refert Hippocr.prædicta ſententia. Quapropter partum conſideramus veluti quendam morbum,eumque longiſsimum, ex ſorte nimirum eorum,qui dierum,hebdomadarum,& menſium numero iudicantur.Pro cuius rei probatione expreſſum eſt Hippocrat. teſtimonium lib. de ſeptimeſtri partu, quo hæc refert verba. Mulieribus fœtuum conceptus & abortiones & partus eodem modo iudicantur,quo & morbi & ſanitas & mors cunctis hominibus.Sed omnium iſtorum alia quidem diebus:alia menſibus: alia dierum quadragenarijs:alia verò annuo ſpatio euenire videntur.Cùm ergo partus morbus ſit longiſsimus,certè in eius tempore diffiniendo eandẽ ſequi oportebit computandi rationem,quam in alijs morbis longis dierum,hebdomadarum,& menſium numero obſeruamus. Itaque quemadmodum quartum diem ſeptimi indicem eſſe Hipp. teſtatur, vndecimum decimi quarti, decimum ſeptimum vigeſimi:ita prorſus in partu quadrageſimum nonageſimi, centeſimum & vigeſimum centeſimi octuageſimi,ducenteſimum ducenteſimi quinquageſimi indicem itidem eſſe experimento deprehendimus. Habent enim inter ſe hi numeri quandã ſimilitudinis analogiam, ita vt quam rationem habet quartus ad ſeptimũ, eandem habeat quadrageſimus ad nonageſimũ. Quare ſicuti dicimus quartus dies ex duplicato ſeptenario conſurgit,& dimidium circuitus lunaris explet:ita centeſimus octuageſimus dies ex duplicato nonageſimo conſurgit,eumque cẽteſimus & vigeſimus ita indicat,vt vndecimus decimum quartum. Deniq; vt vigeſimus dies finem ferè facit trium partium lunaris circuitus, eumq; indicat decimus ſeptimus:ita ducenteſimus quadrageſimus, qui terminus eſt partus naturalis quàm legitimus,finiſque eſt & terminus trium partium anni,eum proculdubio indicat ducenteſimus.Qui ſanè termini ſunt omnes,quibus fœtum deſignãtem ſui exortus tempus in vtero moueri comperimus: & fœminæ ipſæ apertiſsimè eos obſeruant edoctæ laboribus & doloribus,quos per certos quoſdam circuitus ſibi ſignatos perſentiunt. Sic apud ipſas vulgariter fertur dolores illos fieri, quia eſt principium menſis:nos autem colligimus eſſe motus partuum deſignatores. Ex quibus euidenter conſtat naturam in fœtus formatione, motu & partu proportionem & menſuram ſemper ſeruare (dummodo aliunde non impediatur) plus minuſue , quod inſinuauerat dictum illud Hippocrat . Eſt, & non eſt. Nec prætermittenda eſt Auicen.ſententia in hac dubitatione:nam inquit.Si tempore quo formationem fœtus accipit,bis tantundem temporis addideris, fœtus ipſe mouebitur.Quamobrẽ ſi mas triginta diebus,hoc eſt,menſe vno efformatus fuerit,mouebitur vtique diebus ſexaginta poſt trigeſimũ, hoc eſt die nonageſimo,mẽſe ſcilicet tertio.Similiter cũ fœmina dixerit diebus.42.efformari ,ſi plures duplo

duplo dies his accedant,hoc eſt alij octoginta quatuor, tunc ſe mouere fœmina incipiet,quarto nimirum menſe & diebus ſex.Sed tamen loco nuper citato hos ſex dies omiſit Hippoc.vt optimè aduertit Gorreus,quoniam non tam certò præſcriptus ſit hîc dierum numerus,quin aliquando euariet,vt ſonant verba,eſt,& nõ eſt.Sed licet dictum ſit duos eſſe ſolùm legitimi partus terminos,ſeptimum videlicet & nonum menſem,doctiſsimorum virorum decreta quæ aliter ſentire videntur,nos cogunt id diligentiùs expendere,& cuiuſque rationes examinare , vt conſtet(pro ingenij mei viribus)de partus tempore veritas:initium autẽ ſumam à partu naturali.

De partu naturali.

Partus igitur eſt actio partim quidem vteri,partim verò ipſius fœtus:vteri quidem quoniã ille offenſus grauitate fœtus iam multum adaucti,& excremẽtorum redundantia,vi propria expultrice,fœtum in lucem edit:fœtus verò tum quòd auctior ſatis alimenti à matre non capiat,tum quòd paritionis tẽpore plus calidi natiui habens,magis quoque refrigerari poſtulat. Quamobrem cùm non ſufficiat aër, quem illa per arterias ſubminiſtrat, ad exitum concitatur: idque non certo ſtatoque tempore,vt paulò inferiùs latiùs monſtrabo,contingere ſcimus. Fit itaq; partus tum maximè cùm puero alimenti inopia & loci anguſtia oppreſſo motus validus accidit,quo manibus pedibuſque calcitrante pelliculam quandam internam rumpi contingit:rupta autem vna,aliæ ob id debiliorem vim habent & rumpuntur:primùm quidem illæ contiguæ & cohærentes,poſteà extremæ. Cùm autem ruptæ fuerint pelliculæ,tunc fœtus à vinculis ex ſoluitur,& agitatus foras prodit.Atque hæc ſunt Hippocrat.verba lib.de nat.puer.Conſtat igitur naturalis partus triplices eſſe cauſas:vnam,cùm calor cordis adeò creuit,vt ampliùs ſine ventilatione & refrigerio inſpirato aëre infans viuere non poſsit:alteram,quoniam alimentum,quod à matre ſumit,non ei ſatisfacit,ſed cogitur quod deeſt,aliunde diſquirere,& authore Hippocra.loco nuper citato,calcitrat & acetabula dirumpit,& matri pariendi initium affert:tertia verò cauſa eſt,quoniã vterus ipſum iam grandiorem factum non capit.Quas ſanè cauſas in pullorum inuolucris euidenter conſpicies:nam vbi oua inania videntur,volucer roſtro putamen ferit,olfaciens quidem deſiderium fœtus ad exitum,vbi deficit alimentum:inquit enim Hipp. loco citato.Pullus non habens ſufficienter vnde viuat,fortiter mouetur in ouo vberius alimentum quęrens,& pelliculæ circum dirumpuntur,ac vbi mater ſentit pullum vehementer motũ,putamen ſcalpens,ipſum exedit.Id quod pulchris verbis conſtat Ætium dixiſſe tetra.4.ſerm.4.cap.21.mutuata oratione ab Hipp. lib.de ſuperfœtatione:inquit enim.Talibus vteri puero augeſcenti & bimeſtri aut trimeſtri, aut quantuncumq; tempus tranſgredienti,ſi quãdo aliàs augeſcit in maiorem amplitudinem non porriguntur,ita vt non ampliùs ſufficiant capiendo fœtum , ſed propterea proditur eodem tẽpore.Atque hæc de partu naturali dixiſſe ſit ſatis,quæ neceſſaria mihi erant ad veram computandi rationem in partu.Reliqua verò quę de partu naturali videntur eſſe neceſſaria,reperies.3.cap. ſequenti de partu naturali & laborioſo.

Plin.7.natu.hiſt.refert exſeminis quoque diuerſa natura prodire, & ſcribit Veſtiliã ex diuerſis mariti fœtum aliũ.7. aliũ.8. aliũ 10. peperiſſe.

De hominis partu,eiuſque tempore,tam eſt difficile proferre iudicium, quàm de his omnibus,quorum variæ & inconſtantes authorum reperientur ſententiæ. Quippe Hippoc.medicæ artis princeps & dux non docet, vt arbitror,huiuſmodi difficultatem de partu tam multiplicem tamque ambiguam , & multis tenebris ſubmerſam,vtcunque definire.Quamobrem ſtudendum nunc eſt ex bona Philoſophia,& probatiſsimorum authorum ſcriptis aliquid vtile haurire,quod huic rei lucem

De partus tẽporibus.

lucem afferre posit. In qua sanè re primò, quid Astrologi sentiant, expendendum est: secundò, quid Arithmetici: & vltimò, quid in bona Philosophia & Hippocrat. doctrina tenendum sit, vt clariùs constet, quot sint legitimi partus termini.

De partu, Astrologorũ dogma.

Itaque (vt ab Astrologis incipiam) conuenit inter ipsos corpora inferiora à superioribus affici, & septem planetas in hominis exortu, & dum in vtero est imperiũ obtinere: idque ordinatim & serie quadam. Sic Saturnus (vt apud ipsos fertur) primus cũ genitura connexionem & conuenientiam habet, illique ex sua natura dominatur: nam cùm genitura humida sit & liquida, inspissari necesse est, vt hominẽ gignat, quod proculdubio beneficium facillimè illi Saturnus præstat: planeta alioqui frigidus & siccus, cui ob id ineſt siccandi, inspissandiq; atque cogẽdi potẽtia. Verùm cùm semen increscere teneatur, impleriq́ue, Ioui subijcitur: quippe is augmentum præbet & calorem, vt qui calidus sit & humidus: ob idque Iouem incremento maximè præesse dicunt. Sed cùm auctum iam puerum moueri oporteat, cui actioni calore & siccitate erat opus, post Iouem Mars puerũ suscipit, qui cùm calidus sit & siccus, fœtui motum concedit: quamobrem tertio mense infantes moueri assolent. Succedit quarto loco Sol, qui excauandis ossibus proficuus existit: cuius etiam beneficio meatus corporis euadũt ampliores, & singula membra suam perfectionem adipiscuntur: est enim huius astri calor viuificus & maximè efficax. Cæterùm, quia periclitabatur calore & siccitate fœtus ex vi præcedentiũ planetarum, subuenit quinto mense Venus frigida & humida respectu præcedentium, caloris cuius beneficio siccitatem caloremq; à prædictis impressum natura corrigit & attemperat. Mercurius verò, qui operi ab alijs inchoato colophonem addere dicitur, absoluit motus perfectionem, & instrumenta expolita ac firmiora reddit. Vltimò tamen accedit Luna, cuius efficacia multa succrescunt infanti beneficia: nã quâ frigida est & humida adipe munit, & vterum humiditate ac mollitie ad faciliorem partum præparat. Quibus beneficijs præmunitus in lucem vitalis prodit septimo mense puerulus: & hæc est causa quare septimestres partus vitales & maximè genuini apud Astrologos existant. Verùm si aliter contingat, & cogatur vsque ad octauum mensem remorari, iterum reuertentem ad se Saturnum sensurus est, sed non ita mitem & placidũ ac primo mense conceptus degustabit. Quippe sua frigiditate puerilem calorem minuet, & internam vteri partem constringet, comprimetq; præter modũ siccitate nimia, ita vt accedẽte externa causa protinus partiẽdi occasio subsequatur, & ob id partus & mater magnò in discrimine versantur ex inclemẽtia huius planetæ, adeò vt partus saltẽ viuere minimè possit, ac si eius malignitatem superet, vitam deget ærumnosam & laboribus ac morbis plenam. At si nihil eo mense præter naturam ipsi accidat, Iupiter, qui iterum redit, nonum mensem saluberrimum efficit, & omnia Saturni maleficia protinus delet, quòd suo calore & humore, quibus potissimùm viuitur, puero vitam instaurat atque conseruat. Verùm quia is qui Ioui succedit ex beneficis est, & suo calore facilè cum vita nostra conspirat, ideò si quis etiam decimo mense nascatur, vitalis plurima ex parte euadet. Hæ proculdubio sunt de partu, Astrologorum sententiæ: cuius factionis etiam Proclus (inter Philosophos præstantissimus) fuisse creditur: si quidem scripsit non modò infantibus dum gestantur vtero prodesse planetarum adhæsus, & vultus, sed etiam exortis. Nam per vniuersum vitæ curriculum refert ab eisdem affici & foueri: quippe Luna (inquit) iam natum infantem ab vtero non relinquit, sed primam eius ætatem moderatur, præstans suam gratiam humiditate media

media nutritiuæ & augmentatiuæ potentiæ. Adulto tamen iam puero literarum, citharæ, & consimilium studium præstat Mercurius, qui cùm indifferens sit, pueri lem ætatem talem efficit, qualis fuerit is planeta, cui adhæserit. Sic Venus tertiæ ætati dominatur: Sol quartæ: Mars quintæ: Iupiter sextæ: ac postremæ Saturnus, qui frigiditate siccitateq́ue nimium pollet. Atque hæc sunt quæ breuitati consulens ex Astrologorum libris inter alia multa quæ inutilia reperiuntur, mihi magis placuit scribere, vt non desit studiosis occasio disputandi: neque quidquam eorum quæ huic operi vtilia esse possunt.

De partu Arithmeticorũ dogma.

Placuit etiam hac in parte quid Arithmetici de partus tempore sentiant, breuissimè ostendere: supponunt quidem pro hypothesi numerum imparem; perfectum & mari similem esse, parem verò imperfectum & fœminæ congeneum: sic profectò alibi patrem imparem & parem matrem appellant. Ex quo inferunt septimum mensem & nonum vitales partus edere posse, octauum verò minimè: proferentes cum hoc de mense decimo, qui par etiam est, in eo sæpe vitales nasci fœtus, quòd perfectioribus numeris sit absolutus: & ob id existimant ipsum numerorum omnium esse perfectissimum & complementum ac perfectionem reliquorum: atque eum ex paribus solùm esse perfectum, quia antecedentes numeri denario maiorem perficere nequeunt, & subsequentes ex decem & præcedentium aliquo perficiuntur. Continet enim omnia numerandi genera, vt par, impar, quadratum, longum, compositum, & si quæ alia sunt: præterquam quòd ex quatuor cubalibus numeris (ex quibus Pythagorici vniuersum constare referunt) constituitur. Sunt autem dogmata hæc difficilia, & quæ probari difficulter possunt, cùm octonarius numerus par quoque sit, & de eo malè sentiant & loquantur, etiam si solidum ex eo corpus & verè perfectum componatur: nam de eis est, qui nec generantur, nec generant, ex monade & septem constitutus: aut ex eo, qui tum generatur, tum generat, nempe quaternario duplicato. Octonarium quidem Pythagorici iustitiam vocauerunt, quòd primus omnium soluatur in numeros pariter pares, hoc est, in bis quaterna.

Quamobrem cùm & contextio ipsius pari æqualitate procedat, & resolutio æqualiter recedat vsque ad monadem, meritò propter æqualem diuisionem iustitiæ nomen meretur: cum hoc tamen fœtui summoperè inconuenit. Hæc diximus vt quisque intelligat parem numerum non esse semper imperfectum. Verùm, vt ex Pythagoricorum sententia colligere potui, septimum & nonum mensem vitales esse, octauum verò minimè, non solùm ob adductam rationem credendum censeo: sed ob aliam longè, præstantiorem. Est autem ea huiusmodi, vt optimè Gorreus vir doctissimus aduertit: quam hac in parte ad verbum transcribere placuit, ne doctis & ingeniosis desit materia speculationis: quippe hæc prodesse & delectari aliquando solent. Constitue igitur triangulũ scaloneũ, hoc est, tribus lineis inæqualibus constitutũ. A. B. C. cuius latus. B. C. sit vnitatis quatuor, latus autẽ. A. B. sit vnitatũ. 5. perspicuũ est, ex disciplina Pythagoreorum. 3. & 5. esse masculos, vt impares, sed. 4. fœminã, vt parẽ. Multiplicẽtur igitur 4. per. 5. fient. 20. sed. 5. per se multiplicẽtur, cõsurgẽt. 25. simul iuncti numeri fient vt euidẽter cõstat. 45.



Hæc rursus per medium spatium trianguli,id est per.6.multiplices,fient.270. quæ nouem menses constituunt. Rursus multiplices quatuor per.5.fient.20.& similiter.3.per.5.fient.15.simul iuncta erunt.35. Hæc per medium spatij trigoni multiplices, hoc est per.6.fient.210.quæ septem menses complent. Iterum ducas.3. in.5.fient.15.ducito in se se, emergunt.25.si simul composueris, erunt quadraginta. Hæc multiplicata per medium spatium, hoc est,per.6.fient.240.quæ proculdubio tempus octo mensium complent.Quamobrem in nouem,& septē mensibus dūtaxat per naturalem coniunctionem masculi & fœminæ,quæ.5. &.4. & 3. numeris significantur,numeri dierum proueniunt,qui nouem septemq; mensibus continentur:meritò,qui istis mensibus educuntur fœtus,vitales sunt.In mense autem octauo non est vlla masculi cum fœmina coniūctio:neq; enim.5.neque 3.ducuntur per.4.quod fœminam repræsentat. Atqui cùm huiusmodi copulatio præter naturam sit,meritò partus isti vitales non existunt.Verùm cū ex his numeris nulla demonstratio haberi possit,quæ scientifica sit, quòd placita hæc incerta proculdubio videantur:fit subinde vt numeris tātum tribuere,neque viris doctis, neque mihi rationi consonum visum sit.Sed ea quidem diximus,vt quātum fieri posit,opus hoc absolutum euadat,& vt constet quantum vtilitatis Arithmeticorum dogma obtineat.

Quid in vera philosophia, & Hipp.mēte, de partus temporibus sentiendū sit.

Iuxta optimam rationem addubitabit aliquis,cur Hipp. nō statuerit nisi duos tantùm partus naturalis terminos,septimum quidem mensem,& nonum:siquidē experimento comperimus alijs temporibus tales partus fœminas edere. Præterquàm quod ipse Hippocrat.(forsitan sui oblitus) decimo mense frequenter fieri partus dixerit. Sed & alij quoque authores alios non paucos pariendi statuerunt terminos.Cuius sanè rei tanta est varietas, vt non vno statoque ac certo tempore partus contingere videatur:cùm tamen in alijs animalibus statuta sint pariendi tempora,homo autem solus non in vno & certo gignitur spatio.Quam etenim varietatem nonnulli ad imaginatiuam,quæ homini perquam varia est, referunt: alij ad motum fœtus primum,qui fit in vtero:alij verò ad formationem, quæ infantibus quibusdam celeriùs,quibusdam tardiùs perficitur. Ad cuius formationis pensum motus fit,& exitus,ac demum tempore bis tanto accedente, à quo moueri cœpit (vt author est Auic.)in lucē venit.Ac de his quidē tribus mensibus, septimo nimirum,& nono aut decimo facilè inter Medicos & Philosophos cōuenit.An verò alijs etiā mensibus nasci vitales possint,magna est controuersia. Cuius rei gratia ex doctissimorum scriptis referam quæ experimento & ratione vera esse constat. Nam occasione sumpta ab Hippocrat.lib.de alimento, qui loquens de termino partus profert, Est,& non est,licet cuique philosophari,vt sua mēs fuerit. Recensebo tamen primò quæ de vnoquoque mense seu partus tempore authores scripserunt,vt faciliùs rei huius abditæ & obscuræ veritatem venari possimus.

Arist.quidem partum,qui maturiùs quàm septimo mense prodeat,vitalem nulla ratione esse arbitratur.Sunt etiam qui quinto mense:sunt qui citiùs vitales fœtus editos esse scripserunt. Fertur quoque haud paucas fuisse fœminas, quas vltra nonum & decimum mēsem peperisse verum fuit.Refert quoque Plin.lib.7.natu. hist.cap.5.Vestilliam Caij Herdici coniugem Suillum Rufum vndecimo peperisse mense.Item Aulus Gellius ex Varronis decreto scribit, vndecimo mense aliquando nasci hominem posse. Fertur etiam mulieris cuiusdam, quæ vndecimo mense peperit,causa ad diuum Adrianum delata,qua cognita decreuisse,in vndecimo

cimo mense partum edi posse,ex requisitis veterum Philosophorum & Medicorū sententijs.Scribunt itē ex Homeri decretò duodecimo mense ex Neptuni complexu puellam fœtum edidisse. Quid etiam quod Plinius secundus scripto mandauit Licij,Papirij prætoris edicto bonorum possessionem infanti datam esse cōtra secundum hæredem, cùm tamen mater partum se terdecim mensibus diceret tulisse. Sed licet hæc ab aliquibus tanquam vera habeantur:multi tamen ab omni naturæ ratione aliena censent. Nam Vlpianus iurisconsultus in.l.Intestato,post decem menses.ff.de suis,& le.hæred. post decem menses natum ad legitimam hæreditatem non admittit.Cui simile decretum protulit Imperator Iustinianus, qui epistola quadam,quæ in nouis ipsius cōstitutionibus habetur,scribit idem suis accidisse temporibus. De quo cùm apud eum esset quæstio instituta,pronuntiauit partum illum non esse legitimum. Itaque vt inter authores non constat vnica de partus tempore sententia:ita quoque neque vnicam reperies apud nostrum Hippocrat.Nam lib. de natu.pue.refert,in decem mensibus fœtus nasci,quod longissimum est:quippe eas,quæ longiùs quàm decem mensium spatium vterum gestare visæ sunt,deceptas esse testatur.Quam etiam sententiam eādem parte probat,quòd alimentum, quod à matre fœtui suggeritur, non ampliùs puero sufficiens sit, vbi decem præterierint menses.Refert tamen cum hoc idem author lib.de septimest. & octimest. par. in vndecimum vsque mensem proferri partum posse. Porro(inquit in vtraque parte)mulieribus de partubus fidem derogare non oportet:dicunt enim omnia,& semper dicunt,& semper proferunt:neque enim aut opere aut sermone persuasæ sunt,sed ex eo,quod cognouerūt accidisse in corporibus suis.Quæ verò iudicio præditæ sunt,& victoriam de hac sententia pronuntiant,semper dicunt ac testantur nasci septimestres,& octimestres,& nonimestres,& decimestres, & vndecimestres:ac subdit lib.de octimestri partu.Cæterum decimestres & vndecimestres partus ex septem quadragenarijs eo modo fiunt. Et paulò inferiùs inquit.Ex his igitur omnibus necessarium est pleraſque mulieres circa plenilunium & vltra in ventre concipere,vt ducenti & octuaginta dies sæpe vndecimum mensem comprehendere videantur:tot enim dies septem quadragenarios constituūt. Cui etiam dogmati astipulari Aristo. sententia videtur lib.7.de hist.ani.cap.4.qui admiratus humani partus varietatem,in hunc modum habet. Cū vteri animalia omnia singulari & simplici modo partum suum perficiant(vnum enim pariendi tēpus statutum omnibus est)homini vni multiplex datum est:nam & septimo mense,& octauo & nono parere potest,& quod plurimum,decimo,nōnullæ etiam vndecimum attingunt.Quibus proculdubio sententijs iurisconsulti & reliqui percelebres viri innitentes,mirum non est,si aliquando decreuerint vndecimum legitimum esse partum,aliquando verò secus.

Antè tamen quàm ad veriorem sententiam accedam,,ab Hippocrat.dictis pugnantiam tollam,quæ videtur maximum scrupulum inferre.Ex doctissimorum igitur decreto iudico,iustum & maximè secundum naturam grauidationis limitem decimum mensem esse,neque vltra illud tempus ob alimenti penuriam & loci angustiam consistere fœtus in vtero posse, nisi fortè ad duos vel tres dies vltra decimum mensem partus se extendat: nam totos vndecim menses consistere in vtero fœtum,naturæ ratio non admittit.Et hoc est quod intelligunt Hip.lib.de octimest.par.& Aristo.7. de hist.anim.cap.4.quasdam nimirum mulieres vndecimum attingere,hoc est,vndecimi mensis paucos dies insumere,idque esse quàm rarissimum.Id quod Gellius lib. 3. noctium Attic. cap. 13. ex Varronis decreto retulit:

has quasi monstrosas raritates non recepisse:sed nono mense aut decimo, neque præter hos alias paritiones mulieris secundũ naturã fieri existimasse.Hac via intellecta Hipp.& Arist.sententia,supereſt rationem huius varietatis in partu homi nis docere.

Non enim huiusmodi varietas prodit,quòd homini desit pariẽdi certa lex & ratio,sed quòd eam anteuertat aut remoretur quodam modo natura ipsa iuxta varietatem copiæ,aut defectus alimenti,vel roboris aut imbecillitatis fœtus. Verùm hæc causa,iudicio nostro,non valet partũ protrahere per plures dies,sed vt Hippocrati visum est, non per multò plures,neque pauciores.Quæ tamẽ varietas nõ duceret partum ad vndecimũ mensem,ni alia accidisset causa,quæ maiorem in computatione varietatem efficeret:quam mox recensere aggredior.

Hanc sanè varietatem in partubus computãdis suboriri ego arbitror ex varia principij grauidationis computatione:nam difficile quidem est nosse, nunquid à menstruis facienda sit grauidationis computatio,an potiùs ab ipso conceptu.Cuius dubij principium præstitit Hipp.2.popu.part.4.quod quidem citra enodationem relinquit:cui cùm satisfacere studuisset Steue Valentinus, respõdet ab vtroque tempore esse faciendam.At cùm ille minimè explicuerit,vtrum esset potius, aut saltem quando ab alterutro,sine distinctione de re controuersa discernit. Cũ tamen notum sit apud Philosophos,tempus,durationis rerum esse mensuram:constat ab eo tempore subducendum esse calculum,à quo res ipsa consistere incipit: quæ cùm à die conceptionis illud verè obtineat,ex eo proculdubio cõputatio grauidationis extat nobis ineunda:à menstruis verò non,nisi cùm neutiquam constiterit de die conceptionis,cui fidem attribuere possimus. Itaque prodit huius rei difficultas & ex alimẽto,& ex fœtus robore,& ex vario computationis principio, & tandem ex Hippoc.quilib.de alimento refert fieri partus diebus pluribus, aut paucioribus,quasi non vnicum statuens tempus formationis. Quæ proculdubiò omnia coëgerunt priscos illos sapientissimos,varia diuersaq; partus tempora præsinire.Referam tantùm hac in parte,cui magis innitendum sit ad veram computationem eliciendam,vt si fieri possit,vna tantùm ex Hipp.& aliorum mente subsit computandi ratio.

Ex cõmuni itaq; omniũ Philosophorum sententia cõstare arbitror,cũctas quæ hîc contingunt mutationes,à cœlestibus pendere,vt quæ maiores longè & efficaciores in agendo vires obtineant.Quas tamẽ proficisci maximè à Solis & Lunæ vi experimur.Solis namq; accessu,vel recessu diuersas Luna patitur mutationes, & ob id varia in his inferioribus operatur,eaq; præcipuè iuxta congressum,aut discessum Solis,quibus Luna quatuor mutationibus afficitur:plenilunio, coniunctione,& duabus intermedijs,nimirum,cùm media est ad augmẽtum septem diebus constans,& media ad decrementum alijs diebus septem finitura. Apparet igitur quatuor esse Lunæ mutationis momenta,& ea septimo quoque die euenire: nam & post septem à prima apparitionis die per medium secta,& septem posteà diebus orbe pleno visitur,quod die contingit decimo quarto.Ambo igitur & Sol, & Luna propter vim,quam à Sole ipsa susceptat,magnas vires proculdubio habent. De quorum viribus & efficacia existimarunt Hipp.& Gale.in illis mutationibus, quæ breues sunt,& paucis diebus finiri solent,negotium omne ad Lunam referẽdum esse:in alijs verò quæ non nisi longo tempore iudicari possunt & perfici,ad Solis cursum maximè attendendum fore.Quamobrem acutos morbos quatuordecim diebus iudicium subire statuunt: quartanas verò febres non diebus sed mensibus sex

sex iudicari:dicunt enim,circuitus qui diebus aliquot concludi possunt,septimani sunt,& Lunæ modo circunuagantur: sed qui mensibus,ad Solem referuntur, eandemq;,quam septimani,rationem sortiuntur.Cùm enim à mẽsis principio ad plenilunium vsque quatuordecim propè dies sint,dimidium nimirum lunaris circuitus: sic profectò à hyeme ad æstatem, quæ sunt duæ totius anni extremæ mutationes,sex menses sunt anni dimidium. Eodem prorsus modo à plenilunio ad occultationis tempus sex alij menses respondent, ab æstate quidem ad hyemem. Quippe si Lunæ quidem cursum per septimanas diuidas, quatuor reperies mutationes,quas duximus per quatuor septimanas. Solis quoque iter in quatuor anni tempora secans,singulis etiam Lunæ septimanis proportione respondebũt. Quo quidem modo,sicut dies septima, quæ pars quarta est totius mensis lunaris, morbos acutos iudicat; sic anni temporis mutatio diuturnos affectus discutit; adeò vt hyeme genitum ver soluat: in vere excitatum,æstas: in æstate,autumnus: in autumno verò ortum,hyems. Quibus definitis partus proculdubiò erit crisis quædam, vt superiùs dictum est, vt Hippocrat.protulit,qui,Mulieribus, inquit, & fœtuum conceptus,& abortiones,& partus eodem tempore iudicantur, quo & morbi, & sanitas, & mors cunctis mortalibus.Sed omnium istorum alia quidem diebus, alia mensibus, alia dierum quadragenarijs, alia verò annuo spatio euenire videntur. Ex quibus conspicuum fit in tempore partus definiendo Solis & Lunæ simul cursum maximè obseruandum esse, sed Solis præcipuè. Quod quidem vt optimè fieri possit, per dies numerationem efficere opus est: siquidem vniuersam errandi occasionem habitam esse apud antiquos arbitror ex diuersa mensium & annorum computatione, vt paulò inferiùs monstrabo. Constat igitur ex Hippocrat.partum legitimum esse,qui ducentis & octuaginta diebus integratur ad summum:vel ducentis & decem: ac vt Hippocrat. ipse censet, paulò plus aut minùs.Ex quibus proculdubio primus septenarius discernendi vim habet,cui menses anni tres respondent: non quòd menses tres vitales partus edere possint:nam ad id non solùm prærequiritur legitimum tempus, sed etiam fœtus ipsius firmitas atque robur: quæ sanè eo tempore fœtui inesse nequeunt. Præterea quemadmodum alij à septimo ad decimum quartum diem nullam habent, aut leuissimam ad iudicandos morbos authoritatem:sic quartus quintusque mensis sunt ad fœtum promouendum inepti. Quamobrem si qua occasione illis mensibus prodeat,violenta proculdubio censenda est fœtus emissio:haud secus quàm diebus non decretorijs vacuationes sympthomaticæ:etiam si quinto mense robustus existat fœtus, & aliquando prodijsse constet, ac vixisse: quod magis ratione proprij roboris, quàm legitimi temporis fuisse arbitror. Quinimò credendum est, si extra debitum tempus exierit,fœtum futurum valetudinarium, & maximè morbosum ac debilem. Sed quanam ratione singulis mensibus, quos iudiciarios ad partum esse scimus, res se habeat, atque cœlestis vis cuiq; adscribenda sit, facta sigillatim de vnoquoque mentione iam àudies: quæ enim hucusque dicta sunt,tanquam præludium quoddam ad ea quæ scribere studui æstimabis,vt locus clariori doctrinæ citra varietatem & cõfusionẽ eorum quæ diximus supersit.

Septimestres edi partus duabus de causis accidere ratione & experimẽto comperimus.Prima ex occasione,quæ debitum tẽpus anteuertat fœtu existente robusto: secunda verò ex naturæ instituto & decreto. Quo fit, vt ex septimestribus quidam vitales existant,multi verò fœtus pereant ex ijs, maximè qui ex causa ex- *De septimestri partu.*

terna aut præter naturam prodeunt. Ex quibus dum robusti sunt, viuere aliquos comperimus, valetudinarios tamen & pumiliones. Verùm ij qui natura agente sola prodeunt, validi sæpe & robusti existunt. Quod dixerat lib. de carnibus per hæc verba. Septimestris puer ratione fit vt viuat, rationemq; habet & numerum integrum ad hebdomadam. Cuius rei rationem reddit Hipp. lib. de octimest. par. computationem scribens ad vitæ rationem aptam, dicens: Septimestres dimidia anni parte nascuntur centesimo octuagesimo secũdo die, & reliqua insuper particula. Sed ratio quare sic nati viuant, est quia habet tunc proculdubio fœtus perfectionem, tantumq; roboris, quantum expedit ad tolerandas partus molestias, & vitam posteà salubriter degendam, præsertim si robustorum patrum semine progenitus sit, & in plenilunij die concepti nati sunt. Docet enim Plin. lib. 7. cap. 5. septimo mense non nisi pridie posteroue plenilunij die, aut interlunio cõceptus nasci vitales, aut ex valentiori parentum benè habitorum & ætate media consistentiũ semine sunt procreati. Nam tales quanquam septimestres sint, vitam tamẽ posteà salubriter degunt. Tales fortasse fuisse quis existimabit septimestres illos ambos Cossos Corbulones Vestilliæ filios, quam semper septimo mense partus esse enixam, loco nuper citato refert idem Plin. Constat id etiam vlteriùs ex occasione quam natura accipit, vt hos partus producat. Nam æquiparantur septimestres nonimestribus quatenus attinet ad rationem & tempus: In tempore quidem, vt inferiùs probabo: in ratione verò, quia robustissimos & vegeto calore præditos esse septimestres pueros naturaliter in lucem editos, certum est. Qui sanè ob eandẽ causam sanguinem ocyùs exhaurientes ac deuorantes, penuria alimenti cogũtur carceres abrumpere, & externum auxilium petere. Secundò, quia crassiores facti capi ab angustia vteri non possunt: quibus simul iunctis cogitur natura partum emittere salubrem & robustum. Sed ratione temporis constat septimestres vitales & robustos quoque euadere, siquidem hebdomadum decade trina septimestres absoluuntur, sicut alij quaternis, seu septenis quadragenarijs. Cuius computationis vt vim & efficaciam discas, expendere oportet varias sententias quas Hippocrat. & Galen. proferunt de hac re. Hippocrat. quidem inquit lib. de septim. par. Septimestres centum octuaginta diebus cum dimidio & octaua parte fiunt. Quod vt planum faceret exemplo, de mense conceptionis accipiendos esse quindecim dies, quinque mensium intercedentium centum quadraginta septẽ cum semisse, qui omnes centum sexaginta duos cum dimidio conficiunt. Quare rectè colligit ad numerum constitutum, nempe centum octuaginta duos cum semisse: in quo septimestres partus fieri affirmauit, superesseq; non plures, quàm viginti: centum quippe sexagintaq; duobus diebus cum semisse, si addantur viginti, prædictus numerus resuscitabit. Cùm hoc tamen lib. de carni. ad finem, ducentos ac decem septimestrem fœtum obtinere pronuntiauit, dicens: Septimestris partus tres cõtinet septimanarum decadas, quarum vnaquæq; septuaginta dies cum habeat, ducenti decemq; dies erunt vniuersi. Præterea circa finem lib. de septi. par. taxauit quadragenarium sextum, qui circa octauũ mensem voluitur, ea (vt censeo) de causa, qua in septimo & quinto quadragenarijs genitos fœtus approbasse videtur. Quamobrem cùm sextus quadragenarius damnetur, ceu tyranni regis æmulus, & malignitate donatus, quintum septimumq; sicut & dies illis respondentes commendauit ingenuè Galen. quorum quintus, septimestribus, septimus verò nonimestribus pariter ac decimestribus, quos esse vitales arbitramur. Sed quinque quadragenarij liquidò ducentos dies conficiunt, qui neque præstituto numero ab Hippo. lib. de septi.

septi. par. correspondet, neque tribus decadibus hebdomadarum, quarum meminit lib. de carni. Turbat etiam veritatem huius rei & iustam computandi rationẽ, quòd dimidium anni lunaris, quem menses lunares metiuntur, de quibus Hippo. agere paulò inferiùs monstrabo, ex centum septuaginta septem constat diebus: & idem solarem est amplexus, qui quinque dierũ spatio, & quadrante maior existit. Quæ dubia vt exactè absoluamus, & Galeni commentaria intelligantur, cohærereq; cum Hippocraticis disciplinis possint, præmittere oportet Galen. lib. de septimest. part. asseueraſſe septimestres partus centum & octuaginta duobus diebus cũ semisse, quod minimum est, iuxta primam Hippocr. sententiam terminari, ac perfici: quod verò maximum est, nunquam vltra ducentos & quatuor dies vtero fœtum gestari. At in medio temporis spatio celeriùs aut tardiùs maximam septimestrium edi partem, prout calida constitutione temporis, vteri calido temperamento, & victus ratione calida citiùs matureſcit, aut à contrarijs causis tardiùs suam adipiscitur maturitatem. Rursus (vt soluas reliqua dubia) in eâdem obseruatione perseuerans Galen. neque minori spatio, quàm in dimidio anno solari gigni posse septimestres partus asseruit, neque in minori, quàm in dimidij mensis septimi spatio; si perfectus est oriturus: quippe in dimidio anno lunari fieri nequit perfectus septimestris, quòd intra sex menses ea ratione gigneretur, ac vitalis non esset. Constat igitur in dimidio anno solari, qui septem menses lunares (vt Hippocr. decreto, qui de mensibus lunaribus loquitur, respondeamus) continet quadantenus. Rursus, tres decadæ septimanarum, vt de Hippoc. mente lib. de carni. retulimus (quod erat aliud dubium) ducentos decemq; dies habent, in eisque quatenus sexti quadragenarij minimum capiunt, absolui poterit septimestris partus, quare ducentos & quatuor dies attinget circiter (quod experimẽta Galen. attestãtur) nil ampliùs, aut rarissimè. Quintus præterea quadragenarius ducentos sanè dies amplectitur, ac plures, quàm ab Hippo. lib. de septimest. par. proponuntur: cum hoc tamen minimè ea assertione cõficit amplius, ac si spatiosam partus septimestris latitudinem insinuaret duobus terminis cõclusam, intra quos seriùs ac citiùs liceat septimestri fœtui vitalem prodire. Sed vt computatio optimè fiat, expendendum est ex Hippocrat. & Galen. decreto in septimestris partus supputatione primi mẽsis & septimi plùs dimidio fore cõputandũ, vt illorũ vis queat eluceſcere, & in tam breui tempore fœtum cõsummare. Qua profectò de causa in ea computatione sufficerent quindecim dies primi & septimi mensis, si dimidium anni solaris, aut septimi mensis, vt dictum est attingeret. Sed quia minimè attingunt septem menses, sed intra sex manſisse intelliguntur, oportuit aut primi aut septimi plures quàm quindecim accipere: aut si primi mensis quindecim dũtaxat dies numerati fuerint, viginti sint capiendi ipsius septimi, quod minimum est, vt dinumeratio ipsa de septimo mẽse aliquot dies, quinque scilicet accipiat. Quam porrò computandi rationem alijs partibus minimè esse necessariam censet Hippocrat. vt lib. de octimest. par. ad finem ostendit. Nam cùm nonum aut decimum fœtus attingere debeat, & maturationes eius in his multo tempore efficiantur, sufficit, si aliquãtulum temporis ex primo postremoq; mensibus desumatur. Sic genitos post plenilunium (vt loco nuper citato, inquit Hipp.) necessariò ad mẽsem vndecimum durare est opus: quod quidem neutiquam fieri posset, nisi per pauciſsimos dies, etiamsi de primo mense pauciſsimos quoque sumpseris. At in computatione septimestrium quindecim cepti fuerunt dies de primo mense, quinque verò sequẽtium, centum quadraginta septem cũ semisse supersunt: ex quibus constat desiderari ad propositũ numerũ

viginti, non plures,& reſultant ex omnibus centum octuaginta duo cum ſemiſſe; dimidium nimirum anni ſolaris. Quod ſanè tempus vehementem obtinuit in decernendo facultatem: quippe eſt diei decimoquarto aſſimilis, quorum vt is eſt mẽſibus lunaris dimidium, ita illud totius anni, quod maximam habere vim & abſolutiſsimam dictum eſt paulò ſuperiùs, de viribus Lunæ & Solis loquentes. Quod autem Ariſto. 7. de hiſtor. ani. dicat mares magis quàm fœminas fieri ſeptimeſtres, & has quidem decimeſtres, non omnino improbandum eſt, quia ratione non caret, licet contrarium contigiſſe conſtet.

De octimeſtri partu.

Octauo menſe natos mille rationibus non eſſe vitales, omnes ferè authores probant: ob idque Hippocrat. dixiſſe autumant. Ad partum ducẽti quadraginta dies, eſt, & non eſt. Quibus verbis tam obſcuris præciſiſque indicat eum, qui natus eſt menſe octauo (nam ducenti & quadraginta dies menſes octo conficiunt) aliquid modò eſſe, atque natum videri, ſed re vera non eſſe, quoniam paulò pòſt morti accedet. Libris etiam de ſeptimeſ. & octimeſt. part. millies profert, & ſtabilitum relinquit, nullum huiuſmodi fœtum vixiſſe, & probat etiam ſuum dogma teſtimonijs ab ipſis mulieribus petitis: quibus ſtudet octimeſtres partus prorſus vituperare. Sed & noſtra tempeſtate vix reperias imperitiſsimam quamque fœminam, quæ non deteſtetur partus octauo menſe editos. His etiam accedit, quòd lib. de carni. ab ijs, quæ experimento didicit, & ab alijs accepit, in hunc modum proferat. Septimeſtris puer ratione fit, & viuit, rationemque habet & numerum integrum ad hebdomadam: octimeſtris verò generatus nulla ratione viuit. Cuius etiam ſententiæ fuit Galen. 6. popu. par. 7. tex. 27. De octauo enim (inquit) certum eſt non edi in ipſo vitales partus, ſed inter cæteras cauſas, quibus id accidere credimus, nõ minoris eſt momenti plurium cauſarum ſubitus occurſus & inſueta conſuetudo, quòd intra vterum ſexti quadragenarij, vt mox probabo, violentam ac parum propitiam mutationem experiantur. Verũ octimeſtres partus cur ita in vniuerſum mortales pronuntientur, aut quæ ſit tanti diſcriminis ratio, haud facilè inuenies: cùm Auicen. & Ariſto. 7. de hiſto. anima. cap. 44. Ægyptios octauo menſe natos vitales eſſe proferant. Sed cur illi vitales, alij verò minimè naſcantur, iam audies. Primò quidem conſtat ex tempore octimeſtres vitales non eſſe: ac relictis rationibus Arithmeticorum & Aſtrologorum, comperimus de hac re Hippocra. li. de ſeptimeſt. par. hæc verba ſcripſiſſe. Aliter quadragenarius eſt, in quo quidem fœtus in vtero exiſtens circa octauum menſem ægrotat. Qua ſententia quadragenarium embrionibus morboſum eſſe oſtendit: quod ſubaudire oportet de duobus temporibus, nempe de primo quadragenario, qui poſt conceptionem computatur, & de ſecundo, qui ſextus eſt ab ipſa computatione, quique menſem octauum ambit, aut circiter conſtituit: de quo millies Hippocr. protulerat eos, qui in eo naſcuntur morti fore proximos, quòd illis tunc ægrotare contingit. Conſimile porrò iudicium faciunt ſcriptores de ſexto quadragenario, quia ſextum diem tyranni regis æmulum efficiunt, omnino infidelem & omniũ malorum conciliatorem prædicantes. Sic enim Hippocra. inquit lib. de octimeſt. par. Quòd ſi in huiuſmodi quadraginta diebus natus ſit, impoſsibile eſt eum euadere, propterea quòd ipſi in vtero adhuc ægrotanti trãſmutationes & afflictiones poſt partum ſuperueniant. Patitur autem in vtero geſtus ærumnas, quas per ſextum quadragenarium infeſtare grauidas dixit, & ipſarũ met teſtimonijs egregiè comprobauit. Succedunt etiam & aliæ in ipſo partus tempore, vt eſt ipſa fœtus incommoda verſio ob imbecillitatem, ſiue in caput ſiue aliã figuram commutetur, & peregrinæ aliæ, quas ab aëre, victus noua ſpecie, & veſtimentis

mentis inſolitis mutuatur improuidens: ob quas omnes difficillimum eſt viuere. Similis nãque eſt huiuſmodi partus morbo cuiuis, in quo cùm octonarius neque index ſit, neque decretorius, ſit vt ſi quando accidat, difficulter aut pernicioſe iudicet. Sic & in octauo menſe res omnino ſe habet. Omnes enim qui numerorum rationem calculo adipiſcuntur, octonarium imperfectum & materiam appellant, ac fœminam, & ob id vterus partus edere innoxiè minimè poterit. Ex quibus conſtare arbitror neque ex vi & efficacia temporis, neque ex propria natura, quia tũc minimè ſunt perfecti, tales fœtus vitales exiſtere. Quòd licet alicui regioni ob ipſius & corporum temperaturam, ac mulierum robur id accidat, in vniuerſum tamen verum non eſt octimeſtres vitales eſſe: quod vltimò probauerat Hipp. argumento ſumpto à non meſtribus partubus, qui frequentiſsimè graciles eduntur ex perpeſsis ab octauo menſe laboribus: inquit enim. Manifeſtãt autem de morbis & paſsionibus in octimeſtribus contingentibus, & nonimeſtres partus, qui graciles eduntur, pro temporis multitudine corporis magnitudinem educentes: prægreſſi quidem poſt afflictionem morbificam neutiquam vel vt ſeptimeſtres carnoſi. Quibus verbis quæ dicta ſunt, probari euidenter arbitror. Ac ſi quando contigiſſe conſtet octimeſtrem viuere, id quidem cenſeo potius fieri, quòd matrem decepe rit computationis principium, quàm quòd verum ſit.

De nonimeſtri partu.

Non eſt leuis controuerſia apud peritiſsimos ſcriptores, an mulieribus (vt anteà dictum eſt) ſtatutum & præfinitum ſit pariendi tempus. Retulerat quidẽ Marcus Varro lib. 2. de re ruſtica, quæ tempora cuique animãtium ſpeciei ſtatuta ſint. Quod ſanè dogma Hippocraticum eſt & Galenicum: id quod Ariſtot. lib. 4. de gener. anim. cap. 10. magna ex parte pro vit æſpatio cuiq; animaliũ conceſſo contingere docet. Sed dimiſsis in hac re authorum decretis, firmiſsimo experimento innitendũ eſt: licèt quarto, quinto, ſeptimo, nono, decimo & vndecimo menſe mulieres parere multi ſcripſerint. Conſtat nãque his omnibus temporibus iuxta eorũ decretũ, vitales poſſe partus edi: ſed quãtum id veritatis obtineat, iam diſputandum aggredior.

Cuius difficultatis gratia præmittendum eſt, actiones naturales determinatas eſſe, iuxta vires paſsi & agentis: verùm quia hæ vires variæ in omnibus reperiuntur, & in ſingulis ob id ſuus cuique ad actionem cõſtituitur agendi terminus, quia inter ſe agens & paſſum pro vtriuſque natura certa quadã proportione diſsident: atque cùm hæc ſit varia in varijs, ob id mirum non eſt ſi varia in eodem actionis genere ſtatuta ſint actionum tempora. Id quidem probat euidẽter morborum ratio: nam licet omnes habeant vnam communemque terminandi rationem, nimirum per actionem naturæ & victoriam ſupra cauſam morbificam, aut è contra, cũ hoc tamen pro varia hac proportione, aut diſproportione varios dies criticos repetimus, ita vt iuxta cuiuſque morbi naturã vnus conſtituendus eſt iudicationis dies ac terminus, pro humoris maturitate & viriũ potentia, & pro diei fortitudine & natura. Sic pari prorſus ratione, hanc varietatem in mulierũ quoque partubus accidere conſiderandum eſt, non tamen in reliquis animalibus. Cuius ſanè rei potiſsima ratio eſt varia & inordinata in mulieribus viuendi ratio & forma, ita vt naturam adeò turbet, quòd fœtus maturitatem & viriũ robur eãdem diuerſitate paret. Quo fit, vt partus diuerſis temporibus iuxta primi axiomatis rationem varij quoque fiant. Quod proculdubio in brutis nunquam conſpicimus, ob vniformem viuendi modum, & alimentorum vnitatem. Itaque ex hac vitæ varietate duo in partubus mulierũ accidere ſcimus: vnũ quidem, quod varijs temporibus

iuxta

iuxta varium robur ab alimenti varietate acquisitum,variè etiã fœtus ad maturitatem perueniant:aliud autem quòd licet diuersis tẽporibus & prædicta varietate id accidat,sunt tamen aliqua statuta & certa,in quibus iustè possint & innoxiè fœtus in lucem prodire:quod si in cæteris accidat,periculosum & aborsiuum est.Legitimum igitur tempus experimentum frequentissimum probauit in communi hominum natura esse nonum mensem,vel ad summum decimum,vt paulò inferiùs probabo,ac vltimò septimum:qui sanè menses sunt ex natura & iudicandi ratione efficacissimi & maximè potentes.Deniq; possunt partus edi in diuersis temporibus ob naturarum diuersitatem:cæterũ in diuersis quæ vim habeant iudicandi ac roborandi actionem illam.In reliquis verò mensibus quãtumuis ad iudicandum videantur idonei,fœtus perpetuò valetudinarij nascẽtur, quòd tantum vnã causam partus legitimi nanciscantur,nimirum mensem iudicatorium, integram verò maturitatem nondum.Sed experimento quoque eodem cõperimus in nono & decimo,viuidiores & maximè salubres esse partus temporis & naturæ perfectione,ac ratione maturitatis:nouem enim menses cum primo constent septenario,quod perfectissimè iudicat,perfectissimos edunt partus.Sed vt vera computatio nouem aut decem mensium magis eluceſcat, expendendum est constare ex Hippo.lib.de alimento & lib. de carni. dies grauidationis non excedere quatuor decadas,quæ constant ex ducentis & octuaginta diebus ad summum,licet non rarò ante id tempus partus in lucem edi contingat:constituit enim hic dierum numerus nouem menses solares & decem dies,& ex communi ferè omnium sententia hoc est frequentius pariendi tempus,quòd in ipso fœtus maturiores existant, & numerus perfectior. Quod Macrobius lib. 1. in somnum, apertissimis verbis protulerat. Humano partui(inquit) frequentiorem vsum nouem mensium certo numerorum modulamine natura constituit. Ac refert puerum vinculis solutum confestim foras prodire mense,vt longissimùm,decimo: vt comprehenderet partus,quos ducentesimo & octuagesimo die fieri refert Hippocr. qui nouem menses & decem dies complectuntur.Cuius sententiæ confirmationem adduxit Hipp.lib.de carni.per hæc verba.Editur verò in lucem partus mense nono,diebusque decem, qui & vitalis est,vt qui legitimum hebdomadarum numerum(quatuor scilicet decadas hebdomadarũ)sit cõsequutus. Qui sanè dierũ numerus non prærequiritur ad legitimum partũ exquisitus:quippe is potest fieri aut in pluribus, aut in paucioribus:sed nec multo pluribus,nec multo paucioribus,vt Hippoc. refert.Nec huic sententiæ videtur contrarius lib.2.popu.par.3.text. 31.qui docens à quo principium computationis in partu debeat fieri,inquit. At à menstruis numerandi sunt nouem menses,aut à conceptione,& in.270.dies græci menses fiũt, & si quid insuper aut maribus,aut fœminis hæc fiunt,aut contraria. Nam vltima contextus verba videntur concedere plures dies,quod alibi dixerat paulò plus,aut minus.Sed à quo die sit hæc compositionis ratio inenda,superiùs diximus lib. 3. cap.de conceptu.

Sed vt res clariùs constet,habebis quatuor decadas hebdomadarum,si quatuor in decem:quadraginta,septies quadraginta computaueris:ex quibus sic computatis reperies ducentos & octuaginta, numerum quidem quatuor decadum hebdomadarum.Hebdomadarum autem singulæ diebus septem,aut(exactiori calculo)diebus sex & horis viginti constant: quælibet autem decas diebus septuaginta. Efficaciam insuper partus nonimestris ostendit, fœtum nullo alio tempore commodius posse vel exire,vel solidiore cibo vti,quàm præhabito:cui sanè neque alimentum satisfacit,neque aër ventriculationi dicatus,neque vteri angustia.Atque cùm tres necessariò concurrant causæ ad legitimum partum, tempus scilicet statutum,vterus,& fœtus ipse:nullo profectò in partu,æquè omnia cõcurrere comperimus,quàm in nonimestri.Vterus quidem mole pondereq; grauatus,vi sua expultrice ad propellendum fœtum eo tempore insurgit. Fœtus ob loci angustiam, & aëris atque alimenti defectum,exitum affectans, validè se se agitat, & facilius membranas dirumpit.Tempus etiam,vt ex Hippoc.lib.de natu.pue.anteà probaueram,præscribi certò potest à formationis tempore facta computatione: inquit enim.Fœminam quidem conformationem primùm duobus & quadraginta diebus, quod longissimum: masculum verò in triginta diebus,quod longissimum est,eam adipisci.Ex quo etenim ratio partus nonimestris & legitimi formatur: vt ex Auicen.aliqui referunt,quod ego hucusque non legi,nimirum tempus partus id esse legitimum,quod bis tot additis ad tempus motus, diebus constat. Secundùm quam rationem masculus,qui efformationem habet die trigesimo,mouebitur die nonagesimo,& nascetur ducẽtesimo septuagesimo die,hoc est,nono mense.Fœmella item quæ die efformatur quadragesimosecundo,mouebitur die centesimo vigesimo sexto,hoc est,quarto mense & diebus paucis superabundantibus, nascetur autem ducentesimo septuagesimo octauo,hoc est,nono mense cum diebus aliquot.Qualiter verò Auic. computãdi ratio in fœmella verum obtineat,alij disputabunt.Constat igitur veram computandi rationẽ pendere ex diebus illis, quos ex Hipp.mente partum legitimum continere diximus.

Quibus sic constitutis expendendum est,partum initio noni mensis editum in lucem,id est,à decem vltimis diebus octaui ad decimum vsque noni,vix vitalem esse,aut si vitalis existat, vesanus est & morbidus. At verò à decimo die noni ad decimum vsque decimi mensis,vitalis est & bene valens: eoque magis quo propiùs ad decimum decimi mensis diem accesserit.Dictum superiùs est in partu septimestri primi mensis & septimi plus dimidio fore computandum, vt illorum vis queat eluceſcere,vt in tam breui tempore fœtus consummari possit.At in reliquis mensibus non opus est de primo & postremo plus dimidio accipere: cùm constet apertissimè de primo fore capiendos perquam paucos, si ad decimum, & magis si ad vndecimum peruenire debeat fœtus. Quo fit,vt Hippocrat.dixerit lib. de octimest.part.genitos post plenilunium necessariò ad mensem vndecimum durare.

De partu decimestri, & reliquis maioribus.

Legitimum esse partum ad decimum vsque decimi mensis diem,abunde nunc probasse arbitror,sed cogor ob Hipp. obscura decreta in partubus annumerandis disputare, an vltra decimum decimi mensis diem partus in lucem edi possint. Præstitit huic dubitationi ansam Hippoc.qui lib.de octimest.par.ad vndecimum mensem partum prorogari affirmat:at lib.de alimento,& septimest.part. per dies facta computatione,vt dictum est,ad decimum decimi mensis diem extendi posse partus asseuerat. Verùm, vt breui me ab hoc nodo expediam, tria in doctrina Hippocrat. consideranda sunt. Primum dies partus ad summum non esse plures quàm ducentos & octuaginta.Secũdum ex hismet diebus aliquando computasse partus tempus per menses solares: mensis enim solaris dicitur spatium illud temporis,quo Sol in vnoquoque signo Zodiaci fertur, quæ quoniam sunt duodecim, menses quoque totidem in anno numerantur:& sic constituit decimum diem decimi mensis tanquam vltimum partus tempus. Et lib.de natu. pue.multis etiam rationibus probare nititur,vterum plusquam decem menses ferre non posse, & id

id tempus posse attingere: probat etiam lib. 5. popu. in historia mulieris Lariſæ, cui cùm prægnans esset, decimo mense sanguis multus fluxit & fœtum proiecit mortuum. Aliquando verò consideraſſe menses lunares: in qua computatione non solùm mirum non est, ad vndecimum mensem peruenisse, & eum constituisse terminum etiam partus, verùm eodem calculo facillimè ad duodecimũ mensem & vltra (vt ex antiquis authoribus aliqui censuerunt) peruenire posse constat. Probari optimè hoc assumptum potest, si menses tres esse, iuxta antiquorum computationem, intellexeris, differentes tamen omnes temporis duratione: inter quos ille maximus est qui à Latinis dicitur ciuilis, constat ex diebus viginti nouem & horis terdecim propemodum: tot enim dies sunt inter vnum & alterum Lunæ cũ Sole congressum. Ex quo sanè mense & similibus si annum constituas, centum & octuaginta dies in septimum mensem incident: namque centum & septuaginta septem dies sex huiusmodi menses integrant, & quinque, qui supersunt reliqui cũ aliquot horis, iam septimi mensis erunt. Componesq; nonum & decimum mensem eâdem ferè calculatione facta. Si tamen mensem propriè lunarem dictũ consideres, longè aliter computationem efformare teneberis. Is autem diffinitur Lunæ Zodiaci puncto in idem punctum profectione & reditu, in quam viam Luna viginti & septem dies cum horis octo insumit. Quibus equidem mensibus si partum nouimestrem constituas, continebit ducẽtos & quadraginta ac sex dies: constat igitur ad integritatem ducentorum & octoginta dierum, quos Hippoc. cẽset esse legitimi partus dies, deesse dies triginta & quatuor, qui decimum mensem integrũ & principium vndecimi constituunt. Quòd si tertiam mensis Lunaris differentiam (quæ fit à primo exẽptis tribus diebus cõiunctioni Lunæ) accipias, reperies continere sex & viginti dies, & horas duodecim: ex quibus sanè nouem menses continebunt dies ducentos & triginta & octo, & horas quasdam: quibus deesse constat ad integritatem dierum, quos legitimum partum constituere refert Hippocrat. quadraginta & duos, qui etiam ex solaribus ferè vndecimum mensem constituunt. Ex quibus iam constare arbitror, quanam ratione dixerint Hipp. Plinius & Aristot. ad vndecimum mensem partus posse peruenire. Ac si mireris & rationem quæras, cur mensium lunarium potius, quàm solarium definita sit apud antiquos pariẽdi ratio, desines protinus mirari, si aduertas, antiquos (Græcos maximè) annum totum ad rationem Lunæ subduxisse, & alios menses non habuisse, quàm lunares, nondum reducto in eam formam anno, quæ nunc vsui nobis est. Atque hæc de nono, decimo & vndecimo mense dicta sufficiãt. De alijs verò quæ sequũtur plerique dubitant, vtrum ad eos vsque differri possint partus. De qua sanè re sentiendum puto, aliquando vel ex alimenti vbertate, quo fœtus gaudet ad integram perfectionem adipiscendam, vel ex matris labore, aut impotentia in plures dies posse partum extendi: verùm id quidem rarissimũ est & monstrosum. Quin & Hippocrat. lib. de natu. pue. negat, vterum pluſquam decem menses ferri posse, his verbis: Quòd si quædam mulieres arbitratæ sint, se vterum pluſquam decem menses tulisse (id enim iam sæpe audiui) id sanè est, quòd vteri sæpe spiritum capiãt in se ipsos à ventre flatum exhibente, eleuato tamen atque intumescente vtero, videntur sanè sibi tunc mulieres concepisse. Quin etiam mensibus non prodeuntibus atque in vtero congregatis, aut calescentes, aut flatibus mixti, falsam quãdam grauidationis speciem non rarò mulieribus præbẽt, vt sibi in vtero habere videantur, nimirum menstruis non prodeuntibus, & vteris eleuatis. Quæ sanè fœminæ sic affectæ si posteà concipiant, putant se plus quàm decem menses vterũ gessisse, dum

Si tamen mulier post pleniluniũ concipiat, ante scilicet, quàm ipsa purgetur (quod plerunque vt author est Arist. 7 de hist. ani. ma. c. 2. de crescente Lunæ illis accidat) natus. 11. Lunas attinget, & decies mensẽsem deficiẽt, quare fœmina. 11 mẽsem agere, arbitrãtur.

dum falsò supputationẽ ineunt ab eo tẽpore, abs quo vterũ intumescere, vel flatu, vel mensium suppressione senserunt, non autem ab eo, quo re vera conceperunt. Quamobrem credendum est potiùs eas deceptas esse, si rigidè rem iudicare velimus, vt Hippocrat. qui malè consulens mulierum pudicitiæ aliquot argumentis loco citato probat, vterum plusquam decem menses ferri non posse. Verùm ne ex toto corruere videatur fœminarum vis, eo quo dictum est modo, supputationem vndecimi mensis instituere oportet, & pari supputatione poteris duodecimum vsque pertingere: quod verò Auicen. de. 14. mense scribit, id arbitror aliorum mente scripsisse.

De aborsu. Cap. II.

Bortiunt quidem adeò frequenter mulieres, vt si quis id diligenter examinet, facilè inueniat plures esse vteri deperditiones seu aborsus, quã legitimos partus. Quo sanè multi filijs orbati, miserè vitam degerunt: quamobrem, vt huic malo prouidere possimus, quid aborsus sit primò expendendum est: quas causas habeat: & qua lege præcauebimus quominus fœminæ abortiant. Est igitur aborsus, vt Galen. placet. 6. popu. part. 1. comment. 2. imperfecta fœtuum emissio, seu immatura & violenta fœtus excretio. Fœtus (inquit Aristot.) duobus modis corrumpitur, effluxione nimirum & aborsu. Effluxiones quidem iudicantur, quæ intra septimum diem corruptiones incidunt: abortiones autem quæ intra quadragesimum: sed non hæ solùm, verùm omnes etiam quæ ante legitimum pariendi tempus aduenient, aborsus dici merentur. Est igitur aborsus vteri offensio primò, & principaliter ad vterum pertinens, quatenus illi inest concipiendi officium. Sic aborsus sympthoma est vteri consistens in noxa functionum naturalium & maximè retentricis, quæ debitum tempus anteuertit: ac nonnunquam expultricis quæ ex aliqua causa lacessita pariendi tempus accelerat. Sed reuocare hac in parte in memoriam oportet, gratia præsagiendi de futuro aborsu, fœtus quibusdam mensibus eidem esse promptiores, quàm alijs: nam quintus & sexti initium minus aborsui sunt obnoxij, posteà verò quartus & sexti finis, post septimus, deinde tertius, mox secundus, & ab hoc primus, & mox nonus, & post octauus, vltimò verò decimus, vt latè probatum est libr. huius operis tertio. Quæ omnia adamusim considerare oportet, vt pro cuiusque efficacia prouidentiam instituas. Verùm cùm aborsus dicat fœtus imperfectionem, dubitandũ videbatur, an partus octauo mense factus, cùm fœtus iam perfectionem est adeptus, verè dicatur aborsus? Cui dicẽdum est, neque verè aborsum, neque legitimum partum posse dici (cuius rei non leuis est inter authores controuersia) dicetur tamen partus octaui mensis: qui licet ratione fœtus aborsus nomen non mereatur, ratione tamen inclementiæ illius mensis, in quo fœtus mille rationibus languidior est, partus non dicitur iure optimo.

Aborsus causæ.

Affectum quidẽ vterũ, nuper retulimus, primam potissimamque aborsus esse causam. At verò ipsum vterum lædunt, & ad id opus ineundum excitant tres potissimum internæ causæ: siquidem vterus vel humorum pondere, quos supra vires

obtinet, oppreſſus, vel morſus humore in eum effuſo ruptis ijs, in quibus fœtus continebatur membranis, vel propter fœtum putrem & ſanioſum irritatus, aborſum patitur. Cui etiam cauſæ accedit pueri inutilis & vitioſa moles ante perfectionem, quæ ampliùs quàm par eſt, diſtendi vterum cogit, & ob id irritatus expellit, aut vteri coarctata nimis capacitas, vt in fœminis quæ minuto ſunt corpore, vel teneris annis concipiunt. Item ſi aliquid præter naturam in vtero creuerit, quod ipſum diſtendi, quantum par ſit, non permittat, velut mola aut ſcirrhoſus tumor vtero adnaſcens, quæ ſanguinis nimio fluore fœtum præter id etiam perdũt. Humorum quidem copiã iuxta vterum aut in eius vaſis contentã, mille modis aborſum concitare ſcimus. Primò præ pondere & grauitate vincula dirumpendo: ſecundò fœtũ præ copia alimenti ſuffocando: vel craſsioribus factis vaſis per quæ ſuſceptat fœtus alimentum, ſola aquoſi ſucci trãſcolatione, ob craſsitiem & obturationem, aut coarctationem foraminis, fœtus hydrope & atrophia marceſcit & corrumpitur. Vltimò, quia genituræ extinguit & informes generare facit fœtus, aut molas quibus frequentiſsimè fiunt aborſus. Atque hæ ſunt omnes cauſæ internæ, quas diligentiùs expendiſſe oportet, ſi priùs dixero, maiori ex parte aborſus vitio cauſarum externarum fieri, vt febre vehemente, alui profluuio, ſanguinis immodica vacuatione, expurganti vel quouis alio acri, & efficaciori pharmaco, ſaltu, ictu, clamore, ira, triſtitia, timore, victu parciore, re ardenter appetita & denegata, vel ſubito aliquo caſu, aut alijs quæ ſuapte natura aborſum prouocare nata ſunt: ſicut quædam anni temporis diſpoſitio, & innumera medicamenta, ac cætera quæ certum quendam ſpirant odorem: quorum pertimeſco mentionem facere. Sed ne quis inopinatò & inſcienter in turpem & ruſticum errorem incidat, quæ huic vſui ſufficere videntur, referam, ſi prius dixero, aborſus plerumque ab interno vitio fieri eo tempore, quo menſes ante grauidationem fluere aſſolebant, vt accidiſſe vxori fratris Apemanti fert Hippocrat. lib. 4. popu. tex. 50. nam eiſdem diebus videtur partus poſſe perire. Antè tamen quàm harum cauſarum naturam & ſigna expendam, iuxta optimam rationem me factutum arbitror, ſi affectus quoſdam vtero, & aliquibus fœminis connaturales, quibus ipſas (præſertim valetudinarias) abortire conſpicimus, recenſuero: inquit itaque Hippocrat. lib. 3. aphoriſmorum. 12. Si verò hyems Auſtralis & pluuioſa fuerit, ver autem ſiccum & Aquilonium, mulieres, quibus partus ad ver ineſt, ex quacunque occaſione abortiunt. Conſtatque id fieri neceſſariò, quia imbecillitas prægnantium illius temporis inclementiam perferre nequit, neque tanto labore ad illud vſque tempus perdurare, ſed mox à quibuſuis cauſis abortit. Nam tria ſunt quæ non ſinunt expectare, donec tempus mutetur: magna nimirum mutatio in qualitatibus: peregrina & aliena temporum conſtitutio: & imbecillitas ac præparatio paſſurorum corporum. Ex quibus fit facilè, vt inſtillationibus concitatis, & in vterum prolabentibus, eo prædicta temporum inclementia aborſum promoueant: non quidem (vt Galenus exiſtimat) ex repentino frigore, quod fœtus perferre nequit: nunquam enim vterus ex ambientis frigore adeò refrigeratur in communi vitæ more, vt fœtum interimat. Præterquàm quòd ſi id eſſet verùm, citiùs morerentur nuper nati infantes in frigidis regionibus ac temporibus, ob ſubitam illam mutationem, quàm qui in vtero ſunt. Quo fit, vt verior mihi videatur prima ratio. Refert quoque Hippocrat. tanquam aborſus cauſam, grauidam eſſe gracilem & extenuatam nimis: inquit enim lib. 5. aphoriſmorum. 42. Quæcunque præter naturam tenues

nues vtero gerunt, ſecundo menſe abortiunt priùs quàm craſſeſcant. Quam ſanè cauſam præſtat vel alimenti penuria, vel humorum prauitas, aut vteri imbecillitas, quæ nec trahere poteſt, nec vnde trahat habet. Quibus proculdubio fit, quòd fœtus duorum menſium ſpatio viuat quidem, vt qui paucis fomitibus eget, deficiente tamen ad augmentum alimento, ocyſimè corrumpatur: inquit enim Hippocrat. lib. de natu. mulie. vt has cauſas inſinuet. Cùm in ventre habens fœtum menſtruum, aut bimeſtrem corruperit, & ad perfectionem geſtare non potuerit, & tenuis præter naturam fiat, huius vteros purgare oportet, ac corpus pinguefacere: non enim priùs fœtum perferre poterit, quàm vteri ipſius craſsi fiant, & robuſti euadant. Sunt item inter mulieres quæ os vteri minus claudunt, & conſtringunt, & ob nimiam humiditatem fœtus prolabuntur. Retulerat etiam Hippocrat. libr. 1. de morbis mulie. pleraſque fœminas abortire, vel defectu alimenti, aut ſi vterus ſtrictus ſit, vel ſi tunica interiori natura, aut cicatrice vel alia cauſa leuigatus. Conſtat præterea mulieres abortire ex alijs quam plurimis cauſis, qualis eſt immodicus aëris æſtus, ciborum parſimonia, flatus in vtero coaceruatus, vel in ipſo vlcus, aut tumor præter naturam. Tandem valetudinariæ fœminæ plerumque, ſi debiles ſint, abortiunt: ſi verò robuſtæ ſalubriùs degunt. Item ex ijs quæ præhumidos habent vteros, & ipſæ pingues ſunt, molli carne oppreſſæ, plures abortiunt, & aliæ ſeptimeſtres pariunt, quas ſuapte natura abortiuas eſſe arbitror: quo malo eò vſque premuntur, donec ætatis mutatione in meliorem habitum fiat commeatus. Præterea fœtus imbecillioris cauſa aborſus fieri, haud rarò conſpicimus: nam dum genitura vel pauci eſt caloris, vel puſilla in ea adeſt virtus, ligamenta & inuolucra tenuia & leuia adeò generantur, vt creſcente parum fœtu, ipſum ſuſtinere nequeant, vel ipſe, ſi valetudinarius eſt, aborſus quoque moueat. Id quod docuerat Hippocrat. lib. de octimeſt. part. dicens: Quare multi pueri principium morbi intus nacti prodiere, & conſequenter alij perierunt, alij morboſè vixerunt. Verùm ſi ob maiorem corpulentiam fœtus pereat, ab prædicto aborſu diſtingues, quia illi primis menſibus prodeunt, ij verò qui grandiores ſunt, non niſi prope ſeptimum aut prope nonum, idque vel alimenti defectu, vel vinculis præ grauitate diruptis. Nocet etiam vinculis & inuolucris fœtuum coitus immodicus, quòd eadem vincula præ nimio madore laxentur: quo fit, vt non rarò hac cauſa abortiant mulieres, præſertim quæ delicatiores ſunt. Idem quoque malum proficiſcitur, cùm ex aliquo vteri, vel totius corporis vitio, vel ſuppreſsione hæmorrhoidarum, aliquid virulentum, ſanioſum vel putridum per os vteri inſtillat, ſiue ex mola prodeat, ſiue ex imbecillo fœtu, ſiue ex prædictis cauſis, quibus neceſſum eſt fœtum irritari, ac vincula laxari, & ſubindè aborſum ſequi. Sequitur inſuper aborſus quibus fœtus ita debiliter alligatur & affigitur vtero, vt facilè poſsit à quauis cauſa moueri: quo motu prodit multa humiditas, qua vincula laxantur, & os vteri nimis aperitur: quo fit vt fœtus facillimo negotio procidat, cùm neque vinculorum robore, neque vteri compreſsione id interdici poſsit. Aliam etiam cauſam adducit libro primo de morbis mulierum dicens: Si pituita cotylidones redundarint, non ita copioſi menſes fiunt: quòd ſi mulier vtero geſtet, aborſum patitur; quando euaſerit fœtus aliquanto firmior, non enim obfirmatur ipſa, contra delabitur. Huius rei tibi fidem faciet, quòd humidior mulier fiat, quòdque quod effluit mucum referat, & viſcoſum ſit,

qualia ſunt quæ feruntur ex aluo. Quæ ſanè cauſa non paucas in aborſum adduxit. Dimitto intemperies varias & vehementes, item & fœtida omnia ſicut fumus extinctæ lucernæ & alia huius naturæ.

Signa cauſarũ & futuri aborſus.

Futurum aborſum, ſi poſsibile fuerit, multò antè cognoſcere opus eſt, vt vel prouideas quo minùs fiat, vel ſaltem matri opportunè opem ferre poſsis, grauiores enim ſunt aborſus moleſtiæ & dolores, quàm partus. Sic profectò ſi vtero gerentibus lac multum è mammis fluat, fœtum imbecillum ſignificat, & aborſus periculum: faſtidit enim fœtus alimoniam oblatam. Quòd ſi papulæ prauo aliquo colore fœdentur, vterum eſſe imbecillum, & laborantem ſignificatur, vt ex Hipp. conſtat lib. 6. popu. par. 5. text. 17. dicente: Si mammarum papulæ, & rubrum chlorum ſit, ægrotat vas, hoc eſt vterus: ob conſenſum, ſiue ex venis muſculorum abdominis, quẽ aliqui arbitrãtur has partes obtinere, ſiue eo modo quem nos anteà ex aliorum ſententia expoſuimus: id quod etiam docuit lib. 2. popu. par. 6. text. 23. dicens: Si multum fluat lac, neceſſe eſt vt langueat quod in ventre eſt. Mammæ etiã, ſi gracileſcant, idem periculum præſagiunt ob alimẽti fœtus defectum: ſanguine igitur deficiente, aut alioqui modico gracileſcunt vbera, ac nõnunquã perimitur fœtus, quandoq; verò ad excretionem excitatur. Siquidem infans corporis conſtitutionem mediocrem conſequutus plus alimenti requirens, quàm exhauſtæ matris tenellum corpus ſuppeditare poſsit, calcitrat, vt Hipp. recenſet lib. de natu. fœ. ac membranas dirumpit, initiumq; parturitionis affert. Hinc quoq; fit, vt mulieri vtero gerẽti ſi altera mamma gracilis fiat, geminos habenti, alterũ abortiat: ſi dextra marem, ſi verò ſiniſtra, fœminam. Præcedit autem futurum aborſum aquoſior primùm euacuatio, deinde ſanioſa & cruenta & velut carniũ lotura: vbi verò planè exſolutio venerit, purus ſanguis, deinde grumi, ac demum fœtus ipſe formatus, aut informis egreditur. Aborſum etiam vereri oportet ac matris non leue diſcrimen, ſi fœtu bimeſtri aut trimeſtri exiſtente menſes decedant (quamuis nõ deſint fœminæ quibus id nec fœtui, graue ſit) inquit enim Hippocrat. lib. 1. de morb. mulic. Noſtra ſententia quidem eſt, ſi menſtrua mulieri quæ bimeſtrem, aut trimeſtrem, vel ætate grandiorem vtero gerat, per ſingulos menſes erumpunt, extenuari eã prorſus neceſſe eſt, & reddi imbecilliorem. Fit interdũ etiam vt tantiſper dũ fluunt menſes febris eam prehendat. Nec nõ ſæpe in eorum profluuio, eoque eodem etiam exacto, mulier palleſcit & ſi parcè & reſtrictè fluant. Iſtis vniuerſis vterus dehiſcit plus æquo, idemq; ipſe incrementum fœtus demittit & quaſi relaxat. Tandem in vltimis verbis ſtatuit Hippocrat. niſi fœmina ſic affecta præueniatur, aborſum facilè ſequi, & fœminam nõ leuiter infirmari. Quia credibile eſt ex menſium motione fœtum & matrem deteriùs ſe habere (vt matris pallor, iactura & impotentia monſtrant) ac defectu alimenti fœtum contabeſcere, & præligamentorum laxitate ex fluxus aſſuetudine ac oris vteri apertione ocyſimè prolabi. Simile etiam quid eis fœminis accidere refert Hippoc. loco citato, quibus caput pituita redundat & in ventrem vergit. Mulierem (inquit) ſæpe etiam febris lenta apprehendit ac leuis, quibuſdam accidit palpitatio, quæ modò imminuitur, modò ſi fortè increſcat, acerbiùs ſæuire poſsit. Quòd ſi etiam deijciatur appetentia ac infirmitas inde eueniat, metus eſt, ne breui fœtus corrumpatur. Nam euidentiſsimum eſt à capite per gulam (quòd operculo careat) in ventrem procidere, ac in iecur & venas ac vterum, maximè cùm ex menſtruis ſuppreſsis facilè vel crudior fiat ſanguis, aut alijs modis vitiatus, adeò, vt prædicta mala facilè ſubſequi ſperemus. Pleriſque etiam lumborum, & coxarum grauitas adeſt, & ſuperioris ventris

ventris capitiſque & oculorum dolor, ſtomachi morſus, extremarum partium frigiditas, animi deliquium, horror febrilis: quibuſdam etiam conuulſiones retrorſum: idq; ijs potiſsimum, quæ medicamentorũ violentia aborſum procurarũt. Sed noſſe oportet, Hipp. lib. de natu. mul. aborſum ex vteri hydrope his verbis docere. Si verò non circa initia, ſed dum iam mouetur, fœtus ipſi corrumpatur ac ſuffocetur, tunc & venter imus intumeſcit, & ad cõtactum dolet, velut vlcere præſenti, & febris ipſam ac dentium fremitus corripit, & dolorem habet acutum & vehementem circa pudenda, & imum ventrẽ, & lumbos, & laterũ mollitudinem ac coxendices. Quæ porrò ſigna eodem prorſus modo comperies, cùm ex febre, vel morbo aliquo acuto mater vel fœtus corripitur, præſertim ſi vi morbi fœtus intereat, vt c. de fœtu mortuo docebo. Verùm ſi ex caſu vel plaga, aut alia ſimili cauſa doluerit venter, vt aborſum minetur, id intra tres dies ſe ſe oſtendet, vt Hippocr. viſum eſt lib. 7. popu. text. 71. dicenti. Quibus prægnantibus ex caſu, aut cõuulſione, aut plaga dolores moderatè fiunt, in tribus diebus manifeſtè conſtat, an fœtus corrumpent: quod de moderatis doloribus ſubaudire oportet. Nam immoderatos dolores certum eſt, aborſum citiùs moliri, aut intra hos dies: quippe vulnera, vt Hipp. viſum eſt lib. de fracturis, tertio aut quarto die recrudeſcũt: cùm igitur his diebus ceſſauerit dolor, ſignum eſt nil eſſe diruptum aut vulneratum, & fœtum ſuperſtitem fore. Quippe ex quouis externo caſu qui violentiam inferat, prægnantem abortiri non rarò comperimus: inquit enim Hippo. lib. 1. de morbis. Si enim, verbi gratia, ægrotarit quæ grauida eſt, aut ſi euaſerit infirmior, aut vi onus quoddã ſuſtulerit, aut percuſſa fuerit, aut ſaltauerit, aut prorſus ſe à cibo continuerit, aut animo liquerit. Accidat & id cibo liberaliori, aut nimis parco, aut ſi metuerit, etiamque pauore conſternata fuerit, aut quidẽ vociferata, aut aliàs deniq; ſeſe geſſerit intemperanter. Eſt etenim cibus, vt & potio liberalior ſæpe corruptionis fœtus cauſa: ſic & dum fœmina acre aut amarũ quid biberit (non vt fertur quia fœtus deguſtet) quia ventrem plurimum turbat: quippe certum eſt & ex euacuatione & ex turbatione, ac inſuper ex vicinia vteri cum inteſtinis fœtum imbecillitari ab actione prædictorũ alimẽtorũ, aut medicamẽtorũ. Quibus etiã cauſis accedit vteri aut ſtricta conſtructura quæ vel pumiliones capere nequeat, & ex copioſo ſemine maiores, quàm continere queat, gignat, aut ad minus ſi ex altera parte ſtrictior tantùm ſit vterus, mancum ea parte ac defectuoſum gignat fœtum. Quòd ſi venter capacior ſit, mirum non eſt ſi fœtus grandior fiat quàm vel ſuſtineri queat, vel poſsit liberè exire, aut ante tempus id conetur. Dimitto hac in parte dolores lumborum & ventris quibus plerumque fœminæ abortiũt, vaſculis prauo aut copioſo ſanguine plenis: item & bilioſi humoris abundantiã, quæ non rarò vel ſanguinem & fœtum turbans aborſum parit, aut aluo citatiori facta fœtum quoque laceſsit, licet per aluum expurgari tutius ſit, ſi citra moleſtiam fiat. Monſtrat etiam aborſum aut fœtus laborem & morbum mammarum plenitudo iuxta ſeptimum vel octauum grauidationis menſem, quæ protinus concidit & graciles mammas reddit. Inter cauſas etiam quibus periclitari fœtum aborſu comperimus (ac etiam fœminam ſuffocatione) vna eſt, quam his verbis recenſuerat Hippocrates lib. 1. de morbis muli. Quòd ſi in prægnantem repentè ſuffocatio cadat (id verò accidit potiſſimum, quando ſe ſe conficit mulier labore inediaque, per exercitationem ſcilicet immoderatam æſtuante vtero, & detracto embrioni alimento imminutoue, cùmque etiam inanis vterus plus æquo redditur cauo interiori) erigit ſe tunc fœtus, & aſpirat ad hepar, & ad hypochondria. Hæc quippe

cùm ſcateant humore, eodemque modo fortem mulieri inducent ſuffocationem. Et narrat eo loco alia mala, ac aborſum, ni citiſsimè alimentis ſubueniatur. Quam quidem ſententiam conſulo attentè conſiderandam fore, quia maximi eſt momenti in his ſuffocationibus cognoſcendis & præcauendis, quæ grauidis ſuccreſcere aſſolent hyſtericis accidentibus ſimillimæ. Nam apud vulgus creditur vtero gerẽtes immunes eſſe ab hyſtericis affectionibus, quod hic author negat expreſſè: nam refert ab inedia, à labore, à pituita, puero ad hepar & ſeptum recurrente ſuccreſcere.

In omni igitur aborſus cauſa præcauenda, hoc tibi primum expendendum arbitror, nimirum præcauendi rationem variam fore ob variam fœtus ætatem: quippe grandiores fœtus aliter præcauebis, his nimirum quæ minus turbẽt magiſque roborent, ac parum euacuent: reliquos verò roborantibus quidem, ſed euacuantibus etiam audaciùs, ſi copiam ſanguinis cauſam præſtare comperiamus.

Aborſus prouidẽtia Fuit igitur prima aborſus cauſa, humorũ nimia moles, quibus fœtus veluti ſuffocari videtur, & vterus pondere nimio premi. Contingit itaque iuuenculis, & boni ac denſi habitus fœminis tanto ſanguine abundare, vt ſuppreſſa ſemel mẽſtrua purgatione, neque menſtruus, neque bimeſtris, aut trimeſtris fœtus eam copiam conterere poſsit, ſubindeque corruptis vinculis ob plenitudinem, aborſus ocyſimè fiat. Quod ſanè malum præcipuè ijs fœminis accidere conſpicimus, quibus aliqua ſanguinis euacuatio vel per nares, vel per hæmorrhoides grauidationis tempore ſupprimitur: præſertim ſi acceſſerit cibus, à quo largior & mucoſus ſuccus prodeat acetabula vuluæ opplens & ligamẽta laxans. Prætereà ex hac cauſa aborſum fieri cognoſces, quia citra manifeſtam occaſionem euenit: venæ etiam totius corporis plurimũ in ea turgent, & veluti varices in cruribus aliquando fiunt: reſpiratio difficilis primis menſibus accidit, capitis dolor & oculorũ cum grauitate, dor ſum & inguina dolent: mammæ plurimùm turgent: profilit ſanguis è naribus, vel per os tuſsi aut vomitu reijcitur: ac nonnũquam per colli vteri venas ordinatè, vel citra ordinem profluit.

Quibus proculdubio medeberis ſanguine miſſo bis aut ter ante conceptũ, vel ſtatim, nimirum ſecundo, tertio, quartoue ad ſummum mẽſe: nam grandiores fœtus cauere oportet, vt Hippocrat. conſulit: quippe præceptum aliud quo refert à. 4. ad. 7. ſubaudiendum cenſeo de purgatione, idque ſi morbi alicuius neceſsitas vrgeat: cæterùm parciùs & per interualla. Fiet etiã id victu parciori & modico exercitio, dixerim, diutiùs facto, ſed lentè & ſenſim. Hac quippe cauſa præſente, nulla alia commodior exiſtit præcauendi aborſum ratio & via, quàm vena ſciſſa ex brachio, vt dictum eſt: ac ſi mulier multum ſanguinis reijcere per menſtrua conſueuerit, plus & audaciùs ob id detrahere oportebit, dummodo neque ſubitò, neque ſemel extrahas, ſed interpoſitis decem aut viginti diebus, aut menſe vno vel duobus: idque potiſsimùm ad quartum menſem, niſi poſt id tempus abortire aſſueuerit: nam tunc non erit ab re hac neceſsitate vigente, quinto, & ſexto ſanguinẽ mittere, ſed prudenter & cum præſagio. Tãdem parum ante id tempus facies in quo fœmina abortire aſſueſcit. Verùm neque adhuc his conſiderationibus factis, temere & quouis tempore ſanguis mittendus eſt, ſed animo diligenter euolues, an fœmina monſtroſum & informem fœtum abortierit, vel molam, an vitalem: quòd ſi primũ mox à prima menſium ſuppreſsione ſanguinem detrahes, quia euidentiſsimum eſt præ copia ſanguinis, ſeminis facultatem fœtum efformare non potuiſſe: quòd

quòd ſi vitales abortiat fœtus, mittendus ſanguis eſt, ſed poſt tertium mẽſem, quia coniectabile eſt tantum ſanguinis fœtum paruulum non poſſe conterere. Quod facies ſex aut octo diebus ante id tempus quo fœmina menſtruare ſolebat, ne in vtero colligatur læſura copia. Quo ſanè præſidio, fœminas quæ frequenter abortiunt, plures ad ſtatutum pariendi tempus incolumes deduximus. Nos tamen experimento comperimus, non ſolùm ad retentionem fœtus, ſed etiam in ijs quæ difficilè pariunt, ſanguinem mittere, ſummè vtiliſsimum fuiſſe. Nam cùm fœtus abundat multo alimento, cùm eo non indigeat, vel ſuffocatur, vel non conficit & corrumpitur, vel in magnam molem creſcit, ſi ipſum commutare poſsit, maximè ſi fœmina vterũ habeat ampliorẽ, ex quo poſteà ob magnitudinẽ exire non poſsit: quo caſu vltimis menſibus fœminam quieſcere, iubere eſt opus, ne nimio pondere fœtus vincula dirumpat & aborſum moliatur. Neque erit ab re renum regionem oleo vel vnguento aliquo inungere, quo ſanguinis feruorem compeſcere poſsis.

Quòd ſi ex laxitate ligamentorum, ob mucores, vel quamuis aliam humiditatem redundantem fœmina fœtum retinere non poſsit: id cognoſces ſumpto principio à ſignis quæ Hippoc. refert lib. 2. de morb. mul. per hæc verba. Si acetabula pituita plena fuerint, menſes fiunt pauciores, & ſi in ventre habuerit, corrumpit, vbi fœtus validior factus fuerit: non enim corroboratur, ſed defluit. Cognoueris autem hinc: humida fit, & quod defluit, mucoſum & tenax velut à ventre defertur, & non mordet, & in menſibus poſtquã ſanguine purgari deſierit per duos aut tres dies muci ex vteris prodeunt, & horror tenet, & calor non acutus, verùm non deficit.

Quæ verba lib. de natu. mul. ad verbum ſcribit addens, hanc affectionem ſecundo vel tertio menſe certiùs euenire. Quas autem partes per acetabula ſeu cotylidones liceat intelligere, non ſatis cõſtat apud authores: ego tamen omnia vteri vaſa & cauitates intellexiſſe Hippo. cenſeo. Quibus medeberis facta ante conceptũ frequenter purgatione pilulis de hiera Galen. maſtichinis cum aromatis, addito zingibere & ſale gemeo: item pilulis ex rhabarbaro cum agarico & maſtiche, aut pilulis ex agarico. Peſſarijs etiam vtendum eſt, maximè pituitam trahentibus & poſt menſtruam purgationem. Suffumigia quoque & emplaſtra adhibebis, qualia ad vterum humidum ſuperiùs ſcripta ſunt. Peſſarijs quoque vteris quę recipiũt ex mercuriali contrita mythridato & maſtiche, vel ex theriaca & melle & ſucco mercurialis goſypio imbutis. Vtatur tamẽ fœmina poſt conceptum pilulis quæ recipiũt thuris .. ʒj. charabe, ſcoriæ ferri, acatiæ, ana. ℈. ſſ. puluerizentur & cũ miua citoniorum formentur pilulæ. Præſtat & dactilum ſumere aſſum, & plenum cinnamomo, thure, charabe, myrtilis, & alijs huius naturæ. Præſtat etiam præter communis & peculiaris vteri materiæ eductionem per ea auxilia quæ nuper diximus, & omnia quæ ſiccent quoq; & roborent tã intus (vt lotiones ex ligno guayaco, ſtyracis & ligni aloës decocto, aut pomorum cupreſsi) quàm extra iuxta dorſum & ventrem id munus exequi: cuius efficaciæ eſt oleum nardinum, maſtichinum, myrtinum, omphancinum, de abiete, de angelica & cinnamomi, aut aniſi, vel piperis. Præſtant etiam eundem vſum vnguentum Montagnanæ, è corticibus caſtanearum: item vnguentum Comitiſſæ à Varignana deſcriptum. Eiuſdem vſus ſunt cerata & emplaſtra ex prædictis oleis cum pulueribus coralli, roſarum, myrtilorum, ſpicæ & granis tinctorum cum margaritis, terebinthina & reſina, aut ladano. Sed inter omnia auxilia vtiliores mihi viſæ ſunt ſemper ſudationes ex decoctione ra-

dicis chinæ, quas magni momenti in hac re esse scio, vel sulphurea balnea. Ac si mulier his factis conceperit, ventri & dorso adhibebis emplastrum q.r. tonsuræ pāni coccinei. ℥.j. terebinthinæ abietis & mellis ana. ℥.j. ℈. pulueris thuris, zingiberis, caryophyllorum & myrtilorum ana. ʒ. ℈. misce.

Verùm an mulier vterum habeat paruum ac densum & constrictum, ita vt nō facilè dilatari possit ad fœtus incrementum, & ob id ipsum expellat, cognosces quidem ex priuatione signorum aliarum causarum. Cui vtilissimum erit ante cōceptum balnea laxātia adhibere, fotus & linimenta, quæ vtero sicco prodesse quoque diximus. Cæterùm grauida iam facta huiusmodi muliere, cautè ijs erit vtendum, ne aborsus faciliùs subsequatur: verùm octauo die à defectu menstruorum fotibus vtendum est, oleis & vnguentis, quæ emolliēdi efficaciam habeant, qualia abundè dicta sunt cap. de vtero sicco. Quæ sanè proficua erunt, si addideris ex roborantibus aliquid.

At si aborsus fiat ab ijs quæ vel in vtero continentur, vel aliunde in ipsum defluunt vitiosa, acria & mordacia, siue medicamētum purgans sit, siue humor acris & erodens, aut vitiosum aliquod alimentum, aliter prouidendum est, & maxima cum diligentia. Nam de his causis loquens Hippocra. lib. 1. de mor. mul. hæc refert verba. Eædem verò sunt affectiones ex puerperijs purgamentis, & ei, quæ corrupit fœtum, & ei, quæ peperit: si menstruum corruperit fœtum, & quæ corrumpunt, magis periclitantur. Corruptiones enim grauiores sunt, quàm partus: non enim fieri potest vt citra violentiam fœtus corrumpatur, aut pharmaco, aut potu, aut subdititijs medicamentis, aut aliqua alia re: violentia verò malum. In huiusmodi enim periculum est ne vteri exulcerentur, aut inflammentur: hoc autem periculum est. Quod sanè non minus suboritur ex quauis alia re, quæ grauare aut irritare vterum possit, ita vt ipsum excitet & ante tempus lacessat, vt de mola & duris tumoribus dictum est. Medicamentum sanè cognosces ex relatione, cuius damnum ab assumpto inceptum præcauebis, ijs quæ cuiusque vim & acrimoniam retundant, velut est amylum, aqua calida potui sumpta, syrupus violarum, de portulaca, aqua hordei, vel sacchari & eius census pleraque. Humores porrò acres & mordaces causam præstare cognosces, ex doloribus lumborum, inguinum & pudendi cum erosionis vel exulcerationis sensu, & ex reliquis signis quæ prædominium humoris monstrare habent. Hos quidem ante conceptum purgabis, & cibis bonis succi reficies. Reperies autem inter fœminas non paucas, quæ cum sanæ ante grauidationē degerint, ipso tamen gestationis momento, ocyssimè valetudinariæ, & morbosæ viuunt: ratio quidem est, quia cùm habitum habeant biliosum, aut vtcumque morbidum, statim à conceptu, ex menstruo suppresso, & ex ea humoris portione quæ in vterum fœtus gratia confluit, prauè in vtero se habēt, & mille sympthomatum generibus corripiuntur, à quibus nisi per vacuationem alui sponte aut medicamento factam non liberabis. Quibus ante grauidationis tempus præuenies, prauum habitum in meliorem cōmutando, facta aliqua sanguinis detractione & purgatione iuxta humoris redūdantis ideam. Quo quidem facto, præcautionis & purgationis gratia, has & reliquas huius census per epicrasim expurgabis, exhibito rhabarbari diluto singulis diebus, aut tertio die: quòd si humores adusti fuerint, id facies decocto foliorum sennæ exhibito, vel confectione simplici Hamech cum rhabarbaro. Postquam verò compertum fuerit mulierem factam esse grauidam, ab expurgationibus abstinendum est. Verùm si prædictos succos plurimum abundare sit certum, vt fœtum perdere constet, rhabarbari modicum cū saccharo rosaceo porri-

porriges, aut masticatum, vt sanguinem ab spurcitia liberes, ac partes internæ & vi scera roborentur, tamen quies omnino imperanda.

Atqui si tumor durus aborsui causam præstiterit, antequàm grauida fiat mulier, curanda est ijs, quæ cap. de vteri scirrho dicta sunt. Si autem molam id efficere visum sit, pari lege id præcauebis eo modo, quo dictum est cap. de mola. Priùs tamen nosse curabis, tumor ne sit, an hydrops, vel mola: nam tumores ex dolore & tactu facilè percipies: molam verò, eo quòd ferè toto prægnationis tēpore vel sanguis vel virulentum aliquid per vterum instillat: impedit enim hæc quominus optimè os vteri claudi possit. Præterquam quòd cùm venas non habeat mola, quibus à vasis vteri capere alimentum commodè possit, facilè ob id ipsum prolabi contingit, quia solùm alimoniam susceptat per adhæsum & contiguitatem, quam cū oscu lis venarum obtinet: quo fit vt frequentissimè sanguis in vterum instillet, qui vel ocyssimè procidat, vel ibidem detentus vitietur, & postmodum purgamentorum forma exeat, aut fœtum perdat. Vteri hydropem causam huic malo præstare cognosces ex signis, quæ Hippocrat. scribit lib. de natu. mul. per hæc verba. Si aqua in vteris gignatur, menses pauciores fiunt, & deteriores, & per longius tempus, prægnans est semper per duos menses, aut paulò ampliùs. Cùm autem hoc tempus aduenerit, & corrumpit, & aqua multa in ipsa gignitur. Et paulò inferiùs eodem loco subdit. Plerunque verò ante hoc corrumpitur, & per abortum extruditur, & vteri sanguinem manant. Hæc autem patitur nihilo magis ex labore, quàm aliter: hoc autem cognosces ex digiti contactu. Comperies enim osculum ipsorum gracile & obscuratum ac plenum humiditate. Si verò non circa initia, sed dum iam mouetur, fœtus ipsi corrumpatur ac suffocetur, tunc & venter imus intumescit, & ad contactum dolet velut vlcere præsenti, & febris ipsam, & dentium fremitus corripit. Et dolorem habet acutum & vehementem circa pudenda & imum ventrem & lumbos, & laterum mollitudinem, ac coxendices. Qua etiam parte curandi rationem scribit plerunq; mitigatoriam. Cæterùm artificiosiùs lib. 1. de morb. mul. Nos etiam cap. de vteri hydrope, curationis methodum & medicamenta huic affectioni apta, abundè docuimus.

Quod frequentissimè aborsum promouere conspicimus, proculdubio est externarum causarum vis & efficacia: quod sanè malum vt varium est, ita difficulter præcaueri potest. Cæterùm Auice. latissimè causarum omnium externarum meminisse constat Fen. 21. 3. tract. 1. cap. 8. sed hæc studiosis legenda relinquo. Quippe siue casus aliquis sit, siue subita alteratio, habent hoc proprium omnes causæ externæ, si aborsum facturæ sunt, vt priùs vincula & inuolucra fœtus abrūpant: quo facto instillat ocyssimè sanguis, quem supprimere deinceps minimè poteris, nec licet: cuius sanè ratione aborsus protinus sequitur. Dixerat quidem Hippocrat. lib. de nat. pue. nonnūquam accidere, vt antè prefinitū tempus ruptis pelliculis ob aliquam violentiam, pueri nascantur: perinde ac cùm morbis, & alijs vndecunq; illatis noxis corripi solent. Sic. 1. pop. part. 2. Abortiūt mulieres (inquit Gal.) cùm vehementiùs salierint, aut subitò horrendū suspicatæ timuerint: & cùm ex dolore, vel ex insigni cruditate, vel ex medicato quopiā cibo, vel puri potione, aut medicamēti, in quo insit aliquid abortiuū. Iā etiā propter sanguinis missionē, & sanguinis ex vulnere profluuiū, aut ex nimia hæmorrhoide quędā abortiūt. Noui profectò quasdā, quæ ex vulue ceruice, pfuso sanguine, prægnātes iā diu partū eiecerūt. Pari quoque ratione. 5. aph. ex nimio alui fluxu scribitur plurimas aborsum fecisse. In quib⁹ præcauendi ratio duplex in genere est: quas sigillatim distinguere est in animo.

Expēde fœminam curādam esse ante quàm grauida fiat, ea lege quam vteri affectio postulauerit, vt dictum est cap. de prag. mod.

Vna

Vna quidem eſt, quæ cauſis internis debetur, pugnãs aduerſus vnamquamque, vt ſuperiùs diximus: quibus adijcere oportet quæ cor & viſcera roborare ac firmare habent, velut ſunt pulueres cordiales, & ea quæ ſpiritus reficere poſſunt. Altera verò, quæ cauſis externis ſita, vt plurimum in optima moderatione & tutela continetur, præcauens diligenter vtero gerentem ab ijs, quæ ſubitò & inopinatò occurrere poſſunt, velut ſunt omnia quæ vrinam & menſes mouent, & alia quæ cap. de fœtu mortuo recenſebo.

Verùm ſi ex cauſa aliqua prægreſſa aliquod malum fœtui vel matri illatum cognouerimus, eruperit ne ſanguis, vel quoduis aliud malum cõſpicuum ſubſequutum ſit, præuidendum eſt. Nam ſi ſanguis profluxerit, nullo alio auxilio quã quiete & optima victus ratione, eaque quodammodo comprimente & roborante vtẽdum eſt, ne ſi ſanguinem profuſum compreſſeris, corruptionem ſubeat ipſe, vel fœtum ſuffocet; aut ſi liberè fluere permiſſeris, maior fiat profuſio eius, quàm par ſit. Cæterùm ſi fœtum diuulſum non eſſe, neque ligamenta dirupta cognoueris, eo quòd ſanguis nullus, aut quàm parciſſimus inſtillauerit, ſed ſolùm imbecillum & deiectum, aut aliter præter propriam naturam commotum, quòd mater ſit perterrita, defeſſa, dolens, percuſſa, vulnerata, aut alio quouis damno affecta: prouidendũ eſt fœtui per corroborantia auxilia vmbilico & dorſo affixa (qualia diximus lib. prę cedenti cap. de vteri geſtatione) alimentis, quiete, animi tranquillitate & omnibus quæ vires roborare, ac ſpiritus reficere habeant: velut eſt confectio alchermes, electuarium de hyacintho, de gemmis, diamargariton, cardiaca herba ſaccharo cõdita, terra ſigillata, bolus armenus, amylum & reliqua huius naturæ. Sed pleriſque probatum reperio pulueres qui recipit granæ infectorum. ℈.j. pulueris myrrhæ. g.x. in ouo ſorbili, cui & coralli, & margaritarum nonnihil commiſceri poteſt. Pro ſunt & pleraque alia quæ cap. de præg. mo. diximus, & modò manu ſcripſimus, maximè pilula vna in hebdomada ex ambra alba: ſed mihi placet magis ex trochiſcis de charabe aut eodem charabe præparato cum gr. ij. ambræ pro vice. Sed aliměta pauca, pauci nutrimenti & aſſa, præſertim columbarum carnes aſſæ præbeantur. Ventriculum etiam roborare oportet, ac flatus ab eo & vtero diſcutere, qui non ratò aborſui ſolent præſtare cauſam, idque facies oleo de ſpica, citoniorum, de maſtiche, cum pulueribus diarrhodonis, aromatici roſati, coralli rubei, roſarum & calami aromatici cum gr. iij. muſci. Vteri verò flatus anteà diſcutere docuimus, lib. nimirum huius operis ſecundo. Appones autem vmbilico micam panis leuiter torrefacti vino irroratam, ſuperſparſis pulueribus roſarum, granorum tinctorum, coralli, cinnamomi, & aliorum quæ ſuperiùs retulimus. Præſtat pomum odoriferũ aſſum eodem vino & pulueribus inſperſum; ſicut & carnis ſemiaſſæ fruſtũ cũ prędictis puluiſculis. Sic proſunt inunctiones, cerata & emplaſtra, velut eſt illud quod ſcribitur à Montagnana de corticibus caſtaneæ. Vel aliud à Varignana probatum, Comitiſæ appellatum: item alia quæ conficiantur ex prædictis, & oleis odoriferis cum vino, & aqua cinnamomi, & alijs, quæ fœtui calorem, robur & ſpiritum quodammodo addere videantur; qualis eſt inſtillatio arte chimica in vitreo alembico facta ex pane recenter cocto imbuto melle, vino, aqua roſacea, confectione alchermes, electuario de gemmis ſine ſpeciebus, & pulueribus roſarum ſiccarum madefactis aqua chalybeata. Sed non eſt mihi in animo hac in parte huiuſmodi topica auxilia ſpeciatim recenſere, quia prædictis cap. ea abundè docuimus. Sat enim eſt ea, ſicut prædictos affectus, exempli cauſa adduxiſſe, vt ad penſum eorum, ſic in ſimilibus prouidentia vtaris ſimili.

Iuuat emplaſtrum. q. r. tonſuræ ex panno coccineo 3. iij zingiberis, galãgæ, cinnamomi, cubebarum ana 3. ij ſanguinis draconis. 3. j. moſci. g. 4. maſtichis. 3. ſ. mellis. q. s. fiat emplaſtrum.

De

De partu naturali, ac de difficili & laborioſo.

Cap. III.

PER difficile quidem eſt, ea quæ à natura aliena exiſtunt noſſe & rimari, quin priùs ea quæ ſecundùm naturam ſunt cognouerimus: rectum enim (vt ferunt omnes) iudex eſt ſui & obliqui. Ob id licèt cap. 1. de partu naturali, quæ potiora ſunt ſcripſerim, placuit tamen in hunc locum quædam adſeruare, quæ ijs quæ dixero maiorem lucem afferre poſſint: & ſic prima huius cap. parte in animo eſt ea differere.

Sicut in fructibus ac reliquis, quæ ope naturæ in perfectionẽ veniũt, ſe gerere ipſam cõſpicimus, quæ primo ad integritatẽ & maturitatẽ perducit, quã in lucem producat, ita prorſus in hominis & aliorũ animaliũ productione peragit. Quippe puero efformato, ad perfectionemq; deducto, & vberius alimentũ expoſcente, ipſum ad calcitrandũ & membranas dirũpendas ſtimulat, donec ab inuolucro liber exitum quærere nitatur. Dictum quidem anteà eſt ex Hipp. mente lib. de natu. pue. membranas dirumpi: prima quidẽ ac extima, quòd faſciæ modo puerum inuoluat, non equidem vndequaq; ſed per mediam regionem ab ilium elatiſsima ſede ad enſiformis oſsis mucronatam chartilaginem, ſpleni ipſi ſimillimã, quantùm attinet ad nigredinem, friabilem ſubſtantiam fungoſamq; & quatenus frequentiſsima vaſorum ſerie implicatur. Hæc verò ſolas venas & arterias recipit innumeras ab hyſtero deriuatas, corion vel ſecundina appellata. Secunda verò membrana fœtum circunquaq; tegens, nullibi vtero adhæreſcit, præterquam ea parte, qua iam prædictæ conſui circunſpicitur, per venulas illas à primo in vmbilicum penetrantes. Tertia, tenuiſsima pelle conſtãs, fœtum inuoluit. Exemplo itaque ſpicarum comprobauit Hippocra. hanc violentam velamentorum diruptionem. Nam ſicut illæ ſimiliter, & mala granata, amygdalaq; dehiſcunt ſæpiùs ligneo illo cortice rupto ob molis intus increſcentis violentum impetum, ſic quoque quæ cooperire fœtum dicta ſunt inuolucra. Ex quibus euidenter cõſtabit, quos cruciatus, quoſue dolores mulieres perſentiſcãt parturitionis tempore: atque non ſolùm in ſeparatione fœtus ab vtero, & diruptione velamentorum, verùm in exitu fœtus per tã anguſtas vias & meatus, quantum Hippocrat. & Gale. ac reliqui authores depinxerunt. Aperitur itaque in hoc opere os vteri tantum, quantum ſufficiat embrijs facilè præbere exitum: qualiter autem hoc fiat, neſcimus, neq; aliud (vt refert Gale.) quàm admirari poſſumus. Sed natura hæc & alia omnia circa parturitionẽ animalis machinatur eximia ſophiſmata & commenta. Item qualiter fœtus in decenti figura ipſi collo vteri propinquet, & æqualiter exeat, nõ vulnerata aliqua particula, non paruam monſtrat prouidentiam: inquit etenim Auicen. lib. 3. Fen. 2. tract. 1. cap. 2. Et quando ſeparatur, aperitur matrix apertione tali, cuius ſimilem efficere non valet in ſuo ſimili: & neceſſarium eſt vt ſeparentur quædam iuncturæ, & ſuſtententur adiutorio Dei excelſi: poſt illum & propter illum redeunt in proximo ad continuationem naturalem, & eſt operatio illa de operationibus fortibus naturalibus. Quibus Auice. verbis modum parturitionis, & doloris acerbitatem euidenter monſtrat. Atque licèt Galen. aſſerat, non vulnerata aliqua particula fœtum educi, & Auicen. contrariũ videatur

videatur aſtruere: arbitrantur cum hoc ambo iuncturas laxari, nec tamen exarticulari: ſolui quidem iure dici poſſunt, quòd ſumma illa diſtenſio, ſpecies quædã ſolutæ continuitatis eſſe videatur: & ob id dolores acerbi, & cruciatus prope os pubis & ſacrum proculdubio percipiuntur. Sed huic etiam operi non exiguã opem præſtare abdominis muſculos, retulerat Galen. lib. 3. de facult. natura cap. 13. Ob idque cenſeo ipſum dixiſſe. 5. aphoriſm. 51. ad bonum partum duorum corporum vigore eſſe opus, grauidæ mulieris nimirum & infantis. Erit igitur (his præmiſsis) partus naturalis, quando ex naturæ modo huiuſmodi actio perficitur: id autem fieri contigit, cùm eorundem fœtuum conſummatorũ ac perfectorũ naturalem emiſsionem molitur natura: idque debitis ac ſtatutis temporibus. Quibus euidenter conſtat differentia inter naturalem ac legitimũ partũ & aborſum: ille quidem eſt naturæ actus: hic verò violenter fit, & præter naturæ inſtitutum. Cui operi neceſſaria hæc ſunt, fœtus perfectio, tempus ſtatutum, matris & ipſius fœtus conatus, & enixus, & vltimò certa debitaq; in exeundo poſitura. Quàm ſanè antè quã exponam partus inſtãtis ſigna breuiter referam, ne incauta & improuida obſtetrix, ante tempus opportunum partui mulierem exponat: anteà etenim quàm occaſio inſtet, irritus labor eſt qui à nixuriante ſuſcipitur, & ipſa parturiens adeò vano labore contabeſcit, vt cùm poſteà laborandum ſit, labori non ſufficiat, vel rurſus occaſio prætereat, ac fœtũ ſubinde inopinatò prolapſum perdat, aut matri, vt par eſt, non prouideat.

Signa partus.

Si igitur ingeſtabile fiat fœtus onus, ac ſub vmbilico grauitas appareat, & in lũbis, inguinibuſque continuus cruciatus ſentiatur: ſi vẽtris caliditas, ſi genitalis natura tumeat, ſi locelli humectentur, ſi vrinæ ſit incontinentia, ſi vterus ſolui atque laxari ſentiatur, parturiginis indubitatæ ſigna exiſtunt. Grauidas autem ſi tormina vexant, ocyſsimè parere certum eſt: difficulter, cùm lumbi dolent. At cùm inſtat iam parturitionis tempus, ſuperiores partes graciliores fiunt, & extenduntur loca ſuper pectinem & inguina, immiſſoq; digito ad magnitudinem oui quid in orificio inuenitur. Humor verò qui effertur, primò lentus eſt, & poſtmodum plurimus, ac demũ ſanguis, iſq; aquoſus, ſi fœmina naſcitura eſt, aut ruber & purus, ſi maſculus. Quæ etenim ſigna puerum ſe iam ad vterum vertiſſe commonſtrant: apparet etiam eo tempore in prægnantibus pleriſque ſtomachus vteri, & propior efficitur, vt ex Galen. euidenter conſtat lib. de fœtus formatione. Incipiũt tunc dolores vexare confertim femora, lumbos, ventremq; ipſum: cum hoc tamẽ neque priùs in ſella pariendo idonea locanda eſt vtero gerens, quàm vteri oſculũ hians digitis occurrerit, & prominuerit, ac prædictarum humiditatũ effluxus comparuerit, vt Ariſt. 7. de hiſt. anim. cap. 9. & Ætius de partu difficili conſulunt. Sed ſi Galeno credas. 14. de vſu part. &. 3. de facult. natu. os vteri perpetuò directũ inſtante partu apparet, ſicut & in conceptu: quare quo tempore ſedere feſtinat grauida, rectum apparere os vteri oportet: appropinquantis etenim partus euidens exiſtit ſignum. Addit etiam Hippocrat. alia ſigna lib. 2. de morb. mul. quibus venari licet partus propinquitatẽ: inquit enim. Mulierem portò prædicamus, ſi propinqua partui fuerit, frequentem ſpiritum crebrò emittere: etiamſi purgatio lochialis incipiat, venter plenus eſt, & calore opprimitur: ac tunc crebrò reſpirat quidem, potiſsimùm quando partus inſtat: etiamque tunc maximè angitur lumborum dolore, cùm ſi quidem collidantur lumbi calcitrante puello. Atque eo toto temporis ſpatio ſtomachus dolet ex interualliis: quippe cũ venter ac præſertim vterus vndiq; fœtum cingat eum circumplexus. Quippe certum eſt mulieri huic breuiorem fieri

fieri reſpiratione propter ingentem & inſolitam puelli molem, quæ pulmonem ſepto compreſſo coarctet. Nam quæritans infans alimentum, & ſubinde exitus calcitrando, ſe ſeque violenter & inſolitè mouendo & ligamenta rumpens, dolores concitat lumborum & ventris, ac ſi ſurſum feratur, reſpirationem lædet. Cognito his partus inſtanti, eumque eſſe naturalem ſoli naturæ, & ipſius parturientis diligentiæ ac viribus committendum eſt, quem naturalem eſſe, inter dictas hæc vna ratio monſtrat, ſcilicet in caput infantem naſci. Cuius rei optimam cauſam videtur Hippocrat. dixiſſe, partium quidem quæ ſunt ſupra vmbilicum, grauitatem: quam tamen non oportet tantam eſſe putare, vt ſatis ea per ſe ſit, ad inuertendum fœtum: nam toto, quo vtero geritur tempore, fœtum in caput propendere oportet, niſi inſuper infantis matriſque motus acceſsiſſet. Sic enim natura prouidit, Deo Opt. Maxim. adiuuante, vt capite primùm infans prodiret, quo à magnis moleſtijs, periculiſque puerperas ſubleuaret: quæ vitari proculdubiò non poſſent, ſi vitio aliquo infans aliter, putà in ventrem, in latus, inque pedes exitum affectaret. Quia fieri profectò non poteſt, vt infans pedes, manuſq; ita coniungat, & reliquo corpori applicet, vt nuſquam vel in hanc, vel in illam partem diducatur: eam ob cauſam qui ſic prodeunt, difficillimum efficiunt partum, & matri ingentes cruciatus exeitant, ac ſeipſos in maxima pericula conficiunt, licet non omnino, pedibus anteà emiſsis, difficilem moueant partum. Quamobrem ſic natos Latini agrippas appellarunt, licet alij à difficili partu nomen inditum eſſe fateantur. His verò omnibus periculis vacat, qui naturali modo naſcitur, in quo caput primo ſe exerens, minore cum dolore os matricis, totumq; ipſius collum aperit, ac dilatat, & viam reliquo corpori parat faciliorem.

De partu difficili

Laborioſum quidem & difficilem partum eũ eſſe exiſtimo, qui vna è quatuor conditionibus inſignitur: nimirum, quòd debitum tempus anteuertat (qua potius aborſus quàm partus dicitur) ſecunda quòd deprauata fœtus exeat figura: tertia cum grauiſsimis accidentibus: & vltima cum minutis aut copioſioribus purgationibus: quibus addes ſi diu partus labores protrahantur: is enim eſt partus, qui cum fœtus vel matris periculo & grauiſsimis accidentibus fit. Eſtque ſympthoma ſub genere conterorum immodicè comprehenſum: ſiquidem fœtus non ſunt vtero gerentium partes, ſed proportione reſpondent ijs quæ adnaſcuntur, familiariũ inquam. Quemadmodum oua & fructus à natura ad generis propagationẽ creati, vt ex Galen. teſtimonio elicitur. 11. ſimpl. ſic & partus: ob id dum præter modum & naturæ inſtitutum detinentur, ſympthoma hoc efficitur: non ſolùm ea ratione, ſed quia cum grauiſsimis accidentibus excernitur, longè grauioribus & diuerſis ab ijs, quæ ſuopte motu natura mouere ſolet. Vnum tamen habet peculiare ſignum difficilis partus, quòd diebus aliquot ante partum copioſa profluat ab vtero aqua: nam partus tempore, cùm nihil profluat, eò quòd iam profluxerit, ob ſiccitatem prolabi nequit fœtus: itaq; nihil inſtillare tempore partus, ipſum difficilem reddit.

Fit proculdubio difficilis partus vna potiſsimũ quatuor cauſarum, vel duabus aut omnibus ſimul: nam vel accidit ab extrinſeca aliqua occaſione, vel ex fœminæ vitio & impotentia, vel ex ligamentorum aut tunicarum, quibus fœtus inuoluitur ratione, aut vltimò ex parte naſcentis fœtus. Partum igitur efficit laborioſum (vt à prima cauſa initium ſumam) aëris præſens conſtitutio: ſiquidem Aquilonia difficilem parit, Auſtrina facilẽ: ſicca fœtum, & mulieris corpus exſiccãdo difficilem, ſicut & nimis calida, vires exſoluendo, acfrigida, partes contrahendo,

humida verò ad partum faciliorem omnium aptiſsima eſt, & quæ modicè calida exiſtit: ob id profectò videndum eſt, ne in cubili exiſtat aër frigidior, aut plus æquo calidus. Dixerat enim Hippocra. lib. de locis, aqua & aëre, eas fœminas difficulter parere, quæ regiones habitant frigidas, ob id quòd virtus expultrix his in locis labefactatur à crudis aquis & aëre frigido: pueri etiam debiles ſunt, & os vteri ac pudendum muliebre adſtrictum: quæ omnia impedimento ſunt partus facilitati. Difficilem quoque partum efficit ira, vbi in parturiente plurimùm creuerit, ita zelotypia, aut ſi fœmina primariola fuerit, timor & verecũdia, aut quæuis alia animi paſsio, ſi adeò creuerit, vt potentias diſtrahere ab incepto poſsit. Sic vehemens dolor partus difficiles reddet, & grati odores qui ſurſum vterum euocant. Simili quoque ratione & experimento didicimus, multũ conferre quo ſitu locetur paritura: nam ſi ſedeat, impeditur dilatatio caudæ, ſi recta ſtet, in longum extenditur vterus, & vtraque poſitura difficulter ac laborioſè pariet: mõſtrabo autem paulò inferiùs qualis poſitura partui ſit commodior.

Ex parte matris.

Ex parte verò ipſius parturientis plures comperimus ſuccreſcere poſſe difficilis partus cauſas. Quippe aut imbecillis admodum eſt mulier, ita vt enixu ſeipſam iuuare non poſsit ex morbo contracta impotentia, vel ex natiua ſorte, iuuenili ætate, vel ex labore aliquo præcedente: aut difficulter ſpirat & anheloſa eſt, ita vt non valeat ſpiritum cohibere, opus alioqui ſummoperè ad partum neceſſarium: quoniam huiuſmodi expulſio fit retento ſpiritu, quod anheloſæ citra ſuffocationem efficere nequeunt, vel ſi nimis dormiat, affectu aliquo caput grauante, vel ob vigilandi impotentiam. Item ob dolorum priuationem vel conſuetudinem, aut inſenſibilitatem, necnon & animi perturbationes, quæ ſanè omnia graue periculum minantur. Accedit etiam his tãquam cauſa, ſi ipſa puerpera craſſa obeſaq; ſit, & vteri exiguis doloribus impedita, aut timidiuſcula, vel nimis extenuata, in quibus muſculoſæ & ligamentoſæ partes, duræ extenſæq; exiſtunt, nihilq; partui cedunt. Prætereà id malum quoque affert mulieris vteri, aut mala vicinarum partiũ conſtitutio, velut eſt vteri magna diſtenſio, & oris ſtructura, & colli ipſius longitudo: quibus fit, vt ab vtero difficulter egrediatur fœtus: nam in collo plurimùm immorabitur, & per anguſtum oris foramen non liberè exibit. Idem malũ efficiet nimia omenti & vicinarũ partium obeſitas: nam qua ratione conceptum impedit, quòd os vteri comprimat, eâdem partũ efficiet laborioſum, ſic & tumẽtes hæmorrhoides. Cui etiam malo alui excrementa dura, & vrina diu retenta plurimum addunt: ſicut dum ante tempus partus mulier inflammationem aliquam perpeſſa eſt in locis genitalibus, aut parte aliqua eis vicina. Poteſt & difficultas pariendi contingere, ſi oſſa pubis nimium conſerta fuerint, vt fertur: ego tamẽ exiſtimo oſſa illa parum aut nihil dilatari (etiamſi Auic. & Ætius id aſſerant) ſed totam illam dilatationem pertinere ad caudam ipſam ſiue ad os ſacrũ, aut (vt rectiùs loquar) ad oſsis ſacri cũ cauda articulationem: nam cùm os ſacrum in caudam deſinat, ita cum eo articulantur ſua ipſius oſſa inter ſe, vt reflecti poſsit cauda in partem exteriorem: quo fit vt foramen reddatur latius multò. Facta eſt autem cauda potiſsimũ ad ſuſtentandum rectum inteſtinum, & muſculos ani firmandos, quibus vtimur ad alui dura excrementa vi expellenda. Hæc itaque cauda in partu ita erigitur in exteriora, vt facilè id opus cõſpicuum videri poſsit, & vulua hac ratione potiùs in partem poſteriorem extenditur, & amplior efficitur, eò quòd cauda cedat, quàm in partem anteriorem, in qua os pubis minimè cedere poteſt, licet aliquibus tanquam verum & vulgatum habeatur.

Diffi-

Ex parte membranarum.

Difficilis quoque ſit partus, ſi ſecunda vel propter craſsitiem non abrumpatur, aut propter tenuitatem antè quàm oporteat, diuellatur ſimul cum alijs membranis fœtum ambientibus: quippe hac occaſione humore euacuato partus ob ſiccitatem difficilior redditur, quòd per collum vteri fœtus difficulter elabatur. Refert quidem Galen. lib. 15. de vſu part. cap. 5. huiuſmodi humorem ſummoperè prodeſſe vijs omnibus lubricandis, ac facilioribus ad dilatationem efficiendis: à prædicto namque humore collum humectatum mollius redditur, dilataturq; faciliùs. Ob id quæ multis antè diebus mucorem vel aquam ſenſim expurgant, difficulter pariunt: dilabitur enim ocyùs per madidas & lubricas partes fœtus, quàm per ſiccas. Contingit etiam partum fieri laborioſum, cùm amnion membrana antè frangitur, quàm puer in vtero voluatur, ita vt in maximo verſetur periculo ob lotij moleſtiam, qua totus afficitur, & ne aliquid eius per os ingrediatur: nam à ſuffocatione illum tuetur reſpiratio per arteriam, quæ in vmbilico eſt. Et ob id labores in partu & innumera alia incommoda, quæ lib. de octimeſt. part. annumerat Hippocrat. debilitant fœtum adeò, vt nonnunquam ante exitum, multi in exitu, multo plures paulò pòſt, & maximè intra diem, alij intra ſeptem dies, tandem intra quadrageſimum intereant. Accedit nimia ante partum ſanguinis, aut aquæ profuſio, quæ etiam partum prædicũt laborioſum. Cui etiam cauſarũ generi reducere oportet vteri imbecillam facultatem exeretricem, aut vehementem retentricem: nam vt ſuperiùs dictum eſt, mater abdominis muſculis, puer proprijs viribus, & vterus otiante retẽtrice, & expultrice irritata ac operante, partum facilem parant. Idem quoque accidere cõſpicimus, & longè difficilius, ſi vel mortuus, vel ſideratus puer fuerit, vt refert Hippoc. lib. de morb. mul.

Ex parte fœtus.

Fœtus ſi maior ſit, quàm pro fœminæ conſtitutione & partium figura opus eſt, difficillimũ & periculoſum ſibi & matri parat partum. Pari prorſus ratione, ſi monſtroſus ſit, vel magni capitis, vel nimis paruus, aut parui põderis: tum quia ſeipſum non præſtat adminiculantem, tũ verò quia ipſi non aptè adæquatur vterus. Item ſi vel numeroſus ſit fœtus, vel informem aliquam carnem ſecum afferat. Prætereà, ſi imbecillus exiſtat, ita vt neq; vincula dirumpere poſsit, neque ad exitum vehementer inniti, difficilem quoque infert partum. Sed longè difficiliorem, cùm deprauata aliqua figura exire nititur. Naſcuntur quippe pueri aut in caput, aut in pedes, aut penitus obliqui & contorti, vel mille alijs deprauatis figuris affecti. Sic enim libr. de natu. puer. Hippocrat. ſcriptum reliquit. Porrò diruptis pelliculis ſi pueri momentũ in caput inclinauerit, mulier facilè parit, ſi autẽ obliquus, aut in pedes proceſſerit (contingit enim hoc ſæpe, ſi paululum huc inclinauerit, ſiue præ vterorum ſpatioſitate, ſiue ſi mater in laboribus partus primum non quieuerit) & ſi ſic proceſſerit, mulier difficulter pariet. Multæ autem ipſæ perierunt, vel puer, vel ſimul ambo: de quibus rurſus lib. de morb. mulie. Hippocrat. ſcripſit in hunc modum. Si verò mulieri in ventre habenti tempus partus iam affuerit, & dolor partus tenuerit, & ad multum tempus mulier puerum edere non potuerit, omnino obliquus, aut in pedes procedit: vtile autem eſt in caput procedere, & ſi obliquus iter capeſſerit, difficilis eſt affectio. Sicut enim ſi quis in vas olearium anguſti oris nucleum immiſerit, non procliue difficile eſt ipſum extrahere: ſic etiam mulieri grauis affectio eſt, vbi fœtus fuerit obliquus. Graue item eſt ſi in pedes inclinauerit, & ſæpe aut matres pereunt, aut pueri, aut ambo. Eſt autem magna cauſa, vt non facilè exeat, ſi mortuus, aut ſideratus, aut duplicatus fuerit. Paulò autem inferiùs eodem libro ſic ſcribit.

Quicunque verò duplicati complicantur,& in oſculo vterorum incumbunt, eos ſiue viui fuerint,ſiue mortui,rurſus retrò protuſos vertere oportet,quòd ſecũdùm naturam in caput exeant manibus ad vtrumq; femur extentis.Cui proxima figura eſt,ſi in pedes procedat,cæteræ verò omnes(neq; hæc admodum tuta eſt) præter naturam & periculoſæ exiſtunt:velut dum caput in dextram vteri partem vel ſiniſtram inclinat,aut altera,aut vtraque manus(vt Ætius aduertit) exeritur , aut crura intus inter ſe ſe diducuntur.Fœtus verò,qui altero pede prorumpunt, altero intus detento,aut duplicati alicui parti vuluæ innitũtur,periculoſiſsimum efficiũt partum,ſicut ij qui manus expenſas habent.Qui verò obliqui prodeũt,tripliciter id faciunt,aut enim in alterutrum latus,aut in ventrem prodeũt:ſed tutius eſt in latus progredi:ita enim obſtetricis manibus locus ſupereſt,vt in caput aut in pedes naſcentem dirigat.Tripliciter autem,inquit Ætius,duplicari ſolent fœtus:nã vel capite & cruribus,vel ventre,vel coxarum vertebris vtero incumbunt. Atque hæ ſunt omnes deprauatæ figuræ,quas in temporis preſſura quã citiſsimè cognoſcere oportet,& mutare,ne vel ſuffocetur, vel morboſus ſuperſit fœtus, aut mater pereat.Præter quas omnes cauſas reperi apud Hippocrat.varijs epidemiorum locis, eos partus eſſe difficiliores, qui folias ferunt,& maximè qui plures. Quod mille hiſtorijs teſtatũ reperies,in quibus rarò proſperè ſolent fluere purgationes, ex quo mille accidunt mala:nã & venter in tumorẽ attollitur,& cruor ab vlcere erumpit, & difficiles reſpirationes,& alia,vt expreſsè retulit Hippocra. lib.de affectionibus, ſed clariùs lib.2.popu.part.2.text.21.adducens hiſtoriam eius quæ filias gemellas pepererat.

De laborioſo partu facilitando.

Varia quidem ſunt & omnino neceſſaria,quæ partum facilitare poſſunt. Cui ſanè operi præmittenda quædam ſunt,quæ omnibus difficulter parientibus profi cua eſſe comperimus:deinceps pro cuiuſq; cauſæ natura & varietate auxilia quoque adſcribã.Principio etenim mulier admonẽda eſt, vt in ædificio perlucido aẽrem calidiuſculum habente habitet,lætamque & placidam vitam anteà degat, ac ſomnus vigilia longior ſit . Pinguibus etiam carnibus & mollientibus iuſculis ac oleribus vtatur:vina neque generoſa admodum neque dilutiora, alba,prædulcia potui dentur. Se ſe item mulier deambulatione & leni curſu exerceat: cæterùm hanc exercitationem faciet recta magis,quàm flexuoſa,& ſub vmbra, nõ quidem intra parietes,aut in pratis & viridarijs:finis ſit cum modica laſsitudine quæ defatigationem non attingat:deponat item alui excrementa balano priùs,& vrinam.. Prætereà enixuras eo tempore,quo partus inſtat,non eſſe multa alimentorum copia grauandas conſulit rei ratio:neque per id tempus varia alimẽta & crebra ſunt adhibenda: diſtrahetur enim calor ad confectionem alimenti,& minùs intendet operi parturitionis. Item parturientes non protinus in ſella locandæ ſunt,ſed obſtetrices priùs os vteri tangere debent,& cùm paulò apertum non inueniunt,mox expectandum eſt,ac tunc vt ſurgat mulier iubere debent,moueaturq; parum , ac iterum in loco ſibi apto ſedeat,rectos ſed diſsitos habens pedes,donec conſtet puerum ſe ſe in oſculum inclinaſſe.

Facilior item reddetur partus ex optimo parturientis ſitu : quinimo maximè id parturitioni conferre experimento comprobatum eſt: nam cùm,vtiam diximus,ad partum faciliorem neceſſe eſt,vt vulua dilatetur , idque à parte anteriore,quàm pauciſsimum fieri poſsit,ſupereſt vt caudæ os ad poſticam partem extendatur.Quo fit vt ſi ſedeat,eius dilatatio omnino impediatur. Itaque ſi natibus innitatur , cùm non poſsit retrocedere cauda , partus impeditur: ſi verò ſtent,non ſatis

ſatis ad enixum viribus pollent,quanquam is ſitus conueniẽtior ſit, modò in anteriora ſe flectat. Quare manibus contra lectum aut menſam,aut alium quoduis innitatur oportet,ita vt ſit ſufficiens ſpatium pro obſtetrice ſuſceptura puerum: parturiens verò ſuſtineatur à viris fortioribus,ſin minus decumbat,ſed dorſo tantùm ac cruribus innitatur:in parte quidem paulò ſublimiore poſitis & apertis ita vt manibus pedibus & dorſo vehemẽter innitatur. Cui ſanè renixui quã plurimùm prodeſt reſpirationis cohibitio,dummodò nõ retineatur in partibus ſuperioribus , ſed propulſio & renixus fiat ad anum & vterum: velut ij faciunt, qui aluum exonerare nituntur,aut calamos inflant:& hæc eſt communis difficilis partus poſitura; aliæ neceſſariæ ſunt pro infantis naſcentis ſitu.

Alia eſt communis facilitandi partum ratio,quæ medicamentis,& perita ac diligenti obſtetrice perficitur:in cuius officio haudquaquam permittendum eſt, vt violenter parturientium vterum dilanient,ſed leniter placidèque ipſius partes tractare conſulito,quo faciliùs grandiori fœtui cedere poſsit, ac magis citra dolorem dilatari,inũcta parte oſculi & oſsis ſacri oleo dulci,ſeſamino, amygdalarum dulcium vel liliorum,ac pinguedine anatis & gallinæ cum mucilagine ſeminis lini : ex quibus hoc modo linimentum conficies: R. adipis anatis,olei liliorum alborum & ſeſamini.aã. ℥.j.mucilaginis ſeminis citoniorum,ſeminis lini, ſummitatum altheæ, & ſeminis fœnugræci.ã.℥.j.& ℈ß.fiat linimentum.His quidem prouida obſtetrix,vteri oſtium , quod iam dehiſcit , pertingat , ſenſimq; premendo minimum digitum immittat,ſubinde iam (paulatim tamen) magis os dilatet: quod fatiſcere perpendens,linimento de mucilaginibus dicto vteri ceruicem , vt lubrica reddatur , quo faciliùs partus exiliat,vberrimè illiniat:nec non & os ipſum ſacrum , & totam caudæ regionem , quò faciliùs exeunti puero cedere poſsit.Quibus factis iterum grauidam in ſede commodiùs locare oportet : atque vt promptè infantem pellere tentet, eidem blandis verbis perſuadere,vt Gal.iubet.3.de facul.natu.ca.3.Ipſa autem obſtetrix ſedeat in humiliori loco,vt ita facillimè manus immittere poſsit , ac ex ſuperioribus partibus infantem adducere . Quòd ſi hæc prodeſſe non videantur , fotibus eaſdem partes lenire oportet , vt & calore modico & lenitate maiori partes promptiùs aperiantur. Hoc ſanè præſidium conficies ex floribus camemali ,& meliloti , ex floribus maluarum , biſmaluæ & violarum , ex ſemine cotoneorum, lini, & fœnugræci, ac radicibus liliorum alborũ:quæ omnia cùm ex aqua ad tertias deferbuerint, ſuſcepto vapore, exinde abdominis imam partem & caudam vtiliter ea aqua ſpongia foueb is. Sed in ijs quæ difficulter parere aſſueſcunt, tutum & vtiliſsimum mihi videtur Hippo. conſilium , quo iubet ſanguinem mittere prope partum :inquit enim lib. 1. de mor. mul. Si verò prægnans multo tempore cohibeatur, & parere nõ poſsit,ſed diebus pluribus ea partus doloribus laboret , ſit autem inuenis, in vigore , & multo ſanguine referta, ſecare oportet venas in malleolis ,& ſanguinem detrahere virium reſpectu habito, & poſteà calida lauri corticibus coctis lauato. Viticis autem ſemen & dictamnum Creticum, vtrunq; pari portione in vino albo aut aqua bibendum dato. Quo facto , per aliquot ante partum dies , opus eſt etiam enematiſmate vti , quod recipiat biſmaluæ cum radicibus.m. iij. maluæ , camomillæ , meliloti, apij ana.m. ij. foliorum lauri.m.ß.ſeminis lini & citoniorum. ana. lib. ß.fiat decoctum, in quo fœmina ante prandium inſideat. Verùm in harum inſeſsionum vſu , cenſeo ſatius eſſe per dies aliquot ante partum vti, quàm in ipſo parturitionis tẽpore , ne deiecto calore vires minùs partui ſufficiant,ni plurimùm neceſsitas vrgeat. Partus quoque difficultatem mulcet

eclegma,quod habet dactylorum. ℥. iij. mucilaginis pſyllij & ſeminis citoniorum ana. ℥.ß.ſeminis pæoniæ,cinnamomi.ana.ʒ.j.caſiæ ligneæ,croci.ana.ʒ.ß.pulueris peucedani obolum,oſsis de corde cerui.g.vj.his cõtritis,ſacchari albiſsimi ex aqua ſabinæ diſſoluti,quantum ſatis eſt ad ea mollienda atque cogenda adijciatur.Ego autem in horum trium auxiliorum adhibitione(nam balnea,quæ plerique authores præcipiunt,non probo) ſemper obſeruo vt diebus ſingulis ad partus vſque diem, vnum adhibeatur,ne omnibus modis puerum turbemus,ac totius fœminę humores exagitentur. In omni etiam partu citra cauſæ reſpectum ſi difficulter fiat,vtiliſſimum experimur dextro cruri alligare corallum,lapidem aquilæ,ſtyracẽ, coriandrum viride,ſeu polygoni radicem. Referunt quoque non contemnendi authores prodeſſe accipitris ſeu falconis ſtercoris.ʒ.j.cum vino albo aut aqua capillorũ veneris : vel tantundem cinnamomi ſeu caſiæ . Proficuus item maximè cenſetur puluis qui recipit fimi accipitris.ʒ.j.cinnamomi, caſiæ . ana.g. vij. croci. g.iij. miſceantur,& cum pauco vino albo,vel aqua citrangulorum,aut adianti exhibeto.Interim tamẽ ſi difficilior fiat partus,caſtorei.ℨ.j.cinnamomi.g.iiij.propinabis. Prodeſt & phaſeolorum vel cicerum rubrorum decoctum,vel decoctũ fœnugræci cum croco & oleo amygdalarum dulcium,addita.ʒ.j.trochiſcorum de myrrha. Confert quoque decoctum galli veteris cum modico caſiæ ligneæ,croci, & vini: vel ſuccus porri cum aqua tepida hauſtus,vel menthæ decoctum , aut ſuccus , vel thymi, vel leucoyi ficci decoctum,aut decoctum maluæ.Sic & inunctio pubis,vel ſub vmbilico facta cum oleo liliorum,mucagine ſeminis altheæ.ana.℥.j.&.ß.medullæ cerui.℥.j.Appenſus item iaſpis,radix ariſtolochiæ,cyclaminis pudendi orificio, aut femori alligata.Valet etiam hoc medicamentum,quod recipit radicis graminis, petroſelini. ana.℥.j. artemiſiæ, nepetæ. ana. p.ß. ſeminis aniſi, & fœniculi, ana.ʒ.j.fiat decoctum,cuius accipe.℥.iij.& adde cinnamomi.ℨ.j.caſiæ lignææ.ℨ.ij. ſacchari.℥.j.

De partu facilitando iuxta cauſæ rationẽ.

Verùm ſi hæc omnia adhuc prodeſſe non videantur, vereri eo tempore oportet, ne cauſæ alicuius ex ijs quas retulimus interuentu & efficacia , difficultas ſuboriatur . Quippe tunc temporis aduerſus ipſam pugnandum primò eſſe conſulit rei ratio. In qua curandi ratione aduertiſſe oportet, ea omnia auxilia quæ hucuſque retulimus , communiter omnibus partubus eſſe proficua: quæ verò propria cuique ſunt,iam referam ,initio ſumpto à frigore, ſi malo cauſam præſtiterit.

Si ex frigore.

Multis compertum eſſe legimus , grauidas mulieres quæ ſaluiam manducarunt,proſperè peperiſſe:ſic tradunt leænas eam quærere & mãducare ad partus facilitatem.Sed vteri ore conſtricto,craſſo frigidoq;,prodeſſe ſcimus fotus,qui confi ciuntur hac forma:excipe maluæ,biſmaluæ.ana.m.j.ſeminis lini.ʒ.iij. ariſtolochiæ lib.j.fiat decoctio in aqua & oleo violarum,& camemali,quibus fiat fotus cũ ſpongia aut filtro.Poſt verò prædictas partes inungito linimento quod recipit , mucilaginis fœnugræci & ſeminis lini.ana.℥.j.extrahatur cum vino albo,& adde ariſtolochiæ longæ & rotundæ,& clematis puluerizati.ana.ʒ.j.ſtyracis,myrrhæ,ſtyracis liquidæ.ana.℥.ß.propoleos.℥.ij.olei amygdalarum dulcium & liliorum alborum. ana.℥.ij.reducantur ad formam linimenti.Quibus etenim calidis actu & alijs quæ ſuperiùs retulimus,hydræleo & aliquo ex oleis calidis , aqua artemiſiæ,fœnugræci & ſimilibus partes dilatare atque calfacere opus eſt. Quòd ſi ſperetur fœtus emiſſio,abſtineat omnino à cibo fœmina:ſin aliter,aſſumat parum vini diluti aqua artemiſiæ,vel ariſtolochiæ rotundæ,vel modicum panis intincti in vino Hippocras appella-

appellato:incredibili etiam efficacia iuuat aqua cinnamomi cum modica aqua angelicæ vel cardiacæ:item & oleum cinnamomi eiuſdem cum modico vino, ad oleum macis iniectis tribus guttulis in cocleare iuris: benefacit etiam oleum caryophyllorum.Sed cùm iterum dolores creuerint,ac puer apparere inceperit, tũc retẽto ſpiritu conetur expellere,ac innitatur capite & manib⁹,donec infans oriatur.Et ſi hæc prodeſſe non videantur,inungere iterum pudendas partes,pectinem & os ſacrum oportebit oleo ſambucino vel iaſminorum,& ſumat eo tempore decoctum quod recipiat corticum vtriuſque caſiæ.ana.ʒ.ß.cinnamomi.ʒ.j.croci. ℨ. j.aquæ artemiſiæ.℥.iiij.& fiat potio tepida.Præſtat etiam eũdem vſum peſſarium quod recipit hyſſopi,radicis lilij,origani,calamenti.ana.℥.j.terebinthinæ.℥.ß.conquaſſentur,& fiat cum lana peſſarium.Simile beneficium præſtat ſuffumigium ex ſtipite caulium,myrrha,& felle tauri.

Si ex calore,aut imbecillitate.

Verùm ſi ob immodicum calorem,qui vires exſoluat,pariendi difficultas oriatur,curandum eſt omni arte vires reficere,& ſpiritus præcauere,quominus diſſolutione pereant.Ob id quidem cibis & potionibus optimi & facilis nutrimenti vires reficere oportebit (ſed maximè odoramentis quæ ex alimentis ſpirant:nã alia vterum ſurſum euocant)dum eorum omnium quantitas modica ſit:admixtis ſemper quæ vires habeant roborandi & aſtringendi,vt cidonijs,malis punicis , & reliquis quæ firmare vires poſsint,& quodammodo frigida ſint,& dicta cinnamomi aqua vel eiuſdem cinnamomi oleum vino ſumptum,aut oleum caryophyllorum. Arceat inſuper animi deliquium panis vino,aut ſucco granatorum imbutus.Præterea quæ ſic afficiuntur,in aëre parum frigidiori degant, quarum facies ſpargenda eſt aqua roſacea frigida,& eâdem aqua & flabellatione aër temperandus eſt.Timidis autem ac puellis mentis robur addendum, quemadmodum eis quæ dolorum inexpertes ſunt:rurſus exhortandæ vt validiſsimè ſpiritum comprimant, & ad inguina pellant. Quòd ſi imbecilles ex morbo ſint,cibis boni ſucci,ac potibus reficiendæ ſunt, & alendæ bona partus ſpe,ſemotis animi affectionibus quæ vires ab incepto munere diſtrahere nata ſunt.

Si ex pinguedine & alijs corpus lentis cauſis.

Inflammationem,vlcus,tumorem laxum ac durũ,vel aliud vteri vitium,ſi cauſam difficilis parturitionis præſtare comperias,curandum omni arte eſt partes ita leniter & blandè tractarè,vt citra maximam dolorum exacerbationem partui cedant:quod facies vnguentis, fotibus & pinguedinibus quæ id nata ſunt efficere, qualia ſuperiùs diximus.Verùm ſi ob lumborum cauam ad interiora luxationem, aut nimiam pinguedinem pariendi difficultas cõtigerit,potiſsima facilitandi partus ratio ſtat in congruo parturientis ſitu.Ob id puerpera in ſella prona flexis genibus collocetur,ſeu in lecto,vt vterus delabens ceruicẽ rectam extendat, atque idẽ è directo oſtioli habeatur.Deinde ceratis,oleis,ac pinguedine lenire oportet , & ſenſim digitis aperire:tandem enixus procurandus eſt flexis genibus,& prona exiſtente quæ parit.Cui conſimilem curationem adhibebis,ſi os vteri,vel ceruix ſtricta admodùm fuerint:tunc enim alui excrementa primitus mollienda pellendaq; ſunt blandis clyſteribus ex oleo amygdalarum dulcium , & iure. Caudam item inungere oportet prædictis vnguentis & linimentis, quo faciliùs fœtui cedere poſsit.

Si vitio mẽbranarum fiat.

Si cauſa membranarum difficulter fœmina pariat,cõſiderabis,an ob craſsitiem & ſoliditatem ſecundæ quæ rumpi nequit, difficultas ſuboriatur . Tunc etenim Ætij cõſilio abrumpere ipſam oportet,aut obſtetricis vngujbus,aut ſcalpello:quæ ſanè res cautè agenda eſt,ne fœtui aut matri graue aliquod malum ſubſequatur.

Verùm si tunicarum tenuitate nimia(in quibus humor continetur) difficilis fiat partus,quòd humor in membranis contentus, ante debitum tempus effluxerit, ita vt vteri supersint resiccati , eis albumina ouorum cum maluæ aut fœnugræci decocto excolato,vel cum ptisanæ cremore tepido infundantur eiusdem Ætij de creto:vel pudendum & vteri ceruicem inunges oleis,aut linimẽtis prædictis , quo mollior & humectior fiat locus.Item inunges eo quod recipit maluarum cum radicibus. m.j.artemisiæ,sabinæ.ana.m.ß.seminis lini,fœnugræci.ana.3. iiij. caricarum.3.ß.fiat decoctio,cuius accipe quartã vnã, olei de semine lini.3.ij.moschi.g. j.& injice incollum vteri:quod etiam inũges vnguentõ.q.r. butyri sine sale aqua artemisiæ loti. 3.ij.mucaginis seminis bralicæ,altheæ,& ficuum extractæ aqua sabinæ.ana.3.ß.fiat linimentũ.Porriges & puluerẽ cinnamomi, corticis casiæ fistulæ,croci & similium in decocto fœnugræci aut seminis lini.

Si ex praua fœtus figura.

Fit cunctis partubus difficilior is,in quo fœtus praua aliqua affectus figura prorumpere tentat.In quo sanè casu multa fieri & considerare docet Hippocr.lib. de natu.pueri dicens:Quicunque verò duplicati complicãtur,& in osculo vterorum incumbunt,eos siue viui fuerint,siue mortui, rursus retrò protrusos vertere oportet,quò secundùm naturam in caput exeant.Cùm autem retrudere voles,aut vertere supinè ipsi reclinatæ molle quoddam sub coxas sustinere oportet,& sub lecti pedes,quo altiores sint hi,à pedibus,semper aliquid apponere , sed coxæ altiores capite sint,& vt nullum ceruical sub capite sit, prouidero.Cùm verò retrusus fuerit fœtus,& hinc atque hinc euoluitur,& secundùm naturam cõstituatur,quicquid sub lecti pedes suppositi , ac lapides , & quod sub coxas subdidisti subtrahito.Quicunque verò fœtus viui manum aut crus foras præmittunt,aut etiam ambo,eas oportet quàm celerrimè,vbi exitum significauerint,prædicto modo intro retrudere,& in caput vertere , & ad viam reducere:& quicunque fœtus complicantur ad lateris mollitudinem, aut coxam in partu prolapsi, eos dirigere oportet ac vertere,& in aquam calidam desidere facere,donec mulier refocilletur.Hæc quidem volui adhũc locum adducere,vt admonuisse videar tum Medicos ipsos, quorum interest maximè obstetricum imperitiam,quantum datur,aperire, & eas disciplina corrigere:ac vt moneam etiam quanta diligentia opus sit, vt difficilem partum prædicamus,si ex deprauata fœtus figura fiat, Quamobrem considerandum est, qua diligentia opus sit ad extractionem fœtus,& quibus medicamentis ac ingenijs id fieri expediat.Primùm igitur, si propter deprauatam figuram partus difficilis fiat, tribus omnino modis ipsum præcauere oportet, situ nimirum parturientis & infantis: secundo medicamentis quæ fœtum (vtcunque sit) expellunt:tertio verò & vltimo facta aliqua continui solutione vel operatione manuali,ne vterque pereat.Itaque si prædictis signis partum esse difficilem comperiamus , parturiens competenter in lecto locanda est,vt altum habeat corpus: ac si in priorem partem ab orificio vteri fœtus infixus est,supina est collocanda:si in sinistrum,in dextrum cubet . Si verò matris positura infantis situm corrigere non possis,tunc diligenter vnguibus insciscis,& oleo inunctis , ac in vnum conductis digitis,sinistra manus in orificium vteri immitti debet,introq; paulatim ac sensim fœtum pellere opus est,& si caput proximũ est,ipsum cõponat,& adducat . Si verò ambæ manus apparuerint,duobus humeris eius manus suas ex vtraq; parte infigens,retrorsum eum reuocet,vt superiùs dictum est,manibus ad latera compositis,& apprehenso capite,adductoque foras paulatim & leuiter. Verùm si infans caput interius habuerit,tantumq; duas manus eiecerit,oportet obstetricem prius immissa

immissa manu caput ad orificium allicere, & comprehẽsis manibus infantis coronari oportet,ne caput eius orificium vteri obturet:sed inuncto vteri osculo,quo faciliùs,quà manus exibant,totum corpus prorumpat.Quòd si ne his quidem situm acceperit conuenientem,tunc pedibus mulieris comprehensis, ipsam concutito vehementer,& paulatim hypochondria componito , donec aliam repræsentare figuram comperias. Idem quoque præceptum obseruandum est si altera manus exierit.Verùm si supinus prodeat puer,manibus super collum extensis,tunc quidẽ manibus oportet puerum euoluere paulatim: quo facto,vel iterum intro infante propulso,respiratione cohibita,& vtero prædictis inuncto,ipsam inniti plurimum iube.Obseruandum insuper in prædictis reductionibus est,ne manus, aut brachia pueri plurimùm tractemus,ne fortè exarticulari contingat:sed innitẽtes super humeros pueri,intro pellere ipsum oportet.Sic quidem si alterum aut vtrumque pedem immiserit, manibus obstetricis inguinibus pueri affixis , ipsum intrò reducere opus est.Atsi ad coxas vsque foras mississe comperiamus,sternutamẽtum mouere conuenit , & ipsam verbis exhortari, vt plurimum innitatur:sin aliter (vt dictum est) intro pellere, & vteri osculum inungere , ac fomentis emollire, & pessarium ex myrrha apponere:quo facto,compressa respiratione , & manibus compresso etiam ventre , ipsam inniti plurimum iubeto. Cui consimilem diligentiam adhibebis,si super genua,latus aut quamuis aliam partem procubuerit,vel compli catus exierit pedibus capiti adiunctis.Omnis itaque cura habenda est, vt Hippocrat. consulit lib.1.de mor.mul.de reducendo fœtu ad partem internam:nam propriò & natiuo exeundi conatu contingit non rarò,sua sponte optimam nanciscifiguram.

Quòd si hæc satis esse non videãtur , medicamentis curandum est partum iuua re:sunt autem hæc varia,nam quædam ex vi propria partus propellunt , quædã verò ex occulta proprietate. Sic emollitis primò partibus pudendis & ventre,dum res in periculo est,&alijs auxilijs partum facilitare nequimus,exhibere oportet cinnamomi.3.ß.sabinæ.ʒ.j. conficiatur cum melle & cum vino parturienti præbeatur. Eiusdem vsus est potus hac forma confectus: excipe aristolochiæ,myrrhæ,piperis.ana.3.ß.cum vino aromatis condito,bibat. Præstat & peucedani puluis cum ouo sorbili exhibitus : item betonicæ scobes cum aqua mulsa:cinnamomi etiam, castorei,myrrhæ,styracis,sabinæ,singulorum.g.x.ex melle vtiliter lingitur,absorta insuper aqua cinnamomi.Prodest & singulis horis absorbere croci.g. x. cum modico vino albo:item anguium senecta lumbis alligata: decoctum adianti in hydromellite cum oleo sambuci:nidus hirundinis ablutus aqua calida,& ipsa aqua exhibita quantitate iiij.3.suffumigium item ex vngula muli.Conferunt quoque pilulæ,quæ recipiunt cinnamomi,casiæ ligneæ,cimini,aristolochiæ,myrrhæ,costi.ana. 3.iiij.styracis,rubiæ.ana.3.ij.sabinæ.3.ij.& ß.opij.g.viij.fiant pilulæ,cuius quantitas sit.3.ß.Idem proculdubio præstat beneficium medicamentum,quod conficitur ex myrrha,opopanace,galbano,sinapi.ana.3.j.item ex assa confice bolos cum aqua rutæ,& porrige.ʒ.j.cum aqua decoctionis dactylorum:idem valet decoctum dactylorum cum croco & fœnugræco:sic & cortex casiæ aut rasura eboris cum vino.Sic præstat non parum illud medicamentum, quod recipit sabinæ.3.iij.rutæ.3.ij.cicutæ.3.j.hyssopi,cinnamomi, rubiæ tinctorũ.ana.3.iij.fiant pilulæ,quarum porrigere poteris.3.j.aut 3.ß.cum decocto sabinæ.Valet item suffumigium ex stercore vaccæ:& pessari ũquod recipit myrrhæ,ellebori nigri,opopanacis,fellis tauri . ana.partes æquales,terantur,& fiant pessaria longiuscula.Plura autem alia reperies cap.

de

de fœtu mortuo & de ſecunda relicta: inter quæ non ſunt minoris momenti emplaſtra & cerata,& cucurbita oſsi ſacro adhibita.In omni tamen partu cauendum eſt ab his,quæ vel maximam inferunt violentiam,vel vterum nimis propellere poſſunt, maximèſi mulier talis ſit,quòd leui occaſione vterus extra laxari,aut prominere poſsit.Cui quidem conſulendum eſt,vt pariat decumbens in lecto,ac ſupina: quod infortunium præcauebis,ad anum impoſito panno,in modum pilulæ oblongæ,quem fortiter in quolibet conatu obſtetrix comprimat.

Sed ferunt à proprietate prodeſſe,ſi aëtites à brachio ad femur transferatur: item hioſquiami radicem , ſi femori ſiniſtro alliges. Pulegium quoque,& artemiſiam tritam,& ſuper vẽtrem poſitam: ſic iaſpidem ſiniſtro cruri alligatum,ſmaragdum, corallum,radicem ocymi,polipodium contritum pedum plantis alligatum:radices etiam ariſtolochiæ vtriuſque,præſertim lõgæ,multis prodeſſe creditur,& anagyridẽ etiam femori adhibitã:ſed omnibus prodeſſe comperio hauſtũ olei amygdalarum dulcium. Pulpam item colocynthidis cũ ſucco rutæ emplaſtri modo in vniuerſa ventris regione applicitam partum accelerare fert Auicen.cuius ſanè cẽſus alia reperies cap.de fœtuo mortuo.

Verùm licet hæc omnia prodeſſe non videantur,ad crudele illud & inhumanũ chirurgiæ opus,quo viuus diſſecatur puer, (dictu profectò horrendum)confugiendum nunquam eſt:etiamſi ex Auicen.Ætij,& Moſchionis conſilio,fieri poſſe conſtet:quòd non liceat Chriſtiano vnum interficere,vitæ alterius gratia. Præterquã quòd multi citra omnem expectationem,ſaluantur.Sed implorata Domini noſtri Ieſu Chriſti miſericordia, interceſsioneque Beatiſsimæ Virginis Mariæ,& omniũ ſanctorum, dictiſque Euangelijs,& poſitis ſanctorum reliquijs,& Agnus Dei,iterum ad tutiora fœtui & matri auxilia redeũdum eſſe arbitror,& iterum tentanda quæ anteà diximus, vel alia denuo experiunda:cuius cenſus eſt quod recipit corticum caſiæ fiſtulæ. ℥. iij. bulliant in vino albo tenui, ad medietatem,cuius ciatum vnum cum iure cicerum & ℈.j.cinnamomi porriges.Præſtat & ʒ.ſſ.opobalſami in vino tepido ſumpta,licet non deſint qui ſterilitatem in poſterum ex hoc medicamento vereantur. Quibus factis,bibat parturiens lactis muliebris hauſtum,gratia compeſcedi acrimoniam prædictorum medicamentorum:interim tamen in vterum,vt conſulit Auicen. lubrificantia & cerotaria ſubtilia & mucilagines infundes,& adipes liquefactos,& albumen oui,& vitellum eius. Vtemur etiam ſequenti clyſmate, per ſyringam aut canã infuſo.Excipe lactis vaccæ. ℥.iiij.pinguedinis porcinæ.℥.ſſ. mucaginis lini,& radicis altheæ ana.ʒ.ij.miſce. Quibus factis tentet iterum diligens obſtetrix,aut peritus chirurgus dexteritate & vi illata, puerum euellere, nitens & omni arte ſtudens puerum extrahere viuum , licet ſit cum periculo aliquo deformitatis, vel quòd mancus ſuperſit, imbecillus,aut vtcũque læſus,cauens diligenter ne voluntariè ipſum interficiat;nam ſi malum aliquod illi hac ratione ſucreſcat,leuius eſt.Curandum tamẽ primò, vt ſacri Baptiſmatis aquã puerulus recipiat,& poſteà, citra vitæ euidens periculum, ipſum extrahere tentabis tum manibus,tum verò medicamentis & alijs auxilijs.Interim autẽ vires parturientis omni arte reficere oportet,& pueri vmbilicum non reſecare, donec vel mingat,vel ploret,aut aliquo modo ex labore partus reficiatur:quod Hippocr. docuerat lib.de ſuperfœta.

Si fortè contigerit matrem in partu periclitari fœtu intus viuo ſuperſtite, quod ex motibus & ſubſultationibus infantis conijcies, tunc demum poſthabita matris cura, eius tantùm habenda eſt. Principio igitur conuenit morientis os & genitalia patentia adſeruare, vt per ea vitalem ſpiritum & anhelitum recipere poſſit.Deinde hypochondrium ſiniſtrũ ſectione in tranſuerſum facta incidimus: dextrum quidem latus non ita liberum,propter ſubiectum hepar,ingreſſum inciden ti præbet.Cæterùm leuiter tantùm nec profundè inciſio hæc ducenda eſt, ita vt peritonæum non penetret,ne ab inteſtinis actio præpediatur.Sed facto primò foramine,peritonæum leui foramine aperire oportet:ac miſsis ſiniſtræ manus digitis,ſenſim totam manũ immittemus ad vterum,& inteſtina paulatim attollentes: tunc leui ſcalpello,& leuiori ſciſſura vterum abrumpere opus erit:nam aliter periculũ eſſet,ne penetratis vteri tunicis,infans ſcalpelli cuſpide læderetur. Porrò vbi iam eximendi tempus proſpexerimus,ita excipiemus,vt eius ſpina toti palmæ noſtræ incumbat: cauendum tamen eſt, ne aut pedibus, aut brachijs, aut thorace aut capite aut ventre comprehendamus: id enim ſine periculo vix fieri poteſt.Quòd ſi geminos portet,eãdem diligentia vtendum eſt,ac ſi alter mortuus eſſet,primò viuum extrahes ni mortuus in oſtiolo & ad manum fuerit. Sic nati Cæſares dicuntur,vt Publius Scipio.

De ſecunda relicta. Cap. IIII.

STudens natura fœtum in lucẽ edere,minori,quo poſſit labore ipſum ante partum à veſtimentis illis ſeu inuolucris, quæ ipſam illi præſtitiſſe melioris gratia anteà diximus, maxima diligentia exuere curat, vt ſolus & omnino nudus in lucem prodeat, niſi aliquando tunicula quadam coopertum emittat, vt ſuo loco dictum eſt. Excuſſo igitur inuolucro, id intus manere neceſſum eſt:quod ſanè non minores labores ac dolores & pericula inferre habet,quàm fœtus ipſe,niſi conatu & diligentia præueniatur,ne diutiùs in vtero maneat. Fœtu porrò excuſſo, frequenter accidit vt ſecunda in vtero firmiter adhæreſcat, pendenſq; ab ea puer per vmbilicare vas:quod vbi euenit, tunc interdum os vteri apertum,interdum clauſum reperitur, ſecundinaq; ipſa nonnunquam vteri fundo adhuc coniuncta, nonnunquam ſeiuncta exiſtit. Eſt itaque ſecunda membrana quædam ex ijs quę fœtum inuoluunt,quæ veluti radicatio multorum vaſorum eſt: quam radicationem priſci authores corion nuncuparunt . Quod ſanè nil aliud eſt quàm vaſorũ multitudo membrana tenui connexorum,quæ haud facilè numerare queas Galen.authore.15.de vſu part.cap.5. Quod etiam alijs nominibus inſignitum reperies,vt liquet comment.aphoriſm.49.lib.5.& ex Paulo quoq; lib.6.cap.75. Latini quidem ſecundam,& ſecundas nominare ſolent, quòd velut ſecundum domicilium ac receptaculum ſit, & fœtus indumentum,vt Ætius inquit.Quæ membrana quoniam ex vmbilico pueri pendet, & vmbilicus poſtremus ab vteris exit (quippe ſi prior exiret , non accederet per ipſum puero nutrimentum)propterea fœtu excuſſo , foras prodire neceſſe eſt , in naturali partu . Sed quoniam contingit interdum fœtu in lucem edito,ipſam præter naturam detineri:fit vt in eius retentione vterus quodammodo afficiatur morbo innumero ab ea ſuccreſcente. Verùm cùm detinetur,vel fundo vteri adhuc connexa eſt, aut licèt ſeiuncta fuerit,tamen circa aliquam vteri partem,inſtar pilæ,conuoluta exiſtit,atque ſi os vteri diductum fuerit,& ſecunda quæ inibi relicta eſt , alicui parti vteri orbiculatim con-

conuoluta inhæserit,facilè educitur manu siniſtra,calida pinguiq; aliqua illita ſubſtantia,in fundumq; immiſſa.Si autem fundo vteri ſit connexa,demiſſa ſimili modo manu trahenda eſt:non tamen in rectum,ne vterus procidat,neque violenter admodum,ſed leniter ac placidè,primùm in vmbilicum diducemus huc atque illuc circumagentes,deinde paulò validiùs attrahemus:hoc enim pacto ſoluentur, & à conuexo trahentur.Quòd ſi vuluæ oſculũ clauſum fuerit,perfuſionibus vtendum eſt,& fomentis actu calidis:poſtmodum digitis ſiniſtræ manus leniter aperire,ac paulatim dilatare eſt conandum.Cæterùm ſi ne his quidem prolabi contigerit,& rem maius periculum puero & matri minari comperiamus, minimè vmbilicum reſecare oportet,ne poſteà difficilior fiat ſecundæ exitus:ſed tunc retentionis cauſa inquirenda eſt.

Cauſæ. Verùm ſi quis rem hanc diligentiùs penſitet, præter has omnes ſecundæ retentiones,reperiet potiſsimam cauſam huic malo præſtare, quod Hippocrat.lib.1.de morb.mul.per hæc verba dixerat:Si mulieri ſecunda in vteris relicta fuerit, hoc ſic contingit: ſi per vim ruptus fuerit vmbilicus , aut ab obſtetrice vmbilicoſeca per imperitiam reſectus,quæ videlicet vmbilicũ pueri priùs incidit,antequam ſecunda ex vtero exijſſet,& vteri ſurſum retrahunt ſecundam,vtpote lubricam & diffuſam,& in ſeipſis detinent.Præter hanc cauſam,alias nõ paucas reperies, inter quas potiſsimum obtinent locum animæ pathemata:item odoramẽta naribus admota:vel ſi vterus ocyſsimè à partu claudatur:potus aquæ frigidæ:ac denique omnia quæ ſubito caſu puerperæ acciderint.

Quam verò graue & periculoſum ſit ſecundam non protinus exire, Hippocra. ipſe retulit lib.1.de morb.mul.dicens:Si mulieri ſecunda relicta fuerit,ſi nõ ampli fuerint vteri,purgatio ipſa minùs quã oportet procedit,& vẽter durus ſit, ac magnus,& febris acuta & dolor per totũ corpus & vẽtris maximè partem eam, quæ eſt infra vmbilicũ,& grauitas ſit in vteris,& tormen velut fœtus inſit,& curata,ſecundam breui eijcit putrefactam,& ſana euadit. Præter quæ profectò mala,non rarò accidit fœminis ipſis ſuffocatio , & ex putrefactione vel febris , vel graue aliquod malum ocyſsimè ſuccreſcit.Cuius etiam mali meminerat quoque Hippoc.lib.2. pop.text.18.de coriarij vxore verba faciens,cui ſecũdinæ pars in vtero relicta fuit, quæ ſtranguriam promoueret. Verùm quia frequentiſsimam retentionis huius cauſam,vmbilici intempeſtiuam reſectionem eſſe protulit Hippocrat. ob id pauca quædam hoc in loco de vmbilici ſectione referam. Verùm ne quis deceptus Pauli & Ætij decreto qui ſtatuit relictam ſecundam intra paucos dies ſine periculo putrefactã excerni,expendendũ eſt protinus non exire,ſummè eſſe graue & periculo plenũ,niſi breui excernatur,ſiue putrefacta,ſiue ſecus & protinus accidentia & febris ceſſant.

De vmbilici ſectione. Eſt quidem,vt ferunt,apud Germanas fœminas mos,ſtatim vmbilicum reſecare,& medicamentis ſecundas conari educere:edoctæ fortaſſe à Medicis,quos deceperat Ariſt.lib.7.de hiſt.anim.cap.10.dicens:Cùm autem inuolucra nõ fuerint ſimul egreſſa,ſed intus permanſerint,puero foris exiſtẽte,ligato vmbilico reſecanda ſunt.Sed meliori multò prouidentia nos vſos eſſe cenſebimus,ſi ſedulò procurauerimus,quo modo ſine inuolucris fœtus neutiquã emerſerit:quod vt fiat commodiùs,non ſunt ab vmbilico ſecanda,intereà dum intus perſeuerant:ſed potiùs conandum eſt quemadmodum perpetua ſint,& fœtui maneant coniuncta. Quã ſanè doctrinam adduxerat Hipp.lib.de ſuperfœtatione dicens:Cæterùm ſi ſecundinæ haud facilè exciderint,ſinendæ ſunt,maximè ad fœtum appendere:curandũ eſt

eſt potiùs vt abſque violentia vlla trahãtur paulatim,tum alijs modis,tum maximè ſi in ſella ventri exonerando deſtinata , ſedere iubeatur, quo pendẽs fœtus grauitate ſua ſecundas ſecum afferat.Atque vt hoc fiat, ſenſim ventrem ſubijci liquore parum calido plenum imperat,ſuperq; fœtum locat:deinceps verò punctus vẽter mucrone tenuiſsimo,cunctanter admodum concidit in ſeipſum, ac vnà fœtum, & quæ ab eo pendebant inuolucra deorſum trahit.Quam quoq; fuiſſe Hipp.ſententiam lib.1.de morb.mul.demonſtratur hiſce verbis.Si mulieri ſecundæ relictæ fuerint,hoc fit aut per vim rupto vmbilico,aut per imperitiam ab obſtetrice reſecto,quæ priùs incidit vmbilicum,quàm ſecundæ ex vteris exierint. Haud quaquã igitur arbitror expedire vt vmbilicus diſſecetur à ſecundis,antequàm illæ prodierint:quin potiùs vtcunq; factam reſectionem,potiſsimam cenſet cauſam permanſionis ſecundarum in vtero.Quamobrem prædictis auxilijs conandum eſt ſecundas extrahere: quòd ſi profuiſſe non videantur, ad maiora perueniendum eſt, de quorum ſorte,vt ex Hippoc.conſtat,ſternutamentum eſt. Cuius naturam & efficaciam ſimul ac tuſsis in propellendis ſecundis,nonnulla hîc ſcribere æquum eſſe duxi,ſi priùs dixero quanto tempore ad ſummum immorandum eſt, antè quàm vmbilicum reſecemus: nam ſi diutiùs differamus,puer periclitabitur,aut morboſus euadet,ac rurſus ſi citò abſcindimus, prædictum periculum matri aduenire ſperandum. Ob id quidem tentatis remedijs ſi nihil comperiamus profuiſſe,vmbilicum reſecare opus erit, & ipſius candicem femori parturientis vehementer alligare, quominus fugere, ac in fundum commeare poſsint ſecundæ:ſpatium autem ad ſummum ſit quatuor aut quinque horarum. Verùm ſi vmbilici vaſa mucore plena apparuerint (præterquam quòd puerum fortaſſe periclitari, aut morboſum fore monſtrant)citius reſecare vmbilicum oportebit, & ſicciora medicamenta apponere,quæ ocyſsimè reſiccent quod pituitoſum & frigidum in illis partibus ſupererit.

Curandi ratio. Primò conſiderandum eſt , an incuria obſtetricis vel alia occaſione ſecũda intro ſe receperit,& an ab vtero ſeparata ſit,aut alicui parti affixa. Tũc quidem ante aliud auxilium,ſiniſtrã manũ oleo liliorum alborũ aut dialtheæ illitã, in profundũ vteri obſtetrix immittat,& captã ſecundã leuiter alliciat:quòd ſi in eius extractione plurimùm ſanguinis fluat,laudatur karabe puluerizati.3.j.in vino,quòd vrinas moueat,ſecundas pellat,& ſanguinẽ fluentẽ ſiſtat.Præterea de numero eorũ auxiliorũ,quæ ad ſecundarũ propulſionem plurimũ valere cõperimus, vnũ porro ſternutatio eſt,vt millies experimento facillimo cõfirmari cõſtat.Eſt ſanè ſternutatio inſtituta ad propellendam cauſam moleſtiæ,quæ percipitur in ventriculis anterioribus cerebri,vndecunq; moleſtia illa prodeat,ſeu ex naribus,ſeu palato, ſeu capite ipſo: quanquam & ab oculis quoque contingat: vnde Solem inſpiciendo ſternutamentum excitamus.Eodem etiam omnino modo, tuſsis ad eijciendam cauſam quæ in pulmone præter naturam ineſt,conducit. Conueniunt autem in hoc ambæ actiones,quòd priùs extendũtur cerebri ventriculi ante ſternutamentum, pulmo verò ante tuſsim:item quòd in vtraq;,membra aërem adſe trahunt:quo fit vt neque tuſsis,neque ſternutamentũ fieri poſsint,niſi poſt inſpirationem. Præterea conueniunt,q; in vtriſq; poſt aëris attractionem membrum celeriter ac vehementer conſtringitur:item quod eijciatur ex ea contractione aër per canalem , & quicquid intermedium eſt,proſilit etiam & cum ſono. Quibus etenim præmiſsis videndum eſt,qua ratione relictis ſecundis, ſternutatio & tuſsis prodeſſe poſsint: ſed videndum priùs erit,in quo hi duo motus differant. Differunt maximè tuſsis

& ſternutatio,quòd in hac aër trahatur bifariam ad cerebrum, exteriùs nimirum ab ambiente per nares,& intus per palatum ex pulmone:tuſsis autem ex ſola aſpera arteria aërem haurit.Pariter in extrudendo idem eſt diſcrimẽ:per tuſsim enim ſolùm per aſperam arteriam ſpiritus effertur & materia: at in ſternutatione materia ſolùm per nares, ſpiritus autem & per palatum & per nares: licèt multa quæ in oris partibus ſunt,ratione vicini motus, per eam partem quoque impetu pellat.Cauſa huius eſt,quòd qui defertur per palatum minore cum impetu exit, quia locus apertior eſt,nec retinetur:at per nares eliditur vehemẽter ob anguſtiã meatuum,vnde etiam ingens ille ſonus exauditur.Differt à tuſsi,quòd in ſternutatione nares concutiuntur maximè,pectus valde parum:in tuſsi autem pectus, nares autem minimum aut nihil.Hactenus de modo quo hi duo motus fiunt:nunc verò, quo modo quæ in vtero ſunt,propellant,videndum. Primò quidẽ præmittendum eſt quòd in ſternutatione mediæ partes corporis comprimuntur,& extremæ exprimuntur. Sic enim in ſternutamento ex medio corpore ſpiritus affatim fertur,& media corporis pars affatim comprimitur:hinc euenit profectò, vt ea quæ in infimis partibus inſident,aut ſupernis,vtraque vehementer exprimãtur, etiam ea quæ minutiſsima ſunt,ſic expurgantur: ob id ergo mirandum non eſt,quòd ad ſecundas expellendas vehementer conducat.Compendio autem id faciet,ſi quis priùs nares & os conſtringat: nam quo ſpiritus diutiùs & anguſtiùs concluditur, eo vehementiùs erumpit.Qua etiam de cauſa pueri experientia docti, ſi quid oculis inſederit,id ipſum protinus excernunt,nares & os quoque priùs cõprehendentes. Palam enim eſt, ore & naribus apprehenſis, protrudi totum aërem per palatum, qui ex palato deferri poteſt ad gulam & inteſtina per vẽtriculum: quo etiam inteſtina & vterum comprimente, certum eſt ſummopere iuuare. At dum truditur aër in ſternutatione ad pulmones,& eius per eorum bronchia & ſeptũ tranſuerſum allidit,contrahuntur interni(vt quiſque experitur in ſe)muſculi longi ventris,& ſeptum tranſuerſum collidit inteſtina cõpreſſa, iam facto breuiore ventre:illa verò cùm ſint ſuper vtero,è regione illum cõcutiunt,fitque non ſolùm propulſio hoc modo,quòd parum eſſet,ſed tremulus ille motus, quo etiam ex arboribus fructus decidunt,atque ita laxantur vincula ſecundarum à placẽtula,& fœtus deſcendit quaſi in lubrico. Aër prætereà qui ſub ſepto tranſuerſo eſt, concutit etiam vterum,atque ex hoc tremulo ictu contingit etiam,vt materiæ quæ in aſpera arteria ſunt, meliùs quàm per tuſsim euellantur ab illa:ita vt nonnulli,cùm non poſſunt plenè euellere infarta, ſternutatione cum tuſsi concitata,compotes voti facti ſint:licet id ex accidenti ſternutationi accidat,vt nuper dixeram. Quamobrem in præſenti affectu experimentum ſæpe docuit id remedium eſſe præſtantiſsimum,maximè cùm opus ſit breuiter remedijs vti,ne mulieres interim putrefactis ſecundis febres,deliria,capitis dolores,tremores,& animi deliquia patiantur, vt Hippocrat.ſcripſit.

Principium itaque curationis auſpicaberis ab odoribus fœtidis,naribus & ore inſpiratis,qui & vterum deorſum fugant, & ſternutamenta mouent . Sic confeſtim ſpiritus detineatur,ac nares & os obturentur, maximè ſi imbecillæ mulieres non fuerint:& cùm circa pectinem dolores & pondus perſentiuntur, exclamare fœminam iube,aliquando ſpiritum cohibere inferiùs comprimẽdo,ac ſternutando:& ſuper ventrem manu vehementer poſita,vterum inferiùs ducito . Si tamen vmbilicum reſecare ob ingentem neceſsitatem & ne fœtus pereat,cogaris,ab exciſione ſemper vno pede retrò ſaliendo incedat fœmina oportet.Verùm ſi his adhuc

huc factis,ſecundæ non cedant,verendum eſt,ne vtero alligatæ ſuperſint: id ſanè deprehendes quòd ante tempus puer emiſſus fuerit,idque citra magnos dolores. Nam cruciatus & labores qui præcedunt partum, fiunt proculdubiò dum rumpuntur venæ & arteriæ cotylidonibus vteri alligatæ:ob id quidem ſi dolor nõ præceſſerit,coniectandum eſt fractam tantùm fuiſſe ſecundam & vtero adhærescentem remanere.Quo tempore manu comprehendenda eſt, aut vinculo,& leuiter in obliquum hâc & illâc auertentes,trahẽda,ne in partes diſſecetur,maximè quidem cùm diutiùs retenta fuerit. Quòd ſi ita tenaciter adhæreat,quòd vnguibus extrahi non poſsit,immitti medicamenta ſuppurantia authoresiubent,vt eiſdem putrefacta ſenſim expellatur à natura . Fieri enim poteſt vt in ea parte putreſcat, & ſenſim excernatur,quod magis eſſe tutum arbitror.Verùm ſi id ſors tulerit,cautè facies, & ſubinde neceſſe erit per interualla inijcere ea quæ vim habeant detergendi quod putrefactum eſt.Cui malo ex vſu erit vnguentum baſilicõ in multo oleo liliorum vel amygdalarum dulcium diſſolutum,vel in decocto quod recipit radicum maluarum & violarum.ana.ʒ.ij. radicis ariſtolochiæ longæ & rotundæ.ʒ.j.ſeminis lini & fœnugræci.ana.ʒ.ß. florum camemali & centaurij minoris. ana.p.ij.fiat decoctum ex aqua & oleo,& in eo diſſolue vnguentum baſilicon, vel modicum vnguenti Ægyptiaci.

Oportet inſuper ſi ſternutamentis res non ceſſerit,vlteriùs remedijs progredi, tanquam in re quæ maximam prærequirit diligentiam:qua in re ſic loquitur Hippocr.lib.1.de morb.mulie. Cùm mulier peperit,& à ſecunda non fuerit liberata, præſtat dare ea,à quibus maximè purgantur puerperij purgamenta:allia cocta aut aſſata vino & oleo cum polypis & ſepiolis ſuper prunas toſtis . Caſtoreum verò aut nardum bibat:bibat etiam rutam in vino nigro dulci ieiuna,aut ſine vino: ſi verò vinum non fuerit dulce,melius eſt mel admiſcere. Edat etiam braſsicam coctam cum ruta & mercuriali, & ſemen aliquod vtero commodum bibat. Ac ſubdit idem author eodem lib.Et ſambuci foliorum decocto priùs fomentum adhibeto,& id quod ex cantharide fit,apponito. Sed placent magis quæ ad puerperiũ ea parte recenſet:quippe cãtharides partem exulcerãt ac erodunt. Anguis(refert) ſenectam præſtare tribus obolis vino exhibitã:item myrti baccas decoctas, & per dies quatuor decoctum ingeſtum,vel fœniculi radicem vino,oleo & melle feruefactam & epotam.Item paulò inferiùs ad ſecũdam frigore emortuam,hæc refert, ex prædictis etiam herbis aut ſeminibus aliqua hydromellite decocta cũ croco & mercuriali mirè ſecundas mouent.Quæ ſanè omnia ſimul cum iure porri,aut allij triti non ſolùm has educunt, ſed & grumoſum ſanguinem fundunt, ac liquant. Idem quoque in vtroque caſu præſtat ex Hippocrat.mente lib.2. de morbis mulie.decoctum artemiſiæ,& dictamni,nec nõ & agni caſti atque foliorũ cytiſi.Cùm à frigore mortificata computruerit,vbi ventris frigus fuerit, crocum leuiter tritũ ʒ.j.pondere cum adipe anſerino infundito, & plurimum tempus ſinito.Ad idem etiam & ſanguinem retentum eodem loco, ſuffumigium ex foliis ſalicis probat. Prætereà lib.de natu.mulie.ſic ad eandem affectionem refert.Si ſecũdæ decedere non poſsint, conyzã tritam lana exceptã ponito.Sed plura alia adducit ad pellendas ſecundas & fœtum mortuum eodem loco,dicens : Violæ & portulacæ ſemen contundito & admiſceto,& vino albo veteri exhibeto:prætereà leucoyi nigri radicem in vino eodem modo ſumat. Anchuſæ foliorum.p.ij.in vino albo æquali aqua admixta,potui dato. Braſsicæ & porri ſuccum ad vtrũque ſucci ſylphij obolis tribus admixtis ex vino albo cum pari aqua bibendum dato . Fragini grana

decem in vino bibenda dato,item ſatureia trita calida ventriculo appoſita:ſemen quoque pæoniæ perfectè maturum ſubtiliter puluerizatum & oleo camemelino in linimenti formam redactum ori vteri illitum, ſuffitus capitis piſcis ſaliti etiã. Mercurialis folia & ſemen in vino bibenda præbeto. Quo equidem loco pleraque alia reperies auxilia nõ ſolùm potu ſumenda,ſed per ſubductionẽ: quale eſt illud quod cõficitur ex folijs mercurialis peſſarij forma adhibitis:item artemiſia trita & vnguento roſaceo admixta. Saluia præterea hortenſis bibita vel ſuppoſita,vterum purgat & ſecundas à partu remorãtes educit, nec non cunctantes fœtus excludit. Idem beneficium præſtat ſuccus borraginis,porrorũ & petroſelini cum vino vel oleo amygdalarum dulcium,maximè ſi addideris ſuffitum ex cornibus & vnguibus capræ. Item decoctum ſeminis thymi,vel peſſus ex lauendula: vel ſemen lilij hortenſis tritum ebibitum cum vino albo. Fotus inſuper ex decocto foliorum & radicum eiuſdem lilij:præterea iris peſſo aut emplaſtro admota. Sed facilius parabis albam radicem vnguento albo ſubactam ex Hipp. decreto, & pæoniæ radicẽ cum eodem vnguento. Præter hæc autem Hipp. præſidia,ego etiam referam quæ mihi vſui vtiliora & multis probata videntur: cuius cenſus eſt potio quæ recipit, artemiſiæ.p.j.ſabinæ.ʒ.j. fiat decoctio in aqua,& lib.ſ. decoctionis adde vini albi.ʒ. iiij. cinnamomi.ʒ.ij.& ſi citra febrem ſit laborans,modicum ſumat:item in prædicta decoctione diſſoluantur.ϑ.ij. trochiſcorum de myrrha. Valet etiam decoctũ vel aqua fabarum inſtillata,vel aqua florum croci, quam credimus eſſe maximi vſus. Item panacis ſemen vino epotum,appoſitumq; cum melle:ſic & eius radices appoſitæ ſecundas extrahunt. Polemonia ex vino epota: centaurij maioris radix deraſa & epota: cui quoq; operi præcipua vis ineſt dictamno,vt mortuos & tranſuerſos etiam partus ac ſecundas deijciat: bibitur ex aqua foliorũ obolus,nec potu tantùm,ſed illitu & ſuffitu prodeſt. Ariſtolochiæ etiam longæ radix cruri appoſita, vel epota, artemiſiæ radix,radix eringij, leporis coagulum illitum quoque cum porri ſucco & croco. Præſtat & ſuccus artemiſiæ bibitus,vel ſuccus politrici,marrubij & pulegij: puluis quoque lumbricorum terreſtrium:tandem conferũt omnia quæ menſes mouẽt,niſi maximus fuerit ſanguinis fluxus. Arabes autem antiquiores probarunt plurimum præſidium quod recipit ſabinæ,ariſtolochiæ,acori partes æquales,fricata melle excipito,quantitas eſto.ʒ.j. ex lupinorum & menthaſtri decocto. Aliud item parabis quod recipit opopanacis,galbani,fellis bouis.ana.ʒ.j. caſtorei.ʒ.ſ. detur cum prædicto decocto, ſi maximo in periculo extiterit fœmina. Item prodeſt lupinorum,ſabinæ.ana.ʒ.j. myrrhæ,opopanacis.ana.ʒ.ſ. caſtorei. g. x. in minutiſsimum puluerem redacta potui dato.ʒ.j. cum braſicæ & pulegij decocto. Conferunt quoque huic vſui ſuffumigia ex ſimo equi arido, columborum, aut aquilæ,vel ex ſemine porri,vrticæ minoris, allio, pini reſina, elleboro albo,ariſtolochia, nigella,aut ex prædictis ſic ſuffumigium conficito: recipe rutam, praſium,& abrotanum ſimul conquaſſata cum oleo liliorum,quæ bulliant parum ſimul,ac poſteà ſuper ignem poſita,ſuffumigium excipe. Ex vſu quoque eſt ſuffitus aromatum,velut eſt caſia,nardus,flos iunci odorati,artemiſia,ſabina,dictamnum, pulegium & huiuſmodi alia,ex quibus fumum parturiens vndique cooperta ſuſcipiat,& obſtetrix manu contendat ſecundas eo tempore educere. Quòd ſi non profuerit,peſſos concinnato ex allio, aſphalto, laſere,balſamo,ſtercore accipitris, galbano,gentiana,ſagapeno,ſcãmonio,brionia,nitro,dictamno, quæ excipienda ſunt ſucco artemiſiæ. Vel ſic peſſarium confice:excipe ariſtolochiæ vtriuſque, ſabinæ,naſturcij partes æquas,trita in pollinem felle bouis excipe in peſſos. Si verò neque

neque ſic educta fuerit,eadem dilaceranda non eſt, neque perturbari oportet: intra paucos enim dies putrefacta,& in ſaniem diſſoluta excidet: præcauere tamen periculum,quod ex ſuppuratione impendet,vt anteà dictum eſt,oportet. Si tamẽ his non cefferit malum, enchatiſmatis vtendum eſt ex decocto artemiſiæ, iridis, ſabinæ,pulegij,calaminthæ & ſimilium, vt vteri oſculo,ac partibus etiam vicinis mollioribus factis,reliquis auxilijs,& ſecundis ipſis faciliùs cedat vterus. Gratia autem præcauendi caput,ventriculum & reliqua viſcera, quæ ex putredine ſecundarum non raro affici iuntur,ſuffitibus vtendum eſt ex cardamomo,& ficu pingui (vt Paulus conſulit) vel ex bdelio,ſtyrace,thure,lapide gagates, vngue odorato,& reliquis quæ cum hoc quòd odorata ſunt, & prædictis malis aduerſantur,ſecũdam quoque ſubducunt. Quòd ſi res eò deſperationis deuenerit,vt ſuffocari laborantẽ videamus,ad peſſaria deueniendum eſt, quæ efficiora ſunt, & conficiuntur ex decocto cucumeris ſilueſtris cum oleo irino,aut ſucco eiuſdem cucumeris & puluere ariſtolochiæ,ſtaphideagria,elleboro nigro, & colocynthide æquis portionibus,addito fellis tauri modico.

Pueri laborantis ex partu prouidentia.

Secundis extractis antequã vmbilicus reſiccetur, puero prædictis laboribus labefactato prouidendũ eſt: curandumq; primò quominus ſpiritus eius exhaletur, tractato infantis vmbilico calidis digitis,modicumque compreſsis, & omni calorifico beneficio. Atqui non ſolùm ſi hac ſorte naſcatur,ſed vtcunque imbecillus & ſine ploratu,& cum leui ſpiritu exeat. Quippe eo tempore feruefacere ſecundinam vino calido oportet,antequam vmbilicus abſcindatur,donec calorem & ſpiritum ſuſcipiat: poſteà viuidiori facto puero,ipſam ſecato. Item eandem ſecundinam cineribus,aut calidis pannis calfacere oportet,vel in peluim calidum imponere,donec ſufficienter puerulus incaleſcat. Sed præcipuè inter panes recenter coctos calidiſsimo vino albo,& aqua naphæ irroratos apponerere infantem opus eſt,atque ſpiritu & halitu calido fouere eius fœminæ,quæ cuminũ, cinnamomũ, aniſum,aut vinum ore detinuerit.

De fœtu mortuo. Cap. V.

HVmana fragilitas & miſeria eò deuenire ſolita eſt,vt & in vtero matris labores quoque experiamur & mortem: quod ſi acciderit, non ſolùm fœtui calamitas ſuccreſcit, ſed & matri. Quamobrem cognoſcere protinus id malum oportet, ne corrupto fœtu matri quoq; irreparabile fiat damnum. Docuit quidem antiquitas fœtum ab vteris educere ante tempus multis de cauſis: nam cum puella,aut adulta, ſed parua,concipiebat, eminente ex fœtus magnitudine periculo mortis, geſtationis & partus tempus anticipabat remedijs aborſum mouentibus: quod ſanè vetitum eſt in ſancta religione noſtra.

Cauſa.

Mortuum verò fœtum conandum eſt arte quàm celerrimè educere. Sed moritur fœtus in vtero ob alimenti defectum, aut eius malitiam, vel plethoriam, ob quam ſanguine impletur fœtus & ſuffocatur: aut ſolutis acetabulis ſaltu,ictu,tuſsi, aut ſternutamento, vel humiditate nimia laxatis. Item ex bibito medicamento quod validè menſes prouocet,vel ex potu amarorum,aut nimia inedia, præcedente ſanguinis miſsione, aut purgatione: etiam ex morbo aliquo acutiſsimo,

æstuosissimo & magno,ac vltimò ob partus difficultatem, quod optimè aduertit Auic.Fen.21. 3.tract.2.cap.12.

Signa. Fœtus quidem mortui signa sunt priuatio & defectus motus ipsius infantis, cũ alioqui moueri assueuisset.Refrigescit item imus vẽter matris, dolor grauis adest iuxta vmbilicũ,faciei & labiorũ color liuidus atq; ferrugineus adest,oculi & nasus obstupescũt & horrẽt.Itẽ decũbente fœmina in latus, in id deuoluitur ac decidit puer:grauat etiã plus quã ante mortẽ,& mãmæ extenuãtur:aut altera, si è duob⁹ alter mortuus sit,atque eũdem abortiet.Humiditates insuper ab vtero manãt,corpus prægnãtis languet, & albicat,ac mollescit,& ipsa segnis efficitur.Caput etiam dolet,oris fœtor sequitur,palpebrarum inflatio,visus tenebrositas, ciborum inappetentia,& iam putrescente fœtu ichores emanant ab vtero,tempora pulsant, malæ rubent,febres excitantur,& horrores,sitis,atque turbulenta insomnia. Ventris tum demum frigiditas adest,dolorq; iuxta vmbilicum:tandem omnia succrescũt, quæ ex secunda relicta fœminis accidere diximus. Docet id quoque cognoscere Hippocr.lib.1.de morb.mul.dicens:Si verò fœtus in ipsa non circa initia, sed iam bimestris corrumpitur,aut suffocatur,tunc & venter imus intumescit, & ad contactum dolet,velut vlcere præsente,& febris magna ipsam ac dentiũ fremitus corripit,& dolor acutus & vehemens pudenda & imum ventrem & lumbos, & laterum mollitudinem & coxas.

Verùm ne frustra auxiliares manus ei adhibeamus mulieri, quæ nullum susceptura est beneficium,id primò cognoscere docuerunt Paul.& Æt.Nam quæ peritura est,inexpugnabili dormiendi necessitate corripitur,resoluta est,& vix potest excitari,ac si excitetur debiliter respondet,& rursus graui sopore premitur ob humiditates & vapores corruptos à fœtu elatos,vt paulò inferiùs latiùs leges. Verùm quæ superstites futuræ sunt,hæc omnia in contrarium proferunt.

Curandi ratio. In hoc sanè malo qua fieri possit breuitate curandum est fœtum mortuum pellere,ne mala quæ mox retulimus accidere permittamus.Quippe,vt experimento confirmatum habeo,etiam si ocyssimè extrahatur,tanta supereſt vterus labe infectus,vt vix ad antiquum statum multo tempore reduci possit. Cùm enim fœtus moritur,intensam & grandem frigiditatem vterus contrahit,quæ mille deinceps accidentia concitat. Si verò tãdiu moretur,vt putredinem subeat, mala quæ retulimus,proculdubio succrescunt.Quamobrem medendi ratio in hoc malo quadruplex erit:vna quæ vterum dilatet fotibus & suffumigijs:alia quæ fœtum euocet ijs, quæ vires habent irritandi vterum:tertia verò per ea fit quæ ore sumpta fœtum ex pellere nata existunt:quarta per ea quæ exteriùs adhibita eundem vsum præstant. Verùm vt hæc probè fieri possint vino & alimentis atque odoramẽtis reficere parturientem oportet,quo meliùs labori possit sufficere. Implent quidem huiusmodi indicationes,quæ præcedenti cap.diximus vterum posse dilatare, fomenta, & insessiones,ac reliqua. Sed fœtũ expellunt omnia quæ aborsum mouent,siue acria sint,siue id possint alijs viribus efficere,vel in vterum missa,aut suffita.Cancris igitur ad mortuos fœtus cum lapati radicibus,ruta,ac fuligine tritis, & in mulso potui datis Hippocrat.vti proditum est: Prodest & verbenacæ radix ex aqua pota: item betonicæ. 3. j.in vino,cinnamomum cum rubia,aqua sabinæ ebibitum: aristolochiæ decoctum,gentianæ,baccarum lauri,costi,casiæ ligneæ,myrrhæ: succus aut decoctum absynthij vel artemisiæ.

Thymi etiam & dictamni Cretensis vsus in hac re magni est momẽti,siue potui dentur, siue subijciantur, siue suffitu adhibeantur: galbanum etiam rosaceo & myrrha

myrrha admixtum potui datum efficacissimum est.Idem quoque galbanum oleo cedrino admixtum,subditum mirè prodest. Verùm si frigoris externi vi fœtus perierit,ferunt prodesse remedium quod recipit croci triti.3.j. quam adipe anserino exceptam in vterum immittes,vel aliud quod fit ex coniza,mẽtha,melle & resina simul tritis,maximè si odoratum vinum superbiberit.Quòd si fœtus mortuus iam intumuerit,præstat medicamentum quod recipit succi marrubij & apij. ana.ʒ. ij. linteolo percolentur, quibus adde rosacei. ʒ. viij. adipis anserinæ. ʒ.iij. resinæ.ʒ.ß. quorum medietatem in sinum mulieris infunde.Præstat idem beneficium parietaria ex vino trita:itẽ aliud quod recipit aluminis scissilis.3.j.veratri nigri.3.ß.quæ simul trita vino nigro excipienda sunt intra vterum:fit etiam cataplasma acceptis calamo odorato & interiori cucumeris siluestris & anserino adipe,ac vmbilico appositis. Iridis etiam radix epota in puluerem, vel in vterum immissa, vel medicamentum emagogum Nicolai. Ex vsu quoque est id medicamentum quod recipit cinnamomi, aristolochiæ, sabinæ. ana. ʒ .ij. myrrhæ. ʒ. j.&. ß. cum aqua sabinæ vel cinnamomi porrige.ʒ.j.Pro secreto habetur prębere.Ə.ij.pulueristeſticulorum equi,cum modico vino.Idem quoque beneficium præstat medicamentum quod recipit theriacæ diatessaron.ʒ.j.aquæ rutæ.ʒ.iij.aquæ fœnugræci. ʒ.iiij. ficus aridas numero.iij.origani.ʒ.ij.coquantur, & colaturæ sume. ʒ. ij. Prodest & aqua decoctionis dactylorum.Quòd si hæc prodesse non videantur, purgantibus pharmacis vtendum est,maximè si sequenti die laborans sumpserit hoc præsidiũ, quod recipit spicæ nardi, cinnamomi,rutæ,singulorum.ʒ.j.myrrhæ.ʒ.ß.cum modicissimo sabinæ decocto,aut in largiori copia ex decocto rubiæ præbeto.ʒ.j. Prodest puluis qui recipit sabinæ,assari,myrrhæ,singulorum.ʒ.ß.cuius porrige.Ə.j.cũ decocto gentianæ.Præstant quoque suffumigia ex vngula asini,succida lana vtero immissa,vel suffitus cum capite sardinæ salitæ,aut lapide gagates.Si tamen efficacius efficere voles,excipe myrrhæ.ʒ.ß.cinnamomi,galbani,castorei, singulorum ʒ.ß.veratri nigri.ʒ.j.ex vaccino felle confice,& suffumiga.Os etiam vteri inungere oportet oleo susino,anethino,rutæ,aristolochiæ,& colocynthidis.Præterea galbani & belzoini vtriusque.ʒ.j.in oleo irino liquentur,in quo pessus madescat.Conficies autem alium ex succo cucumeris asinini & melle cum lana succida. Alium etiam facies efficaciorem,qui recipit elleborum nigrum, staphisagriam, aristolochiam,pulpam colocynthidis & ammoniacũ.Præstat & alius ex lana succida,ammoniaco,& felle taurino.Refert etiã Hippo.lib.1.de morb.mul.prope finem prodesse galbanum ad magnitudinem oliuæ,linteo obuolutum intincto in oleo cedrino vteri osculo admotum. Quo etiam loco plura alia reperies non parui momenti ab eodem authore sum moperè commendata.

Verùm si ne hæc quidem omnia prodesse videãtur,ad manus operationem deueniendum esse consulit vrgens necessitas:quas adhibere vetuit Ætius,& meritò quidem,si fœmina deiecta aut languens exiterit.Medicum (inquit lib.4.Serm.4. cap.23.) ante extractionis aggressionem spectare oportet,resoluta sit ne mulier an non,& an seruari possit,vel sit deplorata:& seruari quidem potentem aggredietur, deploratam verò relinquet.Nam prouidendum est,ne lethalis affectionis periculum errori,aut nostræ audaciæ imputetur.Docetque eodem loco quæ sit lethaliter affecta,dicens:Quæ igitur lethaliter affectæ sunt,præter quã q; lethargico sopore premuntur,& resolutæ sunt,ac difficulter reuocari possunt, & ad maximas inclamationes reuocatæ, debiliter respondentes, rursus deferuntur in soporem: tremulæ insuper sunt,item nec alimentum capiunt,ac protinus, si quid ingerunt

euomunt,aut forsan deglutire nequeunt ob instrumenta cõuulsa.Præterea syncopi non rarò corripiuntur. Quædam etiam per conuulsionem contrahuntur,aut neruis tremulæ fiunt, & pulsus fortiter tumidus, verùm obscurus ac debilis deprehenditur:at verò quæ euasuræ sunt, nihil tale patiuntur.Itaque colligitur ex eius verbis eam perituram, quæ inter pariendum animo sæpe linquat,& obliuiosa sit, vixque somno excitari possit, cum pulsu paruo, languido & inordinato: vel langueat, aut lassa membra ægrè attollat, & moueat, ac frequenter conuellatur,vel alijs,quæ retulimus,correpta sit malis.Si autem nil horum adsit,bono esto animo, pulso enim partu, saluam illam fore spes est:cum hoc tamen difficillima res existit, & quam aggredi citra maximam considerationem & consilium nõ licet.Sed quid Hippocrat.in hac re velit,audiendum quoque est:inquit enim lib.1. de mor. mul. Quicumque verò fœtus mortui,aut crus,aut manus foras protendunt,eos optimũ quidem fuerit, si id fieri posset, intro retrudere,& ambas partes in caput vertere:si verò hoc fieri non poterit, verùm intumescit,secare hoc modo.Dissectum per scalpellum caput cum contusorio instrumento, vt ne in ramenta findatur, contundito,& ossa per ossium bolsellam,aut tractorium instrumentum iuxta clauiculã immissum,prout habuerit,extrahito,non multis simul,sed paulatim exemptis,ac rursus ablatis,curandum tamen integrum caput si fieri possit extrahere,sin aliter findere.Cùm verò hæc foras extraxeris,& in ipsis humeris fueris, ambas manus in articulis cũ ipsis humeris secato,& vbi hac extraxeris,si quidem fieri poterit vt exeãt, etiam facilè reliqua extrahito: si verò non obediant,totum pectus vsque ad iugulũ findito. Verùm caueto ne in ventrem feces,& aliquid de intestino denudes,exit enim venter, & intestina, & stercus; si verò horum quid excidat, maioris negotij res iam fit:contundito autem costas,& scapulas contrahito,& facilè posteà reliquũ fœtus proceder,nisi iam ventrem tumidum habuerit.Si enim tale quid fuerit, melius est ventrem fœtus leniter perforare:flatus enim solùm à ventre exit,& sic facilè prodibit. Hæc proculdubio sunt quæ Hippocrat.in hac re præcepisse constat: qualiter autẽ fieri oporteat, expendendũ nunc est.Conuenit enim ante omnia,vt Ætius cõsulit,resupinam mulierem transuerso lecto sic locare,vt fœminibus eius, ipsius ilia comprimantur: quo fit,vt & intus venter in conspectu chirurgi & obstetricis sit, & infans ad os vteri compellatur. Hac igitur vsus occasione artifex, manum oleo sesamino aut liliaceo vel mucagine inunget,ac inuncta manus digitum indicem primum immittet: deinde sensim alios,donec tota esse intus manus possit:vtrinque autem stare debent peritæ ac robustę fœminæ,quæ illam manibus fortiter retineãt, ne vi illata in fœtus extractione commoueatur. Ac parturienti tres buccellæ panis in vino imbutæ offerantur ad arcendum animi deliquium,& in ipso opere eius facies assiduè vino aspergatur.Manus igitur in vterum immissa emortuum puerum venetur,qui si capite vteri os contingat,vnco instrumento apprehendendus est,atque attrahendus instrumento cauitatibus oculorum,aut aurium affixo:neque in directum tantùm huc ducenda manus est,sed etiam huc atque illuc agitanda in obliquum.Quòd si caput extendatur aquoso aliquo humore,talis apertione scalpello facta minuendus est, ac si ipsum mole grande sit,cõfringere forcipe, aut manibus oportet. Sic reliquæ corporis particulæ, si maiores sint quàm vt commodè educi possint,auellendæ abscindẽdæque sunt.Si verò clunibus aut altero pede,aut brachio vuluæ immineat, ante eductionem eadem hic facienda,quæ in laborioso partu præcepimus. Trahere igitur dextra manus vncum instrumẽtum,sinistra autem intus infantem,simulque ipsum dirigere debet,donec ex

ex toto euellatur:is autem postquam protractus est,vni astantibus tradatur,isque eum supinis manibus sustineat, chirurgus deinde sinistra manu leniter vmbilicũ trahat,ita vt minimè abrumpat,dextraq; manu eum sequatur vsque ad secundas hisque omnibus apprehensis venulas membranasq; omnes eãdem ratione manu ducat ab vtero.Quòd si fortè secundæ subsequi recusent,hîc vt in alijs partubus laboriosis,secundis relictis,filium promptè habebis, arreptumq; subitò vmbilicum deligare,femoribusq; annectere opus est. Postquam autem secunda, siue statim ab educto fœtu,siue posteà educta fuerit,neque quicquam superuacuum in vtero relictum,crura componantur,vt partes distractæ conueniant.

Quo facto quoniam valde deiectæ viribus & prostratæ mulieres remanere solent,ex ratione mihi videtur,vt potionibus & iusculis,ac vino odorato & potente reficiantur:tum verò vt locos fouere ac roborare fotibus & vnguentis congruis prouideas,semper frigus præcauẽdo, quo nihil nocentius in eo casu puerperæ accidere potest. Quamobrem post eductum infantem,mox lineis pannis calidis fouere locos oportet,& si hæmorrhagia subsequatur(quod frequenter accidit)decocto rosarum,absynthij,foliorum myrti,& artemisiæ, incoctis vino omnibus loci fouendi sunt:posteà verò vnguento Comitissæ inscripto inunges.Potionem item parare conuenit ex puluere diamargaritonis frigidi,vel electuarij de gemmis, ex aqua bugloſæ & vino albo deuorandam.Quòd si vlcuscula,aut rhagadiæ ex vi illata cooriantur,ex vino decoctionis equiseti,& centinodiæ cum pauco melle rosato ablui iubeto,ac mox vnguento è pompholige illito. Sic superuenientia mala curabis iuxta cuiusque naturam & conditionem. Quippe frequentiùs cõtingere comperimus vrinam & aluum post eductum infantem inuolũtariè fluere.Quos affectus curabis,velut partium illarum paralysis curari desiderat,demissa laborãte post puerperij purgationem integram,in oleum calens,in quo folia lauri, betonicæ,saluiæ,libanotidis,origani,pulegij cum floribus camemali,roris marini,& sthœcados deferbuerint:moxque ab insessionibus ex oleo lumbricorũ, liliaceo & vulpino,in quo catellus pinguis ad dissolutionẽ carnis ab ossibus deferbuerit, expressione facta vnguentum parabis,addita styracis calamitidis,belzoini, opopanacis, olibani,macis,singulorum.3.j.aquæ vitæ modico,adipis anserini atq; ceræ quantum sit satis,vt fiat vnguentum.

De mola post partum in vtero relicta.

Cap. VI.

ACcidit non rarò,vt post infantis editum, & secunda etiam proiecta, adhuc supersit in vtero mola, vel ipsi vtero adhærescens,vel separata & vagans : quæ posteà (si parua fuerit) simul cum expurgatione excernitur: aut si fortè ibidem immoretur, grandioris mali causa existit.In quo quidem affectu mox ab eius cognitione (quam iam referam)expendere oportet, an molæ plures sint,paruæ,& non adhærentes,vel vna grandis adhærens,aut ab vtero separata.Quòd si plures sint & paruæ, periculi nihil afferunt,præsertim cùm adhærescentes non existunt, vt quæ cũ sanguine mẽstruo citra maximam turbationẽ paulatim & innoxiè excernantur.

Verùm

Verùm cùm grandis eſt,periculum non leue affert,vt ex Hippocrat.euidenter cõſtat lib.de ſterilibus:in cuius eductione,ſicut in fœtu mortuo,vel ſecunda plurimũ inſudare oportet,ante quam aut caro illa informis vitio aliquo conſpurcetur, aut aliud malum efficiat.

Signa. Sic noſſe oportet, quando à partu ſupereſt informis aliqua ſuperfœtatio,vt quã citiſsimè eius excretionem curemus. Id quidem cognoſces ex toto grauidationis tempore:quippe grauiores ſolito exiſtunt eo tempore fœminæ,dolet vteri regio vniuerſa,& inguina dolent,& omnia denique ſigna, quæ cap.de mola adduximus apparent. Quòd ſi ſic affectis partus tempus acceſſerit, difficulter pariunt, & à partu nihil aut parum leuantur, dolores circa vmbilicum ſuperſunt & in dorſo ac inguinibus:grumoſus item profluit ſanguis multus,carnoſus,niger,cum torminibus & anxietate,& ab excretione nullum ſequitur leuamen:nauſea,vomitus,& inquietudo,& anxietas ſubſequuntur:venter in tumorem per interualla eleuatur, quaſi nitente natura facta cõtractione expellere:dolores per interualla ſuccreſcũt. Ac ſi mola grandis ſit, poſtquam ſemel ad imas partes deſcenderit,ſurſum iterum reuertetur, quod natura nequeat tam grandem molem expellere, nec vteri collum capere. Item pulſus fit paruus,frequens,debilis,& febris ſubſequitur: vrina quibuſdam non redditur,alijs guttatim excernitur: tandem omnia ferè ſequũtur ſympthomata, quæ fœtu exiſtente mortuo accidere diximus. At ſi molæ plures ſint & paruæ, per interualla poſt partum excernentur ſuccreſcentibus excretionis tempore ſolùm doloribus.Quæ ſanè fœminæ(vt ex Hippocra.decreto conſtat)citiſsimè in priſtinam ſanitatem reſtituuntur: ſicut illæ, quibus grandior eſt mola, ocyſsimè pereunt.Inquit enim Hippocrat.lib.de ſterilibus. Molæ porrò conceptus cauſa hæc eſt. Quum multi menſes modicum & morboſum ſemen conceperint,neque fœtus rectus fit,& venter plenus eſt velut prægnantis,nihil autem in vẽtre mouetur,neque lac in mammis generatur.Mammæ autem turgidæ ſunt,hæc itaque & ad duos annos,ſæpe etiam tres ſic habet.Quam ſententiam ſubintellige re proculdubio oportet de molæ conceptu,quæ fit citra fœtus generationem,dum videlicet ſolùm mola generatur: quã poſteà citra graue periculum natura nequit expellere.Et ſubdit(vt ad penſum redeam.)Et ſiquidem vna caro fiat,mulier perit, neque enim fieri poteſt vt ſuperſtes maneat:ſi verò plures,erumpit ipſi per pudendum ſanguis multus ac carnoſus,& ſi hoc moderatè fiat,ſeruatur,ſin minus,affluxu correpta perit.Quæ omnia expendiſſe oportebit, vt prædicere & præcauere quæ futura ſunt,poſsimus.

Curandi ratio. Curationem huic affectui non temerè & vtcumque aggrediendam eſſe arbitror:nam vt ex Hippocrat. conſtat lib.nuper citato,non licèt ſtatim mola cognita, eius curationem tentare: quippe de grandiori hæc retuliſſe legimus.Hanc igitur maximè quidem ne curato,aut certè cum prædictione.Quam ſententiam ego de mola, quæ citra fœtus commercium generatur,intelligerem:nam credibile nõ eſt, ipſum velle loqui de mola quæ ſupereſt in vtero poſt infantis exortum: hęc enim niſi ocyſsimè excernatur (ne cum hoc quidem) graue mortis diſcrimen impendet.Quamobrem illam curare rarò ſtudebis,hanc verò protinus.In cuius curatione tria obſeruaſſe Hippocrat.legimus: primum quidem,vteri & pudendarũ partiũ emollitionem,& apertionem:ſecundum,ventris inferioris purgationem:tertium verò & vltimũ,in vterũ infundit quæ ipſum irritant,& ad excretionem laceſſunt. Cui operi per cucurbitas principiũ motus quoque præſtat:inquit enim loco citato. Et primum quidem totum corpus foueto, deinde per ſedem clyſterem adhibeto, quo

quo ſanguis multus erũpat(exiſtimat quidem ſimul cum copioſo ſanguine commodiùs poſſe educi)fortaſsis enim quod compactum eſt, commoueris, id quod fœtus eſſe putatur,muliere à pharmaco concalfacta.Sed & vteros colluito,quo ſanguinem educas,ſin minus,ſubditijs vtatur è bupreſti, & dictamnum Cretitum in vino bibat,ſin minus caſtoris teſtem,& retro cucurbitam ipſi ad laterum mollitudinem affigito,& plurimum ſanguinem detrahito,atque hoc maximè cõiectura virium ipſius facta.Qua ſententia videtur expreſsiſſe vniuerſam extrahẽdi molam rationem. At mihi in hoc cap. nulla alia medicamenta recenſere eſt in animo,quàm ea quæ cap.præcedenti retulimus: nam & fœtus mortuus & mola quæ à partu ſupereſt, conſimilem habent eductionis rationem, & eiſdem pharmacis perficitur.

De enixæ prouidentia. Cap. VII.

VT quotidiano euẽtu comperimus, licèt à partus ærumnis & laboribus infante in lucem iam edito, & ſecundis proiectis,enixa immunis videatur, cum hoc tamen alios non minores, neque minùs graues ac periculoſos experiri frequentiſsimè conſpicimus quibus infantis in lucem editi gaudium interdicitur. Accidunt ſanè hi labores & pericula hæc, tribus occaſionibus, nimirum,ratione ipſius partus, aut vteri, & menſtrui etiam ſanguinis, qui expurgandus ſupereſt, aut alterius cauſę interuentu,quæ affectum aliquem euocat,maximè cùm menſtruã purgationem intertubat.

Sic quidem ex partu multa ſuperſunt vitia,quæ emendare oportet:nam vel rugæ in ventre remanent,vterorum oſculi laxitas,exulceratio,hæmorrhoides, vteri ipſius procidentia,aut fluor ſanguinis,vteri ſtrangulatio:nam vterus eo tempore tanquam fera ſilueſtris propter ſubitam euacuationem, quaſi vagãdo huc & illuc declinat:vnde & ſuffocationes,& dolores grauiſsimi non ſolùm in vtero ſuccreſcunt,& dorſo,ac reliquis vicinis partibus,verùm & in capite,iecore,ventriculo & alijs partibus.Prodit quoque ob conſtrictionem,quòd ſanguis ſupprimatur,& grauiores efficiat cruciatus ac periculoſa accidentia: verùm ex parte ſanguinis,qui aliquando grumoſus factus,aut aliò traductus, mox à partu & tormina & alia penè innumera mala concitare habet. Ex ijs autem quæ alijs occaſionibus ſuccreſcunt, non minùs periclitantur enixæ,quàm ex vitio partus,vteri aut ſanguinis: nam & alui fluxus,& ſuppreſsio, & pedum tumor, malus corporis habitus, difficultas reſpirandi, pleuritis, anguina, febris ardens,& reliqui morbi acuti,acutiores & grauiores enixis fiunt, quàm cæteris. Prætereà ſunt inter enixas aliquæ, quibus plerumque profluit puerperium ita fœtidum & ſordidum, vt deterius videatur quouis alio morbo.Quod ſanè enixis accidere conſtat multis de cauſis, præter humorum ex febre corruptorum abundantiam.Item puerperis ſuccreſcit,vel ex frigore aut quauis alia occaſione vterum intumeſcere, inflari,ac velut tumores contrahere,quos iubet Hippocra.lib.1.de morb.mul.vino,aniſo,dauco,cumino,& ſimilibus diſcutere.Sed cùm hi tumores in vtero fiunt,quòd in partu mulier ſicca fuerit,nihilq; cum puero lochiorum excernitur:verendum tunc eſt ne ſanguinis fiat recurſus ad intima vaſa & vteri ſubſtantiã: quod tanquã grauiſsimũ damnauerant

Hippoc.

Hippoc. & Gal. in omnibus tumoribus iuxta principes partes. Quippe incurret in magnũ morbum puerpera quæ non vacuatur per lochialem purgationem, imò vitæ ſalus ſummè periclitabitur, niſi quis cõuenientẽ procuret expurgationem: nã tumores & grauiora mala ſolet ex cohibita hac vacuatione perpeti natura. Qua occaſione ſi tumores dicti ſuboriantur nõ repellendi, nec vtcunque diſcutiendi, ſed premiſſa ſuppreſſorum lochiorum vacuatione: quo tempore diſcutientia, & mollientia adhibebis, vel quæ Hippo. vel alia non pauca. Prima eſt putrefactio alicuius ſubſtantiæ intus relictæ, vt mola, aut tunicarũ aliqua, vel ſanguis, qui in inuolucris reperitur: altera cauſa eſt purgamentorum ſuppreſsio oblaciam incipiens & fiens: quo fit vt detentus putreſcat: vltima verò ſi in infantis exitu aliquid eſt diuulſum & ob id ſuppuratum. Quorum omniũ meminiſſe oportebit, & cuiq; pro ùidentiam & curationem iuxta eius naturam & fœminæ ſtatum, adhibere.

Graue quidem & moleſtum eſt, fœminas, quibus curæ eſt enixam moderari, perferre. Niſi enim epulis & vino liberaliter indulgeãt, ſe nihil boni & vtile enixæ præſtare exiſtimant. Habent inſuper neſcio quas leges, quæue ſtatuta miſerculis ita nocua, vt maiori ex parte grauiora & maiora mala inde oriri conſpiciamus, quã ex ipſius partus laboribus. Quamobrem his poſthabitis prudens & generoſus medicus eam aggredi prouidentiam tenetur, quam enixæ fore vtilem iuxta cuiuſq; indigentiam cognouerit. Itaque poſt partum ne pudenda nimio madorẽ & humorum corruptione exulcerentur, ipſa extergere linteis mundis, aut ſpongia opus eſt: mox reponẽda eſt in lecto, obſcuro exiſtẽti cubiculo & ab aëre ac frigore præmunito. Stet inſuper modicè patentibus pedibus, vt quicquid ex ea foras exire cœpit non impediatur: pannis loca ipſa contegantur, ac mutentur eo tempore, quo minimè contrahant fœtorem. Expedit etiam oleo communi cum modico vino calido ventrem inungere: ſi verò partus laborioſus præfuerit, oleo amygdalarum dulcium calido, latera & ventrem fouebis, quietemq; imperabis, ne vocibus turbulentis & nimia loquela humores ad partes ſupernas efferantur, præpediaturq; ob id neceſſaria purgatio. Victum his inſtituere oportet tenuem, & optimi nutrimenti, qualis eſt qui ex gallinis & caponibus paratur, & eorum iuſculis cum croco & ciceribus, cauentes ab eorum cibis ex toto apium hortenſe. Verùm ex carnibus parum primis diebus miniſtrabis, ſequentibus verò plus. Aqua ſit ex cinnamomo decocta, vel ex corticibus citri, aut ex adianto: vel vinũ porrige, ſi ei fœmina aſſueta fuerit. Vtatur etiam conſeruis quæ vires habeant menſes mouere, ni ſufficienter profluxerint. Ei item ſomnus imperetur, & omni animi tranquillitate fruatur, ne turbatione aut animi pathemate aliquo, ad cor & reliqua viſcera ſanguis confugiat. Profectò ſcitu dignum iudicaui, quòd Athenis olim braſsica in cibo parabatur puerperis, amuleti cuiuſdam vice, vt author eſt Atheneus. Præterea veſtitum illi immutabis ad minus tranſactis à partu quinque diebus, cauens vſque ad vndecimum diem enixæ eodem modo, ac dictum eſt, ſtudens purgationem euocare donec vigeſima dies tranſacta ſit: quòd ſi ad quadrageſimum vſque ſe extenderit purgatio, dum ſua ſponte ſit, vtilius fore cenſe, ſin aliter, ſat eſt ad vigeſimum vſque diem præſidijs ipſam excitare. Si autem his res optimè ſe geſſerit, nil aliud agendum eſt, ſin aliter, iuxta ſuperuenientis mali conditionem præſidium adhibebis.

De

De torminibus à partu.

Cap. VIII.

TOrmina ſeu ventris inferioris dolorem ferunt primiparis non accidere: quod tanquam fabuloſum aut non omnino verum ablegandum cenſeo: nam & primiparis & reliquis, dummodo cauſa eadem præſit, idem quo que malum accidere neceſſum eſt. Sunt igitur tormina, dolores qui poſt partum in ventre inferiore, & à renibus in laterum mollitudine, & inguinibus puerperis ſuccreſcunt, duorũ aut trium dierum ſpatio per interualla exacerbati.

Cauſa.

Fiunt igitur tormina poſt partum ob ſanguinis, qui expurgatur concretionem & craſsitiem: nam cùm venæ, per quas natura ipſum expurgare nititur, aſſuetæ huic operi non ſint, & ſanguis, vtpote diu retentus, concretus craſſuſq; ac fæculentus exiſtat, neceſſe proculdubio eſt dolores & cruciatus maximos fieri, dum eum natura per anguſta loca trudere ſtudet. Quod euidenter probari poteſt, quia per interualla dolores & cruciatus fiunt, parum videlicet, ante ſanguinis excretionem, & ipſo excreto ſtatim ceſſant, donec iterum natura plus expellere nitatur. Proficiſcitur aliquando idem malum ex acriore & mordace ſanguine: quod comperies ex tenuitate eius qui excernitur. Quibus accedit flatuoſa ſubſtantia, quæ facta plus iuſto vteri tenſione, grauiſsimos plerumque excitat dolores: quod fieri cenſemus commota craſſa materia ad motum, quæ ex ſe huiuſmodi flatus effundit. Pleriſque etiam tormina ſuccreſcunt, quòd vterus ex laborioſo partu in aliquam ventris partem irruat: vel etiam ex ſuſcepto à partu frigore incauta exiſtente enixa; aut obſtetricis negligentia. Cuius affectionis meminiſſe Hippocratem conſtat libr. de natur. mulierum, per hæc verba. Si puerperæ vteri in coxam incubuerint, aut ad lateris mollitudinem, ad ſanam coxam oleum Ægyptium album, aut bacarim vnguentum apponere oportet, & in ſanam coxã decũbat. Qua ſententia & affectũ & præſidium retuliſſe conſtat.

Curandi ratio.

Quibus cognitis curandi ratio tria profectò conſulit: primum, ſanguinis attenuationem: ſecundum, eiuſdem attemperamentum, cui reducenda eſt flatuum diſsipatio: tertium verò, viarum apertionem & laxitatem, quo faciliùs fluat quod craſſum eſt. Sic iuxta primam indicationem conſultiſsimum eſt, ſi fœminam cognouerimus bilioſam eſſe, tenuibuſque & acribus humoribus abundare, duas vel tres vncias olei amygdalarum dulcium recenter facti, cum ſaccharo vel ſyrupo violarum ei præbere. Præſtat quoque ſyrupus factus ex mucilagine citoniorum extracta decocto violarum: quibus innitendum plurimum non eſt, ſed bis terue die ea tantùm exhibebis: interim tamen hauſtum aquæ ſcorcioneræ vel bugloſæ porriges. Sunt etiam inter fœminas quædam adeò audaces, vt mox à partu potum frigidæ porrigere audeant, & aliquando non citra felicem euentum. Quod ſanè præſidium ijs, quibus acrimonia & calore tormina fiunt, proficuum eſſe experimento comperimus: ob id quidem non omnibus, ſed prædictis tantùm adhibendum, idque cum præmeditatione. Sed ſtudendum magis eſt ſanguinem extenuare, quò faciliùs fluere poſsit: cui etenim operi proficuum experimur decoctũ, vel ſerapium adianti, aut cinnamomi: ſed efficacius exiſtit quod recipit corticis

vtriuſque caſiæ,cinnamomi,capillorum veneris,ſeminis aniſi.ana.ʒ.ij.paſſularum ſine granis.ʒ.iij.fiant boli,aut citra paſſulas fiat puluis,qui exhibitus vino albo efficaciſsimus eſt.Præſtant & pulueris diacimini.ʒ.ℨ.ſacchari. ʒ.v.ſimul cum vino, vel aqua cinnamomi ſumptæ: ex vſu quoque eſt ſeminis dauci.ʒ.j.cũ aqua adianti. Hippocrat.inſuper lib.1.de morb.mul. huic malo ſic ſubuenit.Si verò puerperij purgamenta in grumos fuerint coacta,& dolor in imo ventre fiat, porrum coctum & quæcunque ſilueſtria & hortenſia olera dato,verùm omnia pinguia facito.Cui vſui proſunt pulueres nucis muſcatæ,cinnamomi, aniſi,& corticum caſiæ fiſtulæ. ana. ℈. j.cum dupla ſacchari portione ſuperbibito modico vino, aut ſi febris non adſit, præſtabit potus vnciæ vnius Hippocras,ſin aliter pulueres cum iure pullæ & croco admiſceantur. Cæterùm ſi cum animi deliquio tormina eueniant, prædictis auxilijs cordialia pharmaca admiſcebis, quale eſt quod recipit diamargaritonis frigidi, aromatici roſati, & diacimini.ana.℈.j.ſacchari.ʒ. v.cum aqua adianti fiant boli, quorum aliquem cum vino ſumat laborans. Sed vt partes patentiores fiant, mox à partu fœminæ peritæ hauſtum olei præbere ſolent, quod ego probarem magis ex amygdalis dulcibus, vel loco eius aquam calidam cum cinnamomo, adianto, aut corticibus citri decoctam: ac ſi fœmina pituitoſa fuerit & ſanguis craſſus ex pituita,hauſtum aquæ naphæ cum ſemine ocymi, vtilius eſt. Inter omnia tamen auxilia quæ vſui magis proficua comperi eſt, mox à partu ius galli veteris porrigere, idque primis tribus diebus ſummo mane efficere:addes tamen modicum cinnamomi & croci.Verùm hanc & præcedentem intentionem implent inunctiones ex oleo anethino calido, cum lana ſuccida, vel oleo liliorum: ſed quod vtilius exiſtit, oleum de ſemine lini cum modico croco eſt, vel oleum ipſum de croco cum oleo naphæ,aut per ſe ſolùm. Valet item vnguentum hoc,quod recipit adipis anatis, butyri recentis. ana. ʒ. j. ſucci ſampſuchi. ʒ. j.&. ℨ. myrrhæ. ʒ. ℨ.medulæ ceruinæ, terebinthinæ & mellis. ana. ʒ. ℨ. corticis caſiæ, & aloës. ana. ʒ .iij. ceræ quantum ſit ſatis, vt poſt ſucci conſumptionem fiat vnguentum. Confert etiam cataplaſma, quod recipit farinæ florum camemali, fœnugræci, ſeminis lini, fabarum, cimini. ana. ʒ. j. butyri recentis, adipis gallinæ. ana. ʒ. ij. cum oleo ſambucino fiat cataplaſma. Præſtat quoque aliud, quod recipit lutea ouorum cocta & dura numero. vj. cumini puluerizati. ʒ. iij. cum oleo liliorum & anethino piſta & adhibe. Confert etiam plurimum multorum decreto,ſi cepa in vino vel aqua parum coquatur,deinde exprimatur, & in oleo communi frigatur, ac vtero imponatur.Atque hæc ſunt quæ inter alia pleraque vſui probatiora reperio.

De immodico ſanguinis fluxu poſt partum.

Cap. I X.

QVANTITATEM certam ac legitimam purgationis à partu metiri & rimari, tam eſt difficile, quàm eſſe Medicum: nam coniecturam, qua id venari authores ſtudent,difficilem omnino eſſe conſtat. Referunt quidem purgationis tempus in maſculo puerperio finiri triginta diebus, in fœmina autem quadraginta. Verùm vt res ita accidat;fœminæ habitum, alimentum, vitæ ſtudium, & reliqua in vnum coire

coire tenentur, ſi cedere ex voto computationem velis. Et cùm hæc omnia rarò ſic iuncta reperire liceat, ob id difficile eſt ex fœtu tempus metiri & purgationis quantitatem: licèt à poſteriori non leui ratione certiores fieri poſsimus. Hippocrat. autem lib. de natu. fœtus, volens oſtendere purgationis tempus,ſic ſcribit. Puer mouetur triginta & duobus, & fœmina in quadraginta & duobus: igitur puer perficitur in totidem diebus,& fœmina in totidem: ſed quantò magis fœtus eſt maior, tantò magis trahit de ſanguine, quantò minor, minus: hoc enim principium eſt naturale, ſicut primum ſumptum ab experimento, ergo quantò magis proceſſerint dies fœtus, tantò plus trahitur de ſanguine, ergo tantò magis ſupereſt:& in principio cùm minimum trahitur de ſanguine, plurimum ſupererit: igitur in purgatione à principio magna quantitas ſanguinis, & perſeuerabit in maſculo ad dies triginta, in fœmina ad quadraginta dies perpetuò minuendo: nam in maſculi generatione quæ .35. diebus integratur, cùm parum natura mittat ad vterum, vt formationi non ſit impedimentum, totum illud quod ſuperfuit, totidem diebus per editum infantis in lucem excernit natura, nimirum. 35.& pari ratione in fœminæ formatione quæ 45. diebus finitur, etiam eiſdem numero diebus purgabitur poſt partum, quod ab illo tempore ſuperfuit in corpore. Nec mirandum eſt Hippocra. primum dixiſſe. 32. diebus fieri formationem maſculi &. 42. fœminæ,loco præcitato: nam in vetuſtioribus fœminis, & quæ ſæpius pepererunt ad. 45.vel.35.extendi contingit:nam vt ipſe inquit paulò plus,aut minus vſque ad prædictum tempus extendi poteſt:ſic profectò,quæ fœtus corruperunt ante debitum tempus, pauciores diebus expurgantur, & quò fœtus qui corrumpitur fuerit gradior eò pluribus diebus purget mulier oportet:nam adducta lex ſolùm de legitimis partubus venit intelligenda. Cæterùm hæc demonſtratio ſolùm docet durationem purgationis,non quidem quantitatem:namque non oſtendit copioſam diminutamue eſſe,ſed quantùm durare poſsit. Quapropter alia opus eſt coniectura,quæ doceat quantum ſit purgandum,& quid tanquam immodicum & præter naturam habendum.Quòd ſi Hippocrat.menſuram ſequi velimus libr. de natu.fœ. non minus errare nobis continget, quàm ex præcedente dogmate. Inquit enim in puella ad triginta libras quantitatem fermè accedere,in maſculo verò ad viginti & duas: qui ſanè ſanguis cõcretus erit,& in fruſta prorumpit.Atque cùm (vt dictum iam eſt) omnes vno modo, vnaue viuendi ratione inſtituere vitam nequeant, fit facilè, vt certa lex & regula in omnibus haberi non poſsit. Scribit autem Moſchio certam quandam coniecturam, qua ipſe nititur iuſtam quantitatem,ac debitum purgationis tempus venari:inquit enim.Eo cognoſces,quòd ſanguis vberrimus fuit primus, ſecundò fæculentus & paucus, nouiſsimè purulentus. Ex qua quoque ſententia non minus ad quantitatem metiendam, quàm ex reliquis deceptionem prodire credimus.Sed iterum Hippocr.lib.1.de morb.mul. rurſus ad primam coniecturã, ſed clariùs redit dicens: Prodeunt autem puerperij purgamenta ſanæ mulieri ſufficienter:primum ſeſquiheminæ mẽſura, aut paulò plura,poſteà adhuc pauciora iuxta hanc rationem,donec ceſſent.Prodeũt autẽ velut ſanguis à victima,ſi ſana,velut dixi,mulier fuerit,& ſana futura eſt,& citò cõgelantur,ac purgantur:& poſt partum plerumq; ſanæ mulieri contingit, vt poſt puellæ partũ in quadraginta & duobus diebus diuturniſsimè purgatio fiat. Extra periculum autem eſt,etiã ſi vigintiquinq; diebus purgetur:poſt maſculi verò partum purgatio diuturnior ſit in triginta diebus: extra periculum eſt etiam, quæ

in viginti diebus contingit. Et in ijs quæ fœtus corrumpunt, ſecundùm horum ſcitum ratione purgatio contingit, & in iunioribus quæ corruperunt, pauciobus diebus: in ſenioribus autem pluribus. Qua in re ego communem illã Hippocrat. de conferentia & tolerantia coniecturam, certiorem eſſe arbitror, adhibito in conſideratione fœminæ habitu, vitæ inſtituto, & reliquis quæ his ſimilia exiſtunt.

Qua facta coniectura, cùm vacuationem fœminæ vires excedere cõperiamus: tria imprimis animo conijcere oportet: primũ equidem quantitatem fluentis purgationis poſſe eſſe vel copioſam, vel immodicam, vel immodiciſsimam. Primam, naturalem exiſtimamus iuxta Moſchionis decretum, quòd ſit ex ſuppreſſi ſanguinis ratione facta: reliquas verò præter naturam. Quarum priorem immoderatam cenſemus, quòd vires proſternat reſolutis ſpiritibus, ac imminuto calore: cuius ſignum eſt pulſus debilis & frequens, impotentia, & cibi faſtidium, viſus tenebroſitas, aut imminutio, vel grauis auditus, aut tinnitus aurium. Alteram, quam immodiciſsimam eſſe diximus, compeſcere quidem protinus oportet, quia interitum ocyſimè minatur: id quod animi deliquium & conuulſio euidenter docent, vt ex Hippoc. conſtat. 5. apho. 54. dicente. In fluxu muliebri ſi conuulſio & animi defectus aduenerit, malum. Quòd verò cõuulſio & animi defectus, per ſe malum ſint, nemo ignorat: ſed cùm dixit, malum, aliquid amplius ſignificare voluit: hoc eſt; citra hæc accidentia, inopinatò non rarò ex immodico fluxu mortem aduenire, fœmina ſomnum ſimulante, quod medicum cauere magna diligentia decet: quia ſæpe id eueniſſe certum eſt. Præterea, idem Hippoc. lib. 1. de morb. mul. ſigna & rationem huius affectionis adducẽs, inquit. Si fluxus in vteris obortus fuerit, ſanguis multus fluit, & grumi compacti excidunt, & dolor occupat lumbos & laterũ mollitudinem ac imum ventrem, & durus eſt venter, & ad contactum dolet, & rigor ac febris acuta corripit, & debilitas oboritur, & omnia præter humeros ac ſcapulas, dolet, & calor inuadit, & rubeſcit, & venæ duræ fiunt ac renitentes: morbus hic maximè fit ex aborſu. Qua ſententia quantum mali afferat huiuſmodi affectio, euidenter conſtat. Et ſubdit eodem lib. 1. de morb. mul. docens mala immodicæ purgationis. Quòd ſi à partu purgata mulier fuerit ampliùs quã par ſit (ſi erit vterus ore patulo, & venarũ quædã quæ ad vterũ pertinent plurimũ euacuentur præ violento egreſſu puelli) prehendit eam cum rigore febris, eaque tenuis, etiamque calor per corpus vniuerſum diffundetur: nonnunquamque horror aderit, faſtidiumque cibi, & quemlibet abominabitur, & infirmior fiet, & palleſcet, & intumeſcet, & à cibo ſe ſe omnino continebit, aut ipſum non conficiet: quibuſdam verò & aluus & veſica multum vacuatur, vnde exhorreſcunt illæ magis. Quæ ſanè mala vel ex impotentia facultatis, vel ex ſanguinis ob vehementem motum turbatione ſuccreſcere euidentiſsimum eſt, ac forſan aliquando ex vitioſis humoribus intus relictis & commotis, quibus etiam aluus turbatur.

Ob ea quæ diximus, mala, mox à partu puerperij purgationem cõſiderare oportet, conferentiã & tolerantiã quoque. Quæ ſanè ex pulſibus & reliquis vitæ actionibus intueri poteris. Quòd ſi immodicam eſſe vacuationem cõſtet, nõ cõpeſces vt in reliquis corporibus, neq; protinus, neq; eiſdem auxilijs, ſed moderari opus eſt victu, potu & ijs quæ quodammodo firmare habent laxas vteri partes. Cuius cenſus eſt, tranſacto fluxionis impetu, ſi vires labi comperiamus, ſyrupus de roſis ſiccis cũ aqua, in qua ſæpius aurũ ſit extinctũ: leuis etiam brachiorũ frictio, cibus ex carnibus aſsis, ex amylo & reliquis, quæ moderata eſſe lib. huius operis primo retulimus: ita vt non ex toto cohibeatur fluxus, quòd ſecundùm naturam ſit, & immoderantia tantùm peccet. Quippe eum ex toto cohibere, eriſypelas, tumores vel alia præter naturam vtero ſuccreſcere efficit: & laboranti etiam difficilem accerſit reſpirationem, ſuffocationẽ, ac non rarò mortẽ. Quod etiã veritus fuit Auicen. Fen. 21. 3. tract. 2. cap. 33. Cæterùm in his expendiſſe oportet, an mox à partu ſanguinis profuſio acciderit: nam euidens ſit argumentum, ex vaſorum apertione maiori principium ſortiri: vel ex impetu, qui incepto ſemel fluxu cohiberi neſcit. Qua ratione cenſeo Auic. lib. citato cap. 34. dixiſſe, ex vſu eſſe manus ligare & ſupernas partes, quaſi ſtudens naturæ impetum frænare, dolore & frictionibus ipſa aliò euocata. Sic ob viarum laxitatem conſulit acetum ſuper ventrẽ ponere: quod ego non niſi formidanter adhiberem. Docuit etiam (quod ſecurius eſt) ventrem ipſum inungere oleo myrtilorum, ſparſis deſuper pulueribus ſuccini, balauſtiarũ, & thuris: vel hæc eadem cum vino auſtero. Quorum omnium nos lib. 1. maximã adduximus copiã. Quòd ſi vlterius fluxus ſubſequatur, vitium ſanguinis cauſam præſtitiſſe coniectãdum eſt, & optima vitæ ratione in cibo & potu inſtituta, rem moderari oportet, vt citato cap. diximus.

Verùm ſi immodiciſsima fuerit ſanguinis profuſio, ad quæque auxilia quãtumuis grauia deueniẽdum eſt: ſatius quidem exiſtimo, malum aliquod vtero aut toti corpori inferre ſanguine ſuppreſſo, quàm in vitæ deſperatione dubium periculũ vereri, præſenti & grauiori poſthabito. Quamobrem ſcito nil huiuſmodi profuſionibus citiùs ſubuenire, quàm viriliter comedere, vt & calor reuocetur, & natura diſtrahatur, alliciaturque ad confectionem alimenti. Ex quo inter alia bona vires etiam refici contingit, & partes facilè reſtaurari. Quòd ſi id prodeſſe non videatur, ad prædicti cap. auxilia confugiendum eſt. Quatenus verò ad ſomnum attinet, puerperio immodiciſsimè fluente, ſcito ſomnum nulla lege conuenire, ne partes internæ calidiores factæ vberiùs ſanguinem fundant. Quòd ſi aliquando is conueniens videatur, id profectò eſt, cùm aliquantulum auxilijs fluxum reſtitiſſe comperiamus. Interim tamen, ſi diutiùs duret fluxio, ſomnus conciliandus eſt (maximè ijs, quæ frigida & aſtringentia exiſtant) parciſsimus tamẽ, & à quo repentè & cum leui animi turbatione excitetur. Nec ſola permittatur fœmina dormire, ſed præſente aliquo qui reſpirationem & pulſum intueatur, ne vitã in ſomno deficere contingat. In quo ſanè caſu ex vſu fore arbitror, præter alia auxilia quæ cap. ſæpius citato diximus, ijs vti quæ Hippocrat. conſulit lib. de natu. mul. dicens: Si fluxus oboriatur, cancros fluuiatiles in vino ſuffocato, & vinum bibendũ dato, & quæ ſiccant, ſuffito & apponito. Item eodem loco, inquit. Si fluxus ſuboriatur, muli ſtercus combuſtum, tuſumque ac cribratum vino dilutum bibat. Et ſubdit. Si fluxus ſuboriatur, & iam diuturnus fuerit, ſpongiam combuſtam ac tritam vino dilutam bibendã dato: & per ſuffitus reſicca, & quæ aſtringunt appone: & fortaſſe nullo alio in caſu licebit, quæ aſtringunt, in puerperis adhibere. Sic libr. 1. de morbis mulie. commendat ad immodicam puerperij purgationem præſidia non pauca his ſimillima.

De diminuto ſanguinis fluxu poſt partum.

Cap. X.

DIctum præcedenti cap. eſt, naturalem in partu purgationem neceſſariò copioſam fore: ex quo euidenter conſtat in medio ſitam eſſe diminutæ, aut ex toto ſuppreſſæ ex vna parte, vel immodicæ ac immodiciſsimæ profuſionis ex altera. Sic etenim, cùm copioſè natura fundere ſanguinem nequit, diminutam, ſi ex toto cohibeat, ſuppreſſam efficit neceſſariam hãc & proficuam vacuationem. Quod equidem ſiue in aborſu, ſiue in partu legitimo aut laborioſo fiat, grande minatur periculum. Quippe vel febres, vel difficiles reſpirationes, anguinas, pleuritides, paraplexias, maniam, melancholiam, ac non rarò phrenitidem fieri cõſpicimus: vel in vtero graue aliquod malum, vt optimè animaduertit Auicen. 21. 3. tract. 2. c. 35. Quod intelligere oportet, niſi ſudor aliquis copioſus erumpat, quem millies fœminas ab his periculis eripuiſſe experimento didicimus. Eadem quoque mala refert Hippocr. ſuccreſcere lib. 1. de morb. mul. dicens: Cùm mulieri aut partus purgamenta, aut menſes non prodierint, aut etiam vterus durus fuerit, dolor habet lumbos & lateris mollitudinẽ, & inguina & femora, & pedes amarè dolet, & vẽter attollitur, & horrores per corpus diſcurrunt. Ex talibus autem febres fiunt acutæ. Qua quidem ſententia conſtant & ſigna & accidentia, quæ in hoc affectu reperiuntur, quæ maioris mali præſaga ſæpe exiſtunt. Ratio quidem in promptu eſt, quia licet menſiũ ſuppreſsio omnis quæ fit ex aliqua cauſa præter naturam, mala omnino ſit, ea tamen deterior eſt quæ ſit in puerperis à partu, vt docet Galen. lib. 3. epi. part. 3. commen. 73. quod ſanè fit & ratione multitudinis, tum etiam vitij & prauitatis: quia vt idem author lib. de atra bile refert, ſi quid boni in menſtruo ſanguine eſt, id in vniuerſum abſumitur in alimentum fœtus, quidquid autem vitioſi & mali in venis detinetur, ad tempus vſque partus adſeruatur, quod poſtea per multos dies excernitur: quo fit vt atræ bilis plerumque naturam referat: imo vt idem refert eodem. 3. pop. vrinæ quoque idem referunt: nam fuliginoſum quid præ ſe ferunt, ita vt ipſe dicat. 1. popu. part. 3. commen. 21. virulentia & mille alia vitia præſe ferre neceſſum eſſe. Ex quo ſequitur puerperas, in quibus purgationes à partu ſupprimuntur, grauiſsimis morbis ſempet corripi. Nam ſi in vtero præſit is ſanguis, inflammationes & alia vitia excitare habet, ſin autem in vniuerſo corpore, vt. 2. prorre. commẽt. 48. teſtatus eſt Galen. varios morbos & pericula adfert, pro varia natura partiũ in quibus ſanguis ille colligitur, atque his item accidit, præſertim morbo aliquo affectis, aluum pro vtero fluere, quod profectò difficilis iudicationis non rarò cauſa exiſtit, quòd nõ ſit conueniẽs illa vacuatio neque regio: cuius etiã prouidentiã obtinere oportet. Solet nõ minus lochialis purgatio imminui alui fluxu ſuperueniẽte: quo fit vt per vterũ ſolũ natura excernat quod lochialis purgationis ſeu puerperij tenue eſt, craſſo intus manẽte dilabenteq; in vaſa lumborũ, crurũ ac vẽtris, quo acerbiſsimi concitantur dolores: præterquàm quòd ſæpè craſſum adeò putreſcit, quòd virulentiam ac fœtorẽ non leuem concitat. Quo etiã fit, vt puerperæ facies in tumorem eleuetur, ac veluti pelluceat: maximè ſi cum hoc pituita de capite decidatur halitu putrido & calido ipſam liqueſcente, ſudoremq; frigidum etiam concitante, ac

ac ob defluxum ad muſculos temporales ſtridorem quoq; concitet. Quòd ſi cum ſanguine menſtruali ſuppreſſo in partu turgeſcat bilis, iecurq; adeat, frequenter mulier tẽtatur cardiogmo: faſtidium quoque cibi ſi ad ventriculum per tubulos expirauerit vapor ex ſuppreſsione, etiamq; vigiliæ infeſtabunt, ſi caput ierint, ac totum corpus compungetur. In qua re expendendum eſt, quòd ſi purgatio lochia ſis ſimul cum fœtu exierit, menſtrualis ſanguis poſtmodũ faciliùs & ſalubriùs excernetur: ſin aliter, hoc eſt, quòd puero exeunte ſicco lochialia intus maneant, vt paulatim cum ſanguine excernantur, deteriùs ſe habet mulier, quia ſubſtantia illa nullibi recipitur cupidè, ſed vel deterior facta, vel vitians reliquum ſanguinem, colorem fœminæ in plumbeum mutat, vel excrementa alui, & vteri nigriora ex vſtione reddit, quia immoratur & ſupra modum incaleſcunt, & vrinam ardentiorem reddunt & turbulentam, ac mille alia mala efficiunt, quæ Hippocr. annumerat lib. 1. de morb. mul. Et ſubdit eâdem parte de lochijs non probè purgatis. At verò vlcera in vtero poſſunt enaſci lochijs non purgatis: & docens huius calamitatis ſigna, inquit. Poſteà quam purgatio cœperit lochialis, tanquã ſpina per vterum pertranſire videtur, nec non etiam inuadit ardor, & potiſsimum ventrem prehendit & infeſtat cum dolore & febre, interdumq; etiam mali ferè moris puerperia funduntur, & purulenta & tetri odoris. Quæ ſanè mala ſi diligenti manu non præueniantur, in mortem cõmigrant. Quamobrem cunctandum non eſt ocyſimè præſidium adhibere: nam ſi ſemel aliquod ex prædictis acciderit, difficulter, dum inueteratur, præſidium admittit.

Sunt quidem huius affectionis plures cauſæ, externæ non paucæ, & internæ reliquæ: ſiquidem vociferatio, ſplẽdor, riſus, ſubita perturbatio, vel quoduis aliud animæ pathema (præſertim ſi ſubitò fiat) aut aëris frigidi acceſſus, vel aquæ intẽpeſtiuus potus, aut immoderatus alimenti vſus, & reliqua huius cenſus id malum frequentiſsimè accerſunt. Sic quoque ſanguinis craſsities, abundantia quæ obſtruat, viarum ſtructura, alicuius partis dolor, labor, aut imbecillitas, vel omnino puerperij purgationem ſupprimunt, vel imminuunt. Adducit etiam Hippocrat. lib. 1. de morb. mul. alias cauſas, nimirum dum vterus redditur à partu angusti oris, vt mox clariùs monſtrabo, adducta Hippoc. ſententiã, quæ in hunc modum ſe habet. Si prætereà pudendum puerperæ aliqua ex parte obturatũm fuerit (iam verò & hoc ipſi vidimus, quotiens os vlceratur pudendi, ac poſteà quàm vlceratũ fuerit in partu ab exeunte puello violatum aphthis quid in eo fit perſimile) & inflammatur valde, ac tunc labra præ ictu in ſeſe concidunt, ac mutuo prehendunt, vtpote vlcerata. Quo ſanè cohalitu fit, vt puerperia non ſuccedant, & prædictis malis corripiatur fœmina: quæ omnia recenſet idem author eodem textu, pulchra oratione, quę docet talia fore ſympthomata taleue periculum, qualc fuerit membrum ad quod recurrunt lochialia purgamenta, ſic ſanè illis ſuccreſcũt tuſſes (ſiue aut cũ ſpumoſo ſputo) aſthmata, delíria, capitis dolores, vertigines, vigiliæ, ſomni profunditas, & reliqua id genus, ac etiam, quod maioris eſt difficultatis, donec ſanguis vomatur, vel per nares proſiliat, ruborem q; in facie inferat, quo fiat ad iecur & meſeraicas retro ceſſus: vel ſaltim ob plenitudinem exitus præexiſtentis in vaſculis ſanguinis. *Cauſæ.*

Sed præter ſigna quæ lib. 1. cap. de ſuppreſsione menſium adduximus, placuit hîc ſcribere quædam huic affectioni peculiaria, quæ morbi naturam, cauſam & futurum euentum commõſtrant: inquit enim Hippoc. lib. de natu. mul. Si ex partu non fuerit purgata, tumet venter & crura, & rigor ac dolor imum ventrem ac lumbos tenet: quandoque etiam ad viſcera aſcendit, & animo linquitur. Atque *Signa.*

hæc patitur incipiente morbo, progreſſu verò temporis cauæ faciei partes rubeſcunt. Præterea ſic ſcribit lib. 1. de mor. mul. Si verò ex partu non fuerit purgata, venter intumeſcit, & ſplen, & crura, & febris habet, & rigor corripit, & dolores profiliũt ad lumbos, aliquando etiam ad viſcera, & perfrigeratur, & febris habet: pulſus debiles ſunt, & aliquando acuti, & aliàs attolluntur, aliàs deficiunt. Lib. etiam eodem inquit. Si verò paulò pauciora quàm oportet, prodierint mulieri puerperij purgamenta, velut vteris angusto ore præditis ac diſtortis, aut aliqua pudendi pars valde fuerit concluſa ab inflammatione: mulier acutè febrit, & ſtomachi dolore vexatur, & dolet totum corpus, & moleſtè fert, & ad articulos manuum ac crurum & lumborum dolor procedit, & locum circa collum, & ſpinam, & inguina dolebit, & quædam corporis partes impotentes fiunt: poſteà calor quietus erit, & valde manifeſtus. Idem etiam refert lib. 1. de morb. mul. aliam cauſam ſcribens: inquit enim. Si vteri anguſti oris ipſi fuerint, & puerperij purgationem non emiſerint, inflammantur, & ſi non curentur breui, omnia magis ipſi affligent, & dolor malus erit, & exitus intumeſcit. Et ſi non inflammati fuerint vteri, ſua ſponte exit malum grauis olens, & liuidum aut nigrum, grumoſum, & mulieri puerperij purgaméta purgantur. Quandoque verò non exit, ſed mulier mortem portendit, niſi quis breui venam ſecet, aut ventrem emolliat: præſtat autem etiam clyſterem adhibere: ſi verò ad vomitum facilis fuerit, etiam vomitum inducere. Melius autem eſt lotiũ ciere, & exſudare (à quo loco Auicen. ſuum dogma ſuperiùs ſcriptum deſumpſiſſe arbitror) verùm in his occaſio optima eſt, cùm opus his fuerit. Quibus ſententijs cõſtant cauſæ, & cuiuſque ſigna, & accidentia, ac periculum huius affectionis, nec nõ & vera curandi ratio.

Curandi ratio.

Quibus ſic breuiter conſideratis, medendi ratio duplex erit, altera quidem, quæ cauſam reſpiciat, reliqua verò, quæ imminens periculum ob adauctam plenitudinem ex diminuta purgatione contractam demat. Antè tamen quàm hinc diſcedam aduertiſſe oportet, quòd ſi ſanguinis purgatio ſupprimatur, quòd ad mammas ſanguis recurrat, conſiderandum tunc eſt, an mulier nutrix futura ſit nec ne. Si primum, non protinus ſanguinem detrahes, ſed primùm naturæ impetum ſpectabis, & poſteà ſanguine ex talo miſſo, aut aliter, vel cucurbitis femoribus affixis purgationem euocabis. Quòd ſi plenitudo in morbum degenerauerit, tertia alia ſuccreſcit indicatio, quæ morbo prouideat iuxta cuiuſque naturam, vt cap. ſequenti docebo. In hac etenim curatione tanquam peculiare præceptum expende, præferendam eſſe (niſi quid aliud obſtiterit, vt alui fluxus) indicationem futuri & imminentis mali, cæteris omnibus: quod facies proculdubiò ſi plenitudinem ocyſimè dempſeris vena ſciſſa. Id quidem hac præmeditatione facies: ſi puerperij purgatio ex toto ſuppreſſa ſit, id tibi ſit obſeruatiſsimum præceptum, & quod primò fieri debet: ſi verò ſolum diminuta ſit, non eſt extra rationem optimi conſilij (poſthabita plenitudine, quæ principium futuri & imminentis mali eſt) aduerſus cauſam, quæ plenitudinem ipſam congregauit, primò aliquid agere: ac ſi non, vt par eſt, profuerit, ad plenitudinem demendam deinceps confugito. Sed videndum eſt primò quomodo cauſis internis prouidendum ſit. Si comperiamus quidem aliò ſanguinẽ confugere ob dolorem, laborem, vel quãuis aliam cauſam, protinus ijs quæ ad vterum ſanguinem euocent, vtendum eſt, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis ſuris & femoribus affixis cum copioſa ſcarificatione, ſed primò citra ipſam. Quòd ſi malũ vrgeat; in his immorandum non eſt, ſed protinus ad inferas partes ſanguinem euocabis, vena tali ſemel aut bis ſciſſa, nimirum quantum ſat ſit, vt vel retrocеſſus fiat, vel

vel copia minuatur. In quo caſu ſanguis non eſt copioſè fundendus, ſed parcè & per vices: ſic enim euocatur magis puerperij purgatio: nam ſi nimium vna vice fuderis, potiùs ab vtero retrahes, & omnino puerperæ purgationem demes: copioſa enim ſanguinis detractio ijs tantùm puerperis cõuenit, quibus grauis affectio moleſta aut ſuſpecta eſt. Quo facto, membri recipientis cura habenda eſt, iuxta eam quam obtinuerit naturam aut affectionem, vt ſequenti cap. docebo. Verùm ſi ſanguine ſufficienter miſſo quantum vires permiſerint, cognitum ſit ſuppreſſionem iuuare ipſius craſitiem (vt ex ipſo ſanguine facile erit rimari) quæ attenuãdi vim obtineant, ſunt adhibenda: quem vſum præſtat oleum de croco, de cinnamomo, de lilijs albis, de ſpica nardi, de napha, de angelica, quibus ſi theriacæ modicum addideris, multum profuiſſe comperies: prodeſt & vinum vbi ferbuerint folia trifolij, epotum. In quem ſanè vſum adduci poſſunt Hippocrat. auxilia lib. de nat. mulie. ſcripta his verbis. Si vteri concluſi fuerint, & menſes non apparuerint, colocynthidem ſilueſtrem, & ſilphij ſemen, cuminum Æthiopicum, nitrum, ſalẽ Thebaycum, adipem renalem, farinam, myrrham, & reſinam, omnia hæc feruefacito, ſimulque mixta ac trita in glandulam efformato ac apponito. Cõſuluit etiam Hippocrat. lib. 1. de morb. mul. euaporationem ex eryſimi decocto præſtare, cui poſt leuem coctionem iubet modicum olei adijcere, & ante adhibitionem tepefacere, ne plus vterus quàm par ſit incaleſcat: nec additmox ante coctionem oleum, ſed in media coctione, nam anteà impediret trãsfuſionem virtutis eryſimi in aquam. Proſunt quoque fotus ex decocto rerum calidarum & tenuium partium: maximè in oleo facti, & ex omnibus quæ ſuperiùs diximus, inunctiones poſſe fieri. Conferunt & inſeſſiones in prædicto oleo calido, vel ſuffumigium ex bdelio, ſinapi, & myrrha, vel cum oculis aut capite piſcis ſaliti, vel cum vngula equi aut aſini. Poſtmodum verò ſi hæc non profuerint (viribus non plurimũ labentibus) ad ſanguinis ex talo effuſionem venire conſulit Auicen. quam lato foramine efficere opus eſt, vt craſſioris ſanguinis aliquid educi euacuarique poſsit, ſi priùs quæ per ſuperna ſanguinem extenuare poſſe diximus, exhibueris. Inter quæ primò porriges ſuccum borraginis, potrorum, & petroſelini cum vino vel oleo amygdalarum dulcium: maximè ſi vtaris ſuffitu ex vnguibus & cornibus capræ. Quo facto adhibebis decoctum graminis, cinnamomi, adianti, pimpinellæ, caſiæ, ſatureiæ, & ſimilium cum croco. Conſulit etiam Hippocra. lib. 1. de morb. mul. decoctũ foliorum ſambuci præbere, & vtero apponere peſſarium ex mercuriali vel artemiſia, aut ex vtroque cum lana: item aliud ex radice ſtruthij contritæ adhiberem cum melle & lana: quorum magnam copiam capit. de ſuppreſſione menſium libr. 1. reperies.

At ſi ab oſculorum venarum ſtructura id malum proficiſcatur, quæ molliẽdi & laxandi ventrem, & vicinas partes vires habent, adhibenda eſſe conſulit rei natura. Quamobrem primò ſanguinem copioſè fundes: quo facto Hippocrat. lib. 1. de morb. mul. aquam calidam bibendam porrigit, qua faciliùs ſanguis deſcendat, dilatenturq; viæ ac oſcula pateſcant: ac ſi facta ſemel aut bis ſanguinis detractione vires non ſuffecerint, cucurbitas quoq; femoribus aut ſuris affixas ſcarificabis. Quo facto ventrem inunges oleo amygdalarum dulcium, ſeſamino, de vitellis ouorũ, de lilijs albis, & de baccis lauri cum dialthea, axungia gallinæ, & medulla crurium vituli. Proſunt & prædicta fomenta ex vino, dulciq; oleo facta, maximè ſi in eis bullierit hypericonis aliquid, cinnamomi, radicis vel ſeminis angelicæ, caſiæ, vel quid ſimile. Quem quoque vſum afferunt, præter peſſarium ſuperiùs ab Hippocrat. adductum,

adductum,inſeſsiones,& clyſteria emollientia,& potus aquæ calidæ, præſertim ſi aqua ex medicatis ſit,in qua ferbuerit cinnamomum,fœniculum,caſia, & cortex citri. Quòd ſi ſanguinis abundantiam ſuppreſsioni cauſam præſtare certum ſit, nullo alio auxilio tutiùs & certiùs malo medeberis,quàm copioſo ſanguine per venas tali effuſo:tunc enim natura potentior reddita ſupra reſiduum,id faciliùs per conſuetum ſibi locum expellit.Ac licet non ſit quod à natura excernitur, adeò copioſum,non ob id mirandum eſt,ſi præceſsit copioſa ſanguinis detractio,quæ maiorem quantitatis copiam imminuit.Atque hanc oportet prouidẽtiam in ijs quæ pepererunt obſeruare,ne puerperium in aliud grauius malum commigret.

De recta curandi methodo adſeruanda in ijs affectionibus,quæ enixis ſuperueniunt. Cap. XL.

NIL profectò, iudicio noſtro fœminis grauius, moleſtius & periculoſius accidere poteſt, quàm à partu, aut aborſu,poſt tot labores & ærumnas, morbum aliquem ſuccreſcere:tum quòd difficulter eum poſt partus accidentia tolerabunt: tum etiam ob corporis imbecillitatem:tum vltimò ob difficilem curandi viam quæ in enixis habetur: quòd puerperium neque ipſi morbo ſufficiat,neque alia admittat præſidia.Neque rurſus Medicis quid anxius,difficilius & vrgentius in re practica contingere poteſt.Quamobrem paulò diligentiùs rem hanc expendere oportebit,vt prudenter ac generoſo animo quiſque citra cunctationem quod opus fuerit, aggrediatur,ac vereatur quæ profutura ſunt imprudenter præterire.

Succreſcunt proculdubio enixis morbi poſt partum vna è duabus cauſis, vel ex ipſius puerperij improſpera purgatione, modò diminuta, modò exuperans ſit: vel ex morboſo corporis apparatu, quem dolores & labores partus excitarunt: præter quos nec tertiam aliam reperies. Nam pleriſque accidit, etiam ſi probè purgentur, in medio purgationis tempore externam cauſam euenire, quæ febris vel alterius mali occaſionem præſtet, vt Hippocra. refert lib.1.popu.part. 3. Philini vxori in Thaſo accidiſſe, cui improbè deinceps procedente, fortaſſe ob cauſam externam, aliqua purgatione, febricauit ex recurſu materiæ ad hepar & interiores vteri venas, quo ereſypelam vtero ſuccreuiſſe credendum eſt, & in hepate inflammationem, quod oſtendunt hepatis adiecta ſigna. Qua ſanè hiſtoria conſtat,non ſat eſſe purgationem ex ratione fluere, ſed fluxuram ſperare, & præcauere ne præpediatur.Quippe cauſæ externæ alteram prædictarum, aut vtramque commouere priùs tenentur, quàm in affectum aliquem prorumpere poſsint, ni morbus genitus ex ſolutæ continuitatis genere ſit. Sic in miſerrimis vtcumque ſuppreſſa puerperij purgatione, conuulſiones,paraplexias, ardentes febres, maniam, melancholiam, anginam, difficilem reſpirationem, pleuritidem, ſanguinis ſputum, alui fluxum, dyſſenteriam, ſanguinis vomitum, hydropem, animi deliquia, ſyncopim & pleraque alia mala accidiſſe frequentiſsimè comperimus. Quam ſanè morborum differentiam facilè diſtingues,ſi puerperij quantitatem,modum ac ſubſtantiam diligenter intuearis.Quoniam ſi nihil fluat,ſi diminutè, ſi cum torminibus & grauioribus ſympthomatis, ſi fæculentum corruptumue vtcunque aliter excernatur,vel calore partes pudẽdas exul-

exulceret, vel ob admixtam alienam extraneamque ſubſtantiam præter naturale & diuerſum à puerperij conditione,ſiue mola ſit, ſiue quid aliud, quod cum eo excernatur:credibile quidem eſt,quod intus relinquitur,morbo materiam præſtaturũ.Idq; maximè periculũ ſubeunt quæ abortiunt fœminæ,quibus grauiora mala frequentiùs ſuccreſcunt, vt ex Hippocrat.colliges.3.popu.par.2. in hiſtoria eius quæ apud Pantimedẽ ex aborſu igne correpta eſt,& ex hiſtoria vxoris Oecete.At ſi partus laborioſus ſit, fœmina primipara,& corpus vitioſis ſuccis abũdans;ſi vita præceſsit intemperata,victu,potu,aut exercitijs;ſi aliquo morbo ante partum præueniatur,etiam ſi optimè à partu purgetur,rationi videtur conſonum morbum nõ ex puerperio,ſed ex reliquo corporis apparatu principium ſortiri,vt accidit mulieri quæ decumbebat in foro mendacij,vt refert lib.3.popu.par.2.Præter dicta accidẽtia quæ enixis ſuccreſcunt,accidit etiam illis ſi pituita, aquoſitas ex largo potu, aut cruditas ex intempeſtiuo vitæ & victus modo,in corpore abundent,quod Hippo. lib.1.de morb.mul.depingit dicens:Quòd ſi quæ eſt grauida,apparentibus ijs quæ modò comemorauimus affectionibus,lienoſa fuerit, profluẽtibus mẽſtruis, aquæ & pituitæ ſimilia reddit & emittit, inſtar aquarũ quæ ſuccedent,erunt puerperia, modoque venient plurima, modò pauciora: tandemque etiam quaſi è carnibus aqua redditur,interdum verò aliquanto craſsiora,quæ attamen minus concreſcãt. Et ſubdit paulò inferius. Futurum enim eſt vt hinc profluuium aquoſum fiat,aut vt in occulto reſidẽs purgatio lochialis ad partes diuertat ventri propinquas & crura,aut etiam ad pectus, aut in ſumma ad harum partium aliquam. Quibus conſtat quod ſæpe experimento confirmari vidimus:nimirum non paucas fœminas hac ſola cauſa vel in grauiſsimos delabi affectus à partu,vel ſteriles ſupereſſe.

Quibus equidem ſic cognitis,vt vnde morbi principium ſit ſumendum,& cõputationem dierum ipſius ineundam diſcas,expendendum eſt,à quo morbi principiũ deſumere liceat:cuius rei gratia diſtingues, an affectus proficiſcatur ex puerperio:tunc enim certum eſt,non à partu,ſed ab eo die,quo in puerperio aliquod vitium apparet,computationem ineundam eſſe.Nam ſi primis diebus purgationem proſperè ſucceſsiſſe conſtet, poſtmodum verò vel ſupprimatur, vel vtcumque aliter vitietur:ab eo quidem die rationabile eſt computationem eſſe ſumendam,vt in Philini vxore Hippocrat.apertè docuit.Verùm ſi certum ſit morboſum corporis apparatum in affectum prorupiſſe,ob partus labores,mihi non eſt dubium quin ex die partus principium computationis ſumi debeat,tanquam ex cauſa quæ affectum creauit,velut accidiſſe conſtat Dromeadæ vxori quæ filiam cùm peperiſſet, mortua eſt ex febre acuta ſeptimo à partu,& ſexto ab acuta febre. Quamobrem mirum videri non debet, ſi apud priſcos illos Medicos ſapientiſsimos, & apud Neotericos etiam comperiamus nunc à partu,nunc verò à die morbi cœptã computãdi rationem:nam prout affectus principium ſortiebatur,ita computationem expoſcebat.In alijs verò quæ inſtante partu ægrotare cœperũt,à die ipſius mali ineunda computatio eſt,vt in vxore Epicratis Hippocrat.docuit lib.1.popu.par. 3.Quòd ſi quis à die partus velit computare,non errabit,quia iam labores illi ex inſtante & incipiente partu aderant. Quæ ſanè mala & alia quæ puerperis euenire paſsim conſpicimus, grauiora plerumque ex filiarum quàm filiorum partu cernimus, quòd excrementis magis abũdent, eaque ſint ſpurciſsima & grauiora,quod non immerito ſignat Hippo.dicens,filiam peperit, quaſi inſinuans non eſſe paruã mali occaſionem.

Pari quoque cauſa in recta medendi ratione,rem hanc varietatem aliquã nanciſci

ciſci comperimus:quippe affectus quos ſuppreſſa purgatio incitat,duplicem omnino medendi rationem ſibi acciſcunt:alteram quæ ex puerperio proficiſcitur: alteram verò,ex particula quæ affectum ſuſceptat.Illa proculdubio duplicem prouidentiam commendat,vnam,quæ quantitati prouideat,alteram quæ qualitati:hęc verò membrum præcauet quominus recipiat,& impetum humoris ad ipſum fluẽtis vel compeſcit,vel ad vterum transfert:nam ad aliam partem deferre tutum nõ eſt.

Sic omnes, qui ex puerperio diminuto vel ſuppreſſo proficiſcũtur affectus, hãc vnam habent communiſsimam curandi rationem, copioſiorem nimirum excitare purgationem.Quod ſi vel nequiuerit,vel remoretur, vel affectus citiùs & maiorem prærequirat diligentiam, tunc quidem altera vacuatione,quæ ei ſit affinis defectum ſupplere opus eſt.Quamobrem venas tali inſcindimus,vel cucurbitas in ſuris & femoribus affixas ſcarificamus:vel ſi ex toto puerperium ſupprimatur,& nullis remedijs ceſſerit,vt non ſperemus iterũ rediturum, hæmorrhoides euocamus, quæ ob partium viciniã defectum purgationis vteri mirè adimplent.Quòd ſi vel parum aut nihil profluxerit ex vtero, coniectandum eſt,an ſanguis à natura purgatus puerperij quantitati,vt par eſt,reſpondeat:ac ſi ita ſit,tunc vltra eſt conſiderandum,an affectus maiores & plures præſtet cacochimiæ, quàm plenitudinis notas. Nam eo tempore ceſſante purgatione vteri, vel ſi parca fuerit,aut impuri ſanguinis,ac vrgenti malo,purgationi humorum innitendum eſt in quouis affectu pro idea humoris peccantis. Nec vereri plurimùm oportet,affectu vrgente,purgatione vti,etiamſi aliquid per vterum inſtillet, dummodo ſanguis non ſit: ſi enim purgamentum aliud fuerit, verendum non eſt. Quippe non rarò pleraſque mori conſpicimus aut in graui aliquo periculo verſari,cùm Medici timidiores facti purgare renuunt,ſperantes donec ex toto purgamenta illa fluere deſint.Quamobrem tutius mihi videtur conſilium,ſi vacuatio illa ſufficiens non videatur,purganti medicamẽto vitioſos humores copioſiùs expurgare,vt deonerata natura faciliùs quos adſeruauerit,concoquat ac pellat,modò per vterum,modò per ſignatam aliam regionem:nam mihi non erit impedimẽtum,per aliam regionem ab vtero naturam reuocare,ſi per ipſam vacuatio facta non ſufficit,& affectus vrgentior indies ſit.Tutiùs enim eſt ſubitò cauſam deponere,quantum affectui ſufficiat,quàm parca vacuatione à natura facta contenti,auxilium differre,donec ex toto natura ſuccumbat,& nihil ſubinde proſit.

Cæterùm ſi affectus eximmodica puerperij purgatione ſuboriatur, prudenti coniectura penſitandum eſt,quantum id,quod profunditur,excedat naturalis purgationis puerperarum copiam:vel quantum vires proſternat.Et nulla ratione antè prouidendum eſt affectui,quàm profuſioni,ſi immodicam quoad debitam quãtitatem,vel vires eſſe comperiamus. Verùm ſi tempore & duratione copioſior potiùs,quàm ſubita quantitate & immoderantia extiterit; tunc affectui prouidendũ primò eſt,& profuſionem moderaberis medicamentis & alimentis.

Sed maiorem prorſus & grauiorem infert dubitationẽ affectus qui ex morboſo corporis apparatu proficiſcitur, vtero ſeſe optimè expurgante (nam ſi rectè non purgetur,prædictam diligentiam requirit) quòd eo tempore nec reuocare,neque citare vteri purgationem liceat; nec rurſus naturam alijs vacuationibus diſtrahere, aut aliquam illi contrariam mouere.In quo ſanè ancipiti caſu vel affectus exacerbabitur nullo facto præſidio,vel ſi aliquod præſtiteris,natura à proprio munere diſtrahetur,& fortaſſe puerperium præpeditum fiet materia morbi.Quamobrem tunc

tunc videndũ eſt purgata ne ſatis fœmina fuerit,an minimè:quòd ſi puerperij purgationem,vt par eſt,præceſsiſſe compertum ſit; aliam, qualem affectus poſtulauerit,excitare,ſi vrgẽtiſsimus fuerit,non erit abre.Si verò mitior,tenuiori victu & optimo viuendi genere affectum cõterere ſatius erit,quàm ob leue periculum,in certum,in grandius & certius naturam deferre,diſtractam à neceſſaria & conſueta vacuatione. At ſi cõpertum fuerit puerperiũ ſatis naturæ non eſſe,nullum aliud reperire poteris præſtãtius præſidium, quã vlteriorem efficere per vterum purgationẽ, vel per aliquam ex ijs,quas eius defectũ antèà ſupplere diximus. Conſimilẽ quoq; curationem ſcribes,ſi ex cauſa aliqua procatarctica affectũ proficiſci cognoſcas,facta priùs coniectura,vtrum ex his cauſis continentibus exterior moueat aliquam: nam ſi puerperium vitiet, vt illi conuenire diximus,curationem inſtitues:ſi verò morboſum corporis apparatum, vt mox dictum eſt. Verùm vt exactiùs intelligas quid in vnoquoque affectu agendum ſit,proponam exempli gratia,grauiores affectus,quos enixis frequentiùs accidiſſe comperimus,illiſque adſcribam peculiarem curandi rationem,prout puerperarum ſtatus expoſcere videtur.

De puerperarũ febribus.

Quod frequentiùs ijs quæ pepererunt euenire ſcimus,febris quidem eſt,idque plerũque fœmellam enixis,vt conſtat ex Hipp.lib.3.pop.par.3.in hiſtoria eius quæ decũbebat circa frigidũ,& lib.4.par.3.in hiſtoria vxoris Cycici,quæ gemellas pepererat: quibus non ſolùm febrire ſed & periclitari non rarò contingit.Nam rationi videtur conſonum,cohibitam ſemel menſtrui purgationem(maximè quod fæculentum ex fœtu ſupereſt) aliquod poſſe contrahere vitium,quod licet aliquo tempore leue ſit & occultum, ex aliquo tamen partus labore vel errato, aut ſola fœtus commotione in putredinem ac febrem degenerat, vel reliquum totius corporis apparatum conſpurcat:haud ſecus quàm vehementes dolores efficere habent,vbi corpus humoribus abundat.Sic enim Epicratis vxori accidiſſe retulit Hipp.lib.1. popu.par.3.tex.22. cui ex partus laboribus præexiſtente in corpore apparatu,rigor non mediocris ſuperuenit; quo tertiò die à rigore filiam peperit,& omnia ritè habuit, quam poſtridie à partu febris acuta inuaſit.In cuius enarratione conſtat crudos & bilioſos humores abundare:illos,quia riguit citra febrem:hos verò,ob accidentia quæ deinceps annumerat.Cui conſimilem affectionem recenſet eodem li. tex.28.in Dromeadis vxore,quæ filiam enixa, poſtridie à partu rigore & febre correpta eſt,licet partus optimè ſucceſsiſſet: tamen ex commotione morboſi apparatus id malum principium duxit.Cuidam etiam mulieri quæ apud Paritimedẽ degebat,idem malum accidiſſe refert 3.popu.par.2.tex.7.dicens.Ex abortione infantis,primo die igne eſt correpta. Quam equidem ex aborſus labore febre affectam fuiſſe euidenter conſtare arbitror:ſicut alteri accidit,cui ex aborſione ad quintum menſem febrem ſuccreuiſſe refert tex.8.& 9.Plures quoque alias facilè reperies,& experimento quotidiano diſces:ſed longè plures ex retentis vel improbè purgatis à partu menſibus. Quod ſanè vxori Philini in Thaſo filiam enixæ contigiſſe retulit Hippo.1.popu.par.2.tex.21.quæ igne eſt correpta decimoquarto die à partu:cuius computationem ab eo die inſtituit Hipp.quòd ex ſuppreſſa purgatione,vt Gal. primis commentarij verbis retulit,laborare cœpiſſet. In reliquis verò,quas nuper retulimus, iuxta optimam rationem eſt,computationis principium ſumere à die laboris & partus,vt ex hiſtorijs ſatis patere cenſeo. Sed febrem accidiſſe ex menſiũ ſuppreſsione mulieri cuidam,quæ apud frigidam aquam in Thaſo ægrotabat,retulit Hippo.lib.3.popu.par.3.tex.75.quæ licet ante partum febricitaſſet, tertio die à partu acutè incepit febrire præcedente rigore valido.

In quibus sanè febribus,& in ijs quæ similes existunt,omni studio curãdum est inceptam naturæ purgationem complere, si eius defectu morbum traxisse principium constet:sin aliter,& ab apparatu morboso suboriatur,per eandem regionem (nisi vrgentissimus fuerit affectus,& ex propinquiori loco expostulauerit euacuationem) euocandam esse naturam,omnes vno consensu docent: idq; euidentiùs Hippo. qui balneis,seu(vt Gal.docet)pessis vtebatur,quibus purgatio euocaretur, & inflammatio subsideret.Sic equidem lib.1.popu.par.3.text.21. retulit,& eâdem parte in historia Hepycratis vxoris inquit.Per suppositũ autem hæc releuata sunt. Nos autem eandem rationem insequentes,suppositis seu pessis, qui menses moueant,vtendum esse cẽsemus. Sed tutius quidem mihi videtur ad maiora auxilia manus extendere,quia febrium furibunda conditio rarò tamdiu differt symptomata & grauiora mala,quæ solent afferre,quin aliquod protinus præsidium adhibere sit opus.In quo sanè malo(si nobis constet ex lactis vbertate febrem non oriri, quod priùs,quàm auxiliares manus adhibeas,distinxisse est necessum ex mammarum duritie,turgentia,dolore,calore,cum dorsi & scapularum grauitate & calore) sanguinem quam citissimè mittes ex tali venis,quantum sufficere videatur ad plenitudinem deponendam,vna aut repetitis vicibus.Postmodum verò si vires vlteriorem sanguinis profusionem per venam magnã non posse ferre videantur: purgationem euocabis,& sanguinem quoque minues,affixis & scarificatis cucurbitulis femoribus & suris:aut,si mauis,per marisca id facito. Cessante autem protinus puerperij fluxu,transactoq; statuto purgationis tempore,ex venaiecoris, si distem periem adhuc præesse cõstet,aut ex venis brachiorum,si ob plenitudinẽ,tutò mitti sanguis potest.Quo facto,humorum,qui morbosum cõtinent apparatum, vel eorum,in quos degenerat puerperium,prouidentiam habere oportet,& cuiusq; naturam tenuatis crassioribus,retusis qui acres existunt,refrigeratis calidioribus, admixto tamen aliquo ex ijs quæ tenuãdi vim habent, quo promptiores sint ad expurgationem per vterum.Ac si id non tentauerit natura,tu ipse medicamẽtis per aluum purgato:cessante tamen sanguinis purgatione, vel ad minùs solùm instillante:nam si necessitas vrgeat,cunctandum non est,quin protinus cessante(vt diximus)sanguine purgemus:præsertim si quod excernitur,corruptum,fæculẽtumque est,& parcissimum,& quod magnitudinem mali non minuit.Itaq; & copiam sanguinis,quantum natura assuescit & nititur expellere,minuere oportet, & reliquorum humorum expurgationem, moliri, prædictis coniecturis præhabitis: & vteri curam gerere,vt patentior primò fiat,quo faciliùs per ipsum prorumpant qui abundant humores,vt vnà sequamur naturæ motum & noxij eductionem:quod pessarijs & inunctionibus.2.lib.adductis facilè consequeris.Reliqua verò, sicut in cæteris corporibus agenda sunt,excepto acidorum & nimis frigidorum vsu:nam semper in his vereri oportet vteri naturam,conditionem & opus,quod eo tempore molitur,nimirum sanguinis & aliorum humorum expurgationem:quam equidem interdicit frigidorum vsus.Sic & acida vterum quoque maximè offendunt, ijs maximè quæ nuper pepererunt,nisi constiterit ob ingentem calorem & siccitatem forsan prohibitam esse humorum expurgationem, quòd ipsi crasiores ex nimio calore adurente fiant,& viæ ob siccitatem arctiores:quo tempore paulò liberaliùs frigidis potionibus vtendum est.

Est quoque alia febris natura & conditio enixis peculiaris & propria, quæ nulli alteri fœminarum sorti accidere visa est, aut saltem perquam rarò: nimirum cùm ex puerperij suppressione, vel diminuta profusione purgamentum ipsum in

in vtero putrescit, suppuraturue. In quo sanè opere necesse est febres fieri iuxta Hippocratis decretum. Dum pus conficitur,&c. Id certè monstrant quæ ab vtero eo tempore prodeunt graueolentia,fœtida, aquosa, aut saniosa, vel alia quauis qualitate pessima affecta. Quæ febris species eodem omnino modo fit, ac cæteræ omnes, quæ principium sortiuntur ex minera aliqua putredinis, vel ex bubone aut tumore alio præter naturam: nam putrescentibus in vtero humoribus cor incalescere, & febrem subinde fieri certum est. Cuius affectionis latè etiam meminisse Hippocrat.constat lib.1.de morb. mul. referentem cuiusque febris à partu proficiscentis causas,per hæc verba. Cùm mulieri puerperæ purgatio non facilè procedit,velut vteris inflammatis & osculo ipsorum concluso, obtorquetur enim stomachus vteri post pueri egressum. Si enim quid horum fuerit, purgatio non procedit. Has autem veluti causas primò scribit, & subdit. Si verò non processerit purgatio, continget ipsam febrire, & horrorem habere, & ventrem magnum esse,& si ipsam attigeris,totum corpus dolere, maximè si quis ventrem attingat,& aliàs atque aliàs stomachi dolore vexatur,& lumbos dolet,& cibi fastidium, & vigiliæ & punctura adest.Posteà quinto aut septimo die quandoque venter turbatur, & succedunt nigra & valde graueolentia aliàs atq; aliàs, & vrina velut asinina.Quibus verbis euidenter ostendit signa, quæ prædictam affectionem apertè monstrant:& pergit dicens:Si verò venter ipsi non turbetur,neque purgatio prodeat sua sponte,neque ea quæ commoda sunt, breuì exhibeantur, tempus autem progrediatur, multò magis ex prædictis affligetur, & insuper periclitabitur, ne liuida fiat,velut plumbum,& aquam intercutem incidat: & vmbilicus stabit ipsi ab vteris eleuatus, & circumcirca nigrior erit:& vbi hæc facta fuerint, fieri non potest vt mulier superstes maneat: pereunt autem aliàs alio tempore pro corporis & affectionis ratione: verùm vnam & vigesimam diẽ non excedunt,id quoque plerumque sic contingit. Qua sententia videtur complexũ fuisse vniuersam huius affectus præsagandi rationem:& mox inquit. Si verò purgatio ipsi eruperit siue à pharmacis,siue sua sponte: fit etenim hoc si vteri os laxarint à sanguine aceruatim de repente coacti (Quo verbo cõplexus est potissimã & immediatam horum malorum causam) Et si eruperit, graueolentia purulenta depurgãtur,quandoque etiam nigra,& meliùs habebit,& curata sanescit. Hac enim vltima sententiæ parte sapientissimus Hippo. præsagium ad salutem & medendi rationem videtur docuisse.Consulit quidem purgandum esse,idque dupli ci modo,altero per vterum ipsum, quo secedat quod confertim ibidem immorabatur. Qualia verò sint,quæ id efficere valeant (velut pessaria & alia huius generis) mille in locis reperies,præsertim cap.de vteri distemperie cum affluxu humorum,& de epilepsia per consensum ab vtero. Altero verò per ea pharmaca, quæ totum corpus expurgent ab humorum vitio,dum ipsis ex malo vteri aliquid iam commune factum est.Verùm vt quis exactè intelligat quid in hoc malo agendum sit,expendendum est in eius curatione nil vtilius fore,quàm menses euocare:quia tamen maiorem calorem medicamenta id efficientia cõcitare nata sunt,ob id ad sanguinis detractionem ex talo confugiendum est.Quo sufficienter extracto per venæ sectionem, aut per scarificationes, syrupis putredinem compescere est opus: tandem vias reserare,humores inscindere,& attenuare.Ac postmodum si febrẽ communem factam esse reliquis humoribus cõperiamus, corpus vniuersum purgare dubitandum non est: etiamsi aliquid purgamentorum vteri adhuc supersit. Cognosces autem febrem factam esse communem, quòd præcesserit copiosa

fœtidorum purgatio,& non solùm ob id non est facta mitior,verùm indies exacerbatur magis:quod euidens est argumentum, reliquos corporis humores vitium iam contraxisse.In hac etenim re scitu dignum iudicaui,solo vteri vitio(quantumuis putrido humore scateat)purgandum non esse,nisi per ea medicamenta & pessaria,quæ vterum ipsum purgare solùm nata existunt. Cæterùm si vel in corpore præsit morbosus apparatus,quo vereamur ne cõmunis fiat febrilis affectio: vel in reliquis venis & humoribus totius corporis iam putredinosus calor elucescat:tunc quidem mihi non est dubium, quin corpus purganti pharmaco euacuandum sit. Nam si quis dixerit,solùm per regionem,cui natura innititur, per loca conferentia purgandum esse,intelligat velim,id non esse semper verum,neque tutum,sed quando vacuatio per aliquam regionem facta sufficiens est pro humoris peccantis copia,& regio conueniens illi humorum sorti. Verùm vbi quantitas non satisfacit cacochimiæ vbertati, aut regio non est illis humoribus euacuandis idonea, innitendum illi amplius non est.Sic profectò vterus humoribus putridis (quos à sanguine separare studemus)euacuandis cõueniens regio minimè existit.Præterquã,quòd si alicui sanguis ex nimia copia per nares erũpit, vena in brachio scissa præsidium sit,& si præ nimia plenitudine exsudat,sanguine misso leuamẽ suscipit. Ac rursus est longè maius beneficium, quod sequitur ex corruptorum conferta vacuatione,quàm sit damnum,quod sequitur ex modica distractione vacuationis,quæ per vterum fiebat.Hoc tamen intelligas velim, dummodo sanguis non purgetur:nam eo tempore tutius est alijs vti auxilijs. Quamobrem non oportet ob rusticum timorem differre aut simulare,quæ iuxta optimam rationem fieri tutò possunt:nec rursus tam audacter purgationem aggredi,vt posthabitis prædictis indicationibus aliquid inconsideratè fiat.Quo sanè facto,ad alia auxilia cõfugiendum est,quæ putredini & vitio humorum proficua sunt,iuxta humoris peccantis ideam & vitium. Quæ quidem(præterquam quòd enixis & reliquis communia sunt)cap.nuper citatis abundè reperies.

De alui fluxu in puerperis.

Solet non leue periculũ ijs quæ pepererunt,afferre alui fluxus,sicut Medicis nõ paruam hæsitationem. Quippe si vterus adhuc fluat, quis compescere audebit aluum, siquidem eisdem prorsus auxilijs vteri purgamenta comprimes: si verò puerperium supprimatur, prædictis medicamentis pressiùs compescres. Itaque aluum fluere graue existit, sed grauius purgamentum comprimere: cum hoc tamen aluus ocyssimè est cohibenda,vt Hippocra.consulit lib.de morb.mul. dicẽs: Si verò mulieri cum puero in partu non prodierit humor, velut oportet, sed siquidem in capite habuerit humorem à calore attractum in partu & antè, caput dolebit. Si verò in ventrem aceruatim descenderit, vbi concitatus fuerit, ipsum turbabit,& non oportet longè progredi sinere,sed auxilium ferre, vt ne ex partu ventris profluuium succedens corpore malè habẽte ipsam dolore affligat.Quamobrem in re tam graui & dubia pensitandum est primò quantum conferat enixæ alui fluxus, qualiterue feratur : ac si constiterit,vel non conferre, vel ferri non posse: tunc vltra considerandum est, fluxerint etiam partus purgationes, nec ne: quòd si pro voto fluant, optimis alimentis & recto vitæ instituto laborantem moderari oportet,donec alter fluxuum sua sponte cesset. Verùm si alui fluxus immoderatior fuerit, nulla alia ratione melius ad puerperij purgationem naturam reuocabis., quàm cessante alui fluxu ijs medicamentis , quæ aduersus causam ipsius pugnent , nullo vel leuissimo ex astringentium silua exhibito: quinimo administratis quæ menses euocent, saltem per inunctiones, pessaria, eua-

euaporationes & reliqua quæ cap.de mensium suppressione adduximus . At si ex toto vteri purgationem suppressam esse comperiamus, naturamque fluenti aluo intentam,tunc citra vllam cunctationem aluũ supprimere oportet,purgatis priùs humoribus,qui ipsam citatiorem reddunt , & exhibito rhabarbaro cum modico saccharo rosaceo:ni fortè defectum purgationis vteri aluo citata natura supplere studeat:quod equidem ex conferentia & tolerãtia rimari est facile.Quòd si astringentibus vti quoquomodo cogaris, ea quidem extrinsecus adhiberi ventriculo conuenit,ne intrinsecus sumpta,vias omnes,& quæ ad vterum pergũt,fieri arctiores contingat. In summa autem ventriculi vitio concitatam aluum alimentis & optimo viuendi genere moderaberis,& adhibita etiam ventriculi prouidentia externis inunctionibus,& alijs quæ ipsi robur addere nata sunt: nec displicebit electuarium diarrhodonis porrigere cum decocto absynthij,aut modicum rhabarbari, quantum sat sit, vt ventriculus beneficium susceptet vtero illæso. At si diarrhæa sit,totumque corpus fluxu expurgetur, neque ipsum impedire, neque vterum ampliùs citare, sed vires custodire est opus,quantum satis sit, vt naturam se exoneraſſe,& vtrique vacuationi suffeciſſe comperiamus.Si verò in dyssenteriam fluxum degeneraſſe constet,ipsum posthabita vteri purgatione finire rhabarbaro exhibito oportet,priùs tamen tentatis quæ abluunt clysteribus, aut ijs quæ obleniunt,retunduntue humorum acrimoniam & mordacitatem medicamentis.

Quòd si minimè profuisse videatur , ad eorum expurgationem veniendum esse consulit vrgentissima morbi natura:in qua non dubitarem ante rhabarbari vsum, ex talo sanguinem mittere,viribus non renuentibus.Postmodum autẽ ad ea quæ in quouis fluxu indiscriminatim Hippocrat.præcipit,adeundum est.Inquit enim lib.de nat.mul.Si ex partu fluxus corripiat,& cibi in ventre non maneant, vuam passam nigrã dato,& mali punici dulcis grana trita,& coagulum hœdi vino nigro diluito,ac vtere.Quibus consimilia verba scripsit lib.1.de morb.mul.dicens: Si ex partu fluxus corripiat,& cibi in ventre non maneant,vuã passam nigram dato,& punici dulcis malicorium,& interdũ nucleum & coagulũ hœdi, hæc vino nigro diluta & caseo caprino & polẽta triticea insperſis, bibenda dato:triticum autẽ modicè torreto.Ex his enim sententijs ego methodũ generalem & sistẽdi tantũ eruerem,materiam autem in aliam vsui probatiorem mutarem.

De puerperarũ vomitibus.

Vomunt quidem quæ nuper pepererunt fœminæ,idque non rarò:plerumque cibum, aliquando crudos & pituitosos humores, vel quosuis alios iuxta succorum, qui redundant,naturam: ac nonnunquam sanguinem ipsum, vt ex Hippocrat.constat lib.1.de morbis mulie.dicente:Si ex partu sanguinem vomat,hepatis fistula sauciata est, & dolor ad viscera procedit, & conuellitur . Et lib. etiam de natu. mulier. eadem iterum verba refert. Vtcunque etenim vomitus enixis superexcrescant,graue & periculosissimum est. Quippe si alimentum excernatur, deficient ad puerperij purgationem vires, & enixa indies labascet magis, & lacti deerit commoda materia. Si verò reliqui humores expurgentur, vereri oportet ne præ nimia eorum turbatione & agitatione febris subsequatur, quæ vomitibus adiuncta & cacochimiæ subiecta periclitari proculdubio fœminam cogit. Verùm si sanguis erumpat ex sauciata iecoris vena, pertimescendum est ne iecur impensè refrigeretur, & ob id malus corporis habitus & hydrops subsequantur. Præterquam quòd omnes tres vomitus sortes (sed maximè quæ ex sanguine fit) natæ sunt puerperij purgationem sistere, & ad supernas sedes ocyssimè euocare: quamobrem peculiari diligentia curandum est vomitũ compescere. Eum quidẽ;

qui ex alimentis concitatur,roborata retentrice ventris facultate ijs,quæ exteriùs appoſita calorem & viſcera firment,& ſimul corrigant, ſi quod vteri vitium illuc tranſmittitur:qualia diximus cap.de ventriculo ob vterum affecto:quæ referre iterum hac in parte(ne tædioſus fiam)non placet.At ſi vomitus ex alimentis quoque fiat vitio alicuius humoris ad ventremconfluentis,acris nimirum & mordacis, ea lege compeſcere opus eſt,ac ſi ijdem humores vomitibus excernerentur. Quo tempore,præter debitam victus inſtitutionem, vitioſos humores quàm primùm occaſio permiſerit,expurganti pharmaco educito,ſeruatis omnino eiſdē legibus, quas in alui fluxibus adſeruandas eſſe diximus. Verùm ſi ſanguis vomitu reijciatur,omni diligentia curādum eſt ſanguinem ad vterum reuocare. Primò quidem ipſo per tali venas profuſo, & copioſè aliquando:vel ſi fœmina non tulerit,per cucurbitas cum ſcarificatione ſuris ac femoribus affixas.Quo facto coniectandū eſt, an ſanguinis profuſio ex vbertate,vel ex naturæ errabundo impetu fiat, an potiùs ex vaſe aliquo in iecore dirupto aut exeſo(cuius Hippo. meminiſſe conſtat lib.1. de morb.mul.in cuius ſubſidium hæc adducit præſidia.Hæc lac aſinæ bibat,deinde vaccæ nigræ ad quadraginta dies,& ſeſamum tritum,donec probè habeat)ſi primum quidem,nullis medicamentis vtendum eſt, ſed deoneranda natura, aut ad vterum euocanda.Si verò ſecundum,eis vtendum erit pharmacis,quæ vel emplaſticam habeant vim,vel agglutinantem,nō omnino poſthabita puerperij fluxione: ſed partim euocantibus menſtrua per vterum,& inferas partes, partim verò per ea quæ ſanguinem ſiſtunt deuorata aut epota:reperies autem huius cenſus nō pauca lib.huius operis.1.cap.de immodicis mēſibus,& lib.1.noſtro indica.cap. deſiſtendis fluxionibus.Dimitto etiam hac in parte victus tum parſimoniā,ſi ex vbertate ſanguis fluat,tum tenuitatem & laudabilem ſubſtantiam,& alia itidem quæ prædictis locis abundè ſcripſimus.

De puerperarū angina & difficili reſpiratione.

Eſt proculdubio in puerperis difficilis reſpiratio graue admodum malum ſummèque periculoſum:tum ratione ſigni:tum verò(& quod grauius eſt) ratione cauſæ.Vt ſignum, quia indicat inſtrumenta reſpirationi ſubſeruientia purgamentis partus vitiari ac repleri,quod quidem quantum mali ſit, nemo ambiget: vt cauſa verò grauius profectò eſt & pernicioſius,quòd vehementiſsima illa ac velociſsima thoracis dilatatione & compreſsione,copioſiùs trahetur puerperij humor ad thoracem ipſum.Cenſeo tamen,vtcunque ſit,difficilem ſpiritum,& gutturis inflammationem,veliecoris,aut cuiuſuis alterius partis,præſertim internæ, ex ſuppreſſo puerperio frequentiùs aduenire,ſi vtcunq; reſpiratio vitietur,quàm quoduis aliud malum:& ob id omni arte curandum eſt per vterum naturam euocare, vel ſaltem per infernam regionē, & quod in corpore ſupererit,euacuare ſanguine miſſo ex talo,vel ex ſuris,aut femoribus.Verùm in his omnibus inflammationibus,ac difficili reſpiratione id perpetuò obſeruandum eſt,nimirum quòd ſi ſanguine ab inferis partibus ſufficienter miſſo affectionem adhuc creſcere contingat, facta coniectura plenitudinis affectæ particulæ,ſiue guttur,ſiue caput,aut pleura ſit, mihi nō eſt dubium ſanguinem ex viciniori parte eſſe mittendum, etiamſi puerperium fluat.Nullo enim alio modo citiùs præcauere poteris ſuffocationis periculum in pleuritide, difficili reſpiratione,vel angina, quàm ex vicinioribus ſanguine miſſo: euocatis etiam eo tempore menſibus per frictiones,ligaturas,& cucurbitas inferis partibus adhibitas,quibus irruentis ſurſum ſanguinis impetus citiùs retrahatur:maximè ſi citatior factus fuerit ſanguine miſſo ex ſuperioribus.Cætera verò vt in reliquis corporibus adminiſtrabis.

Con-

De pleuritide in puerperis curanda.

Contigiſſe aliquando comperimus,præſertim primiparis incautis vel ex frigore compreſſa purgatione,vel ex interno apparatu,pleuritide, & pernicioſa quidē à partu corripi:graue alioqui malum,quòd in præfocationis periculum enixas nō rarò deducat.Quod retuliſſe Hippocrat.conſtat lib.de natu.mul.docentem,magnis malis puerperas eſſe expoſitas,ſi parum ſibi caueant,& primiparæ ſint:quod ſanè contigiſſe non rarò comperimus ex quauis alia menſium ſuppreſſione, vt Hippoc.refert lib.7.popu.in hiſtoria vxoris Cleomenis,quæ ex Zephyri flatu in grauē pleuritidem delapſa fuit,ob menſtruorum ad thoracem recurſum:quod & his & enixis facillimè contingit,quòd ſanguis per vterum affluxurus promptè, ab his cauſis per venas communes(quas non paucas neque paruas vterus cum thorace habet)regurgitet in aliquod latus:quo ſanè fit,vt non rarò accidat enixis difficilis reſpiratio,vel grauiores aliæ thoracis affectiones.Sed in hac quidē re,licèt ex Neotericis aliqui primo morbi acceſſu audeant ex brachio ſanguinem detrahere, mihi id conſilium nunquam arriſit:ſiquidem primò naturæ motum ſequi,& alterum præter naturam motum ab affecta parte ad quàm diſtantiſsimas auertere, tutius & vtilius longè viſum eſt,ex talo nimirum ſanguine primò ſufficienter extracto, quantum videlicet ſit ſatis,& pro puerperij fluxuri copia(ſi non omni, ſaltem vt aliunde non facilè natura permittat,ex quauis ſuperna vacuatione abire) & pro impetus motus ad partem affectam reuulſione,euacuationeue.Præceperat enim Auic. in pleuritide(nullo adhuc habito ad corpus enixæ reſpectu) ſanguinē ex talo,ne dicam contrario,mittere,nedum in fœmina,cui puerperium adhuc fluitat. Quamobrem cùm puerperium ipſum ſua ſpōte videatur correpugnare miſsioni ſanguinis ex brachio, quatenus vires vtramque vacuationē nō permiſerint:quia brachium contrario in loco exiſtit ei,quem natura in puerperio ſibi elegit & tuetur,ob id quidem verendum plurimum eſt,ne illi vim, facto ſanguinis contrario motu inferamus,retrahamuſque fortaſſe puerperium ad locum affectum. Quapropter conſulito primò ſanguinem mitti ſemel, bis aut ter ex talo, poſteà verò ſi affectus his non cedāt, cùm iam ſanguine miſſo ex talo ſatisfactum ſit puerperio, ad venas brachij deueniendum eſſe conſulit & permittit affectus vrgentia & ratio.Deinceps verò,ſicut in quauis alia pleuritide,ad expectorandum humorē confugiendum eſt eclegmatis,decoctis pectoralibus & ſyrupis.Poſteà,ne tuſsi & dolore puerperium ad ſuperiores partes euocetur,clyſteribus vtendum eſt,qui & purgent & attrahant,ac vteri vias aperiant,purgationiq; aptiores reddāt,velut eſt,qui recipit maluæ,biſmaluæ,mercurialis,blitis, branchæ vrſinæ,& foliorum caulium rubeorum.ana.m.j.florum camemali,meliloti.ana.p.j.ſeminū lini, anethi,altheę, fœnugræci,& aniſi conquaſſatorum.ana.ʒ.ſs.fiat omnium decoctio ad lib.j.& colentur,ac diſſolue in colatura catholici.ʒ.j.mellis roſati,olei violarum & ſacchari ana.ʒ.ij.Reliqua verò ſicut in quauis alia pleuritide facies,ſemper tamē præhabita vteri fluentis prouidentia,quominus puerperij purgationes ceſſent,donec debitū tempus præterierit.Tunc enim(vel antè,ſi neceſsitas vrgeat, aut purgationes ceſſaſſe conſtet)leui aliquo expurgante non recuſarem aluum ſubducere.

De tuſsi in puerperis.

Eſt quidem moleſtiſsimum enixis,ac periculoſum accidens tuſsis: nam præter cauſæ quæ ipſam excitat,conſiderationem & periculum,motu illo vehementiſsimo ad ſuperiora proculdubio puerperium euocatur,fitque ſæpiſsimè cauſa maioris mali,quàm tuſsis ipſa ſit.Quamobrem duo in hac curatione ſummoperè obſeruanda eſſe cenſeo:primum quidem,ne menſtrua purgatio ſubſiſtat,ſupprimaturne,facta ſumma diligentia,vt copioſior euocetur,ita vt quantum tuſsi ad ſuperna

retrahitur, auxilijs ad consuetum euocetur locum: secundum verò, vt omni arte vel humoris crassitiem inscindamus, tenuitatem compescamus, & aduersus vnam quamque eius qualitatem ex aduerso pugnemus, exhibitis adinuicem, quæ tusim leniunt, pharmacis. Quippe hæc sola prodesse in hoc casu non rarò probauimus: quorum rationem & copiam reperies facilè lib. nostro de auxi. indica. cap. de expurgantibus per sputum. In qua sanè re expendendum quoque est, an vitio vteri, & ob aliquid ab eo ascendens halituosum, mordax & acre tussis moueatur: cui prouidebis præmunito à causæ inclementia corpore, cauens ne si frigida fortè sit, nimiùm superiores partes calfacias, periculum enim est ne calore ad eas puerperiũ euoces. Verùm si ex vtero fuerit damnum, maiori diligẽtia purgationem eius procurabis immissis pessarijs ex mercuriali, agarico, aut aloë.

De epilepsia, aut delirio post partum.

Solent non rarò hæ affectiones enixis superuenire vel vitio sanguinis fluentis, vel defectu congruæ & copiosæ purgationis. Sed delirium aliquando oriri ex melãcholia, ob nimiam sanguinis suppressionem, qua crassior propter adustionem efficitur, aut ob nimiam profusionem, qua relicto crassiore melancholiam fieri, mihi certum est. Dimitto aliquando ex adustis febre humoribus, caputque irruentibus, vel ex tetro, deprauatoque halitu posse quoque fieri. Si tamen ex immodico fluore succrescat affectio, curandum semper est vt sanguinis profusio cesset, vires reficiantur, & distemperies frigida ac sicca corrigatur, sicut in reliquis corporibus. Quòd si ex vitio, vel suppressione purgationis fiat, studẽdum omni diligentia est sanguinem euocare: vel si id perdifficile fuerit, ipsum expurgare medicamẽtis, quæ aduersus adustos, fæculentos, & crassos humores pugnent: qualia retulimus libr. huius operis 2. cap. de melancholia virginum & viduar. Sed peculiarior prouidentia habenda est de talo inscindẽdo, scarificandi sue suris ac femoribus, & de crurum lauacris, ac omni denique auersione & euocatione ad inferas partes, idque maximè per hemorrhoidum prouocationem, & sanguine ab ipsis per hirudines vacuato, quod magni momenti in his affectionibus esse solet. Necnon curandum est paulatinis purgationibus ab spurcitia humorum sanguinem vindicare, donec purgationem vel redire comperiamus, vel si non redeat, ad maiora auxilia subsit aditus, vt deinceps sicut in reliquis corporibus curari possint prædicti affectus.

De pedũ & totius corporis inflatione à partu.

Non desunt quibus ex improbo vitæ studio toto gestationis tempore habito, à partu intumescant nõ solùm pedes, verùm & vniuersum etiam corpus. Quod pulchrè aduertit Hippocrat. 2. popu. par. 2. dicens. Quæ filias peperit gemellas, & difficulter peperit, & non valde purgata est, tota intumuit, deinde venter ipsi magnus fiebat. Hanc sanè affectionem (vt ex loco citato colligi potest) tribus de causis prouenire posse censeo: vel ex improbo vitæ studio, vt dictum est: vel ex immodico potu post partum: vel ex copioso sanguine, quem fœtus non valuit conterere, neque fœmina in partu purgare: & ob id superabundans & recrudescens in tumorem eleuat partes, præsertim infimas. Sed cessat profecto hoc malum facta à partu copiosiore purgatione, vel superueniente alui fluxu, aut febre. In prima quidem causa curandum est, transacto purgationis statuto tempore, vel saltem diminutis purgamentis, corpus purgare, ac non semel, sed bis & per epicrasim. In secunda verò, nisi puerperium vberrimè fluxerit, sanguinem mittere est opus, præsertim si sanguis adsit, idque ex talo quantũ sat sit pro affectus vehementia & sanguinis redundantia: & posteà cessante vteri purgatione, pharmaco purgandum est. In vltima autem (nam de potu immodico nil aliud dicendum arbitror, quàm præscindẽdum esse,

esse, & calfactorijs ac resoluentibus curandum: maximè puerperio transacto) puerperium omni arte euocare est opus, vel sanguinem ex talo mittere, aut cucurbitulas suris & femoribus affigere. In omnibus autem causis reliqua facies, sicut dictum est cap. de hydrope vteri. Quibus etiam omnibus peculiari dote hepar ouillum conferre dixerat Hippocr. lib. de natu. mul. Si pariens (inquit) inflata fuerit, hepar ouillum aut caprillum calido cinere obrutum bibendum dato, meracius ad dies quatuor, & vinum bibat vetus.

Supersunt quidem ex affectionibus quæ enixis accidunt, plures, veluti est conuulsio, tremor, rigor, paralysis, & pleraque alia. Quæ omnia Hippoc. complexus est lib. 1. de morb. mul. his verbis. Si verò processerit mulieri puerperij purgatio ad caput thoracemque ac pulmonẽ (fit enim & hoc) moriuntur sæpe statim, si detineatur ac firmetur. Si verò probè exeat per os aut nares, sana euadit. Si verò morbus paulò diuturnior fiat, patietur sanè mulier ea, quæ dicta sunt de virgine, cui primũ menses comparentes, sursum impetum fecerunt. Narrat item eâdem parte quas nam affectiones fœmina sic affecta patiatur: & dum ad faciem fluxio fertur, quæ mala efficiat, ac quibus signis innotescat. Ex quo loco euidenter constat, talẽ fieri ex puerperio affectionem, qualis fuerit natura partis, in quam humor ille vitiosus incumbit, aut halitus ab eo ad partem ipsam transmissus. Quocirca cùm omnibus ferè eadem sit, & communis causa, intellectis & exactè pensatis, quæ hucusque diximus præcepta, haud difficile erit nosse, quid agendum, aut non agendum sit. Sic profectò multa alia in hac re prudenti Medico pensitãda dimitto, vt ea aptè disponat, sicut occasio ac tempus permiserint. Quorum etiam Hipp. meminisse constat eodem lib. 1. de morb. mul. dicentem: Si præterea vterus laborarit ex partu, puerperam tunc apprehendit lenta febris, & aluus ardet parte interiore, ac sæpe tumet ad coxam vsq;, etiamq; ventris infimi dolor ad partes inanes pertinet.

De vteri inflammatione & vlceribus à partu relictis.

Cap. XII.

Contingit non rarò in primiparis, vt stricti oris vteri fœminis, vel ex laborioso partu, aut ex fœtu grandiori, vel aborsu vterũ inflãmari & exulcerari. Licet vt ex Hipp. constat lib. 1. de morb. mul. frequentiùs ab aborsu quàm à partu hæc mala succrescant: quæ sanè his verbis idem author exprimit. Si præterea vterus vlceretur, vnà cum pure sanguis effluit & expurgatur, & grauis comitatur odor, & dolor acutus lumbos opprimit, & inguina, infimumq; ventrem. Isq; effertur sæpe sursum ad partes inanes, sæpe etiã ad latera & homoplatas, ad claues interdũ pertinet, vbi morsus quispiam sentitur, & grauis capitis dolor ac delirium. Quodque deterius est, temporis progressu tota tumet & infirmior mulier redditur, & animo deficit, & febrit leuiter, & refrigescit, maximè verò crura tumescit. Morbus hic ex aborsu initia causasque ducit, vt quando ipsa puellum corruperit, & iam putrẽtem non eiecerit foras. Tandem verò totum corpus magnus capit ardor. Et subdit, vt alias causas etiam explicet. Verum enim verò accidit & hic morbus ex profluuijs: quòd si in vterũ acria influant & biliosa, ea quidem mordent. Qua quidem sententia perbellè depin-

depingit occaſionem & cauſas,periculum & procedendi modũ,in vlceribus à partu vel aborſu relictis.Nam hæc omnia & caloris extinctionem,atque corruptionẽ tum ex fœtu corrupto, tum ex halitibus ab vlcere,tum etiam euacuationem prauorum ſuccorum accerſunt,quo malum exacerbatur, donec fœminã interimat. Quod ſanè vel ſterilitatis,vel grandioris mali cauſam præſtare aſſolet:ob id profectò ſi quid huius à partu ſupererit,curandum eſt noſſe,& præſtò auxilijs eſſe,ante quàm in maius vitiũ cõmigret.Dixerat enim Hipp.lib.1.de morb.mul.Si ex partu vteri fuerint inflammati,febris debilis corpus tenet & caligo adeſt,ex ventre verò nunquã deficit calor,& ſitit,& coxas dolet,& venter imus fortiter intumeſcit,& aluus turbatur,ſeceſſus autem eſt malus & olidus,& calor vehemens corripit,& cibũ auerſatur,& dolor iuxta ſinciput eſt,& ventris ſtomachus nõ poteſt trahere cibos ac potus,& concoquere nequit, & niſi curentur ſtatim, plurimæ moriuntur. Ex hac enim affectione ſi fortè fœmina euadat,ſuperſunt proculdubio vlcuſcula,quæ peculiarem prærequirunt in artifice diligentiam, vt paulò inferiùs monſtrabo: & eodẽ lib.1.de mor.mul.perbellè depingit quæ ex vlceribus his ſuccreſcũt mala. Inquit enim. Sin vlceretur vterus, & puerperia vt par eſt nõ effundãtur,dolorem omni in parte mulier ſentit.Et paulò inferiùs ſubdit. Quippe cũ ipſa in teneriori ſenſuſq; participe,& quidem exquiſitè neruoſa cauitate exiſtant, pluribus autem cum vtero communicatio eſt ac ſocietas,ſincipiti nimirum atque ſtomacho: corruit mens & animus deprauatur,nec facilè intelligit.At ſi mulieri fuerit vterus oris præangusti,aut purgationem lochialem non relaxarit,inflammationem ipſe concipit:quæ ſi non præcuretur breuî,eam omnia hæc acerbiùs exercebunt,& grauis erit ac teter odor,etiamq; exitus turgeſcit tumeſcitq;. Et reddẽs ſigna minoris inflammationis,inquit.Contrà,ſi inflammatio minus occuparit,ſuoptè nutu defluit malum grauis odoris,atque tunc liuidum iſtud eſt,aut nigrum atque grumoſum. Quòd ſi vtero ſic ſtante condolenteq; nihil expurgetur,graue malum minatur:inquit enim.Accidit etiam vt nihil interdum excidat indeq; ſtillet,ſed exitium mulieri id tunc portendit præſentiſsimum, niſi quis breuî venam incindat,& molliat aluum,aut ſi facilè vomuerit id etiam fiat. Sed primitus inflãmationi medeberis copioſiùs ſanguine miſſo per venas tali,& tandẽ adhibita ea prouidentia & curandi ratione,quã capite de vteri inflãmatione adduximus, initiũ curationis ſumentes à ſanguinis detractione ex talo:cauentes tamẽ ne vtero nimis frigida adhibeamus,ne puerperij purgatio cohibeatur.Sed eodẽ lib.Hipp.peculiarem adducit curandi rationem vteris ex partu inflãmatis:ac præterillam cõmunis inflammationis naturam,affert inflãmationis rationem:inquit enim. Si puerperæ inflammati fuerint vteri,intumeſcunt,& vbi puerperij purgamenta intus manſerint, occultè diſtenduntur:diſtenduntur autẽ vbi condenſati fuerint à frigore. His ſi quidem perfrigerentur,calfacere conducit: ſi verò inflammati fuerint,& frigus diſceſſerit, medicamentũ ſubditiciũ facere,quod inflãmationi aduerſatur, & ſimul lauare ac fouere,& pharmaca adhibere,quæ ego adſcribã. Verùm ex ijs quæ generaliter docet,conſtat qualiter ſit in hoc affectu agendum, licet quæ ibidem recenſet,nõ ſint admodũ proficua:non quòd mala ſint,ſed quòd alia vtiliora eligi poſsint.Sat enim eſt docuiſſe primitus adhibenda eſſe quæ dolores leniant,quæ ventrem emolliãt, & quæ inflammationi aduerſentur lauacra,fomenta,& tandem reliqua quæ cap. citato adduximus,quæ eo loco reperiet diligens lector.

Verùm ſi aut inflammatio in vlcus degeneret, aut vlcus ob cauſas à me ſuperiùs adductas ſuboriatur, id protinus diligenter noſſe conuenit, anteà nimirum quàm

quàm aut mali moris fiant,(vt facillimè ob loci conditionem,& excrementa quæ expurgantur,fieri ſolent) aut in aliud grauius malum degenerent.Docuit quidem id cognoſcere Hipp.lib.1.de morb.mul.dicens:Si vteri exulcerati fuerint,aut ſanguis & pus & ſeroſa ſanies fluit,putreſcentibus enim vteris morbus ab ipſis fit, & venter imus eleuatur. Tandem ſubdit inferiùs.Morbus autem maximè corripit ex partu, ſiquid in ipſis diuulſum cõputruit: itemq; ex aborſu,& aliàs ſua ſpõte. Et paulò inferiùs inquit.Si verò vehementer exulcerati fuerint,ſanguis & pus purgatur,& dolor fit grauis,& cùm dolor apprehenderit, velut à partus dolore fiunt ea quæ circa fluxum contingere ſolent:& cùm tempus affuerit,crura & pedes intumeſcunt,& curant Medici hunc morbum velut hydropem:verùm hic talis nõ eſt. Docet autem eodem lib.1.clariùs occaſionem & ſigna vlcerum,& curandi etiam rationem his verbis.Cùm vlcerationes in vteris fuerint,ex aborſu aut alia quadam cauſa eas omnes reſpectu ad totum corpus facto curare oportet,quacunq; curatio ne opus habere viſa fuerint: ſiue ex vniuerſo corpore hominem curandam eſſe putaueris,ſiue ex ipſis vteris:cognoſces autẽ an ab ipſis vteris ſint hoc modo.Cùm enim vlcerationes ab ipſis vteris ſunt,purgationem exhibent purulentam,& compactam:quæ verò non ab ipſis,tenuem & ſanioſam.Curandi tamen rationem ſcribit dicẽs:Cùm igitur tenues ſunt fluxiones,cum pharmaco eas curare oportet,& dare quod ſurſum & deorſum purget:primum autem quod ſurſum, poſteà verò quod deorſum.Eodem etiam loco docet dum exulcerationes fiunt ex partus aut aborſus labore euocata materia exedenti & mordaci,quę id malum efficiat,ad vterum,omni arte, finita puerperij purgatione, pharmaco euacuãdum eſſe,vt humores vomitibus & alui excretionibus diuertantur,minuanturq;. Verùm præmiſſa hac generali prouidentia ſtudendum eſt,vt relictũ vlcus quàm citiſsimè ſaneſcat: quibus autem id fiat,dictum eſt abundè lib.huius operis.2.cap. de vteri vlceribus. Cæterùm ſi exulceratio ſola partus difficultate,vel fœtu grandiori dilacerato vtero fiat, nulla totius corporis prouidentia habenda eſt,ſed ſolius tantùm vteri,vt cap.nuper citato diximus.Hoc tamen in hac curatione expẽdendũ priùs eſt,vt ea quæ in vtero dilacerantur,non adſtringentibus(ne menſes ſupprimantur) reduci debent ad priſtinum ſtatum,ſed modicè ſiccis & modicè quoq; glutinãtibus,qualia eodem cap.non pauca reperies.Sic Hippoc.conſuluerat lib.1.de morb.mul.dicens:Quando ex partu exulceratus fuerit vterus,ei roſarum floribus mederi oportebit.Quo etiam loco (maximè ſi purgatio probè ſucceſsit) adſtringentia conſulit dicens:Licet & adſtringentium infuſo ipſum perluere.Et eâdem parte ſcribit vnguentum his vlceribus proficuum dicens: Quòd ſi os eius fuerit exulceratum cum inflammatione,myrrham & anſerinum adipẽ & albam ceram etiamq; thus ijs capillis qui leporum ventri inhærent oportet miſcere,& ad leborem iſthæc redacta,& vellere excepta ſuperponere. Cæterũ ſaluo meliori iudicio,præſidiũ hoc inflammato vtero non conuenit,niſi(vt ipſe refert eodem lib.paulò inferiùs) priùs ab vlceribus inflammationem compeſcueris & febrem ſanguine miſſo, & appoſitis alijs quæ id poſsint, velut eſt quod ipſe ſcribit dicens: Ad ventrem infimum admouebuntur cataplaſmata refrigerantia. Quo verbo auferttimorẽ adhibendi quæ modicè temperẽt,vt quæ ex farina hordei cum plantagine,portulaca & mucagine pſylij conficiuntur.Sic idẽ quod ſcribit eâdem parte dicens: Si inflammetur vterus ei quæ recens puerpera eſt,aluus tũc oppletur,magnaq; fit vulgò,etiamque ſuffocatio premit ad hypochondria.Puerperæ hoc modo affectæ cataplaſma adhibere oportebit ex muſco marino, quẽ in piſces vulgò piſcatores conijciunt.

Sed

Sed ipsum priùs conterere oportet in mortario,etiamque hordei farinam admiscere,& sarmentitium cinerem & semen lini:hæc verò tãtisper versare,& aceto & oleo subigere donec pulticulam imitetur, ex qua calidum cataplasma apponito. Qui verò maiorem quæsierit curationem,legat cap. de vteri vlceribus libr. 2. Quòd si ex dilaceratione in vlcus malum degenerasse comperiamus, tunc sanè velut quoduis aliud vlcus curari desiderat: hoc vno excepto,quòd si menses adhuc fluxerint, velut vlcus cum sanguinis profusione curari debet,licet sanguis ab vlcere non prodeat. Quin in re primò donec sanguinem cessasse comperias,vlceris curatio posthabenda est,non autem fluxus compescendus, velut in prædictis vlceribus cum sanguinis fluxu,sed finiendus,vt sola subsit vlceris indicatio.Si verò fluere cessauerit,curationem instituesiuxta vlceris naturam & conditionem, vt abundè loco citato dictum est. Præter adductas affectiones,alia non minoris momenti enixis succrescit: nimirum sedẽ adeò doloribus vexari, vt nonnunquam maius facessat negotiũ quàm partus. Nam cùm in partu posticæ partes magis patiantur ob ossis magni erectionẽ ad postica,quo fœtui datur liberior exitus,hinc fit rectũ intestinum & sedem ipsam cõprimi,& non paruis doloribus affici. Quapropter iussit Hippoc.eam partem fouere decocto baccarum iuniperi & seminis lini ac vrticæ,licet etiam eorum aliquid potandum præbuerit.

De rugis quæ post partum in ventre supersunt.

Cap. XIII.

AD tantam plerũque magnitudinem excrescit in vtero fœtus,vt ventris ipsius cutẽ non solùm tensam reddat,verùm & sciſſuris non leuibus sæpissimè discindat, maximè in infima & secũda cuticula. Quod sanè vitiũ licet omnibus vtero gerentibus commune sit, ijs præsertim peculiare existit, quæ (vt diximus) grandiores progignunt fœtus:malum quidem fœminis indecorũ & molestum. Quapropter non paucæ ex fœminis huic malo prouidentes,à quarto mense grauidationis ventri imponũt linteum oleo amygdalarum dulcium, aut sesamino inunctum & expressum:quò faciliùs citra sciſſuras cutis ipsa mollior fiat, extensioniq; aptior. Sed à partu rugas comprimit & ad pristinum statum redigit vnguentum ex succo radicis liliorum alborum cum melle & cera ad ignem compositum. Confert etiam pinguedo recens, & actu calida cum modica cera rubra ventri apposita,vel mensenterium verbecis, vel capræ, aut hœdi calidum ventri adhibere,vel corium oleo inunctum,vel quod oleum continuerit. Benefacit non minùs oleum nucis Indicæ illitum,vel(vt ferunt) adipis detracti è vulua ballenæ. ℥.vj. in fictili liquato,& cum puluere cornu cerui fiat vnguentum,quo venter illiniatur.Prodest quoque aqua ex albumine oui instillata:itẽ adeps agni illitus: cinis testudinis cum albo oui,vel lacte asinino illitus. Ad quorum etenim cẽsum facile erit cuiuis alia rimari præsidia huic vsui proficua,dummodo quæ astringunt fugiat,ne menses quoque cohibeat.

De

De virginali astrictione à partu comparanda.

Cap. XIIII.

NISI de restrictione amplitudinis vteri propter honestam causam liceret tractare,nullam profectò eius mentionem fecissem. Verùm cùm ex huiusmodi laxitate aliquando sterilitatem proficisci comperiamus, nonnunquam vteri procidentiam, vt Hippocrat.insinuat lib.de natu.mul.præterquam quòd fœminæ sic affectæ proprijs viris ingratiores fiunt: ob id sanè pauca quædam studui huic malo afferre præsidia. Confert quidem primò post prægressam puerperij purgationem fomentum ex aluminosa aqua:prosunt & pessi ex succo seminis rumicis aridi & virentis, vel ex gallis in aqua maceratis, deinde siccatis & lana exceptis. Semen etiam oxilapati tritum in vteri sinu impositum, vel galla in aceto macerata, & posteà siccata, cuius puluis super sinum mulieris ablutum conspergatur. Sed summopere profecisse scimus id præsidium, quod recipit sanguinis draconis, boli armeni, corticis mali granati, aluminis, mastichis, gallarum.ana ℥.ß. in puluerem redige, & omnia simul in aqua chalybeata confice, quo illinito pessarium ex gossipio factum, & in vterum immittito. Prodest & aliud quod recipit gallarum, sumac, plantaginis, consolidæ maioris, aluminis, chimoliæ, chamæleæ.ana. ℥.j. coquantur in aqua pluuiali, & hac decoctione foueantur pudibunda, cui equidem addes aliquid ex ijs quæ astrictoriam vim habent, velut folia oliuæ, folia vitis & quercus, balaustium,cupressi poma, cortices granatorum, scoriam ferri præparati cum aceto,& reliqua huius naturæ. Quorum vsum, sicut & reliquorum quæ à principio diximus, cauere oportet ante integram purgationem, ne fortè ipsa simul suppressa, graue aliquod malum subsequatur.

De nutrice eligenda,& moderanda.

Cap. XV.

ELECTIONEM nutricis pulchrè Moschio visus est depinxisse dicens:Adolescenta quæ pulchro etiam sui corporis sit colore, & iam bis peperit,& pectus latum habeat, ipsasq; mammas neque nimium laxas & rugosas, neque interim valde tensas papillas, neque multum graciles, neque valde breues, & quæ non multas cauernas habet, neque iterum parua & breuis: animosa, & quæ cum integro affectu puerum amare possit, & quæ nunquam irascatur, si fieri potest, grata & munda sit. Ex qua equidem sententia arbitror, apud omnes ferè peritiores decretum esse, eam in nutricem eligendam fore, cuius ætas sit inter

vigesimum quintum & trigesimum quintum annum, viuidi coloris ex rubro & albo commixti, vt consuluerat Galen. lib. artis me. cap. 51. fortis ac robusti colli, pectorosa, musculosa, duræ ac multæ carnis: non obesa, non gracilis: cuius etiam mammæ solidæ ac firmæ sint, mediam magnitudinem, mediamque duritiem obtinentes, quibus lac plurimum sit. Quippe grandiores plus quàm puer conterat digerunt lactis, quod nutrici est onus, & facilè nisi ab alio puero extrahatur grumescit, aut vitiatur. Papillas etiam habeat mediocres: nam magnæ linguam offendunt, & paruæ vix apprehenduntur: meatus tamen earum non sint nimis cauernosi & aperti, ne copiosiori præstito lacte puer suffocetur: neque nimis adstricti, ne vehementer eiaculato lacte palatum feriat & calore exulceret. Sit præterea à viro seiuncta, abstemia, à menstrua purgatione immunis toto nutricationis tempore: nullis sit affecta morbis, neque alicui peculiariter obnoxia. Tandem ea eligenda est quæ nouem mensibus gestabit vtero: nam quæ fœtum corrupit, aut septimestrem edidit partum, non probatur. Item ea quæ pudica sit, hilaris cum grauitate, nullis fucis dehonestata, ne ceruſa infantem lædat & leuitate fœdetur. Munda sit & elegans non solùm in se, sed maximè in infantem. Quæ omnia expendenda sunt in nutrice, præsertim si addideris enixam esse duorum mensium, & non vltra decimum (nec inconuenit masculum aut fœmellam peperisse si reliqua ex voto sint) non primiparam, nec veneri pronam (vitiat enim lac summopere) sed quæ purgatissimum habeat lac, idque plurimum, odoratum, candidumque mediocriter, neque subliuidum, nec gypso simile, nec subacidum, aut amarum, sed dulce, æquabile, non admodum crassum, neque tenue, cuius super vitreum vmbonem rectè probatio fit, si neque prorsus fluit, neque vmbone reclinato omnino constet. Item si in vasculo illius lactis pars aliqua reponatur, cui tantillo myrrhæ adiecto seri pariter atque casei pars æqua detur, quantumuis alij loco myrrhæ coagulum legant, & Auicennam errasse ferant: sed vtroque modo probatio fieri potest. Probatissimum est si in vngue hæreat, nec protinus defluat. Cæterùm inter reliquas conditiones potissima est, si laudatorum morum nutrix extiterit, quæ neque ocyssimè animi passionibus afficitur, neque penitus obtusi sensus & stolida sit. Præterea rustica cæteris præferenda, & quæ brachia assueta sit exercere: dummodò aliquot ante diebus cibis vtatur vrbanis, quo similius fiat puerulo alimentum.

Atqui licèt has omnes dotes in nutrice exquirendas esse dictum sit, nihilominus tamen longè vtilius infanti æstimatur matris lac (quamuis his dotibus careat) quàm sit, quod ex nutrice sugitur, quantumuis laudabile existat. Verùm in nutrice ob id ea omnia exquiruntur, quòd indiciũ sint mediocris seu temperatæ lactis substantiæ, quod cuique infantium temperamento proficuum fore scimus: medium enim omnibus temperaturis vtile existit & amicum, quod illis erat necessarium, quibus maternum lac, qualecunque fuisset, denegatur. Quapropter nusquam mihi arrisit biliosum lac infantibus pituitosis præbere, quo ad mediocrem reducantur temperiem, quòd forsan complicatis affectionibus ex vtraque intemperie fiet obnoxius. Præterquàm quòd leuis pueri substantia non tolerabit prædictum excessum. Sit igitur lac dulce, candidum, non tamen perspicuum, vt reliqua corpora alba & tenuia vel fluida, in quibus aspicientium imagines apparent, vt in speculo: cuius rei ratione reddiderunt Arist. 4. metheo. & Plutarch. 6. sympo. cap. 8. statuentes in lacte multum adesse

adesse terreum. Sed miror Aristote. 3. de histor. animal. capit. 21. dixisse lac liuidum albo præstantius esse, cùm à Galen. Moschione, Auicen. & reliquis statutum esse constet. 1. de sanit. tuen. cap. 9. lac albissimum debere esse: cum hoc tamen cæli colorem præ se ferre non improbatur, quod censeo Aristote. voluisse. Si tamen matri puerum committere studueris, vsquequo ipsius tẽperaturæ pristinæ natura restituatur, eundem nutrix supra electa interdiu bis, aut ter lactet, donec puerperæ primum lac, quod colostrum appellatur, instillet, & loco eius probatius generetur: qui enim hoc vtuntur infantes, colostrati fiunt. Quamobrẽ nuper natis, nutricis lac potius exhiberi conuenit, quòd matri exitiosum sit eo tempore: quoniam genitum fuit ex sanguine à quo iam optima pars secreta erat ad infantis alitionem intra vterum: ob idque exugi debet & abijci. Bonum autem est lac, quod prodit post purgationem puerperij perfectam, hoc est, in masculo à trigesimo die, in fœmina verò, à quadragesimo secundo, vt refert Hippoc. lib. 1. de morb. mul. aut saltem, vt amicè id intelligamus, donec impetus purgationis desierit: deinceps quidẽ maternum lac fœtus suggat, quippe quod alimoniæ, qua dum in vtero infans erat, vtebatur, perquam simile existat: muliebria namque in vbera delata, concoctione lacteſcunt. Quòd si vel ex præstantia & dignitate matris, vel quia lac integrum non sit, aut quia languida vel aliquo mammarũ, capitis, oculorumue defectu parens affecta existat, tunc quidem eligenda nutrix est, qualem depinximus.

Nutricis autem custodiam & moderamẽ primò instituere oportet per id exercitium, quo partes supernæ magis exerceãtur, vt lac copiosum & probum gignat. Item viro non accedat, ne vsu venereorum menses prosiliant. Lac quidem donec mulier cõceperit, adseruari facilè potest; vlterius autem minimè: ac si mẽses fluãt, corrumpi necesse plerumque est. Ex quo vitio pueri citra dubitationem vel in epilepsiam, vel scabiem, aut alia mala maiori ex parte prolabuntur. Nam licèt sint, qui existiment, purius & perfectius fieri lac fluentibus mẽsibus, duo certè suadent cõtrarium omnino accidere: primum, turbatio, quam natura perpetitur singulis mẽsibus; quia eo tempore quid deterius lacti & nutrici accidere scimus quouis alio: secundum, quibus menses non fluunt, id profectò necessum non est; siquidem id natura non tentat: ex quo constabit purum supereſſe lac, sicut in reliquis & longè magis: quandoquidem nil est quod naturam turbet & irritet: ex quo constabit fœtum immunem esse à menstruorum spurcitia. Quamobrem consilium est apud omnes ferè probatissimos viros, lac statim post mensium exortum mutare: quanquã fœminis partus suos alẽtibus minus inconueniens existat: nec deest qui asserat non corrumpi lac fœminis, si ex eodem viro rursus conceperint. Item nutrix admonenda est vt probatis cibarijs vescatur, & primis diebus quaque vice ante lactationem puero mellis pauxillum lingendum tribuat. Præterea, vt lactis quicquam mulgeat, quod mammillæ pressione, pueri suctionem iuuet, ne fortè vehementi suctu gulæ instrumenta lædantur, & malarum articulationes laxentur: quod non rarò contigisse constat. Item instituenda est, ne singulis lactationibus vberem lactis copiam, sed parcam exhibeat. Insuper, diebus primis quibus lactare incipit, simplicem cibum accipiat, & aquam bibat (nam qua ratione à pueris vinum arceri consolunt authores, eãdem & à nutrice) ne solidũ lac nuper natis infantibus difficulter per angustos gutturis meatus descendat. Pari etiam ratione â salsis, acutis, & astringentibus abstineat, vt neq; porros, cepas, allia, aut cætera

huius naturæ deguſtet. Sed cuique talis vitæ & victus ratio inſtituenda eſt, qualis fuerit pueri natura & conditio,& parentum dignitas aut præſtantia permiſerit. In qua ſanè re cùm non parua ſit differentia, vna viuendi forma,quæ omnibus ſit proficua,ſignari non poteſt. Quòd ſi ne his quidem ſana degat nutrix,non erit ab re corpus purgare,& vitæ rationem iuxta lactis vitium, & infantis indigentiam immutare. Non tamen quauis leui occaſione nutrix mutanda eſt:maximè ſi Medico fuerit obtemperans:ſatius enim eſt conſueto vti alimento minus probo aliquantiſper, quàm inſueto: licet probatius ſit & commodius, quia infantes difficulter ferunt huiuſmodi mutationes.

De lactis defectu.

Cap. XVI.

INTER alia vitia,quibus mulieres quæ pepererunt, & nutrices ſunt, affici ſolent, potiſsimum profectò eſt lactis defectus, cuius hac in parte rationem, cauſas, & præſidium ſcribere eſt in animo.Hanc ſanè primam & maximam(vt Gale.viſum eſt.7. de vſu par. cap.22. animantibus mammæ præbent vtilitatem,quòd in eis ea parte, qua ſitæ ſunt in mulieribus, copioſiſsimum benigni alimenti reſiduum colligi poſsit, ex quo lac fieri contingit. Quod cum vtilis alimenti ſuperfluum ſit,cibus exactè confectus,& in eo potiſsimum loco conſtituere mammas conueniebat, vbi facillimè ſimul & citiſsimè elaborati lactis copia perfectè conſiſtere poterat,idque maximè vltimo geſtationis tempore,vt Hippoc. teſtatur lib.2.popu.par.3.text.34.dicens: Lac nutrimento mutationem accipere octimeſtri verò perficiente. Quo fit quòd à principio geſtationis in puerum inſumatur materia illa & poſtea in lac. Eſt ſanè lac nil aliud quàm quædam veluti ſuperfluitas nutrimenti partis ipſum generantis, ſimilis quidem ipſius naturæ exiſtens. Appellat Ariſtot.4.de generat. anim. cap.8.&.3.de hiſto. cap.20. lac ſanguinem mutatum & dealbatum, quod Empedocles pus nominabat, hoc eſt (quamuis Ariſtot.4.de generat.anim.ipſum taxauerit,quòd corruptionem dixerit lac:oblitus forſan conſuetudinis antiquorum, qui coctionem appellarunt corruptionem, vt Hippocrat.lib.de alimento ſtatuit. Item Plutarchus. 2. de cauſis naturalibus:imò & ipſe Ariſtot.4.Topico.cap.5.refert Empedoclem, vinum appellaſſe aquam in ligno putrefactam)coctum ſanguinem. Et vt Alexand.refert.2.problem.80.ſanguinem dealbatum.Quapropter arbitrandum eſt,inſuper ex purioreſanguinis menſtrui(hoc eſt ſanguinis qui ſupereſt poſt matris alimentum)parte:& ob id cenſeo dictum eſſe ab Ariſtot.4.de generat.anim.cap.8.lac ante ſeptimum menſem eſſe malum,quia puriorem ſanguinis partem fœtus abſumat,poſt verò non ita, quia maior dulcioris ſanguinis pars ad mammas defertur: quo fit vt nutrices menſtruantes deterrimum lac gignant, quòd purioris ſanguinis ſimul magna pars purgetur. Præterea conficitur per veram coctionem, quæ in mediocritatem terminatur,vt ex Hippocrat.lib.de natura fœ.colligitur: quæ ſanè coctio non terminatur in vltimam perfectionem, ſed vlteriorem eſt conſequuturum,dum iterum in ſanguinem & carnem debet conuerti. Quod verò lac per coctionem fiat ex calidiore ſanguine & frigidum ſuperſit à frigidis mammis effectum,difficile videri non debet,tum quòd cordis beneficio adimpleatur defectus mammarum:tum,quòd illa ſit verior coctio qua alimentum vertitur in naturam aliti,ſiue calidum ſiue frigidum ſit:& cùm mammæ ſint natura albæ & frigidiores ſanguine, mirũ non eſt ſi ipſum,vt alantur,ad ſui naturam & ſimilitudinem vertant. Quippe mammæ adenes quoſdam ſortiuntur, vim quidem habentes alterandi alimentum ad ipſos confluens, ac ſibi ipſis aſsimilandi: & quia exangues ſunt & albi,quando plus alimenti ad ipſos defertur,lac proculdubio efficere habent,vt Galen. eſt ſententia.5.aphoriſm.39.eo modo quo anteà expoſitum eſt. Sed Hippocrat.modum generationis lactis,ac defectus eius clariùs exponit libr.1.de morb.mul. dicens: At verò lac quomodo fiat dictum eſt à me, in natura pueri in partu. Poſtquam autem prægnans fuerit mulier,menſes non valde prodeunt, præterquam quibuſdam pauci. Dulciſsimus enim humor ex cibis ac potibus ad mammas vertitur, ac exſugitur, & neceſſe eſt etiam reliquum corpus magis euacuari, & minus ſanguine plenum fieri: atque hoc ita contingit. Sunt autem quæ natura ſine lacte ſunt, & quibus lac deficit ante tempus. Hæ verò natura ſolidæ ſunt & denſæ carnis, & propterea ſufficiens humor non penetrat à ventre in mammas, cùm ita ſit denſa. Quam cauſam ad enixas non minus transferendam eſſe cenſeo. Cùm enim humor is,qui veluti ſuperfluitas alimenti ipſarum mammillarum eſt, vel admodum exiguus exiſtit, vel omnino deficit,lactis defectum ſeu inopiam appellamus.Atque cùm ad fœtus alimoniam vteri venas natura comparauerit, dum vtero geritur,ac dũ in lucem prodit, mammas,& hac ratione certum quendam reſpectum inter has duas partes tribuiſſet:fit facilè,vt è toto corpore in vterum ſanguis dilabatur, & poſt partum ex vtero & reliquis partibus ad mammas relabatur, futurum infantis alimentum.Quod cùm defecerit,vitium ipſarum mammarum eſſe inficiabitur nemo, modò id per eſſentiam ſit, modo per conſenſum, vel à toto, vel ab vtero. Ex quibus eum affectum prodire cenſemus,quem ad genus retentorum immodicè,iure optimo reduxeris.

Cauſam verò inueſtigabis, ſi priùs modum diminutæ generationis contempleris: quippe non generatur, vel non tranſmiſſo ſanguine à reliquo corpore in mammas, vel ab ipſis non attracto:quamobrem & mammarum vim & ſanguinis copiam rimari priùs oportet,& quantus qualiſue in venis exiſtat, vt Galen. optimè aduertit.3. ſimpli. cap.20.&.21. ſiquidem vel quia vitioſus eſt, non trahetur, vel quòd parciſsima ſit eius copia, aut corpus ſit imbecille, non tranſmittetur. Quibus non rarò accedit infantis imbecillitas, qui ob id lac fugere nequit: nam ad validam ſuctionem certum eſt tractionem ſequi. Rurſus his accedit corporis ariditas, cuius ratione auidè alimentum quæuis particula ad ſui alimoniam complectitur, ita vt nihil ſit pro lactis generatione reſiduum. Extrinſecus inſuper ſubitus aliquis caſus aduenies,animæ perturbatio, dolor,laborue frequentiſsimè illuc ſanguinem & humores alliciunt:quo fit, vt vel lac diminuatur, vel auferatur omnino.Lac etiam minuunt multa quæ id poſſunt, vt quæ impenſè refrigerant & calfaciunt aut exſiccant, vt Galenus. 5. ſimpli. cap.2.

Cauſa.

docuerat. Cuius ſententiæ contrarium monſtrant multa, quæ ex eiuſdem Gale. mente, & ventri calidiſsima ac frigidiſsima lac augent, velut eſt, fœniculum, apium, ſemen agni caſti, quod licet ſemen minuat, lac tamen augere ſcribitur ab Auicen. lib. 2. Pari etiam ratione lactuca quantumuis frigidiſsima ſit, dicitur lac augere. Sed ad enodationem dubitationis expendendum eſt, quæ lac generant id vno è duobus modis generare: primo per ſe producta ipſius copioſiori ſubſtantia, velut alimenta calida & humida atq; optimæ ſubſtantiæ: ſecundo verò per accidens humores fundendo atque aperiẽdo vias ad mammas euntes, quo copioſius lac generetur, vel remouendo cauſas quæ eius generationem prohibẽt, cuius naturæ lactuca eſt in biliоſis fœminis calorem compeſcendo: quibus vtraque Gale. ſententia vera manet: nam alimenta nimis frigida, & calidiſsima lac habent imminuere imminuta lactis materia quatenus ad eorum ſubſtãtiam attinet, poſſunt tamen augere fuſis humoribus craſsis & euocatis ad mammas.

Signa cauſarum.

Quòd ſi totius corporis habitus, vel temperamentum ſiccum exiſtat, gracile, & excarne, vel ſi præceſſerint ſanguinis copioſiores vacuationes, exercitium vehemens, fames, vigilia, mœror, ſollicitudo, aut febris arida æſtuanſq́ue, ac id genus aliquid, quod plus quàm expediat corpus diſsipet, rationi videtur conſonum ſanguinis defectum potiſsimam eſſe diminuti vel deficientis lactis cauſam: nam hæ omnes cauſæ non ſolùm ſanguinem minuunt, verùm & lac ipſum conterunt, aut ſaltem vitiant, cuius naturæ cenſemus eſſe quæ frigidæ ſunt temperiei. Verùm ſi ne hæc quidem adeſſe conſtet, ſed graciles, rugoſas & contractas eſſe mammas, ob propriam earum imbecillitatem, aut aridam intemperiẽ prouenire lactis defectum credendum eſt, quod trahere tantum ſanguinis nequeãt, quantum ſat eſt ad lactis confectionem. Quòd ſi ex vitio ſanguinis lac defecerit, id facilè diſtingues ſignis, quæ ipſum eſſe biliоſum, melancholicum, aut pituitoſum oſtendũt: quippe qui huiuſmodi eſt ſanguis, nequit in lac mutari, aut in vitioſum commigrat. Quod ſanè ex lactis colore, ſubſtantia, & ſapore potiſsimùm inueſtigandum eſt. Biliоſum etenim ſanguinem cognoſces ex lacte ſeroſo, tenui, flauo, amaro: maximè ſi conſideres nutricis habitum, & iecoris temperamentum: pituitoſum, ſi extiterit craſsioris ſubſtantiæ, albi coloris, & ſaporis acidi: quibus maiorem fidem præſtant nutricis temperies, ætas, & habitus pituitoſus: melãcholicũ verò, ſi lac fuerit maioris ſpiſsitudinis, paucum, obſcurioriſque & fuſci coloris: tunc amplius id confirmabis, ſi cætera, quæ diximus in nutrice, melancholiam atteſtẽtur. Cæterum in genere noſces lactis defectum ex defectu vrinæ in puerulis: item ſi nutrix menſtruet ſingulis menſibus: deniq; diligenter inquires modũ victus, veneris & aëris, atque cauſarum externarum.

Curandi ratio.

Si lac deficere ſanguinis inopia compertum ſit, vnica ſupereſt medendi ratio, quæ ipſum adaugere ſit nata, velut eſt ea victus ratio quæ plurimum ſanguinis generare valeat. Quam equidem duplicis naturæ eſſe oportet, calidæ nimirũ & humidæ, neutra tamen excedat: nam talia eſſe quæ lac generant, lib. 5. ſimpl. cap. 20. Galen. dixerat, ſiue medicamentum ſit, ſiue alimentum. Secundo etiam optimæ ſubſtantiæ & multi nutrimenti, ſiquidem eiuſdem naturæ lac eſſe oportet. Quo fit vt totum corpus humectare opus ſit, & bonis cibis alere, qui copioſum ſanguinem gignant. Præſtat itaque primò optimum alimentum lac è ſanis animalibus deſumptum: velut eſt caprillum aut ouillum, & lac decoctum cum vitellis ouorũ & ſacchar o: itẽ puls ex lacte & farina & pulmẽtum ex oriza priùs in aqua, deinde in

in lacte elixa, & amylum cum lacte & melle. Carnes inſuper gallinarum, caponum, phaſianorum, pauonum, præſertim eorum qui ex India aſportantur: caro hœduli, aut agni, & porcellorum aſſa, item & vbera vaccæ: verùm hæ carnes cum pane & ſalſamentis edantur, eruca & melle confectis: item capita piſcium ſalitorum. De qua re non leuis ſuboritur dubitatio, nimirum an ſalita omnia lacti gignendo proſint, vt viſum fuit Moſchioni, Ætio, Alberto Mag. & Arabibus omnibus, excepto Auic. item Gale. & ferè Græcis omnibus qui contrariũ tuẽtur Hipp. ſequuti lib. 1. de morb. mul. quorum ratio eſt, quia ſal carnes & ſanguinem conterit. Cum hoc tamen moderatus ſalitorum vſus, præterquàm quod iocunditatem cibis affert, iuuat etiam ad penetrationem ciborum, quorum vſu Apollonium Herophili diſcipulum legimus emaciatos homines impinguare ſolitũ fuiſſe: nam ſalita ſi modicè adhibeantur, ſunt veluti reliquorum vehiculum. Præſtant ex piſcibus barbuli, troctæ, belſuccus, ſalmo, & id genus alij. Item cibus albus ex gallinarum pectoribus, oriza, ſaccharo & lacte confectus. Cui quoque vſui placentas formamus ex ſeſamo, amygdalis, nucleis pinearum & nucum cũ melle, quas nouimus abundè lac præſtare, ſi poſt cœnam exhibeantur, ac interdiu. Conferunt & amygdalæ dulces, vuæ paſſæ, & amylum cum lacte amygdalarum. Valent piſtachia, nuclei pini, eruca, paſtinaca aſſa ſub cineribus. Potus optimus eſt ex vino, non nigro, non auſtero, ſed dulci, & albo ac tenui: nam vt inquit Ariſtot. lib. de ſomno & vigi. cap. 4. vinum generoſum & nigrum, maximè inimicum eſt nutrici. Sed quod mihi videtur huic vſui cõmodiſsimum eſt, lini ſemen cum melle confectum, & fœniculum aut aniſum cum ptiſana decoctum, & butyrum cum ſaccharo. Ex quibus & alijs ſimilibus varia obſoniorum genera effingere facillimum erit.

el vino tinto es ñoso alas geni. aſi lo dize Ar.

ſi ex ſanguinis vitio.

Lactis quidem velut & ſeminis effectrices facultates partim in medicamentis dumtaxat, partim quidem in alimentis conſiſtunt, cùm ſuccos pituitoſos excalfacientes in ſanguinem vertimus: ſic enim craſsi & pituitoſi ſanguinis vitium contemperamus. Nã cùm longiùs à natura lactis pituita, quàm ſanguis diſsideat, ob id paulò calidiora medicamenta & alimenta porrigere eſt opus, ea nẽpe quæ primo aut ſecundo ordine calfaciant, deſiccantia tamen non ſint, vt Gal. aduertit loco nuper citato. Inter quæ ſanè potiorem obtinẽt locum, quæ non tantũ ſunt medicamenta, ſed & nutrimenta, velut eruca, fœniculum, anethum, ſi virentia & humida adhuc fuerint: ſicca enim plus, quàm par eſt, conterũt & exſiccant. Sic etiã conferunt ſmyrnium, apium, ſyon, polium, ac fœniculi radix ptiſana incocta, cytiſi folia ex vino nigro dulci, & anethum, ſeſamum crudum cum vino. Inteſtina quoque terræ, ſi quinque aut ſex teras, & cum duobus gallinarum ouis decoquas pauco fœniculo aut anetho addito: ex quo ferculum parabis huic vſui maximè proficuum ſi cum vino dulci, eius. 3. ij. exhibeas: fœniculum etiam parabis, vt placuerit, nam multum ad bonitatem & multitudinem lactis comparandam prodeſſe ſcribitur. Prodeſt & porrum tritum aqua dilutum potui datum: item fœniculi ſuccus, & cytiſi decoctum: his enim ſanguis attenuabitur, & ocyùs in lac commigrabit, maximè ſi ſanguis pituitoſus ſit: nam huic ſolùm proſunt quæ ſicca exiſtunt, alioquin ipſum minuent.

Quòd ſi ex caloris, vel flauæ bilis abundãtia lac vitioſum efficiatur, purgationem eius humoris protinus inſtitues, facta priùs præparatione, ac deinceps refrigerantem & humectãtem victum porriges. Quòd ſi adhuc biliоſi ſanguinis vitio

lac imminuatur(nam attrectare mãmas oportet,& pro ratione intemperiei perceptæ præsidium præstare)conferunt lactucæ,scariolæ, & reliqua huius naturæ.

Verùm si ex mammarum gracilitate sanguis non trahatur,frictione,fomento calido & humido,cucurbita ad radices mammarũ admota sanguinem euocabis & lac augebis.Item pugnandum est eâdem ratione aduersus dominãtem in corpore intemperiem proprijs contrarijs:siue sola existãt intemperãtia,siue cum humore adiuncta.Quòd si hæc omnia prodesse non videantur, nutricem mutare, aliamq; seligere probatiorem opus erit. Sed anteà(quia graue est lac infantibus immutare) multa experiri ex ijs,quæ lactis abundantiam præstare scimus, oportet:quale est illud quod recipit pulueris seminis anisi.3.ij.ex iusculo caulĩ bibat, quando it dormitum:præstat & illud quod recipit seminis anisi,seseleos.ana.3.ß. crystalli.℈.j.cum saccharo & vino albo fiat potio, quam duabus vicibus sumat. Confert aqua hordei cum semine fœniculi pota.Item pulueris seminis viticis decorticati pisti.℈.j.cum decocto anethi:etiam serpyllum potum, cinis vnguis capræ potus,quando præ sanguinis crassitie & humore aquoso in lac non mutatur, alioquin hæc auxilia,vt quæ sicca sint,vt semen minuunt, ita & lac:quatuor oua perdicis sorbilia epota,aut illita mammis cum adipe anseris.Hippo. autem lib. 1. de morb.mul,plura alia scribit dicens:Si lac fuerit extinctum, porrum tritum & aqua dilutum bibendum dato.Lib.etiam de natu.mulie.sic ait.Si lac extinctum fuerit,reliqua quidem eodem modo curato,fœniculi verò semen bibendum dato,& radices fœniculi decorticatas,ac butyrum simul coquito:cùm autem cocta fuerint,frigefacito,ac bibẽda dato.Commodum est etiam hypomerathrũ & hyposelinum simul coctum,dum necessum est sanguinem ad mamas euocare,quo lac fiat.Refert insuper eodem loco.Si lac extinctum fuerit,porrum tritum bibendum dato,& calida lauetur,& porrum ac brassicam edat,simul coctis cytisi folijs, & succum sorbeat.Præterea inquit eâdem parte.Si lac extinctum fuerit, saluiam cedri aut iuniperi baccis adiectis coquat,& adiecto vino bibat,& ad cætera farina insperſa,addito bulbo,modicoq; affuso oleo edat,& acria,& acida,& salsa, atq; cruda olera omnia vitet.Fertur etiam lac mirum in modum augere semen lactucæ aut papaueris tritũ,& cum aqua vel iure ingestum.Folia item lactucæ & maluarum in aqua hordei cocta,aqua posteà potui data,lac plurimum augent,si post modum mammæ blanda manu fricentur. Idem facit brassica decocta cum oleo comesta,sicut & fotus eiusdem decocti.Prosunt & tabellæ quæ recipiunt nucleorum pini,amyg.dul.ana.3.j.seminis petroselini,fœniculi,raparum,ana.3.j.pulueris vermium terræ vino lotorum.3.ij.sacchari.q.s.fiãt rotulæ, manè sumatur. 3.j. cum vino aut iure aliquo.Item decoctum fœniculi,anisi,rapæ,erucæ,& anethi, licet calida sint: euocant enim ad mammas sanguinem,& calfaciunt eas.Ferunt etiam succum mẽthæ idem beneficium præstare:quod mihi suspectum videtur, præterquam in quibus lac concrescit:sed id præstantiùs efficit ocymum hortẽse. Ad quorum sanè pensum facilè erit plura alia huic vsui proficua excogitare, quæ potiùs alimentosam vim habent qualia sunt fercula,quæ ex farina hordei, fabarum,seminis lini,orizæ & tritici parantur,cum butyro, melle, lacte, auium carne, amygdalis dul.vel pinearum nucleis,ac prædictis seminibus. Quòd si frigidi intemperamenti causa lac deficiat, huic quoque prouidebis calidis & purgantibus,nec non vino supra mammas apposito.

De

De lactis redundantia.

Cap. XVII.

ABundantiam quidem lactis qua lege natura generet dixeram anteà,sed dupliciter hac in parte considerandam fore arbitror. Vno modo, cùm fœmina lactare desinit,puero vel mortuo,vel grandiori facto, aut alteri nutrici cõmisso.Alio quidem, cùm tãta vbertate abundat,tamque parum puerulus conterit,vt vel sua sponte defluat,aut in graue aliquod mammarum vitium degeneret: vtriusque autem meminero initio sumpto ab ea abundantia,quam infans conterere nequit. Quam quidem nutrici, mãmis & infanti nocuã esse arbitratus est Arist.7.de hist.anim.vbi scribit pueros sæpe conuulsionibus corripi,ob nimiam sanguinis vbertatem: quod Medici in Galen.vitium verterunt, quòd huius vitij non meminerit.Vberibus nocua est hæc abundãtia,quia vel grumescit,vel crassescit,vel in inflammationem commigrat:item nutrici, quia non rarò febribus corripitur.

Lac igitur cùm plurimùm in mammis abundat,affectum sanè efficit in adau- *Causa.*
cta quantitate:etenim lactis immodica copia,si detineatur,velut quæuis alia plenitudo,causa morbi existit. Huic profectò causam seu materiã præstat boni sanguinis multitudo,ea præsertim quæ abundat in eis venis,quæ sunt inter mãmas & vterum.Quod etiam euenit mulieribus vtero gerentibus,interdum ob conceptus imbecillitatem,interdum verò cùm neque grauida est,neque peperit,sed vt refert Hipp.5.apho.39.&.52.quia ei menstrua defecerunt,dum modo intelligatur,vt cap.19.lib.3.expositũ latiùs existit.Verùm si lac multum è mammis effluxerit,non ampliùs causa morbi,sed sympthoma erit,sub genere excretorum immodicè contentum. At nobis non est in animo de his affectionibus quicquam agere, sed tantùm de ea lactis abundantia quæ in mammis existens mammarũ inflammationem minatur,concretionem vel coagulationẽ casei instar,seu commutationem in grumos,aut exulcerationem:& si vitiatum quoque lac sit,scabiẽ, pannos,& papillarum eruptiones.Quamobrem statim præcauendum est, ne in prædicta mala,vel in furorem,vt ex Hipp.constat,degenerare contingat.

Primò igitur curandum est victum instituere tenuissimum,ac potũ ex aqua, *Curandi*
& quàm parcissimum: excerceri insuper partes infernas oportet, & vinculis *ratio.*
ac frictionibus ad eas quod redundat, euocare: & in vniuersum prohibenda sunt ea quæ lac aut sanguinem multum procreare & ipsum ad mammas allicere possunt. Obid quidem vbi mammæ dolitant, vt Soranus optimè aduertit, neque à mulieribus lac exsugi debet: quippe suctione plus materiæ trahitur ad ipsas. Quod decretum Paulum confirmasse constat lib.3.cap.35. Cùm hoc tamen, vt ex Ætij sententia colligi potest,vbi mammæ non doluerint,vtilissimum esse censeo si leniter exsugantur:effertur namque foras leui hac eductione quod præter modum in mammillis continetur,potiùs quàm aliquid ampliùs trahatur. Quòd si nè id quidem sufficere videatur, nullum præstantius auxilium reperies, quam circa initia,si quid nõ obstiterit,tali venam secare,copiosumq; sanguinem

ex ea fundere. Verùm si ob mensium retentionem id malum fieri constet, eos euocare omni arte curandum est: quod Galen. aduertisse constat. 5. simpli. cap. 21. At si sola totius corporis abundantia lac exuberet, media quæ in cubito est vena, aut interna primò secanda erit (nisi menses aut puerperium eo tempore fluxerint) mox ea quæ in talo est. Si verò nobis in animo fuerit lac ex toto non auferre, sed excessum & copiam solùm minuere, hæc mihi sufficere videntur, præsertim si linteum ex crudo lino omphancino madidum apposueris.

De lacte omnino restinguẽdo.

Verùm si lac omnino restinguere in animo fuerit, tunc quidem considerandum est an fœmina partui proxima fuerit, vel iam diu pepererit. Quòd si mox à partu lac auferre velis, cauendum eo tempore est à repellentium vsu, sed omni arte curandum menstruam purgationem adaugere, & lac digerentibus ac exsiccantibus minuere ijs quæ mox referam. Si autem longissimis interuallis à partu distauerit mulier, tunc quidem præmissa vniuersali totius corporis prouidentia, repellentibus primò vtendum est, velut est linteum posca madefactum, vel spongia: & portulacæ folia cum aceto trita, aut apium tritum cum aceto & rosaceo. Præstat & emplastrum quod recipit farinæ fabarum, & lentium. ana. ʒ. j. succi plantaginis. ʒ. iij. olei rosacei. ʒ. ij. aceti. ʒ. j. Valet ad id quoque petroselinum cum posca tritum: vel illud quod recipit succi plantaginis, succi menthæ. ana. ʒ. j. & ℈. farinæ hordei. ʒ. j. aceti. ʒ. ℈. Item valent palmulæ cum pane & posca tritæ: ouum agitatum cum rosaceo, vel decoctum lentium cum eodem rosaceo, aut lentes ipsæ cum decocto myrti contusæ. Sed si efficacius aliud efformare velis, alumen & psyllium cum aceto & rosaceo, addito modico succo coriandri adhibeto: sed id non nisi ruralibus fœminis adhibeas. Quibus non, vt par est, præstantibus, digerentium pharmacorum nonnihil admiscere oportet: velut est id quod conficitur ex fœnugræci, seminis lini, & altheæ decocto cum succo coriandri aut portulacæ & farina hordei ac lentium, additis rosaceo & croco. Cuminum etiam cum aceto illitum lac minuit: similiter eius decoctum cum modico croco: aut fœnugræci succus cum apio viridi, mentha, ac ruta, farina lentium, rosaceo, ac posca impositus. Verùm si nuper enixa lactare noluerit, placet magis ea adhibere, quæ lac ipsum exsiccent ac digerant, quæ tutissima admodum existunt: sed præmissa (vt dictum est) vniuersali prouidentia. Huius naturæ est illud mirabile præsidium, quod recipit fœniculi, apij, oreoselini, maluarum & altheæ cum radicibus. ana. p. j. foliorum lauri, & florum camemali singulorum. m. ℈. quibus in aqua secundum artem decoctis, ac in grandiori vase proiectis, tectis desuper panno lineo mammillis, eas fouere opus est & abluere, ac post ablutionem rosaceo omphancino illinire: quo sanè tempore, vt leniter exugantur, permittendum. Sed mammis posteà adijciendum erit id, quod recipit terebinthinæ quantum satis sit, quam vino albo odorifero & aqua rosacea sæpiùs abluito, cui duo aut tria oua tota & croci. ϑ. j. adijcito, & ad emplastri seu cerati formam cera addita redigito, quod super linteolum extensum iuxta papillas perforatum ad mammas adhibeto. Confert etiam oleo camemali & liliorum mammas inungere, & ex prædictis oleis calidis & terebinthina confectum ceratum desuper apponere. Sed vtilissimum semper sum expertus illud, quod pari portione butyri recentis, & terebinthinæ vino & aqua rosacea lotæ, conficitur. Valet & basilicon maius, & fæx vini combusta cum

cum aceto peruncta. Ex vsu quoque est oleum, in quo raphanus minutim inscissus diu incoctus fuerit: cuius præsidij efficacia maximi profectò momenti est, Sed efficacius experimur, si mammas inunxeris oleo, in quo diu ferbuerint radices iridis minutim inscissæ: vel si ex eo, aut oleo raphani vnguentum cum cera & pinguedine gallinæ confeceris, vel ceratum: præsertim si eis addideris succi petroselini aliquid, vel ipsum petroselinũ pistatum super mãmas imposueris. Prohibet autem lactis vbertatem ante partum mammis apponere emplastrum ex terebinthina & oleo liliorum, ac modico omphancino confectũ, vel ex sola terebinthina purissima ac sæpiùs lota vino, & modica cera alba. Quibus etenim similia facile tibi erit conficere, si quæ nuper diximus, memoria tenueris.

De lactis vitiosi emendatione.

Cap. XVIII.

QVANTVM malì inferat puerulis vitiosum lac, is facilè noscet, qui intellexerit, nutricum quoque mammas quod tale est, erodere ac exulcerare acredine & mordacitate. Cuius vitij principium dubitabit nemo, ex vitiosi sanguinis affluxu proficisci: ac rursus sanguinem talem fieri ex alimentis deprauatæ substantiæ, vel ex indebito vitæ instituto. Præterquam quòd aliquando succrescere constat ex malo corporis habitu, aut ex intemperamẽto alicuius membri præcipui, maximè iecoris aut ventriculi. *Causæ.*

Nosse vitiosum sanguinem docuimus capit. de vitiosis menstruis, hac in parte deprauati lactis solùm indicia scribam. Vitiosum igitur lac puerorum ora facile erodit: item mammas quoque exulcerat, & nomas siue depascentia vlcera ac serpentia infert. Cuius naturam docet cognoscere Ætius dicens: Tenuia ac candidissima linteorum frusta eo lacte imbuta in vmbra siccabimus, & in his quantum à natiuo calore lac discesserit speculabimur. Id quidem facile erit cognoscere ex colore relicto in linteolis. At verò virosum ne sit, aut fœtidum, olfactu cognoscemus, sicut salsedinem, amaritudinem, acorem, & insipiditatem gustu: tenuitatem, crassitiem ac lentorem ex vngue probabimus, & eo etiam modo, quo superiùs dictum est. Crassum quidem lac diligenter nosse studebis, vtpote quod multorum malorum soboles existat: quippe epilepsiam, cruditatem vrinæ, & alui excrementorum paucitatem inferre assolet, necnon & flatus, ac furunculos: sic etiam pueros reddit inappetentes, vomitosos, torpidos, difficulter respirantes, somnolentos ac decolores, & sordibus ac mucis abundantiores. Pari etiam ratione nimis tenue & aquosum vel serosum, graciles reddit infantes, extenuatos, & qui parum alimenti susceptent. Sed vrinam multam reddentes habentesq; fluidã aluum. Sic si acres abundant humores, frequenter per aluum excernunt cum torminibus, quo gracilescunt magis, præsertim si pustulæ pruriginosæ per cutim erumpant, cum deiecto appetitu. *Signa.*

Verùm licèt Ætius has minimè esse purgandas referat, nos tamen aut infantes alijs lactãdos cõmittimus, aut eas purgamus, animaduersa humoris peccãtis idea, *Curandi ratio.*

idea, vt aperte Hippocrat. libr. 6. popu. consuluisse constat: quippe sic & nutrici & infanti prouidemus. Ob id primò victum instituimus contrariæ omnino naturæ ei succo, quem redundare comperimus: & ea insuper copia quæ optimè conficiatur, confectaque puero & nutrici sufficiat. Quo facto, ac pleniore semel instituta purgatione, proficuum est per epicrasim & interualla, aut ter quaterue in anno nutricem eo pharmaco purgare, quod vel humorem seligat peccantem, vel leniendo vias communes expurget: tum vt attemperentur reliqui humores, tum verò, vt si quid crudum aut praue confectum iuxta venas maiores & iecur adhæserit, antè quàm venarum succos conspurcet, excernatur euacueturque. Cæterùm si crassum sit lac, victu veteris extenuante, velut est ius pulli cum petroselino & croco: item & pulli caro: potus sit aqua cinnamomi aut radicis chinæ vel sasafrasæ Indicæ. Præstat & mel rosaceũ cum oxymellite & aqua fœniculi. Quòd si mulier vomitui prona fuerit ex vsu erit vomere. Posteà verò ante cibum vtatur puluere anisi, fœniculi, cinnamomi, origani, hyssopi, cum pari sacchari mensura. Item ante hæc omnia moderato vtatur exercitio & vberat er in hebdomada lauet decocto nepetæ, quòd præstantissimi sit vsus. Sic his quæ tenue gignunt lac crassa conueniunt cibaria, vt oriza, edulium album, panatella, extremitates tenerorum animalium, farrum, & huius census alia. Quòd si acrimoniæ particeps sit, balneis vtatur, & cibis humectioribus ac frigidioribus: iulepo etiam ex granatis ac syrupo violaceo: aqua plantaginis & rosarum cum saccharo: itaq; curandum est, vt cibaria probè conficiat mulier. Tandem attemperamenti gratia alijs vtendum est medicamentis & alimentis, quæ aduersus cuiusque humoris conditionem pugnent: frigidis quidem calida adhibentes, & calidis frigida, ac sic de reliquis iuxta cuiusque oppositionis naturam.

De lactis concretione.

Cap. XIX.

LActis concrescentiam, si quis rectè examinet, reperiet duobus posse modis fieri: vno quidem, dum in grumos ac trombos concrescit: altero verò, cùm in casei speciem degenerat: quod idem esse (vt multi cẽsent) vitiũ, falsum proculdubio arbitror. Ambo tamen (nisi ad immodicè retenta reducere volueris) ad morbum in magnitudine omnes referri autumant: ego autem potiùs ad morbi causam, cùm morbus partium sit viuentium, non humorum aut lactis: mammarum verò turgentia verè morbus est in magnitudine, prodiens à prædicto lacte. Materia autem horum affectuum lac equidem est: cæterùm siue crassum siue multum fuerit, indifferenter in casei naturam vel in grumos conuerti poterit: id autem à longè diuersissimis causis. Quippe grumus non potest nisi à frigiditate fieri: neque in casei naturam lac mutari, nisi caliditatis vi & efficacia. Quanquam multis non placere hoc dogma scio, quòd existiment viuente fœmina non posse tantam subesse frigiditatem, vt lac subinde cõcrescat, atque etiam ex Arist. 4. metheo. probant ex calido etiã posse fieri, sicut coagulationem etiam à frigido. Sed hæc consultò alijs discutienda dimitto. Nosse autem hac in re oportet, in casei speciem commutari lac ex immodica mammarũ caliditate, exsiccata ac per halitum digesta parte eius tenui & serosa. Quod facilè probari potest ex Gal. lib. 5. simpl. indiget namq; vt coaguletur, quòd sereum eius ac tenue separetur, & quod crassum est, in se se cohæreat. Quæ sanè opera (vt ipse refert) absque valido calore fieri nequeunt. Id quod etiam ex Ætio & Paulo colligi facilè potest: & medicamenta etiam huic affectioni proficua palam ostendunt. Verùm quod lac in grumos cõuerti nequeat, nisi à frigido, iam probare aggredior, si priùs dixero certum mihi esse, lac non alio modo quàm sanguinem in grumos posse degenerare: sed is non nisi extrauasatus frigiditatem contrahens defectu caloris vasorum in grumos abit: ergo neque lac. Probatur etiam id, si quidem medicamenta vtrique concretioni proficua non humida, sed calida & tenuium partium ab omnibus commendantur, qualia sunt, quæ ijs quæ frigore dẽsantur proficua esse comperimus. Prætereà sanguinẽ extra vasa, aut lac non opus est in grumos mutari à frigiditate positiua, sed solùm ex defectu prærequisiti caloris: quo fit vt sola hac ratione in quouis ventre sanguis aut lac existant, ocyssimè concrescant, destituta proprio & prærequisito calore, licet ventres & partes, vbi præsunt, actu calidissimæ existant. Sic quoque lac in mammis, deficiente earum calore, necesse est in grumos mutari: præsertim si è vasis mammarum in spongiosa spatia dilabatur, aut ob plenitudinem resudet. Multi enim nituntur idem esse lac coagulari, & in grumos abire, probare, sed nunc probabiliores mihi hæ rationes videntur cõsueto. Quamobrem ni præstò auxilia sint, dubitandum non est, quin aut in inflammationem, aut aliud malum affectio degeneret. Quam sanè cognosces ex tactu: quippe mammæ eo tempore in tromboſas durities, inæquales q; & cum dolore non parum turgent, lacte nullo neque adhuc fuctu ab eis instillante. Ex huiusmodi lactis concretione oritur non rarò mãmis inflãmatio & dolor, & nutrici febris nõ mediocris mométi, quẽ morbũ nonnulli, pilum: appellarũt, vt Pedamõtanus, deceptus sentẽtia Arist. lib. de gene. ani. qui pilum in sanguine reperiri autumauit, cuius loco ego fibras intelligo, non pilum: licet lib. 7. de hist. ani. cap. 11. morbum pilarem constituerit his succrescere epoto pilo & ad mammas eunte: quod quidẽ quam verũ possit esse alij iudicent, sicut filum à Rasio. 6. conti. appellatum prędictæ affectioni persimilem: quòd potiùs ad prædicti lactis concreti inflãmationem reducere placet.

Curandi quoque rationem duplicem esse ipsa affectus natura & differentia apertè docet: euariari namque curationẽ, quæ caseationi debetur ab ea, quæ grumoso lacti proficua est, nulli erit dubiũ. Sic enim vbi in grumos cõuersum lac fuerit, victus rationem extenuantem & modicè calidam instituere oportet: sed in cura tione prodest pannos cũ musso aut hydrælco, vel cum perdicio herba viridi super mammas apponere. Superinfusio etiã calentis olei dulcis plurimũ conducit, aut fotus aquæ calidę, vel decoctũ fœnugræci, althææ, apij, aut camemali, adhibito desuper emplastro ex farina seminis lini, fœnugræci cũ hydromellite, vel oleo sesamino, de semine lini, anethi, & assungia gallinæ. Itẽ coagulũ leporinũ butyro aut aliquo ex prædictis oleis liquatũ illitũ præstat: sicut potum cũ vino lac in vẽtre coagulatũ dissoluit. Et licet ab Auerro. dictũ sit. 5. colle. ca. 47. coagulũ omne esse adstringens, cum hoc tamen manifestis qualitatibus scimus attenuare: nam illud occulta efficit proprietate. Betæ item folia, si tamdiu oleo fuerint incocta quòd intabuerint cum pane & fabarum farina, paucoque oleo sesamino permixta & im-

Curandi ratio.

& impoſita conferunt. Mentha quoque viridis idem beneficium præſtat: ſed apium hortenſe tritum, & mammis duris appoſitum prodeſſe plurimum ſcimus: ſicut ſuccum eius mica panis exceptum & mammis appoſitum: rutam item cum ſulphure, & pauco aceto coctam mammis adhibitam excepta papilla. Grumeſcentiam quoque diſſoluit ammoniacum cum aſſa fœtida, cera & oleo ad formam emplaſtri. Præterea alia auxilia ſic conficito: R. aquæ liliorum & menthæ, ſingulorũ. ℥. iij. aquæ chelidon. ℥. j. aquæ roſarũ, & nympheæ, ſingulorum. ℥. iij. miſce, & frequenter mammas laua, pannoſque his madidos appone, vel ceratum ex cera & oleo violarum. Prodeſt & decoctum. q. r. radicis eringij & fœniculi. ana. ℥. ij. ſeminis apij. ʒ. j. foliorum apij & fœniculi. ana. m. ß. fiat decoctio ſecundum artem & tribus vncijs eius addes ſyrupi de duabus ra. ℥. j. oxymellytis. s. ℥. ß. & hoc vtatur mane bis terue in hebdomada. Vtendum quoque eſt puluiſculis, quæ recipiunt ſeminis fœniculi. ℥. j. aniſi. ℥. ß. apij, petroſelini, & agni caſti. ana. ʒ. j. coralli rubei, cornu cerui vſti. ana. ℈. ij. ſacchari duplum, quorum manè ſumat cocleare vnum. Ex ſaluia quoque mentha & virga paſtoris fiat puluis, quo vtatur in iuſculis. Quòd ſi mammæ in tumorem attollantur, & dolitent, vngendæ ſunt linimento quod recipit vnguenti roſarum & cerati ſanthalorum, ſingulorum. ℥. j. olei roſarum, & camemali ſingulorum. ℥. ij. miſce. Prodeſt ſi vltra pergat affectio, cataplaſma, quod recipit farinæ fabarum & orobi, ſingulorum. ʒ. iij. ſucci chelidon. mai. & menthæ. ana. ℥. iij. olei liliorum & menthæ. ana. ℥. ij. fiat cataplaſma. Præſtat & aliud quod recipit farinæ fabarum & hordei, ſingulorum. ℥. j. ſtyracis in oleo roſarum diſſolutæ. ℥. ß. coagulum vnũ hœdi, miſce, & fiat cataplaſma: idem efficit vnguentum album Galen. aceto diſſolutum: & butyrum cum aceto. Prodeſt & aqua roſacea cum aceto mixta: argilla in puluerem redacta & cum aceto mixta: maximè ſi dolor pungens adſit: idem efficit nidus hirundinis cum aceto. Quibus poſitis, reſolutionis & mitigationis gratia adhibere oportet cataplaſma quod recipit furfuris. p. j. florum camemali & meliloti. ana. p. j. & ß. farinæ fabarum. ℥. iij. pinguedinis gallinæ ʒ. x. croci. ℈. ij. olei roſarum, & anethi. ana. ℥. ij. olei violarum. ℥. j. miſce & fiat cataplaſma. Quòd ſi ad ſuppurationem tumorem deuenire conſtet, emplaſtro vtendum eſt, quod conficitur ex maluis coctis & butyro recenti, vel alio, quod recipit maluarum, violarum, ſingulorum. m. j. florum camemali & meliloti, ſingulorum. p. ß. fiat decoctio: cui adde micæ panis lib. j. butyri. ℥. j. & ß. vitellos oui. ij. olei roſarum. ℥. ij. olei camemali. ℥. j. miſce. Appones etiam micam panis albi ea decoctione imbutam vitellis ouorum & croco admixtam. Curandum tamen eſt ante omnia ſanguinem mittere, & reliqua veluti in inflammationibus efficere.

At dum lac caſei formam acquirit, tunc quidem poſca pane, vel ſpongia impoſita ſummoperè prodeſt. Item ſuccus ſolani cum aceto, aut ſuccus portulacæ: vel farina hordei cum aceto mulſo. Furfures etiam cum aceto cocti, aut mentha aceto admixta: folia alicacabi cum braſsicæ folijs contuſa, pauca myrrha, croco & aceto adiectis, idem beneficium præſtant. Item decoctum fœnugræci cum oleo violaceo, roſaceo, & pauco aceto. Prætereà ſuccus herbæ, quam appellant, morſus gallinæ, cum roſaceo in linteis exceptus. Prodeſt & fotus ex decocto quod recipit foliorum plantaginis, maluarum, violarum, & roſarum melliloti, radicum altheæ, & fœnugræci. ana. m. j. coquantur in

in lib. xij. aquæ & cum ſpongia fiat fotus, & poſteà vtere linimento. q. r. ſucci plantaginis & maluauiſci. ana. ℥. ij. olei roſarum & amygdalarum dulcium. ana. ℥. j. ceræ albæ. q. s. Valet & ſuccus apij cum mica panis adhibitus: vel linteolum parti appoſitum ſucco petroſelini, apij, & oleo violarum madidum. Verùm ſi ob lactis copiam concreſcere caſearique contingat, ſenſim emulgendum à catulo eſt, aut ab aliquo miniſtro qui id probè efficere ſciat, vel extrahendum vaſe aliquo anguſti oris, & vapore aliquo concalfacto & papillæ appoſito, quo cucurbitæ modo lac ſugat: poſteà ſuper mammas lentium decoctum cum oxirrhodino adhibere conuenit.

Ad mammarũ rugas ea omnia ex vſu eſſe ſcimus, quæ ad ventris rugas ſuperiùs ſcripſimus: ſed ſpecialiùs confert ceratum quod conficitur ex cera & putaminibus ouorum perdicis.

De morbo pilari nil dicere ſtudui: nam ſicut inflammationis principium curari proculdubio debet.

LAVS DEO.

Et huius voluminis hic eſto finis.

Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei & ſacratiſsimæ Virginis Mariæ, *nec non & ad vtilitatem proximorum. Quod opus & omnia quæ Deo fauente ſcripſimus, & ſcripturi ſumus, libentiſsimè ſubijcio correctioni ſacroſanctæ matris Eccleſiæ Romanæ: & ſi quid gratum vſum fuerit aut Reipublicæ vtile, Deo optimo maximo, ac Chriſto domino Saluatori noſtro acceptum referò, eiq; immortales gracias ago: cui Laus, Honor & Gloria ſit per ſecula ſeculorum Amen.*



Hago ... 1660 01

Don Francisco Nuñez de Rentaxa

Manuel ... Nuñez de Castillo

De llamas y que

... que ... de la pluma de Joseph ...

Juan ... Nuñez de Castillo

Alvaro ... de Llamas y Pluma ...

... Nuñez de Castillo ...

Dios te salve Reyna y madre

... pluma de Joseph ... Nuñez de Castillo ...

de misericordia vida y dulzura

esperanza nuestra Dios te salve

a ti llamamos los desterrados

hijos de Eva a ti suspiramos

... en el dia 12 de agosto del

año de mill seyscientos y ochenta